Filos




14
37 G
15

CVRSVS
PHILOSOPHICVS
IN VNVM CORPVS REDACTVS,

IN QVO
BREVI, FACILI, AC DILVCIDA METHODO

Omnia, quæ ſpectant

Ad usum Domni Iustiani ab Orbez

AD

LOGICAM
PHYSICAM
DE COELO
DE ELEMENTIS
DE METEORIS
DE GENERATIONE
DE ANIMA, &
METAPHYSICAM.

EXPENDVNTVR, ET DISPVTANTVR

AVCTORE

R. P. D.

IO. BONIFACIO
BAGATTA
VERONENSI

CLERICO REGVLARI, SACR. THEOL. PROFESSORE.

Cum duobus Indicibus, Altero Diſputationum, Rerum Altero.

Sancte Me de Scala







VERONAE,

Apud Andream de Rubeis M.DC.LXVII. SVPERIORVM PERMISSV.


SERENISSIMÆ, ET POTENTISSIMÆ

PRINCIPI

D. D.

HENRIETAE MAR: ADELAIDI

VTRIVSQ. BAVARIAE
ET SVPERIORIS PALATINATVS
DVCISSAE
COM. PALAT. RHENI
S. R. I.
ARCHIDAPIFERAE ELECTRICI
Lantgrauiæ in Leuchtenberg,
REGIAE ALLOBROGVM, & PEDEMONTII.
PRINCIPI
Dominæ meæ Clementissimæ.





N Tibi SERENISS. PRINCEPS, vel quod tuum est, vel quod Tibi multis nominibus debitum, tuæ Celsitudini venerabundus offert animus. Philosophicus hic Cursus, exilis ingenij mei partus

cuinam

cuinam debebatur, nisi tibi, cuius munificentissimæ Liberalitati, Augustissimæq. Clemētiae deuincta tota mea Religio, tot, tantisq. beneficijs illustrata, cumulata, non habens quod tibi pendat Vectigal, suis in filijs, omne quod suum est, fatali quadam, sed voluntaria necessitate, tuis deuoluere pedibus, miris, arcanisq. cogitur modis. Cuiusnam illustriori nomine insignitae, lucem aspicere poterunt hae meae obscurae Lucubrationes, nisi Serenissimo tuæ Celsitudinis insculptæ, ab ipso etenim, cuius splendidissimos iubares totus mundus nouit, & veneratur, tanquam à fonte, & clarissimam lucem haurire poterunt, atq. nitores, & amici tutaminis vmbras sub tantis auspicijs audenter sperare. Noui, in ausus me nimis erumpere effrænes, dum tantæ Maiestati exiguam hanc victimam audenter litare praesumo. Noui, temeritatis naeuos garrientisque turbae venenatos subiturum morsus, dum magnanimam tuae Celsitudinis erga Religionem meam Liberalitatem, temerare potiùs, quàm pacare, exili hac Philosophici sudoris hostia, non erubesco. Noui, inanes, futilesq. esse conatus, muneribus cum Principibus certantium, Gratiae etenim sunt Principum partus, non vulgatorum hominum puerperia, neq. enim aliena munera curant, qui suis abundè bonis exuberant. At nouerim; noui etiam, eam, quæ tuo pectore residet, Serenitatem, & Clementiam, me

temeritatis nomina haurire non permissuram., Principum etenim est, nō quod ipsi merentur, sed quod deuincti possunt, attendere; Etiam Apollinem splendidissimum numen, haùd temerè effinxit Antiquitas, dum non suppeterent magna, & leuissimas auium plumas Delphico in templo æqua fronte excepisse: vulgaris est animi, externa tantùm rerum specie capi, Principis autem, in munere, non munus expectare, sed animum; vt etenim cecinit Claudianus

Inclinat populo Regale modestia culmen;

sic exiguam aquam è Cyro flumine haustam, & malum punicum equitanti Artaxersi porrectum, minimè despexit Persarum potentissimus Rex. Noui etiam præstantissimum animum tuæ Celsitudinis omnibus in rebus peragendis mentis acumine præcellentem, litterarijs in disciplinis antiquas non inuidere Aspasias, Zenobias, Thargelias, Cornelias, Hortensias, Fuluias, Leontias, cæterasq. supra sexum eccellentes mulieres; quapropter, & omnium Sapientum hoc in opusculo conglomeratam Doctrinam benigno excipere sinu, minimè dedignaturum confido. Noui denique, exiguum per se hoc munusculum, tui Serenissimi nominis insculptum charactere, in excelsum, augustumque benigna fore metamorphosi transformatum, atq. adeo, tuos à te mutuans

De VI consul. Honory. Plutar. in Apo.

colo-

colores, Maiestatme tuam in fronte præseferens, tua summa Celsitudine non futurum indignum. Hæc igitur, quæ optimè nouerim, meam excusabunt audentiam, temeritatem pro deuotione propandent, meq; ex ide munus pro immensa gratiarum copia, fœneratum esse, publica declamabunt voce, Hocq; perenne obsequij mei, deuinctiq. animi erga Celsitudinem tuam, insurget monimentum æterna per æua, quippe

Horat. Carm. lib. 3. Od. 30

Quod non imber edax, non Aquilo impotens
Possit diruere, aut innumerabilis
Annorum series, & fuga temporum.

Excipiat igitur Augustiss. Benignitas tua obsequentissimi animi leue munusculũ, deuotionis meæ praeseferens characterem, tuoq; illud, ne dum pacato intuere obtutu, sed cumulatiori tuae Celsitudinis radiorum circumcinge diademate, sic etenim, & vt munus Regium, sicut olim Ioui coronatae offerebantur victimae, tuo dignum apparebit conspectu, & tanto coruscabit splendore, vt omnis contrariæ loquacitatis reuerberata facesserit audacia, & omnis hostilis contraobuersantium allucinata fuerit sedulitas, eorum etenim semper insurgit contra nouos partus insolens copia; erunt quippe loquaces splendores, & silendo clamantes.

Virg. Aeneid. 6.

. . . *Procul, ò procul este profani.*

Ea igitur, quae tuum pectus magnanimitas supra inuidiam

inuidiam hoc humilissimum tuæ Celsitudinis obsequium complectatur, & subsignet; dum perennem felicitatem, immortalemq. gloriam Celsitudini tuæ, totiq. Domui Bauaricæ inaugurans, sisto. Valeas ad Nestoreos Annos.

Serenis. Vestrae Electoralis Celsitudinis.

Humilissimus, & Obsequentiss. Seruus

D. Io. Bonifacius Bagatta Cler. Reg.

APPROBATIONES OPERIS

D. Ioseph Maria Marauiglia Congreg. Cleri. Reg. Præpositus Generalis.

CVm opus, quod inscribitur *Cursus Philosophicus, in vnum corpus redactus &c.* à P. D. Io. Bonifacio Bagatta Congregationis nostræ Theologo compositum, duo eiusdem Congreg. Theologi recognouerint, & in lucem edi posse probauerint, facultatem facimus, vt typis mandetur, si ijs, ad quos pertinet, videbitur: Cuius rei gratia has litteras manu nostra subscriptas, Sigilloq; nostro munitas damus.

Romæ die 8. Maij 1667.

D. Ioseph M. Marauiglia Prep. Gen. Cler. Reg.

D. Antonin. Arguis Sec.

IVssu, & Mandato Adm. Reu. Patris D. Ioseph. Mariæ Marauigliæ Congreg. Nostræ Præp. Generalis, vidi, & accuratè perlegi opus, cuius Titulus, *Cursus Philosophicus in vnum Corpus redactus, &c. à P. D. Io. Bonifacio Bagat Veronensi C. R. Sacr. Theolog. Profess.* in quo nihil deprehendi, quod orthodoxam offendat veritatem, vel à Christiana dissentiat probitate, Immo omnia reperi consona, proprio ordine, ac methodo explanata, inextricabilia Philosophiæ, maxima facilitate, breuitate, ac claritate, adequatè soluta.

Qua propter, nedum censeo dignum, quòd prælo committatur, sed quòd omnium Philosophorum tractetur manibus, dignissimum reor.

D. Io. Chrysostomus Philippinus C. R. Sacr. Theol. D. ac. S Officij Veronæ Consultor.

EGo infrascriptus de Mandato Adm. R. P. D. Ioseph Mariæ Marauigliæ Congregationis Nostræ Præpositi Generalis, Volumen hoc, quod inscribitur *Cursus Philosophicus in Vnum Corpus redactus, &c. à P. D. Io. Bonifacio Bagatta Veronensi C. R. S. T.* totum perlegi, nihilque in eo deprehendi, quod, aut fidei Catholicæ, aut bonis moribus aduersetur, quinimmò singularem claritatem cum rara breuitate, vel in difficilioribus quæstionibus mirè coniunctam, qua propter dignum illud censui, quod ad publicam vtilitatem in communem lucem prodiret. Veronæ 30. Aprilis 1667.

D. Michael Angelus Abacus C. R. Sac. Theol. Professor.

De Mandato Reuerendis. Inquisitoris.

TRes partes Cursus Philosophici, in quibus Disputationes de Logica, Physica, Cælo, Elementis, Generatione, Anima, & Metaphisica habentur (Auctore P. D. Io. Bonifacio Bagatta Veronensi Cler. Regulari S. T. P.) legi ego infrascriptus, dignumq; Prælo iudicaui.

Fr. Io Antonius de Verona S. T. P.

Stante præfacta attestatione
Imprimatur
Inquisitor Generalis Veronæ.

Noi Refformatori dello Studio di Padoua.

HAuendo veduto per fede del P. Inquisitor di Verona nel libro intitolato *Introductio in vniuersam Aristot. Logicam, & Philosophiam*, non esserui cosa alcuna contro la S. Fede Cattolica, è parimente per attestato del Segretario nostro niente contro Prencipi, è buoni costumi, concedemo licenza di poterlo stampare, osseruando l'ordini &c.

Dato 18. Nouembre 1666.

(Andrea Contarini Cau. Proc. Ref.
(Nicolò Sagredo Cau. Proc. Ref.

Angelo Nicolosi Segret.

BENEVOLO LECTORI.



T quid tot multiplicare libros, tot volumina condere, hoc præsertim tempore, quo adeò illorum excreuit copia, vt legentes penè obruat, defatiget componentes, te, ò mi Lector, dictitaturum esse non me latet; & quando nam tot illustrissimis Scriptoribus explicata, collustrata, irradiata tota Philosophia, tandem erit supersedendum, calamusq; Philosophicus, veluti re confecta, ad aram appendendus? an ne nunquam senescet animus ille semper scribendi, de quo cecinit Vates

. . . . Tenet insanabile multos. Iuuen. Sat. 7.
Scribendi cacothes, & ęgro in corde senescit.

Fateor, & mihi interdum displicuisse ingentem librorum copiam, totq; volumina sapientum virorum, sæpè nimiùm audaci damnasse iudicio, quippe qui, per vanas scripturitiones, hominum applausus sibi mendicare credebam. Ast, tanto ab errore animum liberauit meum, eorumdem librorum indefessa lectio, dum per plures annos Philosophiæ palæstram exercui; Veritatem enim ita abstrusam, latentem, & vt non inscitè cum Democrito autumnarunt Antiqui, in profundum puteum latitantem, comperi, vt, licet multorum annorum curriculo, multisq; laboribus à pluribus, vt eam eruerent, fuerit insudatum, magna tamen ex parte adhùc eruenda remaneat, adhùc indaganda supersit, testante etenim Seneca Veritas tota nondum est occupata, multum ex illa etiam futuris relictum est; *& apud Aratum* Seneca.

. . . . Omnia nondum
Ex Ioue mortales cognoscimus: occulit ille
Plurima, dum libitum fuerit quæ tradet apertè.

Quilibet, veritatem licet latentem eruere, licet mille Philosophantium ambagibus implicitam, nancisci, secundùm suam desudat capacitatem; At

Non omnia possumus omnes. Virg. Egl. 8.

Omnibus, quocumq. in arcano Philosophico non se patefacit Veritas, sed mutuo diuersa opinantium concursu, & accursu, veluti ex silicum collisione, illius rutilantes promicant scintillæ. Hæc igitur hærentem animum meum, quid insudauerit veritatis indagandæ causa, in lucem proferre vehementer impullerunt; licet etenim adeo ingens superabundet librorum copia, attamen, vt cum Poeta loquar

. . . Stulta est clementia, cum tot vbiq.

Iuu. Sat. 1. Vatibus occurras, perituræ parcere chartæ.

nec dubito, Rei litterariæ inutilem me operam nauasse, licet tot sapientibus illustrata prodeat Philosophica Veritas; enim verò, sicut noua Phænomena tot Aquilinis obtutibus iam pridem obscura, in splendidissimo Iubare, recentiorum inspexere pupillæ, sic rutilantem aliquem Veritatis radium, hucusq; vel inter tot splendidissimos iubares implicitum, vel Philosophantium obtutibus vsq; adhuc latentem, mihi, licet caecutienti splendescere haud minimè despero, inquirentibus enim magis se semper patefacit Veritas. Si ergo nullius ducis, meis in lucubrationibus inspexeris, me pressisse vestigia, ne superbi animi condemnes temeritatem, sed parce desiderio, Veritatis latebras quoquo latentes, diligenter rimandi: omnes scientiarum Proceres, eorumq. veneranda dicta, dum clarissimo splendescerent Veritatis lumine, haud despexi, quinimmo, & eorum sententijs libera mente subscripsi, &

Lucretius. Floriferis vt apes in saltibus omnia libant,
Omnia nos item depascimur aurea dicta

Ast, cuiuscumq. d. grandi perstreperet sono, auctoritatem, dum clarissimos Veritatis splendores in fronte non præseferret, ab assertionibus meis ineluctabili separaui exilio; ipsius etiam Aristotelis Peripateticorum Principis cæca reuerentia celebrata dicta, non vt diuina Oracula veneratus sum; quinimmo, & illius Asserta à Veritate nimium aberrantia deprimere, aut conculcare minimè dubitaui; Licèt etenim continuo attritu Palladius Populus terat puluere Stagiriticos calles, non me fluctus sequentiũ traxit, cum nouerim, totum, marmoreæ diuinitati antiquitus orbem procubuisse, nec perinde quòd innumera gente concupitum, venenatos euomere latices, et letali grauidari liquore, Babylonicũ calicẽ; et quis sacro obedietiae voto ethnicis alligauit assertis Philosophos Christianos? quis iurãdũ in verba Aristotelis violẽter impulit? illius inquã Aristotelis, cuius lacunas, corosasq; papyros, suppositititia, vt testatur Baronius, Philosophantiũ vaticinantiũ inundauerunt ineptiæ, illius, quem pedissequa Peripateticorum turba in adeò varias, dissidentes, mutuò pugnantes, distraxit sententias, vt qui firmo nutu statuerit, inter concertantium lites, incerta titubet tempestate; illius, qui anulo per nares transmisso, uelit, nolit, circùm Philosophicas arenas reuerenter suis ab assectis pertrahitur, ita ut, non Stagiritam sequantur, sed ipsos sequatur coactus, per uim, per dolum miserabilis Aristoteles, inq. illorum fabulas, obsequij gratia, violenta praecipitetur auctoritate. Faxit ergo Deus, soli Auctoritati Aristotelicae non subscribam, immò et proscribam, dum elucescentibus Veritatis splendoribus minimè irradiata

Anno Dom. 510.

diata

diata prodeat, vt etenim ait Galenus Fugiendi sunt tibi, qui Philosophari se dicunt, & à veritate errant. *Veritatis ergo deuota victima in lucem exeo. Non noua tibi promitto; Non singularia ostento, sed vera cuicumq. propandere mea est mens; Quod si aliquid tibi nouum esse videbitur, ne tale putes,* nihil *enim* sub sole nouum, nec valet quisquam dicere, ecce hoc recens est. *Philosophiam innouare non praesumpsi, sed obscuriorem illustrare, aureo vtendo praecepto Vincentij Lirinensis,* Intelligatur *inquit* te exponente illustriùs, quod antea obscuriùs credebatur; per te posteritas intellectum gratuletur, quod antea vetustas non intellectum venerabatur: eadem tamen, quæ didicisti, ita doce, vt cum dices noue, non dicas noua. *Non autem metam attigisse praesumo. rea est audentia, Veritatem vndequaq. assecutum esse, credere, se non errasse, putare; Sat erit, Veritatem, ex tot, tantisq. Philosophantium latebris, ambagibusue eruere, tentasse. Nemo autem mihi succenseat, si proprijs dictis non subscripsi, sicuti etenim idem omni palato non sapit cibus, sic animi, diuersis aguntur affectibus, non eodem omnes delectantur. In neminem sponte incurri, neminem momordi, pupugi neminem, omnium veneranda dicta prona ceruice veneratus sum, at non semper cuiuscumq. asseclam me profiteri volui. Veritatem sequentes, secutus sum. Excipe igitur benigne Lector hasce meas lucubrationes, pacatoq. vultu perlege; si quid boni inueneris, benignus accipe, si nihil, saltem ne despexeris; parce ingenij mei imbecilitati, è tenui namq. debiliq. ingenio, non nisi tenuia, & debilia prodere poterant. Multos per opus reperies diseminatos errores, praeli labilitatem nosti, praelo parce, cum Vate etenim concludam.*

Lib de Opt doc. gen.

Eccl. 1.

In lib. aduersùs profanas haeresum nouas.

Si qua videbuntur chartis tibi, Lector, in istis:
Siue obscura nimis, siue latina parùm:
Non meus est error: nocuit Librarius illis:
Dùm properat versus annumerare tibi.
Quod si non illum, sed me peccasse putabis,
Tunc ergo te credam, cordis habere nihil.
Ista tamen mala sunt: (quasi nos manifesta negemus)
Hæc mala sunt: sed tu non meliora facis.

Mart. lib. 2. E. 14. 7.

Vale ad Sybillinos annos.

IN PHILOSOPHICVM CVRSVM
ELVCVBRATVM
A
R. P. D.
IO: BONIFACIO BAGATTA
D. Caietanus Felix Verani Nicienſis Cler. Reg.
Eiuſdemq. Auctoris Diſcipulus
AD LECTOREM
Cenſura.

Ades dùm
Qui dubio adhùc fluctuas doctrinarum in pelago,
Agitatam mentem in ſpem erige portus:
En noua tibi lucet Cynoſura,
Qua Charibdis eluuiem eludes, eludes Scyllæ vertices;
Hoc igitur ſcientiarum, repercuſſa echo;
Rimare mare.
Natas plures reperies Veneres, non venereas,
Quia lucem nactæ, non ignem, vnde ſplendeant dumtaxat habent.
Nec argenteis fluminum tributis
Caret, cum claret,
Mercurij nempè hic defluunt flumina, lumina
Extinctura priſci ſaculi Philoſophantium,
Quæ niſi obſcuritatum in tenebris ſplenduere;
De ſyderum ſcilicet turbis, vrbis in liceis eclipſim patiantur,
Fulgente nouo Sole, qui obſcuritatum neſcius,
In claritatem totus erumpit.
E ſapientiæ interiori cortina exoritur,
Crederem, vt niſi oracula edat
Clariora, quàm ex aureo Delphis tripode, ſeu Dodonæi Iouis lucu,
Palliata nempè, nec vmbra, nec cortina exeunt,
Quia maculas non habent, quas tegant.
Iubare enim ſuo gaudet, audet Cimerias extinguere Phœbus,
Quia eo pulchrior, quò vmbris nudior.
Vaſto in Sophia campo ſaginatum ingenium,

En

En conuiuator non auarus, mille tibi apponit delicias,
Insulsum nihil delibabis,
Quia non salebris, sed sale asperguntur elementa.
Non poterunt gustui non placere hæc edulia
Sale scilicet benè condita.
Fugitiui temporis corruptionem illudent, illident voracem Saturni dentē.
Aureas purgandas pluuias Vulcano dicet amasius Iuppiter,
Quas, Danaen fœcundaturus, Cupidinis fœdauit sordibus:
Sortibus fælicioribus, argentei sudorum imbres hisce perpluere in schedis
Fœcundaturi ingenium, daturi genium.
Thesеum suum sileant fabulæ,
Labyrintheos Sophiæ tramites errare, errore sine iam potes,
Ariadneum stamen tibi porrigit liberè Liber.
I nunc: plura leges, sed non communia,
Quia quæ pretiosa sunt, rara sunt.
Obscurum ab eo nihil expecta,
Qui prisci sæculi difficiles scientiarum tenebras
Fulgere in noui elegantiam coegit.
Gemina enim facie nouus Ianus, vetera, ac noua rimatus,
Duplici face claritatis, subtilitatis,
Pretiosiora tibi indicat perscrutanti.
Quoties enim hilari tuo exultat in ore
IOANNES BONIFACIVS BAGATA
Toties iisdem elementis tuis insonat auribus
IANI FACIES BONIS AGAT BONA.
Suum in Argileto claudat Ianum
Vrbis Numa, Orbis Numen.
Hic cunctis patulus, nec Martis, nec Mortis cupressus,
Sed Palladis carpendas tradit oleas.
Nec hostium fulmina extimescas, licet pateat Ianus;
Hic vbi sapientiæ vernant laurus, irritò vibrabūtur Criticorū fulgetra.
Adaperiat iam Gymnosophistis suis
Silentij sepulcrum, se-pulcrum ob aurum iactans Indicus Orbis,
Seclusa luminū eclipsi clariùs hic cōtēplatur Philosophicæ Veritatis Sol.
Erubescerent, si viuerent, tanta propè incrementum claritatis,
Nisi suo de more haberent, quo vultum tibi tegerent, talare pallium.

INDEX

DISPVTATIONVM, & SECTIONVM.

Quæ in hoc Opere continentur.

Disputatio Prima.

Disputatio Secunda.

Disputatio Tertia.

Disputatio Quarta.

Disputatio Procœmialis.

Disputatio Secunda.

Disputatio Tertia.

Disputatio Quarta.

Disputatio Quinta.

Disputatio Sexta.

De Prædicamento Relationis.

Disputatio Septima.

In Libris de Interpretatione.

Disputatio Octaua.

In Libros Priorum, & Posteriorum.

Disputatio Nona.

De Habitibus.

Disputatio Vltima.

De Scientia.

Prologomena in Libros Physicorum.

Disputatio Prima.

In primum librum Physicorum, De Principijs corporis naturalis, & de Materia Prima.

Disputatio Secunda.

In eundem primum librum Physicorum, De Forma, & eius Priuatione.

Disputatio Tertia.

In Eundem primum lib. Physicorum de toto Composito.

Disputatio Prima.

In secundum lib. Physicorum, De Natura, & Arte.

Disputatio Secunda.

In eundem secundum librum Physicorum. De causis corporis naturalis in communi.

DIS-

Disputatio Tertia.

In eundem secundum librum Physicorum. De causis intrinsecis corporis naturalis.

Disputatio Quarta.

In eundem secundum Lib. Physicorum. De Causis Extrinsecis Corporis naturalis.

Disputatio Prima.

In 3. librum Physicorum. De Actione, Passione, & Motu.

Disputatio Secunda.

In Eundem 3. librum Physicorum. De Infinito.

Disputatio Vnica.

In 4. lib. Physicorum. De loco, & Vacuo.

Disputatio Prima.

In 5. lib. Physicorum. De Motu Locali.

Disputatio Secunda.

In eundem 3. lib. Physicorum. De Duratione, & Tempore

Disputatio Vnica.

In 6. Lib. Physicorum. De Quantitate.

Disputatio Vnica.

In 7. & 8. Lib. Physicorum. De Primo Motore.

Disputatio Prima.

In Primum, & Secundum Lib. de Cælo. De Natura, Essẽtia Motu, & numero Calorũ.

Disputatio Secunda.

In 3. & 4. lib. De Cælo. De Elementis.

Disp.

Diſputatio Tertia.

In eundem 3. & 4. lib. de Cælo. De Mixtione.

Diſputatio Vnica.

In libros Meteorologicorum.

Diſputatio Prima.

De Generatione, & Corruptione Subſtantiali.

Diſputatio Secunda.

De Alteratione.

Diſputatio Prima.

De Anima in communi.

Diſputatio Secunda.

De Anima Vegetatiua.

Diſputatio Tertia.

De Anima Senſitiua.

Diſputatio Quarta.

De Anima Rationali.

Diſputatio Procemialis.

In Metaphyſicam.

Diſputatio Secunda.

De ente vt ſic.

Di-

Pag.	Col.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
4.	2.	38.	Septima	Quinta
27.	2.	52.	illud	aliud
30.	2.	41.	Formalitatem	Formalem
30.	1.	42.	conclusionem	conclusionum
30.	2.	62.	edocet	Edocetur
31.	1.	51.	abiectione	obiectione
31.	2.	7.	è	est
33.	1.	11.	Xoyos	Logos (fiuē
3.	1.	19.	cognitiō discursiuē	cognitionē discur-
34.	1.	30.	ergo	quia
35.	2.	54.	quando	quod
37.	1.	23.	educta	adducta
37.	2.	25.	esse	esset
37.	2.	48.	tia	scientia
38.	2.	25.	per	potest
39.	2.	17.	vnibilib⁹cū primis	vnibilis cū primo
39.	2.	30.	vt repræsentatos	vt reprę́sētās vnita
39.	2.	35.	obiectu	obiectiuum
41.	1.	12.	obiectiuum	obiectum
41.	1.	41.	Chimuram	Chimeram
41.	1.	25.	ipsam	ipsum
44.	2.	45	connectionis.	connexionis
44.	2.	46.	connectio	connexio
50.	2.	27:	participabilis	participabile
51.	2.	23.	vniuersalis	naturæ
61.	1.	26.	amissæ	admissæ
53.	1.	22.	vniuersali	vniuersalis
55.	1.	47.	res	plures
55.	2.	13.	ergo sit	ergo si
55.	2:	45.	formalitatem	formalem
61.	2.	5.	integralis	integraliter
63.	2.	1.	definiret	definiretur
64.	1.	34.	turæ	naturæ
69.	1.	39.	composite	compositum
71:	2.	8.	si daret	si daretur
80.	1.	45.	quale	quales
93.	2.	15.	prędicamentali	transcendentali
105.	2.	33.	ipsorum	ipsarum
108.	1.	33.	illius	illarum
111.	1.	34	ille inotescunt	illa innotescit
136.	2.	37.	lignui	ligni
139.	1.	17.	potencialis	possibilis
139.	1.	30.	producūt. à materia	producūt. depēdē.
139.	1.	57.	potentialitatis.	possibilitatis (ter à

hic autem error est pluribus vicibus, in hac, & in subsequēti columna, vbi enim dicit potencial. debet dicere possibili.

Pag.	Col.	Lin.	ERRATA.	CORRIGE.
140.	1.	6.	nō in ordine ad so-	& in ordine &c.
141.	2.	51.	debere (tm.	debet
142.	1.	30.	subsistentiam	existentiam
144.	1.	51.	formam	formarum
150.	1.	2.	disformitatem	de formitatem
159	2.	49.	compotum	compositum
165	1.	1.	extra	extra
191.	2.	60.	quaad	quod
193.	1.	45.	in parte causæ	ex parte causæ
197.	1.	26.	causalita	causalitas
204.	2.	19.	causales	casuales
210.	1.	2.	& calidum	vt calidum
217.	2.	37.	dsfit	definit
218.	2.	55.	consequatur	consequentes
220.	1.	53.	casa	causa
224.	1	33.	hoc ō ccesso	hoc concesso
226.	1.	52.	aeternitatem infinitam	ætenium infinita
228.	2	59.	eas	eos
240.	1.	15.	propriè	propè
252.	2.	60.	insiul	simul
253.	2.	13.	ex 1 e. indiuisibilibus	ex 3 indiuisibilibus
270.	1.	63.	puncb.	puncto
271.	2.	20.	si ae imaginentur	si imaginentur
276.	2.	2.	ribus punctis	tribus punctis
281.	1.	18.	eternitatem (res	æternitatem
302.	2.	14.	minutissimas pulue-	minutissimos pulueș
320.	2	52.	dirsumpitur	dirumpitur
337.	2.	60.	peccat	peccati
148.	1.	45.	in illud	in illam
348.	2.	39.	habeat	hebetat
161.	2.	29.	materim	materiam
261.	2.	51.	spirituali	spiritualis
370.	1.	63.	potest	possunt
378.	2.	7.	efformate	efformata
390.	2.	46.	species expressa	species impressa
394.	2.	49.	descendente	descendenti
395.	2.	4.	aer	aere
400.	2.	31.	quam	viam
404.	1.	8.	vientibus	viuentibus
405.	1.	34.	vt in fœmina	vt fœmina
415.	2.	44.	ab alio	ab illo
419.	1.	6.	motatur	mutatur
419.	1.	58.	amari	amare
412.	1.	1.	mutari	mutari
433.	1.	56.	sigularem	singularem

In epistola ad lectorem linea 11 cacothes, corig. cacoethes.

In pagina 48. colun. 2. in fine columnæ deficit media linea, sic etenim est dicendum in linea 60. de ipsis loquuntur Philosophi: *ita vt prima intentio sint res* quæ intelliguntur, vt expressa &c.

Item in pagina 386. colun. 2. in fine columnæ deficit integra linea, sic etenim est dicendum in 63. linea, Tum etiam quia, si lux posset repræsentare obiecta deferendo illorum colores ad oculos: *vel hoc faceret quia in se reciperet colores, & illos ad oculos* deferret &c.

IO:



IO: BONIFACII BAGATTA VERONENSIS

CLER. REG.

INTRODVCTIO IN Vniuersam Logicam ARISTOTELIS.

PROOEMIVM.

DIALECTICOS tramites curioso permeandi flagrantes anhelitu, haud nunquam, nisi præmissis, igniuomæ adinstar facis, quibusdam proœmialibus disputationibus, ingredi consueuere; quippe qui, cæcutientem intellectũ, harum lucido coruscamine non irradiatum, in Dialecticæ permeandis caliginosis anfractibus, in futiles omnino desudaturum conatus, optimè cognouerunt. Hos igitur, & nos tractatus præmittemus, ne, dum lumina venari perquirimus, Cimmerias, ne dum ingrediamur, sed & hauriamus caligines. Elucescentem

ſplendorem, quo ne dum hi proœmiales tractatus, ſed & cætera noſtra, tum Dialectica, quàm Philoſophica, coruſcabunt Aſſerta, non è ſolo, tenui, fumidoq; auctoritatum lumine, cæca emendicabimus reuerentia, ſed à luce reflexa Veritatis exhauriemus, philoſophica libertate omnino gaudentes, quæ ſuadet. Nullius iurandum in verba Magiſtri, ſed quod verum, atq; decens eſt, hoc ſequi, hoc tutari; Nam, vt aiebat Iuſtinus Philoſophus, non magis colendus, pluriſq; faciendus eſt homo, quàm veritas. Vade igitur ſplendidiſsima Veritate, omnes rimabimur tã Dialecticos, quàm Philoſophicos anfractus. Hicq; primùm, hiſce proœmialibus tractatibus, ſplendifico Veritatis lumine pariter coruſcantibus, ad cætera facillimè ſternemus viam. Sit igitur.



DIS-



DISPVTATIO I.

De operationibus intellectus in communi.

QVONIAM circa operationes intellectus, præcipuæ erunt quęstiones in his omnibus procemialibus tractatibus, ideò operæ pretium duxi, hic primum earum quidditatem, & multiplicitatem inuestigare. Sit ergo

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit intellectus operatio.

PRIMA Conclusio. Operatio intellectus est actus ipsius intellectus, quo cognoscit, & repræsentat obiecta. Est communis conclusio.

Prob. Concl. Quia operatio cuiuscumq; agentis, est id, quod primò emanat ab ipsomet agente, sed ab intell. agente primò emanat actus ipsius intell. ergo actus ipsius intell, quo cognoscit, seu repræsentat obiecta, est ipsius operatio.

Secunda Concl. Tres sunt operationes intell. s. Simplex apprehensio, Iudicium, & Discursus.

Prob. Conclusio. Quia triplici modo potest intell. operari circa obiecta cognoscibilia; vel enim simpliciter apprehendit obiectum, nihil de illo iudicando, aut affirmando, vt quando simpliciter apprehendit hominem, animal, &c. Et hæc uocatur simplex apprehensio; uel de obiecto apprehēso, & cognito aliquid affirmat vel negat, vt quando de homine apprehenso affirmat, v. g. quòd sit animal, quòd sit risibilis, & hoc vocatur iudicium; vel ex obiecto apprehenso, & iudicato aliquid deducit, & infert, vt v.g. si ex hoc iudicio formato *homo est animal*, deduceret, *ergo est viuens*, & hic vocatur discursus, quasi cursus ex vna re, ad aliam, ex cognito, ad incognitum; cùm ergo hoc triplici modo possit operari intell. ideo tres erunt illius operationes.

Colligitur ex D. Thoma, tres istas operationes esse inter se essentialiter connexas, vt prima sit ordinata ad secundam, secunda supponat primam, tertia primam, & secundam; non enim potest esse discursus in intell. nisi de re iudicata, nec iudicium nisi de re apprehensa.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit definitio.

NOTANDVM est, quòd sicut omnes Artes habent quædam instrumenta, quibus dirigitur potentia actiua Artificis, seu agentis, ad operationem, sic etiam Logica sua instrumenta habet, ad operationes intell. dirigendas, & sunt quædam præcepta, quibus edocet, & dirigit intell. Hæc autem præcepta, seu instrumenta, communiter vocantur Modi sciendi, & 4. sunt .s. Definitio, Diuisio, Enunciatio, & Argumentatio; de singulis ergo est sermo faciendus; & quia Enunciatio maximè deseruit ad dirigendam secundam operationem, & Argumentatio ad dirigendam tertiam, ideo de his solummodo cū de secunda, & tertia operatione, agemus; pro nunc de Definitione, & Diuisione tractabimus, cum sint quidam modi, seu īstrumenta, ad tres omnes operationes dirigendas, inseruiētia, seu vtilia; res enim definita, & diuisa, meliùs apprehenditur, de ea Iudicium fertur, & ex ea faciliùs deducitur conclusio. Sit ergo.

Prima Conclusio, Definitio ex Aristotele 2. posteriorum 10. *est oratio explicans essentiam rei.* 5

Explicatur Concl. Dicitur *oratio*, .s. aggregatio plurium vocum, cùm enim vnaquæque res constet ex genere, & differētia, ad explicandam eius essentiam, saltem sunt necessariæ duæ voces, seu dictiones; vna explicans genus, alia differētiam, vt v.g. in hac definitione, *homo est animal rationale*, per ly *animal* explicatur genus, in quo homo cōuenit cum cęteris animalib⁹, per ly *rationale* explicatur differ. per quam differt homo ab alijs animalibus. Dicitur *explicans essentiam rei*, ad differētiam illarum orationum, quæ nō explicant essentiam rei, Definitio enim est talis oratio, quę explicat, & manifestat essentiam rei, quam definit.

Secunda Concl. Definitio latissimè sumpta, alia est nominis, alia rei. Ita communiter. 6

Prob. Et secundùm nomen, & secundùm rem, potest aliquid definiri, ergo duplex erit definitio; secundùm nomen aliquid definitur, quando explicatur significatio nominis alicuius rei, & hæc etiā dicitur Etymologia, vt si v. g. dicerem nomen *Iesus* significat Saluatorem, *Andreas*, fortitudinem; secundùm rem aliquid definitur, quando explicatur natura, & essentia rei, per nomen significatę, vt v.g. si dicerem, homo est animal rationale.

Tertia Conclusio. Definitio rei triplex est, alia causalis, alia accidentalis, alia essentialis. 7

Prob. Quia cùm tribus modis possit quælibet res considerari .s. causaliter, accidentaliter, & es-

ſentialiter, ideo & his tribus modis poteſt definiri. Tunc ergo erit Definitio cauſalis, quando explicabuntur cauſę rei definitę, vt ſi dicerem, *homo eſt animal creatum a Deo, propter beatitudinem*. erit definitio cauſalis, quia explicatur cauſa efficiens, & finalis hominis .ſ. Deus, & Beatitudo. Tunc erit Definitio accidentalis, quę etiam deſcriptiua dicitur, quādo explicabuntur prædicata accidentalia, vt ſi dicerem *homo eſt albus, homo eſt bipes*. Tunc Definitio erit eſſentialis, quando prædicata eſſentialia explicabuntur, quę prędicata, ſi erunt phyſica, erit Definitio eſſentialis phyſica, ſi metaphyſica pariter Definitio erit eſſentialis metaphyſica, vt ſi dicerem *homo eſt anima, & corpus*, erit definitio eſſentialis phyſica, anima enim, & corpus ſunt partes, ex quibus phyſicè componitur homo; Si dicerem *homo eſt animal rationale* eſſet Definitio eſſentialis metaphyſica, *animal enim, & rationale* ſunt genus, & differentia, ex quibus metaphyſicè componitur homo.

8 Quarta Concluſio. Tres ſunt præcipuæ conditiones bonæ Definitionis.

Prima eſt. Quòd definitio ſit clarior definito, ſi enim debet explicare naturam definiti, ipſo debet eſſe clarior, & ſic non eſt facienda per verba metaphorica, vt eſſet ſi diceretur *omnis caro fœnum*.

Secunda eſt. Quòd definitio conuertatur cum definito, ita vt, de quocumque prędicatur definitum, prædicetur, & definitio, quare non eſſet bona definitio *homo eſt animal*, plus enim comprehendit ly *animal*, quàm *homo*.

Tertia eſt. Quòd definitio nec ſit nimis diminuta, nec nimis ſuperflua; tunc eſſet nimis diminuta, ſi diceretur *homo eſt ſubſtantia*, addendū enim eſſet *eſt ſubſtantia rationalis, corporea, ſenſitiua &c.* Tunc eſſet ſuperflua ſi diceretur *homo eſt animal rationale, bipes &c.* ly enim *bipes* eſſet quid ſuperfluum, cum ſatis, & ſufficienter explicetur eſſentia hominis per ly *homo eſt animal rationale*. Et hæc de definitione.

SECTIO III.

Quid, & quotuplex ſit diuiſio.

9 Prima Concluſio. Diuiſio *eſt oratio totum in ſuas partes diuidens*. Eſt clara Concl. nec indiget probatione, ſeu explicatione. Solùmodo notandum eſt, quod id, quod diuiditur, dicitur diuiſum, partes autem, in quas diuiditur, dicuntur membra diuidentia.

10 Secunda Concluſio. Diuiſio duplex eſt, alia nominis, alia rei. Ita communiter Doctores.

Diuiſio Nominis, eſt quando diuiditur nomen ſecundùm ſuas ſignificationes, vt v. g. ſi diceretur nomen *canis* ſignificat canem terreſtrem, Cœleſtem, &c.

Diuiſio Rei, eſt quando diuiditur res aliqua realis in ſuas partes, & eſt multiplex, ſecundum multiplicitatem totius diuiſibilis.

Alia eſt enim in partes phyſicas, & dicitur diuiſio phyſica, vt diuiſio hominis in animam, & corpus.

Alia in partes metaphyſicas, & dicitur diuiſio metaphyſica, vt diuiſio hominis in genus, & differentiam.

Alia in partes integrales, & dicitur diuiſio integralis, vt diuiſio hominis in caput, pedes, manus, &c.

Alia eſt diuiſio totius Vniuerſalis in ſua inferiora, vt cum diuiditur ſubſtantia in corpoream, ſpiritualem, &c.

Alia eſt diuiſio ſubiecti in ſua accidentia, vt cum dicitur, hominū alius eſt albus, alius eſt niger.

Alia eſt diuiſio accidentium per ſua ſubiecta, ut cum dicitur, alborum, aliud eſt nix, aliud lac, &c.

Tertia Concluſio. Quinque ſunt præcipuæ Regulę bonæ diuiſionis. 11

Prima eſt, quòd membra diuidentia adequatè contineantur ſub toto diuiſo, & ſic non eſſet bona diuiſio, ſi diceretur *ſubſtantia ſpiritualis alia eſt intellectiua, alia non intellectiua*, ly enim *non intellectiua* eſt pars, quæ non continetur ſub toto diuiſo .ſ. ſub *ſubſtantia ſpirituali*.

Secunda eſt, quòd unum membrum diuidens excludat aliud, & ſic non eſſet bona diuiſio ſi diceretur *animal aliud eſt irrationale, aliud bipes*, animal enim irrationale poteſt etiam eſſe bipes.

Tertia eſt, quòd diuiſio non ſit in partes remotas rei diuiſæ, ſed in proximiores, ſic mala eſſet diuiſio, ſi diuideretur ſubſtantia *in hominem, lapidem, &c.* deberet enim diuidi primò *in corpoream, & in incorpoream*.

Quarta eſt, quòd membra diuidentia dicant aliquid minus, quàm totum diuiſum, ſic mala eſſet diuiſio ſi diceretur *homo alius eſt rationalis, alius doctus*, ly enim *rationalis* non minùs latè patet, quàm homo.

Septima eſt, quòd totum diuiſum, non contineat aliquid aliud, quàm membra diuidentia, & ſic malè diuideretur animal irrationale *in aquatile, & terreſtre*, quia datur etiam *volatile*. Hæ ſunt præcipuæ conditiones bonæ diuiſionis. Cæteræ ſi ſunt, aut non ſunt tam neceſſariæ, aut ad iſtas reducibiles.

Quæres. Quæ differentia ſit inter diuiſionem, & definitionem, cum per utramq; habeatur clara notitia eſſentiæ cuiuſcumque rei. 12

Reſp. differre diuiſionem à definitione, quia per diuiſionem cognoſcimus eſſentiam rei, disiunctiuè per difinitionem uerò coniunctiuè, diuiſio enim dirigit operationes intellectus, illumq; edocet eſsentiam rei, diuidēdo, & ſeparando partes ipſius eſsentiæ, ut v.g. quando dicitur *hominis, alia pars eſt animal, alia rationale*; Definitio uerò dirigit, & edocet intellectum eſsentiam rei definitæ, partes illius uniendo, & coniungendo, ut quando dicitur *homo eſt animal rationale*: ex diuerſitate ergo modi operandi, & dirigendi operationes intell. oritur differentia inter diuiſionem, l. per utramq; habeatur idem effectus formalis, .ſ. cognitio perfecta eſsentiæ rei diuiſæ, ſeu definitę. Et hęc de diuiſione, & de operationibus intellectus in communi.

DIS-

DISPVTATIO II.

De prima intellectus operatione, hoc est De Simplici apprehensione. Et de terminis in communi.

1 VISIS, quæ ad tres operationes intellectus spectant; nunc introducimus quæstionem de prima intellectus operatione, & de ad ipsam spectantibus: simplex ergo apprehensio, vt supra diximus, est quando intellectus simpliciter apprehendit aliquod obiectum, nihil de illo iudicando, aut affirmando; & quia intellectus potest apprehendere obiecta, & secundùm sonum verborum, & secundùm significationem verborum; ideò alia vocatur simplex apprehensio vltimata, alia non vltimata, Vltimata est, quando apprehenditur id, quod significatur per verba, non vltimata, quando solummodo sistit intellectus in apprehensione nominis, Omnia autem obiecta, quæ intellectus potest apprehendere vocantur termini, quia ex ipsis conficit propositionem, ideo de istis, vt de spectantibus ad ipsam apprehensionem, hic est agendum, Sit ergo.

SECTIO I.

Quid sit terminus.

2 PRIMA Conclusio, Terminus in actu primo, est omne apprehensum à prima operatione intellectus, Est contra communem.

Prob. Conclusio. Terminus in actu primo est ille, de quo potest confici propositio, sed de omni apprehenso à prima intellectus operatione, potest confici propositio, ergo omne apprehensum a prima intellectus operatione est terminus. Maior est certa; Probatur minor, de omni enim, quod prima operatio potest apprehendere, potest secunda operatio iudicare, affirmare, vel negare, sed in iudicando, affirmando, & negando, efformatur propositio, ergo de omni eo, quod prima operatio apprehendit, efformari potest propositio, & per consequens, est terminus.

3 Obijcies. Si ergo terminus est ille, de quo conficitur propositio, meliùs definiretur secundum Aristotelem 1. Priorum cap. 1. *terminus est id, in quod resoluitur propositio, vel ex quo componitur propositio.*

Respond. In definitione Aristotelis, definiri terminum in actu secundo, non verò in actu primo, .s. non secundùm propriam essentiam sed secundùm suam actualem operationem, definitur enim per illud actualiter existere in propositione, quod est actus secundus, & operari ipsius termini, non autem essentia: & sic etiam malè definiretur essentia animæ, per vnionem actualem corpori, cum sit definienda per aptitudinem ad vnionem, & informationem corporis; operari enim, vt aiunt philosophi, sequitur ad esse .s. supponit ipsum esse; hoc autem esse termini, & ipsius essentiam, dicimus consistere in eo, quòd sit apprehensum à prima operatione intellectus; ex eo enim, quòd aliquid est apprehensum a prima operatione, est etiam affirmabile, vel negabile à secunda operatione; & sic aptum ad efformandam propositionem, & in hoc dicimus consistere veram essentiam termini, cum quodlibet sit definiendum, non secundùm operari, sed secundùm esse,

Secunda Conclusio. Terminus in actu secundo, est id, à prima operatione expressũ, in quod resoluitur, vel ex quo componitur propositio. In hanc conclusionem videtur conuenire Hurtadus disput. 2. sect. 1. ss. 6., & communiter ferè omnes cum Aris. 4

Probatur. Terminus est ille, de quo affirmando, vel negando secunda operatio intellectus, cõficit propositionem, sed non potest conficere propositionem affirmando, vel negando, nisi de obiecto iam à prima operatione apprehenso, ergo id quod a prima operatione exprimitur, apprehenditur, in quod resoluitur, & ex quo componitur propositio, est terminus in actu secundo.

Colligitur ex dictis. Etiam integram propositionem posse esse terminum, si quidem prima apprehensio potest apprehẽdere simul, & vnitim ad modũ vnius, totam integrã propositionẽ, & de ea tanquã de simplici termino, potest secũda operatio affirmare, vel negare, vt si v.g. prima apprehensio hanc integram propositionem apprehenderet *homo, est animal*, posset secunda operatio affirmare *homo est animal, est vera propositio.*

Colligitur secundò, Etiam voces non significantes, vt *blittri, blac, &c.* posse esse terminos, si quidem, sunt apprehensibiles à prima operatione, & à secunda de his potest ferri iudicium, vt si diceretur, *blittri est vox, &c.*

Colligitur tert. Varias esse affectiones, seù proprietates terminorum, quæ proueniunt à diuerso modo apprehendendi obiectum, Prima est *extensio*, quando apprehenditur obiectum secundùm omnem suam latitudinem, vt cum dicitur *homo est animal*, ly enim terminus *homo* intelligitur pro aliquo cõmuni omnibus hominibus. Secunda est

restrictio

restrictio. quando obiectum apprehenditur strictè, & secundum significatum particulare, vt si diceretur *aliquis homo currit*. Tertia est *alienatio*, quando concipitur obiectum, non secundùm propriam, sed alienam significationem, vt si risus sumeretur, pro agri hilaritate. Quarta est *denominatio*, quando obiecto apprehenso adiungimus aliquid, vt si dicatur *Logicus*, & addatur *magnus*. Aduertendæ sunt ergo, hę omnes proprietates terminorum, ex eo quia ex his multę oriantur fallaciæ, ut suo loco videbimus.

SECTIO II.

Quotuplex sit terminus.

6 MVltipliciter diuiduntur termini à Logicis, cùm multiplicis rationis, sint obiecta apprehensibilia ab intellectu.

Primò igitur diuiditur terminus, in mentalem, vocalem, & scriptum: mentalis est, qui mente concipitur, vocalis, qui voce, scriptus, qui scriptura demonstratur.

Secundò diuiditur terminus, in complexum, & incomplexum: terminus complexus est ille, qui constat ex pluribus vocibus, quarum vtraque separata, aliquid significat, vt *homo iustus*, *homo* enī separatus à *iustus*, significat, sicut, & *iustus* separatus ab *homo*. Incomplexus est ille, qui vnica solùm voce constat, vt *homo*, *animal*, *Petrus*, *&c.*

Tertiò diuiditur terminus, in absolutū, & relatiuum: absolutus est ille, qui significat substantiam, & esse rei, vt *animal*, *Petrus*, *&c.* relatiuus, qui ad aliud semper dicit relationem, aliudq. semper connotat, vt *magnus*, *doctus*, *sapiens*, *&c.*

Quartò diuiditur terminus in categorematicum, & syncategorematicum: categorematicus est ille, qui per se aliquid significat, vt *Petrus*, *homo*, *lapis*, *&c.* Syncategorematicus est ille, qui per se nihil significat, nisi addatur, vel subintelligatur mente, terminus aliquis absolutus, ut *aliquis quisquam*, *nullus* & huiusmodi.

7 Quintò diuiditur terminus in infinitantem, & non infinitantem: infinitans est ille, qui, præposita negatione, negat id, quod exprimit de alio, ut u. g. *lapis est non homo* ly *non homo* dicitur terminus infinitans, quia de lapide possunt omnia affirmari, præter esse hominem; non infinitans est ille, cui non additur talis negatio.

Sextò diuiditur terminus in terminum sequela pertinentem, & terminum repugnantia pertinentem: terminus sequela pertinens est ille, qui sequitur ex alio, ut in propositione, *ignis est calidus*, ly *calidus* est terminus sequela pertinens, quia calor semper sequitur ab igne; terminus repugnantia pertinens est ille, qui dicit repugnantiam cum subiecto, ut *ignis est frigidus*, ly *frigidus* est terminus repugnantia pertinens.

Septimò diuiditur terminus in terminum transcendentem, & non transcendentem; transcendens est ille, qui, cum in omnibus differentijs suis imbibatur, per eas transcendit, ut *ens*, *bonum*, *&c.* transcendunt per omnia, quia de omnibus potest affirmari quod sint entia, quod sint bona, &c. non transcendens est ille, qui per suas differentias, non transcēdit, nec uagatur; vt v. g. *anima*, quod perfectè à rationali est distinctum, non enim potest dici, animal est rationale, sicut potest dici, animal est ens, vel bonum.

Octauò diuiditur terminus in analogum, æquiuocum, & vniuocum; analogus est ille, cuius nomen est commune, ratio verò per nomen significata, partìm eadem partìm diuersa, *vt sanum*, quod dicitur de animali, de medicina, & de pulsu, sed propter diuersam rationem, de animali enī dicitur, propriè, de medicina, causatiuè, quatenus causat sanitatem, de pulsu, ostensiuè, quat. ostendit eitq. signum sanitatis. Terminus ęquiuocus est ille, qui solum nomen habet idē, & rationē diuersā, vt *Canis* qui dicitur, & de cane terrestri, & de signo cœlesti. Vniuocus est ille, cuius est idem, & nomē, & ratio, vt *animal*, quod conuenit homini, & Leoni, propter animalitatem tàm ab homine, quàm à Leone participatam.

Multæ aliæ assignantur diuisiones terminorum, sed quia aut non sunt tàm necessariæ, aut reducuntur ad iam assignatas; ideò breuitatis ergo omittimus.

SECTIO III.

De proprietatibus seu affectionibus terminorum.

VIsa essentia termini, videndæ sunt etiam illius proprietates, & affectiones. .s. variæ, & 8
diuersæ significationes, quas habet, & in quibus potest considerari terminus; hæ autem communiter asignantur quod sint, Suppositio, Ampliatio, Restrictio, Alienatio, Diminutio, & Apellatio.

Suppositio, ut ex ipso nomine patet, est positio unius, loco alterius; suppositio ergo termini, est positio termini materialis, loco termini mentalis; cum enim intellectus non possit suos conceptus intellectuales alijs immediate exprimere, indiget aliquo materiali, mediante quo, illos exprimat, seu quod ponat loco illorum. Hæc autem positio termini materialis loco mentalis, dicitur suppositio termini.

Multiplex est autem hæc suppositio; uel enim
supponitur terminus pro ipso significato materi- 9
ali, & dicitur suppositio materialis, ut cum dicitur *homo est vox*, sumitur ly terminus *homo* pro eo, quod sonat materialiter; uel supponitur terminus pro significato formali, & essentiali, & dicitur suppositio formalis, ut cum dicitur *homo est animal rationale*, sumitur ly terminus *homo* pro eo; quod significat formaliter, & essentialiter; uel supponitur terminus pro significato rei, quatenus subiacet secundę intentioni .s. pro ratione aliqua simpliciter abstracta, & dicitur suppositio simplex, ut cum dicitur *homo est species*; uel supponitur terminus pro significato rei in se consideratæ, & dicitur, suppositio personalis, vt cum dicitur *homo currit*, sumendo ly *homo* non pro natura humana, sed pro hoc, vel

illo

vel illo homine, vel supponitur terminus pro significato rei omnibus communis, & dicitur suppositio communis, vt cùm dicitur *natura humana*, vel supponitur terminus pro significato rei Singularis, & dicitur suppositio singularis, vt cùm dicitur, *Petrus ambulat*. Ex his autē suppositionibus

Alia est, Suppositio naturalis, & est quando Supponitur terminus in materia necessaria, *vt animal est mortale*; alia accidentalis .s. in materia non necessaria, vt *petrus ambulat*; alia propria s. pro re, quæ propriè talis est, vt *homo ridet*; alia metaphorica, vt *cæli rident*, alia confusa, & est termini non determinati, vt *oculus videt*; alia copulatiua, alia distributiua, copulatiua, quando copulatiuè supponitur terminus, vt si dicatur *omnis populus*; distributiua, quando distributiuè, vt cum dicitur, *homo est animal rationale*, potest enim intelligi de *Petro, Paulo &c.*

10 Ampliatio est. Quando alicui termino additur aliquid amplians, vt cùm dicitur, *Petrus est magnus doctus*.

Restrictio est. Cum terminus, ab ampliori significatione, ad strictiorem restringitur, vt cum dicitur *omnis homo doctus, est dignus laude*, restringitur enim omnis homo, per *ly doctus*, excluduntur enim indocti.

Diminutio est similis restrictioni, est autem, cū significatio nominis diminuitur, vt *Ethyops est albus secundum dentes*.

Alienatio est. Translatio nominis, à propria significatione, ad impropriam, seu metaphoricā, addito altero termino; vt cum dicitur *homo pictus*, ly *homo*, dum additur *pictus*, alienatur à propria significationē.

Apellatio est. Denominatio vnius, ab alio, vt cùm dicitur *homo mortalis*, ex eo quia moritur. Hę sunt pręcipuæ affectiones terminorùm. Cæteræ si sunt, aut non sunt tam necessariæ, aut ad istas reducibiles.

SECTIO IV.

De nomine, verbo, & oratione.

11 COmmuniter à Logicis, post traditam diuisionem terminorū, introducitur quæstio de Nomine, Verbo, & Oratione, quia nimirum etiam hæc possunt esse termini, ideo de his, & nos tractaturi.

Notamus 1. Quòd sicut definiuimus terminum, logico modo, sic etiam hìc erit definiendum nomen, verbum, & oratio, logico modo .s. quatenùs pertinent ad intellectum, relinquendo eorum considerationem, quoad voces solummodo, ad grammaticos.

Notamus 2. Aliquas res se habere per modum permanentis, alias per modum transeuntis; aliquę enim res important esse subsistens, & substantiale, aliæ vero operari, & actu poni rei. Secumdùm ergo hoc duplex esse, debet dari duplex vox, quæ explicet tàm esse consistens, quàm operari, & hæ voces sunt, nomē, & verbū, nomen quòd significat esse subsistens, verbum, quod operari ostendit. His suppositis, sit.

Prima Conclusio. Nomen *est vox, quę ad placitum significat, & exprimit esse rei, per modum consistentis*. Ita Guarinus in præpar. ad Log. exp. 3.

Prob. Conclusio, In hac definitione explicātur genus, & differentia nominis; sed in explicatione generis, & differentiæ consistit bona definitio, ergo benè deffinitur nomen, quòd sit vox significatiua ad placitum, explicans esse rei, per modum consistentis; Prob, maior, explicatur enim genus per ly *vox* in qua conuenit nomen cū verbo, & oratione; explicatur differentia per ly *significatiua ad placitum*, in quo differt à risu, suspirijs, vocibus admirationis, quæ non significant ad placitum; sed sunt quædam signa naturalia; explicatur etiam differentia per quàm differt, à verbo, & oratione per ly *explicans esse rei, per modum consistentis*, Verbum enim explicat operari, & oratio, operari applicatum ad esse; ergo cū explicetur in hac definitione genus, & differentia nominis, optima erit definitio. 12

Obijcies Primò. Aristoteles definit nomen, esse vocem significatiuam ad placitum, sine tempore, cuius nulla pars separata significat, ergo hæc definitio est admittenda. 13

Resp. Hanc definitionem esse nimis grammaticalem, cùm ad logicum non pertineat quęrere, an eius partes separatę significent, nec ne; tū quia possunt etiam dari quædam nomina, cuius partes separatæ aliquid significent, vt hircoceruus; tum quia hæc definitio traditur per negationē, definitio autem magis est tradenda per affirmationem, per negationē enim cognoscitur, quid non sit res, p affirmationem verò, quid sit, melius ergo definitur per nos essentia nominis, quòd .s. sit vox significatiua ad placitum, explicans esse rei per modum consistentis, sed.

Obijcies 2. Sunt quædam nomina, quæ non significant esse rei, sed potius, non esse rei, vt *nihil, cæcitas priuatio* ergo cùm hæc definitio non amplectatur omne definitum, non est tradenda. 14

Resp. Distinguendo antecedens. Quę non significant esse rei, verum, & reale, concedo, abusiuum, & nego; l. enim cęcitas, priuatio, &c. non habeant esse verum, & reale, habent tamen quoddam esse abusiuum, per quòd ab intellectu concipiuntur ad modum entis, & secundùm quod, possunt etiam ipsa denominari entia .s. negatiuè, & abusiuè.

Secunda Conclusio. Verbum *est vox significans aliquid per modum operationis*: Ita etiā Guarinus. Patet conclusio ex notabili; Tùm etiam, quia, per hoc distinguitur ab oratione, quæ significat, & operari, & esse, distinguitur a nomine quod solum esse demonstrat, ergo. 15

Obijcies 1. Sunt quędam verba, quæ significant subsistentiam, vt verbum *est*, quædam, quæ non significant operationem, sed negationem operationis, vt verbum *sto, sisto, &c.* ergo mala est tradita definitio.

Resp. Quòd sicut nomina habent suum esse abusiuum, ita, & verba suum operari abusiuum, qua-

quia ab intellectu concipiũtur per modum operationis. sic verbum significat inniti in aliquo, vel stare per se, quod se habet per modum operationis, quia illud State, licèt sit negatio motus, & operationis, tamen concipitur ab intellectu per modum operationis .s. continuatæ, & successiuæ stationis, quare in definitione dictum est, admodum operationis, vt intelligatur non propriè accipiendam esse operationem, sed largo modo, & secundum aliquam similitudinem.

Obijcies Secundò. Aristot. definit verbum, quòd sit vox significatiua ad placitum, cum tempore. cuius partes separatæ non significant, finita, & recta, & eorum, quæ de altero dicuntur, nota, ergo hæc definitio esset amplectenda.

Resp. Optimè Aristotelem definire, sed propter easdem rationes, propter quas eius definitionem nominis non admittimus, nec istam amplecti.

Obijcies Tert. Talis definitio potest etiã conuenire participio, sed participium, non est verbum, ergo non est bona definitio; maior patet, *amans* enim v.g. quod est participium significat amorem actu exercitum.

Resp. Distiguẽdo maiorẽ; potest cõuenire participio ratione Verbi, quod inuoluitur in ipso, & conced. mai. ex alia ratione, & neg. cùm enim sumitur participium, *amans* v.g. semper in ipso intelligitur Verbum, *est* .s. est amans, ratione cuius illi talis definitio, potest conuenire, quòd si Verbum *est* non intelligatur, cùm tunc potius assimiletur nomini, ideo, & nominis illi conuenit definitio; participium enim de vtroq. participat.

16 Tertia Conclusio. Oratio est *vox explicans operari, applicatum ad suos terminos, significans ad placitum.* Ita P.Guar. doctiss. amiciss. & Lec. me.

Explic. Conclusio. Dicitur *significans ad placitum*, propter easdẽ rationes, quas supra de nomine, & verbo; dicitur *explicans operari applicatum ad suos terminos*, quia cuiuscumq; actionis, & operationis duo sunt termini, vnus, à quo emanat operatio, & dicitur agens, alius in quem recipitur eadem operatio, & dicitur patiens: oratio, ergo demõstrat, & ostendit operationem, & operari, procedens ab agente, & in passum transiens, & illi applicatum, vt in hac oratione, *petrus amat virtutem*, demõstratur amor procedens à petro, & in virtute, tanquam in passo receptus.

Obijcies Primò. Aristoteles definit orationem, quòd sit vox significatiua, cuius partes aliquæ separatæ significant, ergo hæc definitio est amplectenda. 17

Resp.. Propter easdem rationes, quibus supra definitionem reijcimus, Aristotelicam, & nominis, & verbi, pariter, & hic eius definitionem orationis reijcere.

Obijcies Secundò. Sunt quædam orationes, in quibus non demõstratur operatio transiens ab agente in passum, vt in hac oratione *homo currit*, ergo non semper explicatur operari applicatum ad suos terminos, ergo non est bona allata definitio.

Resp. Negando consequẽtiam, non enim nos diximus, in omni oratione demõstrari ambos terminos, .s. tàm agens, quàm passum, sed solummodo orationem esse vocem demonstrantem operari applicatum ad suos terminos, quos habere potest .s. vel ad agens, vel ad passum, non verò quòd necessariò semper demõstret explicitè ambos terminos, .s. tam agens, quàm patiens; hæc enim est differentia inter orationea perfectas, & imperfectas; orationes enim perfectæ, demonstrãt ambos terminos explicitè, vt v. g. *Petrus docet Sacram Scripturam*, orationes verò imperfectæ solùm implicitè illos demõstrant, & explicitè vel vnum, vel alium .s. vel agens, vel passum, vt v. g. in hac oratione imperfecta *petrus currit*, demostratur agens, in ista verò *terra madefit* demõstratur passum. Intelligendum est ergo, quòd vnus de duobus terminis semper ab oratione debeat manifestari. Et hæc sufficiant de simplici apprehensione, & de spectantibus ad ipsam.



DIS-

DISPVTATIO III.

De Secunda operatione intellectus, hoc est de Iudicio, & Enunciatione.

1 CVm secunda intellectus operatio efformet iudicium de apprehenso à prima operatione; ideo post quam egimus de terminis, qui sunt obiecta apprehensibilia à prima operatione, hic est agendum de iudicio, seu enunciatione, quam facit secunda operatio de terminis apprehensis per primam operationem. Sit igitur.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Enunciatio.

PRima Conclusio. Enunciatio, quę communiter dicitur propositio, est *oratio perfecta enuncians aliquid de alio*. Ita Aristoteles primò priorum cap. 1.

Explic. Conclusio. Dicitur *oratio*, quia in ea debent esse plures voces, dicitur *perfecta* ad differentiam orationum imperfectarum, dicitur *enuncians aliquid de alio*, quatenus est talis oratio, quæ de sua natura debet affirmare, vel negare, & per consequens, aliquid de alio semper enunciare. In quo est aduertendum, quòd id, de quo propositio aliquid affirmat, vel negat, dicitur subiectum, id verò, quod de eodem affirmatur, vel negatur, dicitur prædicatum, vt, u. g in hac propositione *homo est animal rationale*: ly *homo* est subiectum, quatenus de ipso affirmat propositio, quòd sit animal rationale; *animal* verò *rationale* est pr̨edicatum, quatenus ly. *animal rationale* pr̨edicatur, & affirmatur de homine.

3 Secunda Conclusio. Multiplex est Enunciatio, seu propositio. Patebit cóclusio ex enũeratione.

4 Alia est ergo simplex, alia composita, simplex, quæ etiam categorica dicit. est, quæ cõstat ex vno prædicato, & subiecto, vt *Petrus est homo* composita, quæ etiam hypotetica, & complexa dicitur est, quæ constat ex duplici propositione, vt v.g. *Petrus est homo, & lapis non est homo* huius autē propositionis hypoteticæ quinq; præcipuę dãtur species, coniunctiua. s. disiũctiua, conditionalis, causalis, & rationalis, coniunctiua est, quando vna propositio coniungitur cum alia per particulam, *&*, vel æquiualentem, vt in exemplo allato; disiunctiua, quando copulatur per particulam, *vel*, aut æquiualentem vt *vel dies est, vel nox est*, cõditionalis, quæ copulatur per particulam, *si*, aut æquiualentem vt *sol est, si dies est*, causalis, quando per particulam *quia* vt v. g. *quia homo est rationalis, est risibilis*, rationalis deniq; quæ per particulam *ergo* vt v.g. *homo est animal, ergo est viuens*, quare in his propositionibus hypoteticis, particula connectens vicem gerit copulæ.

Alia dicitur contingens, alia necessaria, alia impossibilis, contingens, in qua contingenter prædicatũ conuenit subiecto vt *Petrus currit, seu ... ris*, necessaria, in qua necessariò prædicatum conuenit subiecto vt *Petrus est risibilis, leo non est risibilis*, impossibilis, in qua est prædicatum, impossibiliter conueniens subiecto, vt *homo est lapis*. 5

Alia dicitur directa, alia indirecta; directa est, quando superius pr̨edicatur de inferiori, *vt homo animal*, indirecta est, quando inferius pr̨edicatur de superiori *vt animal est homo*.

Alia dicitur de secundo adiacente, alia de tertio adiacente; de secundo adiacente est, quando copula *est* seu vnio propositionis in ea ponitur implicitè, vt in hac propositione *Petrus currit* implicitè enim adest copula *est*, sensus enim est *Petrus est currens*, *&* dicitur de secundo adiacente, quia adiacent solummodò explicitè duo termini, seu duæ voces; de tertio adiacente verò est propositio, quando explicitè ponitur copula *est*, vt in hac propositione *homo est animal rationale* adiacent enim tres termini.

Alia dicitur finita, alia infinita, finita est, quãdo propositio habet determinatum prædicatum, vt *homo, est animal*, infinita, quando habet indeterminatum, ut *homo currit*, vel quãdo additur negatio prædicato, ut u. g. *homo est non lapis*, possunt enim de homine infinitè omnia prædicari, pr̨eter non esse lapidem.

Alia dicitur Modalis, alia absoluta, modalis est, quando explicatur modus, quo prædicatum conuenit subiecto, ut u. g. *homo necessariò est animal*, absoluta, quando prædicatum absolutè dicitur de subiecto vt *homo est animal*.

Alia deniq; dicitur propositio exponibilis, & est, quę licet uideatur simplex, est tamẽ uirtualiter composita, & hypotetica, si enim explicetur & resoluatur, in plures resoluitur, quæ resolutio dicitur expositio, & ideo talis propositio dicitur exponibilis; huiusmodi autẽ propositiones sũt in triplici differentia, alię exclusiuæ, aliæ exceptiuæ, aliæ reduplicatiuæ, *exclusiuæ* sũt, quę habẽt signũ exclusiuũ vt *tantùm, solùm* &c. u. g. *solum animal est sensitiuum*. exceptiuæ, quæ continent signum exceptiuum vt *Præter* &c. u. g *omne animal, pr̨eter hominẽ est irrationale*, reduplicatiuę, quę continent aliquã 8

particulam reduplicatiuam vt *quatenus*, *in quantũ*, *pro vt* &c. v.g. *homo quatenus est rationalis, nõ est sensitiuus*. Et hæ sunt pręcipuæ diuisiones propositionis, seu enunciationis, aliæ enim, quæ possent assignari aut non sunt tam necessariæ, aut ad istas reducibiles.

SECTIO II.

De materia, forma, quantitate, & qualitate Enunciationis.

9 CVm omnes res suam habeant materiam, formam, quantitatem, & qualitatem, etiã propositio hæc omnia habet, & ideo de his omnibus est sermo faciendus. Quare sit.

Prima Conclusio. Materia propositionis est subiectũ, de quo affirmatur, vel negatur, vt in hac propositione *Petrus est animal*, ly petrus est materia, de qua affirmatur, quòd sit animal. Ita Guarinus loco sup. cit. exp. 4.

Prob. materia est illa, quæ se habet per modum recipientis, & determinabilis, sed in propositione solum subiectum, se habet per modum recipientis, & determinabilis, ergo solum subiectum, est materia propositionis; maior est certa ex physicis, prob. minor, quia cum subiectum sit illud, de quo affirmatur, vel negatur, ante affirmationem, & negationem est indeterminatum, & à prædicato determinabile, cũ ergo se habeat p modũ determinabilis, & recipentis hoc vel illud prędicatum, per consequens ipsum erit materia propositionis.

10 Secunda Conclusio. Forma propositionis est prędicatum, vt vnitum materię, & subiecto. Ita idem, qui supra.

Probat. Forma est illa, quæ determinat materiam ad tale esse, sed solùm prædicatum determinat subiectum, quod se habet per modum materiæ propositionis, ad tale esse, ergo solum prædicatum erit forma propositionis; maior est certa, prob. minor. in hac enim propositione *Petrus est currens*, ly *Petrus*, qui in hac propositione est materia, quæ erat indeterminata ad efformandam hãc, vel illam propositionem, recipiendo hanc, vel illam determinationem, seu animalitatis, seu risibilitatis &c. determinatur tamẽ à ly prædicato *currens*, ad exprimendã actualem operationem cursus petri; cum ergo prædicatum se habeat in propositione per modum determinantis, ipsum est forma.

11 Obijcies. Ex Aristotele, & communi, forma propositionis est copula, siue vnio prædicati, cùm subiecto .s. verbum, *est*, quo vnitur prædicatum subiecto, ergo non est prædicatum.

Resp. neg. consequentiam, vnio enim in quocumque composito, non se habet per modũ formæ, sed vt quò, .s. vt ratio formalis, qua partes vniuntur; quis enĩ diceret, quòd forma hominis sit vnio animæ corpori, quòd forma prunæ, sit vnio ignis materiæ? cum ergo in omni alio composito, vnio non sit forma, neque in hoc composito propositionis debet assignari pro forma, maximè quòd prædicatum habet omnia requisita, quæ re-
quiruntur ad hoc, vt aliquid sit forma alicuius, 12
compositi.

Colligitur ex hoc, quòd malè diuiditur subiectum propositionis, vt ferè omnes faciunt, in contingens, necessarium, possibile, & impossibile, cum enim se habeat per modum materię, & de ratione materię sit indeterminatio, per hoc, omne subiectum de sua ratione semper erit indeterminatum, & solummodo à forma, seu prædicato determinabile, & qualis erit forma talis denominabitur propositio .s. vel necessaria vel contingens &c.

Quæres quid sit qualitas propositionis. 13

Resp. Quòd qualitas propositionis alia est essẽtialis; alia accidentalis essentialis, est affirmatio uel negatio; accidẽtalis est, veritas, vel falsitas .s. quòd propositio sit affirmatiua, vel negatiua; vera vel falsa, negatio autẽ, & affirmatio dicitur qualitas essentialis, quia vna ex his mutata, propositio nõ amplius remanet eadem, sed aut de affirmatiua fit negatiua, aut è contrà, vt v.g. si ab hac propositione *petrus non est lapis* aufero ly *non*, quod est negatio, mutatur tota propositio in aliam. Veritas verò, vel falsitas diciturqualitas accidẽtalis, quia eadẽ proposit. p. esse vera, vel falsa, & accidit ei, quòd sit vera, vel falsa, vt v.g. ĩ hac eadẽ propositione, *petrus est currens*, potest esse veritas, si petrus actu currat, & falsitas, si cesset à cursu.

Aduertendum est autem, quod ad hoc vt pro- 14
positio sit negatiua, negatio debet affici, seu esse coniuncta copulæ propositionis .s. verbo est, non autem terminis propositionis, vt in hac propositione *petrus non est lapis*, quia negatio afficitur copulæ *est*, dicitur propositio negatiua, si verò afficeretur. seu adiungeretur alicui ex terminis s aut subiecto, aut prędicato, diceretur propositio affirmatiua, vt si diceretur *non petrus est lapis*, seu *petrus est non lapis*; debet ergo negatio affici copulæ, ad hoc vt efformet propositioné negatiuam.

Quæres Secundò. Quid sit quantitas propo- 15
sitionis.

Resp.. Quantitatem esse extensionem, seu restrictionẽ principalis subiecti propositionis, & quadruplex est; vel enim additur subiecto, seu adiungitur subiecto, aliquod signum vniuersale, ut *omnis*, *nullus*, &c. & tunc dicitur propositio vniuersalis; vel additur subiecto aliquod signum particulare, vt *aliquis*, *quispiam* &c. & tunc dicitur propositio particularis; vel nullũ additur subiecto signum, ut *hos o est animal*, & dicitur propositio indefinita, & indeterminata, uel subiectum est singulare, ut *petrus est animal*, & dicitur propositio singularis.

Colligitur 1. aliquas assignari propositionis pro 16
prietates. s. Oppositionem, Æquippollentiam, & Conuersionem; oppositio est, quando una propositio opponitur alteri; æquipollentia, quando una æquiualet alteri; conuersio, quando una cõuertitur cum altera. De his omnibus est agendum. Sit ergo

SECTIO III.

Quid, & quotuplex sit Oppositio enuntiationum absolutarum.

17 PRima Conclusio. Oppositio est repugnantia duarum propositionum, vel in quantitate, vel in qualitate. Est communis conclusio.

Prob. Quia vna propositio potest opponi alteri, vel quia vna sit affirmatiua, alia negatiua, vel quia vna sit vniuersalis, alia particularis, sed affirmatio, vel negatio, sunt qualitates propositionis, vniuersalitas, & particularitas important quantitatem propositionis, ergo, cum secundùm affirmationem, negationem, vniuersalitatem, & particularitatem possit una propositio opponi alteri, oppositio propositionum erit repugnantia unius propositionis cum altera in qualitate, & quantitate.

18 Secunda Conclusio. Oppositio propositionum absolutarum quadruplex est .s. contraria, subalterna, contradictoria, & subcontraria. Ita communiter cum Aristotele. 1. Periherm. cap. 5. & 6.

Prob. Quia quatuor sunt combinationes, seu comparationes, quæ possunt fieri inter propositiones absolutas, ergo quatuor erunt illarum oppositiones, uel enim comparatur propositio uniuersalis affirmatiua, cum uniuersali negatiua, ut v. g. *omnis homo est animal, nullus homo est animal*, & dicitur oppositio contraria, quia adest oppositio in qualitate; uel comparatur vniuersalis affirmatiua, cum particulari affirmatiua, ut v.g. *omnis homo est animal, aliquis homo est animal*, & dicitur oppositio subalterna, quia adest oppositio in quantitate, cum tamen secunda subalternetur primæ; uel comparatur uniuersalis affirmatiua cũ particulari negatiua, uel è contrà, ut v.g. *omnis homo est animal, aliquis homo non est animal*, & dicitur oppositio contradictoria, quia adest oppositio in quantitate, & in qualitate; uel comparatur particularis affirmatiua cum particulari negatiua, ut v. g. *quidam homo est animal, quidam homo non est animal*, & dicitur oppositio subcontraria, quia adest oppositio in qualitate. Hæc omnia facilius apprehendentur hac præsenti figura.

19



Omnis homo est animal. Contrariæ *Nullus homo est animal.*

Subalternæ Contra dictoriæ Contra dictoriæ Subalternæ

Quidam homo est animal. Subcontrariæ *Quidam homo non est animal.*

Vbi considerandum est pro faciliori apprehensione, & reminiscentia, quòd tunc oppositio inter propositiones erit cõtraria, quãdo oppositio inter propositiones uniuersales erit in qualitate; subcontraria uerò, quando oppositio inter propositiones particulares, pariter erit in qualitate; tunc subalterna, quando oppositio erit in sola quantitate; tunc denique contradictoria, quando oppositio erit, & in quantitate, & in qualitate. Pro qualitate tamen solùm intelligimus affirmationem, & negationem, non autem veritatem, & falsitatem. 20

Obijcies. Datur oppositio propositionum in veritate, seu falsitate, ergo secundùm has, alia oppositio debet assignari.

Respond. Nos locutos fuisse de oppositionibus essentialibus, quas possunt habere propositiones absolutè, non autem de accidentalibus; cum autem ueritas, & falsitas, ut supra diximus, sint qualitates accidentales propositionis, ideo de his sermonem non fecimus, talemque oppositionem utpotè accidentalem nõ admisimus in numero iam allatarum, sicuti, neq. est sermo oppositionum propositionum de termino singulari, sed solùm de termino communi.

SECTIO IV.

Quid, & quotuplex sit Aequipolentia enunciationum absolutarum.

PRima Conclusio. Æquipolentia est, duarum propositionum oppositarum æquiualentia, seu concordantia, facta per additionem negationis.

Explic. Conclusio. Dicitur *æquiualentia, seu concordantia, &c.* quia cum equipolentia tollat oppositionem, & repugnantiam inter duas propositiones, ideò debet esse concordantia, &c. dicitur *addita negatione*, quia, cũ negatio addita negationi, faciat affirmationem, & addita affirmationi faciat negationem; ideo, & ad concordandam propositionem negatiuam cum affirmatiua, & affirmatiuam cum negatiua re- 21

quiritur negatio, vt v. g. ad concordandam, & æquipollentem reddendam hanc propositionem, *omnis homo est animal*, huic contrariæ *nullus homo est animal*, addenda est negatio *non*, aut propositioni affirmatiuæ, aut negatiuæ, dicendo, *omnis homo non est animal*, uel *nullus homo non est animal*. Hoc enim modo tam significat una, quàm altera propositio, tam est enim dicere *omnis homo non est animal*, quàm *nullus homo est animal* vel *omnis homo est animal*, quàm *nullus homo non est animal*. Item quia, cum negatio sit talis malignantis naturæ, ut destruat omne id, cui preponitur, præpositaque subiecto uniuersali, destruat uniuersalitatem, faciatq. particulare, uel è contrà; ideo ad concordandam, æquipollentemq. reddendam propositionem uniuersalem particulari, uel è contra, requiritur negatio, ut v. g. ad concordandam hanc propositionē uniuersalē *omnis homo est animal*, huic particulari *quidam homo est animal*, addenda est negatio, uel primæ propositioni, quæ destruat uniuersalitatem significatam, per ly *omnis*, uel secundę, quę destruat particularitatem significatam per ly *aliquis*.

22 Secunda Conclusio. Quatuor modis potest esse equipollentia propositionum absolutarum.

Prob. Conclusio. Quia cum quatuor modis possint propositiones inter se opponi .s. contrariè, contradictoriè, subcontrariè, & subalternè, ideo quatuor modi debent esse, quibus possint concordari, & fieri equipollentes.

Propositiones ergo contrariç concordantur fiuntq. æquipollentes, quando subiecto vnius, uel alterius propositionis postponitur negatio, & particula, *non*, ut v. g. istę duę propositiones contrariæ

omnis homo est animal.
nullus homo est animal.

fiunt æquipollentes, & eędem, si post ly subiectum *homo* vel in vna, vel in altera addatur particula *non*, & dicatur.

omnis homo non est animal.
nullus homo est animal, vel
omnis homo est animal
nullus homo non est animal.

hoc enim pacto tàm significat vna propositio, quàm altera, vt benè consideranti patebit.

Propositiones contradictoriæ fiunt æquipollentes, siuè concordantur, quando subiecto vnius, uel alterius propositionis præponitur particula, *non*; & sic istæ duæ propositiones contradictoriæ

omnis homo est animal
aliquis homo non est animal

fiunt æquipollentes, & concordantur, si ly subiecto *homo* premittatur particula, *non*, & dicatur.

non omnis homo est animal.
aliquis homo non est animal, vel
omnis homo est animal
non aliquis homo non est animal.

Propositiones subalternæ fiunt æquipollentes quando subiecto vnius, uel alterius propositionis, & preponitur, & postponitur negatio, *non*, & sic istę duæ propositiones subalternę

omnis homo est animal
aliquis homo est animal

fiunt æquipollentes, si ly subiecto *homo* præponatur, & postponatur negatio *non*, & dicatur.

non omnis homo non est animal.
aliquis homo est animal, vel
omnis homo est animal.
non aliquis homo non est animal.

Propositiones tandem subcontrariæ fiunt æquipollentes, quando subiecto affirmatiuę propositionis postponitur, sicut in æquipollentia contrariarum, negatio *non*; .l. tamen inter has propriè non detur æquipollentia, sed identitas.

Hæc autem omnia præcepta hoc in versu continetur 23

Prę Contradic, Post Contra, Prę Postq. Subalter. scilicet in contradictorijs præmittendam esse subiecto negationem, in contrarijs, & subcontrarijs *postponenda*, in subalternis denique. & *præmittendam*, & *postponendam*. Et hæc breuiter dicta sint de æquipollentia propositionum, relinquendo cætera, quæ possent dici, cum vt optimè loquitur noster doctissimus Pater Morandus, non deseruiant ad aliud, quam ad obscuritatibus obruenda scholarium ingenia; & insuper cum nec in omnibus, habeatur vera ęquipolētia maximè, in ijs in quibus negatio præponitur subiecto; vt enim supra dicebamus, negatio præposita subiecto propriè non facit propositionem negatiuam, cum ad faciendam propositionem negatiuam, debeat affici copulæ, quare neq. potest reddere propositionem priùs negatiuam, æquipollentem affirmatiuæ.

SECTIO V.

Quid, & quotuplex sit conuersio enunciationum absolutarum.

PRima Conclusio. Conuersio propositionum est commutatio terminorum propositionis, ita vt, quod est subiectum euadat prædicatum, & è cōtra, seruata tamen qualitate propositionis. 24

Explic. Conclusio. Dicitur *commutatio* quia cum vna propositio debeat conuerti in aliam, ideo debent commutari illius termini, & quod prius erat predicatum, debet euenire subiectum, ut v.g. ad commutandam hanc propositionem *homo est animal rationale*, animal rationale, quod est prædicatum debet euadere subiectum, & sic erit conuersa propositio, si dicatur *animal rationale est homo*; dicitur *seruata qualitate*, quia propositio affirmatiua debet conuerti in affirmatiuam, & è contra, sicut vera in veram, & è contra, non dicitur verò seruata quantitate, quia potest conuerti propositio uniuersalis, cum particulari, & è contra.

Secunda Conclusio. triplex est conuersio propositionum, alia simplex, alia per accidens, alia per contrapositionem.

Explic. Conclusio. Quia vel propositio potest

test in aliam conuerti, per solam mutationem terminorum, remanente eadem quantitate, & qualitate, & dicitur conuersio simplex, vt v.g. hæc propositio *nullus lapis est homo*, conuertitur simpliciter, si dicatur, *nullus homo est lapis*, vel propositio in aliam conuertitur mutatis terminis, & quantitate, & dicitur conuersio per accidens, vt v. g. hæc propositio, *omnis homo est animal*, conuertitur per accidens, si dicatur *aliquod animal est homo*; vel propositio in aliam conuertitur manente eadem qualitate, & quantitate, sed mutatis terminis de finitis, in infinitos, & negatiuos, & dicitur conuersio per contrapositionem, vt v.g. hæc propositio *omnis homo est animal* conuertitur per contrapositionem, si dicatur *omne non animal, est non homo*.

26 Dantur quædam regulæ ad efformandas istas conuersiones, sed quia & hæ conuersiones ad nihil deseruiunt, & regulæ ad ipsas efficiendas sunt potiùs ingeniorum tricæ, quàm regulæ dirigentes operationes intellectus, ideo claritatis causa omitto.

SECTIO VI.

De Enunciatione modali.

27 Rationabiliter miratur Arriaga quòd tàm prolixam de hac enunciatione modali efforment quæstionem summolistæ, cum sit res tam parui momenti; ideo, & nos hunc doctissimum virum imitando, breuitèr solùm necessaria dilucidabimus. Sit igitur.

Prima Conclusio. Propositio modalis est illa, quæ explicat modum, quo predicatum conuenit subiecto, vt patet in hac propositione, *hominem esse animal, necesse est*. Patet conclusio, nec explicatione indiget. Solùm.

Aduertendum est. Quòd ad hoc, vt propositio, de qua loquimur sit modalis, modus non debet modificare subiectum propositionis, sed ipsam propositionem .s. explicando modum, quo prædicatum conuenit subiecto; & sic non esset propositio modalis, si diceretur, *petrus velociter currit*, quia talis modus modificat subiectum non autem propositionem; esset autem modalis propositio, *petrum currere, est contingens*, quia ly modus *contingens* explicat quomodo conueniat cursus petro.

Aduertendum est secúdò. Quòd in propositione modali, illud quod erat prædicatum in propositione absoluta, euadit etiam ipsum simul cum tota propositione subiectum; prædicatum verò tunc est modus, quia modus est ille, qui affirmatur vel negatur; vt v.g. si hęc propositio absoluta *homo est animal rationale*, fiat modalis, ly *animal rationale* quod est prædicatum, euadit subiectum, modus verò prædicatum, hoc pacto, *hominem esse animal rationale, necesse est*.

28 Secunda Conclusio. Quadruplex est propositio modalis, alia de necesse, alia de possibili, alia de impossibili, alia de contingenti.

Prob. Conclusio. Quia dicitur modalis à modis ipsam afficientibus, sed quatuor sunt isti modi .s. iam assignati, ergo quadruplex erit propositio modalis.

Obijcies. In hac propositione *Petrum currere est verum*, explico modum quo Petrus currit, & tamen talis modus, non est ex assignatis, ergo sunt plures quatuor propositiones modales.

Resp. Negando antecedens, non enim explicatur modus, quo Petrus currit, sed solummodo explicatur veritas propositionis, .s. verum esse à parte rei, Petrum currere; ad hoc ergo vt propositio sit modalis, debet explicare modum, quo prædicatum cõuenit subiecto .s. vel necessariò, vel possibilitèr, vel contingentèr, vel impossibilitèr.

Aduertendum est autem. Quòd cum isti modi tàm possint sumi aduerbialitèr, quàm nominalitèr, .s. vel dicendo necessariò, possibilitèr, &c. vel necesse est, possibile est, &c quando sumuntur aduerbialitèr suntq; vniti copulæ *est*, vt v. g. *homo necessariò est animal rationale*, tunc ad hoc vt modus sit prædicatum debet tale aduerbiũ saltem per intellectum reduci ad nomen, & sic in exemplo allato dicendum esset, *hominem esse animal rationale, necesse est*, sicuti supra diximus: quòd quãdo in verbo intelligitur ĩplicitè prædicatũ, debet explicitè intelligi, vt hæc propositio, *Petrus currit*, intelligenda est *Petrus est currens*. 29


Aduertendum Tertiò. Quòd in propositionibus modalibus aduertenda est negatio, & affirmatio, penès modum, non penès subiectum. Et sic licet subiectum esset negatiuum, si modus esset affirmatiuus, affirmatiua diceretur propositio, vt hęc propositio modalis, *te non esse Angelum, necesse est*, licet ly subiectum *te non esse Angelum* sit negatiuum, propositio tamen esset affirmatiua, quia modus, & prædicatum est affirmatiuum; modi autem affirmatiui sunt necesse, possibile, contingens, impossibile verò est negatiuum, ita communiter.

Aduertendum Quartò. Quòd in propositionibus modalibus, quantitas propositionis se tenet ex parte modi, & sic si modus erit vniuersalis, propositio itidẽ erit uniuersalis, vel è contra, modi autẽ vniuersales sunt necesse, & impossibile, particulares, verò possibile, & contingens, Ita cõmuniter.

Quęres quomodo opponantur propositiones modales inter se. 30

Respond. Eodem modo, ac absolutas, ita tamen vt semper aduertatur affirmatio, vel negatio, vniuersalitas, vel particularitas penès modum: aliç autem, secundùm communem, dicuntur oppositæ cum modis eiusdem appellationis, aliæ, cum modis diuersæ appellationis. Propositiones modales oppositæ cum modis eiusdem appellationis, vt communiter tradunt, hę sunt.

Hominem esse animal necesse est. Contrariæ *Hominem non esse animal necesse est.*




Subcontrariæ

Hominem non esse animal non necesse est. *Hominem esse animal non necesse est*

Sed secundùm nostram doctrinam, hæ oppositiones propositionum modalium cū modis eiusdē appellationis, non sunt veræ oppositiones, cum oppositio, in omnibus non sit secundùm modum, sed secundùm dictum, seu subiectum, vt benè consideranti patebit.

Propositiones autem modales oppositæ cum
31 modis diuersæ appellationis, sunt subsequentes,
nec benè opponuntur.

Hominē esse animal necesse est. Contrariæ *Hominem esse animal impossibile est.*




Subcontrariæ

Hominem esse animal contingens est. *Hominem non esse animal possibile est*

Quæres secundò. Quomodo conuertantur, & 32
æquipollentes reddantur propositiones modales.

Resp. Eodem modo, ac propositiones absolutas, considerata semper qualitate, & quantitate penes modum. Et de his satis, cum sint quæstiones ad nihilum deseruientes, & potius intellectus humanos obumbrantes, quam dilucidantes. Transeamus ad necessariora.



DISPVTATIO IV.

De Tertia Intellectus Operatione, hoc est de Discursu, & Argumentatione.

CVM argumentatio sit Instrumentum, seu modus sciendi, dirigens tertiam operationem intellectus, ideo hic, cùm de tertia operatione intellectus sit agendum, de argumentatione præcipuæ erunt quæstiones.

SECTIO I.

Quid, & quotuplex sit Argumentatio, siu Discursus.

1 PRima Conclusio. Argumentatio *est oratio constans ex pluribus propositionibus, in qua vnum ex alio infertur.*

Explic. Concl. Dicitur *oratio constans ex pluribus propositionibus* ad differentiam simplicis orationis, quæ in vnica propositione consistit; dicitur *in qua vnum ex alio infertur*, quia cum argumentatio debeat dirigere tertiam operationem intellectus, quæ vnum ex alio infert, etiam ipsa vnum ex alio debet deducere. Hic autem.

Aduertendum est Primò. Tres esse partes argumentationis, vna pars est id, quod ex alio infertur, & dicitur *consequens*; alia est id, ex quo aliquid infertur, & dicitur *antecedens*; tertia denique pars est illa particula, qua vnum ex alio infertur, .s. *ergo*, & dicitur *illatio*, vt in hac argumentatione *Petrus est homo, ergo est animal*, ly *Petrus est homo*, est antecedens, particula *ergo* est illatio, *est animal*, est consequens.

Aduertendum est. Secundò. Cuiuscunque Argumentationis, materiam remotam esse terminos, ex quibus conficiuntur propositiones, materiam verò proximam, ipsas esse propositiones, ex quibus immediate efformatur argumentatio; formam denique esse terminorum artificiosam collocationem, seu dispositionem, per quam resultat postea illatio. Hæc sunt communia, nec circa ea diutiùs est immorandum.

2 Secunda Conclusio. Argumentatio multiplex est, alia dicitur syllogismus, alia Enthymema, alia Dilēma, alia Inductio, alia tandē Exemplum.

Prob. Conclusio. Quia cum vnum ex alio pluribus modis possit deduci, ideo plures debent esse species argumentationis.

Prima ergo est Syllogismus, idemque, est quòd latinè *ratiocinatio*, definitur autem ab Aristotele

3 1. prior. c. 1. *quòd sit modus sciendi, in quo quibusdam positis, aliud ex his, quæ posita sunt, necessariò sequitur*; vel clariùs ab alijs, *syllogismus est oratio constans ex tribus propositionibus, quarum vltima sequitur necessariò ex præmissis*, vt v.g. *omnis homo est animal, petrus est homo, ergo petrus est animal.*

Vbi est aduertendum quod prima propositio dicitur, *maior*, secunda *minor*, tertia denique vocatur *conclusio*, vt v.g. in allato exemplo, *omnis homo est animal* dicitur propositio maior *petrus est homo* dicitur minor, *ergo petrus est animal*, est conclusio; ille vero terminus, qui reperitur in maiori, & minori propositione .s. *homo* vocatur medius terminus, quia in perfecto syllogismo debet mediare inter prædicatum maioris, & subiectum minoris, sed hoc diffusius infrà; particula verò *ergo* est particula illatiua, ratione cuius vnum ex alio infertur.

Secunda species argumentationis dicitur Enthymema, estq. argumentatio constans ex duabus propositionibus, quarum secunda sequitur ex 4
prima; prima propositio dicitur *antecedens*, secunda *consequentia*; appellatur etiam enthymema *syllogismus truncus*, eo quòd efficaciter non cōcludat, possitque semper syllogismo roborari, vt v.g. in hoc enthymemate *homo est animal, ergo est viuens*, posset negari consequentia, quæ postea probanda esset syllogismo, hoc pacto, *omne animal est viuens, homo est animal, ergo homo est viuens.*

Tertia species argumentationis est Dilemma, estq. argumentatio bicornis, quādo .s. proponūtur 5
duæ propositiones cōtradictoriæ ita efficaciter, vt aut vni, aut alteri sit coacta responsio, vt v.g. si dicatur, *aut Deus est bonus, aut non est bonus; si est bonus, quare ergo punit? si non est bonus, quomodo benefacit?* alicui enim harum propositionum necessariò est respondendum.

Quarta species argumentationis est Exemplum, 6
estq. argumentatio concludens ab aliorum gestis, v. g. *Petrus hoc fecit, Paulus hoc egit, ergo etiam tu potes facere.* Hæc tamen argumentatio magis pertinet ad Rhetores, quàm ad Logicos.

Quinta denique species argumentationis est Inductio, estq. quando ascēdendo ab inferioribus, aliquid superius inducimus, vt v.g. si diceretur *Petrus est animal, Paulus est animal, ergo omnis homo est animal.*

Collig. Quòd licet sint quinque species assignatæ argumentationis, præcipua tamen, & ad quam ceteræ reducuntur, vel in qua virtualiter includuntur, est syllogismus, Enthymema enim concludit, quatenus virtualiter est syllogismus, in eoq. virtualiter intelligitur tertia propositio vt

v.g

v.g, in hoc enthymemate *omne homo est animal, ergo petrus est animal*, intelligitur minor propositio .s. *petrus est homo*, ex qua postea infertur, *petrus ergo est animal*; similiter exemplum concludit, quia in eo intelligitur maior propositio v. g. in hoc exemplo *petrus facit hoc, ergo tu potes facere*, subintelligitur ma. Propositio .s. *quod petrus facit, tu potes facere, petrus hoc facit, ergo &c.* dilemma pariter concludit quia virtualiter constat ex duobus syllogismis, vt v.g. i hoc dilẽmate *vel iuisti, quò dicis, vel nõ iuisti, si iuisti, ergo petrũ ibi cõmorantem vidisti, si non iuisti ergo mentiris*. primum cornu æquiualet syllogismo affirmatiuo, hoc modo .s. *iuisti in illum locum, sed petrus ibi erat, ergo eum vidisti*; secundũ cornu æquiualet syllogismo negatiuo, hoc pacto .s. *qui dicit aliquid fecisse & non fecit, mentitur, tu dicis iuisse, & non iuisti ergo mentiris*. Inductio deniq; virtualiter est syllogismus, cũ enim dicitur *hic homo currit, hic homo currit, ergo omnis homo currit*, subintelligitur min. s. *sed hic homo & hic homo, est omnis homo. ergo &c.*

SECTIO II.

In quo consistat vis Argumentationis.

8 CVm ex perfecta argumentatione, ita conuincatur intellectus, vt conclusioni illatæ non possit dissentiri, ideo quærendum est, in quo consistat hæc vis argumentationis. Supponendũ est. Quasdam esse propositiones, in intellectu ita claras, & notas, vt eis omnino non possit dissentiri, & hæ vocantur prima principia, vt v.g. *totum est maius sua parte, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se; si ab æqualibus æqualia demantur, quæ remanent sunt æqualia*, & similia. His supositis. Sit.

9 Prima Conclusio. Tota vis argumentationis fundatur in illo primo principio, *quę sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, & è contra .s. quæ non sunt eadem vni tertio, ita vt vnum sit idem, aliud diuersum, neq. sunt eadem inter se*. Est Ouiedi Cõtrou. 4. puncto 1. Arriagæ, Auersæ, Guarini, & aliorum contra Scotistas.

Prob. Conclusio. Ad hoc vt argumentatio efficaciter concludat, debet vnum necessariò affirmari, vel negari de alio, sed nõ potest vnũ necessariò affirmari vel negari de alio, nisi vnum, & aliud, aut sint idem cum aliquo tertio, aut non sint idem, ergo tota vis argumẽtationis, ratione cuius argumẽtatio efficaciter cõcludit, fundatur i assignato principio, quæ sunt eadẽ vni tertio &c. uel è contrà; probatur min. in tantùm enim unum necessariò affirmatur de alio, in quantùm dicunt inter se aliquã connexionem, in tantùm unum de alio negatur necessariò, in quantùm dicunt inter se aliquam disconuenientiam, sed tàm connexio, quàm disconuenientia debet esse in aliqua ratione, ergo in aliquo tertio, ergo tota uis argumentationis consistit in illo primo principio, quæ sunt eadem uni tertio, sunt eadẽ inter se, u. g. in hoc syllogismo.

omne animal est uiuens
omnis homo est animal, ergo
omnis homo est uiuens.

non posset efficaciter affirmari, quòd omnis homo, sit uiuens, nisi tam homo, quàm uiuens essent idem cum aliquo tertio .s. cum animali; per hoc enim, quod homo est idem cum animali, quòd uiuens est idem cum animali, efficaciter cõcluditur, quòd etiam homo, & uiuens sint idem inter se, & dicitur *ergo omnis homo est viuens*.

Obijcies 1. Videtur totum fundamentum argumentationis debere consistere in illo principio, *dici de omni, & dici de nullo* .s. quòd quidquid affirmatur de superiori, possit etiam affirmari de omni contento sub illo, & quidquid negatur de superioribus, negari etiam de inferioribus ergo non consistit in assignato principio.

Resp. Tale principium fundari in nostro, & ideo in illo consistere totam uim argumentationis. Quòd enim, quidquid affirmatur de superiori possit etiam affirmari de inferioribus, uel è contrà quidquid negatur &c. prouenit, ex eo quia, tam superius, quàm inferius conueniunt in aliqua ratione formali, seu in aliquo tertio, per quod, quid uerificatur de uno, debet etiam de alio uerificari, ideo enim uerificatur de homine, quod sit uiuens quia tàm homo, quàm uiuens sunt idẽ cum aliquo tertio, .s. cum animali, cui proprium est esse uiuens.

Rep. 2. Illud dici de omni, uel dici de nullo, non uerificari ĩ omnibus argomẽtationibus, ergo i illo non consistere uim argumentationis, quæ debet esse communis omnibus argumẽtationibus, quod autem non possit uerificari in omnibus argumentationibus, patet in argumentationibus compositis ex propositionibus, uel purè particularibus, uel purè uniuersalibus, in quibus non adest superius, quod prædicetur, uel inferius, de quo dicatur, ut u.g. in hoc syllogismo. 11

Hic homo currit
Petrus est hic homo, ergo
Petrus currit,

in quo non est inferius, nec superius, cum hic homo non amplius extendatur, quàm petrus.

Neque redicas. Nostrum quoq; principium non ualere in argumentationibus singularibus, ut paret si diceretur. *Petrus est albus, Paulus est albus, ergo Petrus est Paulus*.

Resp. enim non ualere argumentum, non ex defectu principij, sed ex ratione falsæ illationis ex præmissis, in præmissis enim supponitur albedo, tanquam aliquod accidens in Petro, & Paulo, in conclusione uero, arguitur identitas realis Petri, & Pauli, ratione albedinis, accidentaliter, tàm ab uno, quàm, ab alio participatæ; deberet ergo concludi, ergo Petrus, & Paulus sunt idem in albedine, & sic uerificaretur conclusio, eiusq; efficacia fundaretur in assignato principio, *quę sunt eadem vni tertio &c.* in tantùm enim Petrus, & Paulus essent idem in albedine, in quantùm, tam Petrus, quam Paulus essẽt idem cum albedine. 11

Obijcies 2. hoc principium non uerificatur in Diuinis, ergo non est admittendum tanquam uis argumentationis, quę debet esse eadem tàm in argumentis de creatis, quàm de increatis. Probatur antecedens ex eo enim quòd potest dici Pater est Deus, filius est Deus, non potest postea

con-

concludi ergo pater, est filius.

Resp. nega. Antecedens,& ad probationem distinguo consequens, non potest concludi ergo pater est filius, secundùm esse absolutum, & nego, secundum esse relatiuum, & concedo; quia enim pater, & filius secundùm relationē inuicem opponuntur, ideo non potest concludi, ergo pater, & filius secundùm relationem sunt idem, potest tamen concludi sunt idem secundum esse absolutum, quia secundùm hoc, non opponuntur, sed sunt idem; sed de hoc diffusiùs in Trinitate. Ad hoc ergo, vt uim habeat argumentatio in assignato pricipio, vt ea, quę sunt eadem vni tertio sint eadem inter se, debent esse eadem illi vni tertio secundùm suum totale esse, non secundum partiale.

14 Colligitur primò. Ad dignoscendum, an argumentum benè concludat, obseruandum esse, an eius vis consistat in hoc primo principio, *quę sunt eadem* &c. si enim ea, quę in conclusione deducuntur, perfectè erunt identificata cum medio termino præmissarum, perfecta erit conclusio syllogistica, nec negari poterit, quòd si perfectè non indentificabuntur, nec valida erit conclusio, túncq; erit distinguenda, vel maior, vel minor, in qua non erit perfecta identificatio v. g. in hoc syllogismo

omnis homo est viuens
petrus est homo, ergo
petrus est viuens.

optima est cõclusio negariq; non potest; quia tàm petrus, quàm viuens, quorum per hoc argumentum probari intenditur identitas, perfectè identificantur cum medio termino præmissarum, .s. cum ly *homo*, tàm enim petrus identificatur cum homine, quàm viuens cum homine. In hoc verò syllogismo

omnis homo est albus
Æthiops est homo, ergo
Æthiops est albus

falsa est conclusio, quia ly *albus*, qui ponitur in conclusione non perfectè identificatur cum medio tertio ly *homo*, nisi intelligatur secundùm dētes, & ideo distinguenda est maior, .s. omnis homo est albus secundùm dentes, & concedo, secūdùm reliqua, & nego, vel transeat; & sic itidem est distinguenda conclusio, ergo Ethiops est albus secundū dentes concedo, secūdū reliqua, & nego.

15 Colligitur secundò. A præmissis vniuersalibus conclusionem deduci vniuersalem, ea enim quæ secundùm suam vniuersalitatem identificantur cū vno tertio debent secundùm eandem inter se idētificari.

16 Colligitur tertiò. Ex vero semper sequi, & deduci verum; ex falso tamen aliquando etiam verum posse deduci, vt v. g. in hoc syllogismo, *omnis leo est homo, petrus est leo, ergo petrus est homo.* Verum concluditur, quòd petrus sit homo ex duabus præmissis falsis, hoc tamen non prouenit ex vi principii assignati, sed ex dispositione materiali terminorum, & ideo licet sit vera, non est bona conclusio, non enim deducitur necessariò ex præmissis, quę àbs debēt absolutè negari.

17 Colligitur quartò. A præmissis purè particularibus nihil efficaciter inferri posse. Tum quia medius terminus in nulla ex præmissis est distributus. Tum quia terminus particularis supponitur pro hoc, vel illo, & sic non bene concluditur *aliquis homo currit, petrus est aliquis homo, ergo petrus currit*, quia ly *aliquis homo* tàm potest intelligi de petro, quàm de paulo &c.

18 Colligitur quintò. Ex necessariò posse sequi necessarium, & etiam contingens, non verò impossibile, v. g. ex hoc necessario, *homo est animal rationale*, potest sequi hoc necessarium *ergo est discurrens*, vel hoc contingens *ergo currit*, non verò impossibile *ergo rugibile, & hinnibile &c.*

19 Colligitur sextò. Ex duabus præmissis negatiuis, non posse benè deduci conclusionem negatiuam, sed semper requiri vnam præmissam affirmatiuam; ratio est, quia ad hoc, vt euidenter negetur aliquid de alio, debet illud, quod negatur demōstrari idem cum aliquo tertio, ratione cuius negatur de illo alio, quod dicit disconuenientiam ab illo tertio, sed non potest demonstrari hæc identitas per propositionem negatiuā, ergo semper requiritur aliqua affirmatiua vt v. g. ad probandam hanc propositionem, quòd nullus homo sit lapis, non bene probaretur, si diceretur.

nullus homo est insensatus
nullus lapis est insensatus, ergo
nullus homo est lapis

ad probandum enim, quòd nullus homo sit lapis, debet demonstrari disconuenientia necessaria, quæ est inter lapidem, & hominem, ratione alicuius tertii, cum quo identificetur lapis, & diuersificetur homo, vel è contra, sed non potest manifestari identificatio lapidis cum aliquo tertio, & diuersificatio hominis ab eodem tertio per propositiones negatiuas, vt patet, ergo semper requiritur aliqua affirmatiua, per quam demonstretur identificatio lapidis cum aliquo tertio, propter quàm identificationem diuersificetur postea ab homine, à quo pariter diuersificatur illud tertium; & sic benè concluderetur dicendo.

nullus homo est insensatus
omnis lapis est insensatus, ergo
nullus homo est lapis

demonstratur enim per minorem affirmatiuam identitas necessaria, quam habet lapis cum insensatione, ratione cuius dicit disconuenientiam cum homine, cuius natura est, non esse insēsatus.

20 Colligitur septimò, Conclusionem affirmatiuam sequi solummodo à duabus præmissis affirmatiuis, quia cum debeat affirmari identitas duorum inter se, non potest fieri, nisi in præmissis affirmetur identitas eorundem cum vno tertio.

21 Colligitur octauò. Quòd ex contingenti, & impossibili potest sequi necessarium v. g. ex hoc impossibili *petrus est equus* potest deduci hoc necessarium, *ergo est viuens*, ex hoc contingenti, *petrus*

Petrus currit, potest itidem deduci hoc necessarium *ergo est viuens*.

Coll. vlt. Quòd impossibile solū ex ipossibili, in bona cōsequentia potest sequi, & sic quòd homo sit animal irrationale, in bona consequentia, nisi ab aliquo impossibili potest sequi; ut uerbi gratia quod sit rugibilis, hinnibilis, &c.

SECTIO III.

Quid sit materia, & forma, seu figura syllogistica.

CVm syllogismus sit precipua species argumentationis, ideò circa ipsum diutiùs est immorandum, plurimaque de eo discutienda, pro cognitione quorum.

22 Notandum est Primò. Quemlibet syllogismum ex triplici constare propositione, & etiā ex triplici termino; termini sunt, ut supra diximus, materia remota syllogismi, propositiones verò, marteria proxima; harum autem triū propositionum, prima vocatur maior, secunda minor, & hæ dicuntur præmissæ, tert. denique conclusio; terminorum verò alius vocatur maius extremum, & est illud, quod ponitur in maiori propositione, & in conclusione; alius, minus extremum, estque illud, quod ponitur in minori propositione, & in conclusione; alius tandem medius terminus, & ille est, qui in maiori, & minori ponitur, à conclusione verò excluditur, vt vet. gra. in hoc syllogismo.

omnis homo est animal
petrus est homo, ergo
petrus est animal.

terminus ly *animal*, qui ponitur in prima propositione seu maiori, & in conclusione, dicitur maius extremum, terminus ly *petrus*, qui ponitur in minori, & in conclusione, dicitur minus extremum; terminus deniq. ly *homo*, qui ponitur in maiori, & minori, dicitur medius terminus, eo quia mediat inter maius extremum *animal*, & minus extremum *petrus*.

23 Vbi est adnertendum. Quòd ad hoc, vt syllogismus concludat directè, quod est prædicatum in maiori, debet etiam esse prædicatum in conclusione, & quod est subiectum in minori, pariter debet esse subiectum in conclusione.

24 Notandum secundò. Communiter doceri, formam syllogismi consistere in congrua, & proportionata dispositione triū terminorū componentiū syllogismū, s. vel quod medius terminus sit subiectum in maiori, & prædicatum in minori, vel quòd sit subiectum in maiori, & minori, vel denique, quod in iisdem sit prædicatum; & etiam in quantitate, & quantitate propositionum componentium syllogismum s. quòd, vel vna sit vniuersalis, alia particularis, alia affirmatiua, alia negatiua, &c. his suppositis, & cum communi assignaures materiam argumentationis remotam, esse terminos, poximam verò propositiones, ex quibus conficitur argumentatio. Sit.

25 Prima Conclusio. Forma essentialis syllogismi affirmatiui consistit in connexione duorum terminorum cùm vno tertio, seu medio termino in præmissis, & inter se in conclusione; negatiui verò, in disconuenientia vnius extremi conc usionis cùm vno tertio, & conuenientia alterius, cum eodē tertio in præmissis, & disconuenientia inter se in conclusione.

Prob. Conclusio. Forma est illa, quę determinat materiam ad tale esse, sed connexio duorum extremorum cùm vno tertio, &c. determinat materiam syllogismi affirmatiui, disconuenientia vnius ex extremis, & conuenientia alterius cum vno tertio, &c. determinat materiam syllogismi negatiui s. propositiones syllogisticas, ergo forma syllog. enim consistit in connexione, vel disconuenientia cum vno tertio; prob. min. nàm ex præmissis, in tali connexione vel disconuenientia consistit vis argumentationis perfectæ, seu syllogismi.

26 Secunda Conclusio. Forma accidentalis syllogismi triplex est; hæc autem forma dicitur etiam figura syllogistica, & consistit in diuersa dispositione medii termini, secundùm quam, dicitur syllogismus esse in forma.

Prob. Conclusio. Quia uel medius terminus subiicitur in maiori, & prędicatur in minori, & hæc est prima figura; uel medius terminus prędicatur in maiori, & in minori, & hęc est secunda figura uel medius terminus subiicitur in maiori, & minori, & hæc est tertia figura; ad has autem figuras memoria retinendas, efformatus est à Logicis hic versus.

Sub præ prima, bis præ secunda, tertia bis sub.

s. in prima figura medius terminus sit *sub*, id est subiectum, vel in maiori, uel in minori, & *præ* id est prædicatum, uel in maiori, uel in minori, ita quòd si est subiectum in maiori, sit prædicatum in minori, uel è contrà; in secunda figura, medius terminus *bis præ* scilicet bis prædicetur, tàm scilicet in maiori, quàm in minori, in tertia deniquè *bis sub* scilicet bis subiciatur tàm in maiori quam in minori, sit exemplum de prima figura.

omnis homo est animal
omne risibile est homo, ergo
omne risibile est animal.

medius enim terminus ly *homo* in maiori subiicitur, & in minori prædicatur; sit exemplum de secunda figura.

nullus leo est rationalis
omnis homo est rationalis, ergo
nullus leo est homo.

medius terminus in hoc syllogismo scilicet *rationalis* prædicatur, estq. prędicatum in maiori, & minori: sit exemplum de tertia figura.

omnis homo est discursiuus
aliqus homo est albus, ergo
aliquod album est discursiuum.

medius terminus in hoc syllogismo s. *homo* est subiectum tàm in maiori, quàm in minori propositione, cum ergo hoc triplici modo possit disponi terminus medius, hinc oritur triplex differentia figuræ syllogisticę.

27 Neq. dicas quartā figurā (cuius auctor teste Auerroe, fuit Galen^9) admittedā esse; i qua. s. medi^9 termin^9 prædi-

prædicetur in maiori, & subijciatur in minori.

Resp. Non esse diuersam à prima, nihil enim interest, quòd medius terminus vel subijciatur in maiori, & in minori prædicetur, vel prędicetur in maiori, & subijciatur in minori, cum tam maior, & minor, extrinsecè diuersificentur inter se, quia vna profertur prius alterâ, & intrinsecè semper, ea sit maior, cuius medius terminus est subiectum.

28 Colligitur, secundùm hanc triplicem figuram syllogisticam posse diuersos modos syllogismorum efformari, pro varietate s. propositionum circa vniuersalitatem, particularitatem, affirmationem, vel negationem. Hi autem modi decem, & nouem enumerantur à Logicis, iisque sequentibus versibus miro artificio à Logicis elaboratis ad iuuandam discipulorum memoriam, continentur, & sunt.

1 1 1 1 1
Barbara, Celarent, Darii, Ferio, Baraliptō,
1 1 1 1
Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum,
2 2 2 2 3
Cesare, Camestres, Festino, Baroco, Darapti,
3 3 3 3 3
Felapton, Disamis, Datisi, Brocardo, Ferisō,

In quibus versibus quot sunt vocabula tot sunt modi, quibus efformari possunt syllogismi; quod libet enim vocabulum, seu nomen in his quatuor versibus contentum, per primas tres vocales, ex quibus componitur, ostēdit tres propositiones earūq; qualitatem, quantitatemq; ex quibus efformandus est syllogismus. Vocalis enim, A, significat propositionem debere esse vniuersalem affirmatiuam, vocalis, E, pariter propositionem vniuersalem, sed negatiuam demonstrat; Vocalis, I, propositionem particularem affirmatiuā denotat; Vocalis denique, O, propositionem itidem particularem, sed negatiuam significat, quod vt faciliùs retineatur hi versus excogitati sūt à Logicis. s.

Asserit, A, negat, E, sunt uniuersaliter ambo,
Asserit, I, negat, O, sunt particulariter ambo.

Nouem autem prima uocabula demonstrant modos primæ figurę, quatuor subsequentia, modos secundę figuræ, reliqua tandem modos tertiæ figuræ sicq; ad efformādū argumentū u.g. in *Barbara* debet primò obseruari prima figura, quòd s. medius terminus subijciatur in maiori, & prędicetur in minori, postea inspicienda est prima uocalis quæ est, A & denotat propositionem debere esse uniuersalem affirmatiuam, & sic efformanda est u. g. hæc propositio *omne vitium est fugiendum*, secundò inspicienda est altera uocalis, quę pariter est, A, denotatq; etiam propositionem minorem debere esse uniuersalem affirmatiuam, sicq; componenda est secunda propositio, *omne mendacium est vitium*; tandem obseruanda est tertia uocalis, quę pariter est, A, & sic conclusio pariter debet esse uniuersalis affirmatiua s. *ergo omne mendacium est fugiendum*.

Ad efformandum uerò aliquod argumentum in *Cesare* quia est modus secundæ figuræ, debet primò obseruari secunda figura, quod s. medius terminus bis prædicetur s. tam in maiori, quàm in minori; secundò obseruanda est prima uocalis quæ est, E, denotatq; propositionem debere esse uniuersalem negatiuam; & sic efformanda est propositio u. g. *nullus homo est irrationalis*, postea inspicienda est secunda uocalis, quæ est, A, denotatq; propositionem uniuersalem affirmatiuam, & sic efformanda est propositio uniuersalis affirmatiua, in qua pariter sit idem prædicatum, ac in maiori s. ly *irrationalis*, & est dicendum, *omnis leo est irrationalis*, tandem inspicienda est ultima uocalis, quæ cum sit E denotat propositionem uniuersalem negatiuam, estq; concludendum, *ergo nullus homo est leo*; faciliter à benè considerante poterunt efformari syllogismi super alios prædictos modos. 30

Colligitur secundò. Ex prędictis modis, solùm primos quatuor, uocari perfectos modos ab Aristotele primò prior. cap. primo, reliquos uerò imperfectos; quia s. primi quatuor concludunt directè, alii uerò uel indirectè, uel non tam perfectè s. in primis quatuor, quod est prędicatum in maiori, est itidem in conclusione, quod est subiectum in minori est pariter in conclusione, quod est concludere directè. In multis ex aliis uerò, non seruatur hic ordo, & ideo dicuntur concludere indirectè, uel non tam perfectè. Ex hoc autem oritur, quòd cum in istis modis imperfectis, & directè non concludentibus tam euidens non deducatur conclusio, reducendi sunt ad hoc, ut directè concludant, ad primos quatuor modos directè concludentes; quomodo autem facienda sit talis reductio, uidebimus in subsequenti sectione. 31

Colligitur tertiò. Circa istos modos uarias assignari regulas à Logicis, sed quia omnes ad unam generalem reducuntur, ideo illis omissis hanc tradam, estq;, quòd omnes syllogismi, qui iuxta prædictos modos efformati non sunt, non concludunt ex ui figuræ syllogisticæ. Ex hac ergo regula faciliter cognoscetur, qui sit syllogismus in forma, qui uerò non. 32

Colligitur quartò. Ad inueniendum medium terminum necessarium ad efformandum syllogismum affirmatiuum, optimam regulam esse, inquirere talem terminum, qui identificetur tam cum subiecto, quàm cum prædicato conclusionis, quam probare intendimus, quia cum ut supra diximus uis syllogistica consistat in illo primo principio, quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, si tàm prædicatum quàm subiectum conclusionis probandę erunt idem cum aliquo tertio, erunt, & inter se. u. g. si probandum esset, hominem esse uiuentem, inueniendus esset medius terminus, qui esset idem cum homine, & uiuente, hocq; esset animal, sicq; efformandus esset syllogismus in Barbara.

omne animal est viuens
omnis homo est animal ergo
omnis homo est viuens.

33 Colligitur 5. Ad inueniendum medium terminum necessarium ad efformandum syllogismum negatiuum, optimam regulam esse, inquirere talē terminum, cum quo diuersificetur aut prædicatū aut subiectum conclusionis probandæ, quia propter assignatum pricipium, quæ non sunt eadem &c. si prædicatum, aut subiectū diuersificabitur ab illo tertio, erunt, & inter se diuersa; quod probari intenditur per syllogismum negatiuum.

34 Colligitur vltimò. Quòd medius terminus, quando non est singularis aut identicus, semper debet sumi distributiuè .s. vniuersaliter; ad hoc enim vt cū ipso identificetur necessariò aut subiectum, aut prædicatum conclusionis, debet sumi tanquam aliquod vniuersale, & commune, in quo necessariò imbibatur, aut predicatum, aut subiectum, aut ambo conclusionis extrema, & sic ex præmissis purè particularibus non potest deduci bona conclusio, cum in ipsis medius terminus nullo pacto sumatur distributiuè, vt v. g. in hoc syllogismo *aliquis homo currit, petrus est aliquis homo, ergo petrus currit*, non bene infertur conclusio, cùm medius terminus ly *aliquis homo* sit, et in maiori, & in minori, particularis, & *aliquis homo*, qui est in maiori, non sit necessariò idem cum petro, cum possit etiā intelligi de Ioanne &c.

SECTIO IV.

Quomodo syllogismi efformati in modis īperfectis, possīt ad Perfectos reduci.

35 Notandum est primò. Nos supra dixisse, triplici modo fieri posse conuersionem propositionum, vel simpliciter .s. per solam mutationem terminorum remanente eadē quantitate, & qualitate, vel per accidens .s. mutatis terminis, & quantitate, uel per contrapositionem .s. manente eadem quantitate, & qualitate, sed mutatis terminis, de finitis, in infinitos.

Notandum est secundò. Exceptis primis quatuor modis ex assignatis, reliquos vel directè non concludere, vel non tam perfectè, indeq; oriri quòd, licet syllogismi essent in forma iuxta eosdē modos compositi, posset tamen, concessis præmissis, negari consequētia, quatenùs nō directè deducta vel non tam clarè patens. Hinc autem excogitarunt Logici rationem reducendi istos modos imperfectos ad quatuor perfectos, qua facta reductione, etiam ipsi directè, & efficaciter concludunt, quibus suppositis, & prænotatis, sit.

36 Prima Conclusio. Modi imperfecti reducuntur ad perfectos, vel per Ostensionem, vel per Impossibile. Est conclusio communis, solùmq; remanet explicandum, quomodo per ostensionem, seu per impossibile reducantur modi imperfecti ad perfectos.

37 Reductio ergo per ostensionem fit per conuersionem propositionum, & per transpositionem earundem, his regulis notatis.

Primò, quod obseruetur littera initialis illius modi imperfecti, qui reducendus est, hæc enim denotat talem modum imperfectum reducendum esse ad illum perfectam ex quatuor assignatis, qui habet eādem litteram initialem, vt v. g. si reducendus esset Cesare. quia eius littera initialis est. C. reducendus esset ad Celarent.

Secundò, obseruandæ sunt aliquæ litteræ consonantes, quæ subsequuntur vocales denotantes propositiones, scilicet S. P. M. & secundùm eas, quā do adsunt, conuertendæ sunt propositiones, per vocalem antecedentem significatæ, quando verò nō adsunt, relinquendæ sunt propositiones eo modo quo sunt; prima namq; littera .S. significat propositionem simpliciter esse conuertendam, littera .P denotat per accidens pariter conuertendā propositionem, M. tandem significat esse faciendam mutationē propositionum .s. quod maior fiat minor, & minor maior, totum autem hoc his versibus explicatur.

Simpliciter verti vult .S. P. uerò per Acci,
M. vult transponi; C. uerò ad impossibile duci.

In quibus vltima clausula C. uerò ad īpossibile duci, demonstrat, *Brocardo*, & *Baroco* in quibus ad vocalem O. sequitur littera C. nullo modo per ostēsionem posse reduci ad modos perfectos, sed solummodo per impossibile, de quo inferiùs.

Ad reducendum ergo v. g. syllogismum, factum in *fapesmo* ad modum perfectum per ostensionem, primò inspicienda est littera initialis, quę cum sit .F. denotat reducendum esse ad modū perfectum, cuius sit eadem prima littera .s. ad *ferio*, sicque hic syllogismus, factus in Fapesmo

omnis homo est animal, nullus lapis est homo, ergo aliquod animal non est lapis

reducitur ad Ferio hoc modo

nullus homo est lapis, aliquod animal est homo, ergo aliquod animal non est lapis

quia enim in Fapesmo post primam litteram A, significantem propositionem vniuersalem affirmatiuam, sequitur littera .P. quæ demonstrat, per accidens conuertendam esse propositionem, ideo per accidens conuertitur .s. mutatis terminis, & quantitate, & dicitur loco ly.

omnis homo est animal
aliquod animal est homo.

quia post secundam litteram E denotantem propositionem vniuersalem negatiuam, sequitur littera .S. quę significat propositionem simpliciter esse vertendam, simpliciter vertitur .s. per solam mutationem terminorum, remanente eadem quantitate, & qualitate & , dicitur loco ly

nullus lapis est homo
nullus homo est lapis.

quia tandem post vocalem O. denotātem propositionem particularem negatiuam, sequitur littera M. quæ secundùm supra dicta, significat propositiones mutandas esse .s. maiorem debere fieri minorem, vel è contrà, ideo vltima propositione, seu conclusione seruata, minor facienda est maior, & maior minor, hoc pacto.

Fe

Fe	nullus homo eſt lapis	
Ri	aliquod animal eſt homo ergo	
O	aliquod animal non eſt lapis.	

hoc enim pacto directè concludit ſyllogiſmus, quia, quod eſt prędicatum in maiori, eſt pariter in concluſione, & quod eſt ſubiectum in minori, eſt ıtıdem in concluſione. Et hæc de modo reducendi modos imperfectos ad perfectos per oſtenſionem; dicuntur autem reduci per oſtenſionem, quia hac mutatione propoſitionum, oſtenditur, & quaſi digito demonſtratur efficacia ſyllogiſmi imperfecti, deducendo eum ad perfectum ſyllogiſmũ.

Vbi eſt notandum, quòd *Brocardo*, & *Baroco* nullo modo poſſunt reduci ad modos perfectos per oſtenſionem, quia cum propter litteram initialem B. reducendi eſſent ad *Barbara*, hoc nullo pacto poteſt fieri, quia duæ primę propoſitiones in *Barbara* debent eſſe vniuerſales affirmatiuæ, in *Brocardo* verò, & *Baroco*, vna eſt vniuerſalis affirmatiua, alia particularis negatiua, ideo reducendi ſũt ad modos perfectos per impoſſibile.

Ad reducendos autem modos imperfectos per impoſſibile ad perfectos, hęc ſunt obſeruanda; Inquirendum eſt primò, ad quem ex quatuor modis perfectis aſſignatis, reducendi ſunt imperfecti; hoc autem fiet conſideratione ſubſequentiũ dictionum .ſ.

Neſciebatis, odiebam, letare, Romanis.

In quibus, quatuor vocales, quę adſunt, ſcilicet A, E, I, O, ſignificant quatuor modos perfectos, A enim ſignificat *Barbara*, E celarent, I. *Darij*,

21 &O. *Ferio*, quia ſcilicet vltima vocalis horum modorum, eſt vel A. vel E. &c. ſyllabæ verò ex quibus cõſtãt hæ dictiones correſpõdẽt, & denotãt modos omnes imperfectos ſyllogiſmorũ, qui cum ſint quĩdecim, paritèr, & ſyllabæ in his dictionibus contentæ ſunt quindecim; prima enim dictio continet quinque ſyllabas, denotantes quinq; modos imperfectos primæ figuræ .ſ.

	Ne	Baralipton
	ſci	Celantes
primæ	o	Dabitis
figuræ	ba	Fapeſmo
	tis	Friſeſomorum

ſecunda dictio continet quatuor ſyllabas denotantes quatuòr modos imperfectos ſecundæ figuræ. S.

	O	Ceſare
ſecundę	di	Cameſtres
figurę	e	Feſtino
	bam	Baroco

Reliquæ duæ dictiones continent ſex ſyllabas denotantes ſex modos tertiæ figuræ. ſ.

	Le	Darapti
	ta	Felapton
tertię	te	Diſamis
figuræ	Ro	Datiſi
	ma	Brocardo
20	nis	Feriſon

Advidẽdum ergo, ad quem ex modis perfectis reducendus ſit aliquis imperfectus, obſeruanda eſt primò ſyllaba, per quam denotatur, & ad modum perfectum denotatum per vocalem eiuſdemmet ſyllabæ, eſt reducendus; v. g. quia ſyllogiſmus imperfectus factus in *Felapton* correſpondet ſecũdę ſyllabæ tertiæ dictionis, *letare*, taliſq. ſyllaba conſtat ex vocali A, denotante, ut ex ſupradictis, *Barbara*, ideò ad *Barbara* eſt reducendus talis ſyllogiſmus imperfectus.

Reductio autèm ad impoſſibile fit, quandò conceſſis ab aduerſario præmiſſis ſyllogiſmi imperfecti, imprudenter negatur conſequentia, tũc enim cogendus eſt per hanc reductionem ad concedendum contradictorium alicuius ex conceſſis præmiſſis, quod eſt impoſſibile, cum de duobus contradictorijs vnum debeat eſſe uerum, aliud falſum; fit autem talis reductio hoc pacto.

Sumitur contradictorium propoſitionis negatę, quod neceſſariò erit concedendum, cum de duobus contradictorijs vnum ſit ſemper verum; poſtea ſumitur vna ex conceſſis, & ex tali conceſſa præmiſſa, & contradictorio efformatur ſyllogimus ſecundùm modum directum, ad quem eſt reducendus; vt v. g. ſi aduerſarius negaſſet conceſſis præmiſſis concluſionem huius ſyllogiſmi in *Feriſon*

nullum animal eſt lapis 19
aliquod animal eſt album
ergo aliquod album non eſt lapis

reducendus eſſet hic ſyllogiſmus imperfectus ad modum perfectum per impoſsibile, cogendo .ſ. aduerſarium, aut ad concedendam conſequentiam negatam; aut ad concedendum contradictoriũ vnius ex præmiſsis cõceſsis, quod eſt ipoſsibile, & quia *feriſon* coreſpondet vltimæ ſyllabę poſtremæ dictionis Romanis, quæ conſtat ex vocali I. ideo talis ſyllogismus iuxta regulam allatam reducendus eſt ad *Darij*, hoc pacto. Sumatur contradictorium propoſitionis, ſeu concluſionis negatæ, & ex ipſo fiat maior vniuerſalis affirmatiua coreſpondens primæ vocali *Dary* .ſ. A, hoc pacto

omne album eſt lapis;

deindè ſumatur minor propoſitio ex conceſsis, & fiat pariter minor particularis affirmatiua coreſpondens ſecundę vocali *Dary* .ſ. I. hoc pacto,

aliquod animal eſt album.

deindè inferatur directè conſequentia per concluſionem particularem affirmatiuam correſpondentem vltimę vocali *Dary* ſ. I. & dicatur

ergo aliquod animal eſt lapis

quod eſt contradictorium maioris conceſſę .ſ. *nullum animal eſt lapis*; hoc enim facto, vel cogetur aduerſarius concedere duo contradictoria .ſ. *nullum animal eſt lapis*, iam conceſſum in præmiſsis, & *aliquod animal eſt lapis*, directè concludens ex ui ſyllogiſmi ad impoſsibile deducti, quod eſt impoſsibile; vel, ne impoſsibile concedat, negatam conſequentiam libenter, ſeu violenter concedet.

Colligitur, quòd in tali reductione modorum imperfectorum ad perfectos per impoſsibile, in quinque modis primę figuræ ſempèr contradictorium propoſitionis negatę ponitur pro maiori propoſitione, & quæ erat maior fit minor, excepto Celantes, in quo fit è contrà. In quatuor modis ſecundę figuræ contradictorium concluſionis

ne-

negatæ ponitur loco minoris, remanente eadem maiori. In vltimis modis tertiæ figuræ, contradictorium conclusionis negatæ ponitur loco maioris, & remanet eadem minor, quæ omnia his versibus comprehenduntur.

Si Argumenta refers primæ imperfecta figuræ
Maior fit minor, & contradictoria maior,
Excipe Celantes, in quo conuertitur ordo.
Seruat maiorem, uariatq; secunda minorem.
Tercia maiorem uariat, seruatq; minorem.

Et hæc dicta sint de his reductionibus, quàsi nunquàm deseruientibus.

SECTIO V.

Deducuntur nonnulla Corollaria

Ex antecedentibus sectionibus.

41 QVia nonnulla ex antecedentibus sectionibus remanent colligenda. ideò in hac præsenti Sectione omnia in vnum redigere claritatis causa decreui. Primò ergo.

Colligitur, nos supra dixisse medium terminũ in bona argumentatione, seu syllogismo, sempèr debere esse distributum, & vniuersaliter sumptum in aliqua ex præmissis, tunc autèm quilibet terminus vocatur distributus, & vniuersaliter sumptus, si est subiectum, quandò afficitur signo vniuersali, vt omnis, nullus, &c. vel indefinitè ponitur in materia necessaria, vt in hac propositione, *homo est viuens*, ly *homo* est terminus vniuersalis, quia est subiectũ ĩ materia necessaria, siverò est prædicatũ, si propositio est vniuersalis negatiua, tunc ratione negationis est distributum prædicatum, & subiectum, si est vniuersalis affirmatiua, solum subiectum ratione signi remanet distributum, si particularis affirmatiua, nec prædicatum, nec subiectum est distributum; si verò particularis negatiua, solùm prædicatum ratione negationis est distributum.

42 Colligitur secundò. In bona consequentia, eodẽ modo ponendos esse terminos in conclusione, ac sunt in præmissis, si enĩ in præmissis sunt distributi, seu vniuersalitèr sumpti, tales debent esse in conclusione; si non sunt distributi, nec in conclusione debent distribui, à non distributo enim, ad distributum non datur illatio, vel è contrà.

43 Colligitur tertiò Directam conclusionem eã esse, seu tunc syllogismum directè concludere, quandò maius extremũ prædicatur in conclusione de minori extremo .i. quandò maius extremum est prędicatum in conclusione & sic in modis directis primæ figuræ, semper, quod est prędicatum in maiori, debet esse in conclusione; in alijs verò modis, præter quinque primæ figuræ non concludentes directè, sufficit, quòd maius extremum in conclusione sit semper prædicatum minoris extremi.

44 Colligitur quartò. In modis primæ figuræ, semper medium terminum debere esse subiectum in maiori, & prędicatum in minori; maius extremum semper prędicatum in maiori, & minus extremum subiectum in minori. Neque ex hoc sequitur cum hac figura non conuerti figuram Galeni, & ideo eam esse admittendam, in qua .s. medius terminus prædicetur in maiori, & subijciatur in minori. Conuertitur enim, & est eadem talis figura Galeni cum prima, quia licet medius terminus secundùm figuram Galeni subijceretur in secunda propositione, sempèr tamèn talis secunda propositio esset maior, cùm, vt optimè inquit Ouiedo hic Contron.4.pun.3. in syllogismis, qui habent medium terminum in vna ex pręmissis prædicatum, & in alia subiectum, ea intrinsecè dicatur propositio maior, non quæ profertur priùs altera, cùm in syllogismo mentali omnes simul apprehendantur, sed ea, in qua maius extremum, quod est ponendum in conclusione, est prędicatũ, & medius terminus subiectum, quatenus .s. ex ipsa suam maiorem efficaciam desumit conclusio; vt tamèn in syllogismo exstrinseco clarior appareat conclusio, & directa, in modis primæ figurę semper maior debet habere maius extremum prędicatum.

45 Colligitur quintò. Omnes modos assignatos syllogismorum concludere directè, præter quinque vltimos primæ figuræ, quandò enim tales quinque primæ figurę vidẽtur cõcludere directè, tunc nõ sunt secundum talem modum, sed secundùm aliquem ex perfectis, ad quem talis imperfectus dicit similitudinem; *Baralipton* enim correspondet *Barbara* cùm vltima particularis affirmatiua talis modi, includatur in vniuersali affirmatiua modi *Barbara*, tùnc enim concluderet in *Barbari*; *Celantes* correspondet *Celarent*, & *Dabitis Darij*, &c. reduci tamèn debẽt omnes isti ad 4. primos, vt potè perfectos, & semper directè concludentes, quinque vltimi quidem primę figuræ, ad hoc vt, & ipsi directè concludant, reliqui verò, vt euidentior, & clarior in eis appareat conclusio, sintq; etiam ipsi perfecti.

46 Colligitur sexto. Cõmuniter assignari decem, & nouem modos syllogismorum, secundùm dispositionem qualitatis, & quantitatis, affirmationis, & negationis propositionum, non quia plures esse non possint, sed quia, & hi assignati sunt vniuersaliores, & clariores, & quia ex illis, qui assignari possent, non omnes, omnibus figuris possent accommodari, nec secundùm illas benè concludere. Sexdecim autèm possent inueniri modi pro quacumq; figura, cum enim isti modi consistant in dispositione propositionum secundùm quantitatem, & qualitatem, & hęc dispositio totidèm possit multiplicari, tot etiam possunt esse modi; vel enim præmissæ possunt esse ambę vniuersales, & ambæ particulares, & ecce duo modi; vel maior vniuersalis, & minor particularis, & è contrà, & ecce alij duo modi .s. quatuor secundùm quantitatem; deinde quilibet ex his modis, quadruplex esse potest, ratione qualitatis propositionum, .s. vel ambæ possũt esse vniuersales affirmatiuæ, vel ambæ negatiuæ, vel maior vniuersalis affirmatiua, minor vniuersalis negatiua, & è contrà, & ecce quatuor modi secundùm qualitatem, qui cum possint conuenire singulis ex

quæ-

quatuor assignatis secundùm quantitatem, ideò sexdecim modi in quacunq. figura possent assignari. Assignatis tamen communiter solùm supradictis, reijciuntur cæteri, tanquàm inutiles, & vel in omnibus, vel in aliqua ex assignatis figuris non concludentes.

47 Septem quidem reijciuntur ab omni figura, primò quia ex duabus præmissis negatiuis, vt supra diximus, nihil sequitur necessariò ex vi formæ, secundò quia, vt pariter supra diximus, ex duabus præmissis particularibus, siuè affirmatiuis, siuè negatiuis nihil deducitur necessariò ex vi formæ; & per hoc ab omni figura excluduntur modi efformabiles ex ambabus vniuersalibus negatiuis, ex ambabus particularibus negatiuis; ex maiori vniuersali negatiua, & minori particulari negatiua; ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali negatiua; ex particularibus affirmatiuis; ex maiori particulari affirmatiua, & minori particulari negatiua, & ex maiori particulari negatiua, & minori particulari affirmatiua; quare solùm remanent nouem modi pro quacumq. figura, ex quibus etiam à qualibet figura particulari, aliqui excluduntur.

48 A prima ergo figura, quinque modi reijciuntur, tres quidèm ex eo quia, cum in tali figura medius terminus debeat esse subiectum, & maius extremum prædicatum, in directa conclusione ex maiori particulari nihil sequitur; Nihil sequitur inquam, quia cùm medius terminus in maiori non sit distributus, vtporè subiectū propositionis particularis, nec in minori possit distribui, nisi etiam distributo minori extremo per vniuersalem negatiuam, in quo casu conclusio debet esse particularis negatiua, minus extremum vtpotè distributum, deberet esse prædicatum, & ideò non directa conclusio; & sic excluduntur modi efformabiles ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali negatiua, ex maiori particulari negatiua, & minori uniuersali affirmatiua, ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali itidem affirmatiua; duo verò alij modi excluduntur, ex eo quia ex minori negatiua nihil sequitur in directa conclusione in hac figura, nihil sequitur inquam, quia cum minor sit negatiua etiam conclusio debet esse negatiua; conclusio enim sequitur debiliorem partem, & sic in conclusione distribueretur maius extremum nō distributum in maiori, quæ supponitur affirmatiua, cum ex prædictis, ex duabus negatiuis nihil possit sequi, & sic excluduntur modi efformabiles ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori vniuersali negatiua; ex maiori vniuersali affirmatiua, & minori particulari negatiua; quare quatuor solummodò modi remanent in hac figura dirèctè concludentes .s. *Barbara, Celarent, Darij, & Ferio*, quinque verò non dirèctè concludentes, reducibiles tamen ad directè concludentes .s. *Baralipton, Celantes, Dabitis, Fapesmo, Frisesomorum*.

49 A secunda figura, in qua medius terminus bis prædicatur, & conclusio directa deducitur, quinque modi ex nouem, non communiter exclusis, reijciuntur; tres quidem, ex eo quia secundùm hanc figuram ex duabus affirmatiuis nihil sequitur, cum enim in vtraque præmissa medius terminus debeat prædicari, per hoc nullo modo potest distribui, si ambe sint affirmatiuæ; de ratione autem medij termini est, vt supra diximus, quòd saltem in aliqua præmissa sit distributus, & sic excluduntur modi efformabiles ex vtraq. præmissa vniuersali affirmatiua, ex maiori vniuersali, & minori particulari itidèm affirmatiua, & ex maiori particulari, & minori vniuersali pariter affirmatiua, duo verò alij modi excluduntur ex eo quia, ex maiori particulari nihil in hac figura directè sequitur, vel enim talis maior particularis est affirmatiua, & tunc minor, ex supradictis, debet esse vniuersalis negatiua, & conclusio pariter negatiua, cùm semper sequatur debiliorem partem, sicque esset distributum maius extremum in conclusione propter negationem, quod non esset distributum in maiori; vel talis maior particularis est negatiua, & tunc minor iuxta prædicta debet esser vniuersalis affirmatiua, & conclusio negatiua, cum debeat sequi debiliorem partem, sicque maius extremum esset distributum in conclusione, & non in maiori, & per hoc excluduntur modi efformabiles ex maiori particulari negatiua, & minori vniuersali affirmatiua, ex maiori particulari affirmatiua, & minori vniuersali negatiua, quare quatuor solummodò modi directè concludentes remanent in hac figura .s. *Cesare, Camestres, Festino, Baroco*.

A Tertia deniquè figura, in qua medius terminus bis subijcitur, tres modi ex nouem, non communiter exclusis, reijciuntur, ex eo quia secundùm hanc figurā ex minori negatiua non potest sequi directa conclusio, cū enim in hac figura medius terminus subijciatur in vtraque præmissa, minus extremum per negationem semper esset distributum, maius nerò, nunquā distributum, cum deberet esse maior affirmatiua, iuxta prædicta, in conclusione uerò, aut non distribuitū, poneretur distributum, aut distributū poneretur indistributum, & per hoc excluduntur modi efformabiles ex maiori uniuers. affirmatiua, & minori vniuers. negatiua, ex maiori vniuers. affirmatiua, & minori particul. negatiua, ex maiori particulari affirmatiua, & minori uniuersali negatiua, quare sex solummodò modi directè concludentes remanent in in hac figūra .s. *Darapti, Felapton, Disamis, Datisi, Brocarao, Ferison*: In quibus cōclusio semper est particularis cùm secundùm hanc figuram non possit deduci vniuersalis, eo quia cùm iuxta antedicta in tali figura minor non possit esse negatiua, & minus extremum debeat esse prædicatum, per consequens in tali minori non potest esse distributum; in conclusione uerò si esset uniuersalis; distribueretur; utpotè quia in ea debet esse subiectum, à distributo autem ad non distributum non datur processus, hęc autem omnia apparent in apposita tabella. 50



TABELLA

TABELLA, In qua apparent modi, secundùm quos in quaubet figura syllogistica, possunt efformari syllogismi.

Barbara[1], Baralipton[1], Darapti[3],	Mai. Vniuersalis affirmat.	Min. Vniuersalis affirma-
. . . . . .	Mai. Vniuersalis negatiua	Mi. Vniuersalis negatiua
Fapesmo[1], Camestres[2]	Mai. Vniuersalis affirmat.	Min. Vniuersalis negatiua
Celarent[1], Cesare[2], Celantes[1], Felaptō[3],	Mai. Vniuersalis negatiua	Min. Vniuersalis affirmat.
Datij[1], Dabitis[1], Datisi[3]	Mai. Vniuersalis affirmat.	Mi. Particularis affirmati.
. . . . .	Mai. Vniuersalis negatiua	Mi. Particularis negatiua
Baroco[2]	Mai. Vniuersalis affirmat.	Min. Particularis negatiua
Ferio[1], Festino[2], Ferison[3]	Mai. Vniuersalis negatiu.	Min. Particularis affirma-
. . . . .	Mai: Particularis affirm	Min. Particularis affirmat.
. . . . .	Mai. Particularis negatiu	Min. Particularis negatiu.
. . . . .	Mai. Particularis affirmat	Mino Particularis negati.
3	Mai. Particularis negatiu	Mino. Particularis affirm.
Disamis	Maior. Particularis affirm	Mino. Vniuersalis affirm.
. . . . .	Mai. Particularis negatiu.	Mi. Vniuersalis negatiu.
Frisesomorum[1]	Maior Particularis affirm.	Mi. Vniuersalis negatiu.
Brocardo[3]	Mai. Particularis negatiu.	Mi. Vniuersalis affirmat.

51 Colligitur Septimò. Præter assignatos modos syllogismorum, dari etiam syllogismum Expositorium, de quo infrà, qui nec habet præmissas omnes uniuersales, uel particulares, sed uel ambas, uel unam singularem.

52 Colligitur octauò, conclusionem debere sequi debiliorem partem, ità vt, si præmissæ sint, vna vniuersalis, alia particularis, conclusio erit particularis, si vna affirmatiua, alia negatiua, conclusio erit negatiua.

Colligitur nonò, quòd quandò reducuntur modi imperfecti ad perfectos per ostensionem, licet semper non resultet eadem conclusio modi imperfecti; implicitè tamen in conclusione resultante, inuenitur, quòd faciliter inspicietur, si conclusio resultata conuertatur per accidens.

53 Colligitur vltimò, in reductione modi imperfecti ad perfectos per impossibile, non semper deduci aduersarium ad concedendum contradictorium alicuius ex præmissis, stricto modo sumptum, sed largo modo, s. vel ad contradictorium, vel ad contrarium. Et hæc dicta sint de his reductionibus.

SECTIO VI.

De varijs speciebus syllogismorum.

QVia propositiones, ex quibus conficiuntur syllogismi, sunt diuersi generis, ideò etiam diuersa syllogismorum dantur genera, & species, cùm enim terminos, & propositiones dixerimus esse materiam syllogismi, ideò pro variatione materiæ, pariter, & variantur syllogismi; respectu ergo terminorum.

Diuiditur primò syllogismus, in habentem terminos communes vniuersales, vel particulares, & est ille, de quo huc vsq; loquuti sumus; secundò in habentem medium terminum singularem, reliquos uerò terminos, uel singulares, uel communes, & hic dicitur syllogismus Expositorius, eo quia adeo sit conspicuus, & euidens, vt rem ante oculos exponere videatur; tertiò in habentē medium terminum communem, reliquos verò, vel ambos singulares, vel vnum singularem, & vnū communem; sit exemplum syllogismi Expositorii,

rij, *Petrus est Logicus, hic homo est Petrus, ergo hic homo est Logicus*. Sit exemplum de syllogismo habente medium terminum communem, reliquos, vel singulares, vel vnum singularem, & vnum communem.

Omnis homo est animal, Petrus est homo, ergo Petrus est animal, vel

Hic homo est animal, Petrus est animal, ergo Petrus est hic homo.

Huiusmodi autem syllogismi possunt fieri in omnibus tribus figuris, Expositorius tamen frequentius fit in tertia, medius enim terminus singularis aptius subiicitur, quàm prædicetur; Vbi aduertēdū, quòd medius terminus syllogismi Expositorij ita debet esse singularis, vt nō sit cōmunicabilis; & ideò diuina essentia l. sit singularis, quia tamen est cōmunicabilis tribus personis, nequiret esse medius terminus huiusmodi syllogismi, non enim posset dici *Pater est Deus, Filius est Deus ergo, Filius est Pater*.

56 Diuiditur insuper syllogismus ratione termini, in syllogismum ex rectis, & ex obliquis, syllogismus ex rectis est, qui habet terminos rectos, ex obliquis, qui obliquos, vt v. g. *omne donum est a Deo, Charitas est donum, ergo, est à Deo*.

57 Respectu autē propositionū diuersarum, diuersæ etiam resultant syllogismorum species.

Alius enim dicitur syllogismus Cathegoricus, qui ex cathegoticis propositionibus conficitur.

Alius hypoteticus, qui ex vna, vel omnibus hypoteticis, hi autèm multiplicantur etiam secundùm diuersitatem propositionis hypoteticæ; ad huncq. reducitur syllogismus constans ex propositionibus exponibilibus, cum ipsæ sint virtualiter hypoteticæ.

Alius dicitur syllogismus absolutus, qui ex absolutis, alius modalis, qui ex omnibus, aut aliquā modali constat, alius deniq. est syllogismus demonstratiuus, alius Topicus, seu Dialecticus, & alius sophisticus. Demonstratiuus est, qui constat ex omnib⁹ propositionib⁹ euidētibus. Topicus, qui ex vna, vel duabus propositionibus probabilibus, probabile autem est illud, quod potest in vtramq. partem disputari, & vnicuiq. parti intellectus assentitur, cum aliqua tamen formidine. Sophisticus deniq. qui constat ex propositionibus, quæ videntur veræ, sunt autem falsæ, de quo infrà, & hæ sunt præcipuæ diuisiones syllogismorum respectu materiæ, ratione cuius tantūaccidētaliter differunt inter se assignati syllogismi.

Ratione autèm formę essentialis (de accidentali enim diximus) diuiditur syllogismus specificè, & essentialiter, in affirmatiuum, & negatiuum, vt optimè asserit Mastrius 1. parte. Institutionum tractatu 3. Capite 11. ; cum enim affirmatio, & negatio sint differentiæ essentiales propositionis, ratione ipsarum essentialiter differūt syllogismus affirmatiuus, & negatiuus, duplexq. est forma essentialis, vna affirmatiui, alia negatiui, forma affirmatiui consistit, vt suprà dicebamus, in cōnexione duorum inter se, ratione cōnexionis cum vno tertio, Forma vero negatiui, in disconuenientia duorum inter se, quia

Io. Bapt. Begalla Cur. Phil.

vnum est idem, aliud verò non cum vno tertio, & hæc de diuisionibus syllogismorū. Vt autē hic diffusiùs de syllogismo sophistico loquamur.

Syllogismus sophisticus est ille, qui constat ex propositionibus quæ uidentur ueræ, sunt autem falsæ; ille antem qui utitur hoc syllogismo, dicitur sophista, .s. apparenter sapiens; & sic sophisticus esset hic syllogismus.

canis latrat
sydus Cœleste est canis, ergo
sydus Cœleste latrat

Loca antem, à quibus sophistæ deducunt hæc argumenta apparentia, nocantur fallaciæ, de quibus fit.

SECTIO VII.

De fallacijs

58 FAllaciæ, seu loca, ex quibus sophistæ deducunt fundamenta, ad apparentes, seù sophisticos syllogismos efformandos, vel se tenent ex parte materiæ, vel ex parte formæ, cum tàm in materia, quàm in forma syllogistica, possit esse error.

Fallaciæ ergo omnes, quæ possunt esse ex parte formæ essentialis consistunt in non perfecta identitate, vel disconuenientia medij termini, aut cum subiecto, & prędicato conclusionis, aut cum maiori, & minori extremo præmissarum, quia enim suprà diximus, formam syllogisticam consistere in tali perfecta connexione, & disconuenientia, ea deficiente, deficit etiam vis syllogistica, & per consequens fallax, & sophisticus est syllogismus, talis autem fallacia esset in hoc syllogismo in *Barbara*.

omne viuens est sensitiuum
omnis arbor est viuens, ergo
omnis arbor est sensitiua.

licet enim in figura concludat, tamen est fallax, quia medius terminus ly *viuens*, non est idem cū *sensitiuo*, & *arbore*.

Fallaciæ ex parte formæ accidentalis, seù figuræ, tùnc sunt, quando non obseruantur regulæ supra traditæ, ad efformandos syllogismos in forma. 59

Fallaciæ ex parte materiæ, aliæ pertinent ad voces, & dicuntur fallaciæ in dictione, alię pertinent ad res, & dicuntur fallacię extra dictionem; fallaciæ in dictione sex enumerantur .s. Æquiuocatio, Amphibologia, Accentus, Compositio, Diuisio, & Figura dictionis.

Fallacia ęquiuocationis est, Quando æquiuocatur aliquod vocabulum, & triplex est, prima quando sumitur aliquod nomen æquiuocum, in vnaq. propositione sumitur pro vno significato, in altera pro alio, vt in hoc syllogismo

omnis Canis latrat
sydus Cœleste est Canis, ergo
sydus Cœleste Latrat.

secunda, quando sumitur nomen analogum; ria est, quando sumitur aliquod nomen, si cans diuersa tempora, & in una propo

sumitur pro vno, in altera pro alio tempore.

Fallacia Amphibologiæ est. Quando diuersus potest esse sensus integræ orationis; quòd duobus modis committitur; primò, quando oratio sumitur in vna propositione pro vno sensu, in altera verò, pro alio: vt in hoc syllogismo.

omnis liber Aristotelis possidetur ab Aristotele, sed hic liber, quem teneo est Aristotelis, ergo possidetur ab Aristotele,

liber enim, in maiori, significat possessionem, .s. quòd possideatur ab Aristotele, in minori, denotat effectionem, .s. quòd fuerit compositus ab Aristotele; 2. modo committitur hæc fallacia, quandò in vna propositione oratio sumitur secundùm sensum proprium, in alia verò secundùm improprium, vt in hoc syllogismo sophistico, *qui arat littus, arenam scindit aratro, sed qui operam perdit, arenam scindit, ergo perdens operam arat*, in prima propositione est sensus proprius; in secunda improprius.

Fallacia Accentus, prouenit ex diuersa vocis pronunciatione, & triplici modo potest euenire, vel quia dictio, modò posita est cum accentu, modò sine, vt *populus* pro arbore, *populus* pro turba gentium, vel quia proferantur syllabæ, modò vnitim, modò separatim, vt *quies*, & *qui es*, modò cum diphthongo, modò sine, vt *æquus*, & *equus*, vel quia diuerso modo pronunciantur, nunc ironicè, nunc interrogatoriè, nunc assertoriè, nunc cum aspiratione, nunc sine, vt hamo, & amo.

Fallacia Compositionis est. Quando ex premissis in sensu composito; infertur conclusio in sensu diuiso, vt in hoc syllogismo

impossibile est vigilantem dormire,
Petrus vigilat, ergo
impossibile est, Petrum dormire.

maior enim intelligitur in sensu composito, conclusio, in sensu diuiso, in maiori intelligitur, impossibilem esse actualem vigilantiam, & somnum; in conclusione verò deducitur, Petrum neq. diuersò tempore posse vigilare, & dormire.

Fallacia Diuisionis est huic contraria. Quando .s. ex premissis in sensu diuiso, deducitur conclusio in sensu composito.

Fallacia Figuræ Dictionis est. Quando fit transitus de vno genere, ad aliud; duobus autem modis potest contingere hæc fallacia; 1. quandò, ex accidentali similitudine duarum dictionum, infertur idem significatum vtriusq. dictionis, vt si probatetur, poetam esse generis fœminini; quia musa, quæ pariter terminat in A, est generis fœminini; 2. modo, quando fit transitus ab vno predicamento, ad aliud, vt si diceretur

quidquid emisti, comedisti,
carnem crudam emisti, ergo
carnem crudam comedisti.

hic enim transitus à substantia, secundùm quam intelligitur prima propositio, ad qualitatem secundùm quam infertur conclusio.

60 Aliæ fallaciæ extra dictionem sunt septem.s. fallacia accidentis, fallacia secundùm quid, ad simpliciter, fallacia ignorantiæ Elenchi, fallacia consequentis, fallacia petitionis principij, fallacia non causæ, vt causæ, & fallacia plurium interrogationũ vt vnius. Fallacia accidentis, est quādò id, quod conuenit subiecto, tribuitur accidenti, velè contra. s. quandò, ex eo quòd duo sint aliquo modo vnum, vni tribuimus ea omnia, quæ tribuimus alteri in ea ratione, in qua non sunt vnum, vt v. g. in hoc syllogismo

animal rationale, est definitio,
sed homo est animal rationale, ergo
homo est definitio.

In quo, quia animal rationale, & homo sunt idē quoad entitatem, concluditur Sophistico modo, esse etiam idem quoad definitionem.

Fallacia secundùm quid ad simpliciter, tunc committitur, quandò fit transitus à diminutiuo, ad absolutum, vt

Æthiops est albus secundùm dentes, ergo
AEthiops est albus.

Fallacia verò à simpliciter ad secundùm quid, fit quandò ab absoluto ad diminutiuum fit transitus, vt

AEthiops est niger, ergo
est niger secundùm dentes.

Fallacia ignorantiæ Elenchi explicari non potest, nisi explicetur, quid sit Elenchus. Est igitur Elenchus syllogismus contradictionis .s. inferens contradictorium illius, quod concessum fuerat, de quo supra, cum de reductione syllogismorum per impossibile; quando autem talis syllogismus benè infert, dicitur Elenchus, quandò verò concludit cum deceptione, dicitur fallax, & idcirco vocatur Fallacia ignorantiæ Elenchi: hæc autem fallacia duplici modo potest euenire .s. vel quandò infertur contradictorium propositionis concessæ per syllogismum falsum, & non concludentem ex vi formæ; vel, quandò infertur apparenter contradictorium, non verò realiter; talis sophisticus syllogismus est v. g.

Petrus dormit in nocte, & non dormit in die, ergo
dormit, & non dormit

In tali enim conclusione apparet contradictoriū, licèt realiter non sit.

Fallacia Consequentis, ad hoc, vt cognoscatur, in quo consistat, supponendum est, alios terminos vocari antecedentes, alios consequentes, alios conuertibiles, & hoc de sua natura; terminus antecedens est ille, qui naturaliter antecedit alium, v. g. *ignis* est terminus antecedens *calorem*, terminus verò consequens est, qui naturaliter semper sequitur ex alio, vt *calor*, qui semper consequitur *ignem*; termini autem conuertibiles sunt, qui nec antecedentes, nec consequentes sunt ex sua natura, sed tàm vnus quàm alter potest esse, modò antecedens, modò consequens, & inuicem conuertuntur, vt *animal rationale*, & *homo*. His suppositis. Fallacia consequentis tunc committitur, quandò arguitur à consequenti, ad antecedens, affirmatiuè, vel ab antecedenti, ad consequens, negatiuè .s. quandò ex eo, quia, licet arguere ab antecedenti ad consequens, fit è contra, vt v. g si quis argueret hoc pacto

si ignis

Si ignis est, calor est, calor est, ergo ignis est, esset fallacia, quia arguitur præsentia ignis à calore, qui est consequens ipsum ignem: ab antecedenti verò ad consequens, tunc esset fallacia, si quis negaret consequens, ex supposita negatione antecedentis, & diceret, v. g. *Si ignis est, calor est, ignis non est, ergo calor non est*, negaretur enim consequens .s. calor, ex negatione antecedentis .s. ignis, fallaci modo, quia potest non esse ignis, & esse calor, cum calor possit ab alia causa procedere. Hæc autem fallacia non habet locum, quandò termini sunt conuertibiles, & sic tàm potest dici *omnis homo est animal rationale, omne animal rationale est viuens, ergo omnis homo est viuens*, quàm *omne animal rationale est homo, omnis homo est viuens, ergo omne animal rationale est viuens*.

Fallacia Petitionis principij fit. Quando assumitur in argumento id, quod est probandum, ut si quis probare intendens *hominem esse animal*, diceret, *homo est animal, ergo homo est animal*.

Fallacia non causæ, ut causæ, tunc est. Quandò accipitur id, quod non est causa alicuius rei, ac si esset causa, ut si quis diceret *omnis homo est lapis, petrus est homo, ergo petrus est lapis*, & contenderet causam falsitatis huius conclusionis, non esse maiorem, cum re uera sit, sed esse minorem.

Fallacia tandem, Plurium interrogationum, ut unius, est. Quandò plures interrogationes proponuntur, vt una, quibus non potest satis fieri, nisi per plures responsiones, & si per affirmationem, uel negationem respondetur, semper committitur fallacia, nisi adhibeatur distinctio, ut, u. g. si quis diceret, *homo, & leo, sunt ne rationales?* si enim responsio est affirmatiua, ipse infert, ergo *leo est rationalis*, si negatiua, ergo *homo est irrationalis*, deducit.

Et hæc de fallacijs, ad quas omnes euitandas, seù dignoscendas, regula principalis sit, quod semper tunc erit fallax syllogismus, quando diuerso modo, & secundùm diuersam suppositionem, summuntur termini ipsius syllogismi, .s. uno modo in una præmissa, alio, in altera, seu in conclusione; & ideò ad efformandos benè concludentes syllogismos, maximè aduertendæ sunt suppositiones terminorum, de quibus supra.

SECTIO VIII.

De quibusdam distinctionibus, quę in disputationibus adhibentur.

61 QVoniam, ut diximus supra, quandò uel medius terminus non perfectè identificatur cũ maiori, & minori extremo propositionum, uel quãdò uariatur suppositio terminorum in syllogismo, adhibẽda est à defendẽte distinctio in respõsione, .s. uel distinguendo maiorem, uel minorem, ideo non incongruum existimaui, hic, quasdam distinctiones, quæ magis sunt in usu, explicare.

Prima ergo distinctio est, *Materialiter, & Formaliter*; *Materialiter* significat unam rem prædicari de altera solùm ratione materiæ, in qua ambę reperiuntur, sic albedo potest dici materialiter dulcis, quatenùs, & albedo, & dulcedo possunt esse in una, eademq. materia, cum de propria ratione albedinis, non sit dulcedo; *Formaliter*, significat prædicatum conuenire subiecto, ratione formæ, quam habet, sic album est disgregatiuum uisus formaliter, quia albedo est forma disgregatiua uisus.

Secunda distinctio est, *Formaliter, & Efficienter*, *formaliter*, in hac distinctione, significat idem, ac in prima, .s. quòd prædicatum cõueniat subiecto ratione formæ, quam habet; *efficienter* verò significat, prædicatum conuenire subiecto, non ratione formæ, quam habet, sed quam producit, & efficit, sic sol dicitur efficienter calidus, non autem formaliter, quia in se non est calidus, sed tantum efficit, seu producit calorem.

Tertia distinctio est, *Specificatiuè, & Reduplicatiuè*; *specificatiuè* significat, prædicatum conuenire subiecto, secundùm suum proprium esse nudè sumptum, ut frigiditas conuenit aquæ, specificatiuè sumptæ, .s. secundùm suum esse naturale, *reduplicatiuè* significat, prædicatum conuenire subiecto, quatenùs habet talem formam, sic aqua calida, reduplicatiuè ut calida, dicitur calefactiua.

Quarta distinctio est, *In sensu diuiso, & in sensu composito*; *in sensu diuiso* significat prædicatum conuenire subiecto, non eodem tempore, sed in diuiso, & separato tempore; *in sensu vero composito*, conuenire eodem tempore, ut si dicatur *Petrus sedens potest currere*, hæc propositio, in sensu composito, .s. eodem tempore, est uera, in sensu uerò diuiso, & in diuerso tempore, est falsa; quia uno tempore potest sedere, alio, currere.

Quinta est, *In Actu, & in Potentia*; *in actu* significat prædicatum conuenire subiecto actualiter, *in potentia* verò potentialiter.

Sexta distinctio est, *Virtualiter, & Eminenter*; *virtualiter*, significat, prædicatum conuenire subiecto, quatenùs habet uirtutem illud producendi, vt piper dicitur uirtualiter calidum, quia habet uirtutem producendi calorem; *eminenter* significat, effectum, seu prædicatum contineri in uirtute causę æquiuocæ, sed eminentis; sic Deus dicitur continere eminenter omnes creaturas.

Septima distinctio est, *Simpliciter, & secundũ* 62
quid, seu Absolutè, & Relatiuè; *simpliciter & absolutè* significat, prædicatum conuenire subiecto sine respectu, & relatione ad illud, ut *Petrus est doctus*; secundum quid, & relatiuè significat, prædicatum conuenire subiecto tantum per respectũ, & relationem ad aliud; ut u. g. *homo pusillus* simpliciter, & absolutè est paruus, respectiuè verò ad nanum, est magnus.

Octaua distinctio est, *Per se, & per accidens*, *per se* significat prædicatum conuenire subiecto ratione suæ naturæ, sic risibilitas conuenit homini per se, *per accidens* uerò significat prædicatum conuenire subiecto fortuitò, & accidentaliter, ut homo per accidens claudus est.

Nona distinctio est, *Positiuè, & Negatiuè, Positiuè* significat subiectum esse tale per aliquam formam in ipso positam; sic manus dicitur calida ob formam caloris, quam habet: *negatiuè* significat, prædicatum conuenire subiecto, quatenus non habet formam illi contrariam, sic aliquandò manus dicitur calida negatiuè, quatenus non habet frigiditatem.

Decima distinctio est, *Implicitè, & Explicitè; Implicitè* significat, prædicatum esse in subiecto, licet non appareat, sic in hoc subiecto *rationale* implicitè intelligitur etiam *animal, explicitè* verò significat, quòd prædicatum, quod tribuitur alicui subiecto, clarè, & explicitè in ipso appareat.

Vndecima distinctio est, *Adæquatè, & Inadæ-*
63 *quatè, adæquatè* significat, prædicatum conuenire subiecto secundùm totum suum esse; sic homo adæquatè est creatura, quia secundùm totum suum esse, est creatus; *inadæquatè* verò significat, non conuenire secundùm totum suum esse.

Duodec. distinctio est, *Accidentaliter, & Essentialiter, Accidentaliter* significat, prædicatum conuenire subiecto accidentaliter, vt homo albus; *essentialiter* verò significat, conuenire secundùm essentiam, vt homo essentialiter est animal rationale.

Tertiadecima distinctio, est, *Mediatè, & Immediatè; mediatè* Significat, prędicatū cōuenire subiecto, alio mediāte, sic substantia producit aliā substantiam, mediantibus accidentibus; *immediatè* verò significat, conuenire subiecto, nullo mediante, sic homo dicitur rationalis immediatè.

Quarta Decima distinctio est. *In Actu primo, & in actu secundo; in actu primo* significat, prædicatum conuenire subiecto in potentia, sic homo est generatiuus in actu primo, quia habet potentiam ad generandum, *in actu secundo* significat actualitatem potentiæ, sic homo in actu secundo dicitur generans, dùm actualitèr generat.

Quinta decima est, *In Concreto, & Abstracto, in concreto* significat aliquam formam simul cum subiecto, in quo inest, vt album significat albedinem inhærentem in aliquo, *in Abstracto* denotat formam secluso subiecto, vt albedo.

Hæ sunt præcipuè distinctiones, quæ in argumētationibus adhiberi solent, multæ aliæ sunt, quas tamen omittimus, vel quia ad istas reducuntur, vel quia non sunt tām in vsu, & necessariæ, vel tandem, quia interminatam texeremus quæstionem, si omnes recensere vellemus. Et hæc dicta sit de summulis, & de introductione ad Logicam.



DISPV-

DISPVTATIO PROOEMIALIS

IN

ORGANVM ARISTOTELIS.

Hoc est

IN

LOGICAM.

Logicam, antequam aggrederemur, ipsam iam fermè in compendio expendimus, quæ enim hùc usquè diximus, ex his, quæ in libris Per Hiermenias, Priorum, & Posteriorum, Topicorum, & Elénchorum, qui propriè logici sunt, agit Aristoteles, dellibauimus: & iurè meritò viam ab omnibus tritam calcauimus, cùm enim non tàm faciliter addiscentium intellectus ad summos Logicæ apices peruenturos cognouissent Philosphi, ideò priùs Isagogem quandam, seu breue compendium Logicę, quòd súmulas appellarunt, præmittere consueuere; hoc ergo, & nos fecimus; modò ipsam logicam aggredimur, in ipsa quosdam Methaphysicos tractatus, vt necessitas, & vsus, qui iam in scholis inualuit postulabunt, pertractaturi. Inscripsimus autem hanc disputationem, *Organum Aristotelis*. taliter enim ipse Logicam appellat, eo quia Logica se habeat, vt organum, seu instrumentum cæterarum scientiarum, quatenus illis inseruit, vt suo loco dicemus; vt ergo incipiamus. Sit.

SECTIO I.

Quid sit Logica, & An sit Scientia.

1 Supponimus primò, Logicam, vt ex nominis etymologia patet, nihil aliud significare, quàm sermonem, seu vt alij dicunt rationem, *Logos* enim græcè, latinè *sermonem* importat, quare Logica ãtiquitùs appellata fuit ars sermocinalis, seu ratiocinalis. Hæc autem Logica non differt à Dialetica, quę dicitur ars differendi, cum idem sit differere, & ratiocinari; & Aristoteles nomine Dialecticæ, & Logicæ, hãc eãdem scientiã appellet, vt acuratè ostendit Auersa quæstione prima de Logica sectione prima.

2 Supponimus 2. Hanc Logicam posse diuidi, in naturalem, & artificialem; naturalis fundatur in ipso naturę lumine, quo quilibet iudicat, discurit, &c. Artificialis verò est ea, per quam intellectus instruitur ad exercendas suas operationes, & hæc pariter diuiditur in Docentem, & Vtentem. Docens est, quæ docet, & tradit præcepta dirigentia intellectum in ordine ad suas operationes. Vtens verò, quæ vtitur talibus præceptis, vt quãdo quis actualiter conficit syllogismum, definit, vel diuidit.

3 Supponimus 3. quòd ex Logica Docente, & Vtente efformatur in intellectu quidam veluti habitus logicus, seu quædam cognitio scientifica, quæ pariter vocatur Logica, distincta ab alijs, & de hac quærimus hic, vtrum sit scientia, nec ne, in quo cum tam variæ sint opiniones, vt nihil quasi certi determinari possit, ideò, vt aliquod fundamentum validum ad conclusionem stabiliendam ponamus.

Notamus primò. Scientiam propriè esse notitiam euidentem per demonstrationem cõparatam, vt ex Aristotele pluribus in locis habetur, hæc autem potest esse, & Actualis, & Permanens: Actualis est, cùm intellectus assentitur actualiter alicui conclusioni, vt v. g. homo est animal, ergo est sensitiuus, &c. Permanens verò, quæ communiter habitualis appellatur, est aggregatum plurium conclusionum scientificatum, quæ conseruantur in intellectu per suas species, vt probatur diffusiùs in disput. de scientia, & hæc in communi modo loquendi, scientia vocatur, & de hac loquitur sectio; his ergo suppositis, & notatis. Sit.

Prima Conclusio. Logica, de qua supra locuti sumus in tertio supp. est rigorosè scientia. Ita D. Thomas, & ferè communiter, contra P. Morãdum quæst. 3. Procemialium, & Spinul. disp. 1. in Logica sect. 6. 4

Prob. Conclusio. Scientia est cognitio euidens per causas, sed Logica est cognitio euidens per causas, &c. ergo est scientia, prob. min. ex Logica euidenter dignoscitur, syllogismum necessariò concludere propter illud principium, quæ sũt eadem vni tertio sunt eadẽ inter se, item opinionẽ non esse scientiã, quia scíẽtia est euidẽs cognitio, opinio verò non est euidens, & multæ aliæ deducuntur euidentes conclusiones, vt successiuè videbimus, ergo est cognitio euidens per causas, seu per demonstrationem acquisita, &c.

Secunda Concl. Logicæ, docens, & vtens non sunt veræ, & rigorosæ scientiæ. Et ferè contra cõmunem, asserentem esse scientias practicas; est tamen doctissimi, & amicissimi P. Mot. quæs. 3. in procemialibus Logicæ. 5

Prob. 1. Conclusio. Quidquid ordinatur ad praxim, & operationem non est verè, & propriè scientia, sed logicæ vtens, & docens ordinantur ad praxim, & operationem, ergo non sunt verè, & rigorosè scientiæ, min. est certa, prob. maior.

Scien-

ſcientia enim ex Ariſtotele, eſt gratia ſui, & conſiſtit in ſola cognitione euidenti per cauſas, ergo in ſe ſola debet manere, nec ad operationem debet ordinari.

Prob. 2. Logica docens tradit regulas, quibus conficiendus ſit ſyllogiſmus .ſ. regulas diuiſionis, definitionis, &c. Logica vtens iiſdem vtitur regulis. ſed tradere regulas, & vti regulis, non eſt cognitio euidens per cauſas, ſeu per demonſtrationem, ſed potius quædam cauſa talis cognitionis, ergo neq. Logica docens, neq. Vtens poſſunt proprie, & rigoroſè appellari ſcientiæ.

Prob. 3. ſcientiæ, ex Ariſtotele 1. Poſt. cap. 2. verſantur circa obiectum inuariabile, & æternum, ſed tales non ſunt, Logicæ, docens, & vtens, ergo &c. Min. prob. verſantur enim circa operationes intellectus hoc, vel illo modo dirigibiles, vel directas.

6 Tertia Concluſio. Logicæ tàm docens, quàm vtens, ſunt habitus intellectuales inſtrumentales, mentalium operationum directiui. Hæc Concluſio eſt in aliqua parte eiuſdem Patris noſtri Morādi in ſua Logica quæſt. 3. non tamen in omni parte, ipſe enim de quacumq. Logica loquitur, nos verò ſolum de vtente, & docente.

Prob Concluſio. Inſtrumentum eſt id, quod propter aliud eſt, ſed Logicæ, docens, & utens inſtitutæ ſunt propter aliud .ſ. propter operationes intellectus dirigendas ergo Logicæ docens & vtens ſunt inſtrumenta directiua earumdem operationum intellectus Ma. eſt certa ex Ariſtotele, & Zabarella. Prob. mi. Logica enim docens, docet modum, quem tenere debet intellectus in conſtruendo ſyllogiſmo, diuiſione, definitione, &c. vtēs verò facit, quod intellectus tali vtatur modo, ergo tàm vna, quā altera ad dirigendum intellectum ſunt ordinatæ, ergo ſunt inſtrumenta directiua operationum intellectus.

Obiicies 1. contra ſecundam concluſionem. Logica docens, docet deducere concluſiones certas
7 & euidentes per cauſas, ſeu per demonſtrationem, ſed deductio talium concluſionū euidentium per cauſas, ſeu per demonſtrationem, eſt ſcientia, ergo Logica docens eſt ſcientia, maior eſt certa, min. iā conceſſa eſt, ergo certiſſima eſt illaē conſequentia.

Reſp. Datis præmiſſis negando conſequentiam, vt potè quia in min. variatur medius terminus, in mai. enim dicitur, quòd Logica docens docet deductionem cōcluſionis euidentis per cauſas, in minori vero ſumitur ſola deductio; Nam verum quidem eſt, & vltro concedimus, quòd deductio alicujus concluſionis euidentis per cauſas ſit ſcientia, (ſumendo deductionem, non pro demonſtratione, hæc enim eſt actus Logicæ vtentis, ſed pro eo, quòd à demonſtratione reſultat .ſ. pro cognitione). & de hac locuti ſumus in prima concluſione; at docere modum, quo talis deducatur concluſio, nullo pacto eſt ſcientia cum de ratione ſcientiæ ſit, quod ſit gratia ſui, & ad nihil aliud ordinetur, docere autem ordinatur ad aliud .ſ. ad intellectum, & ideo hoc docere nullo pacto poteſt eſſe ſcientia, licet poſſit eſſe cauſa ſcientiæ, illam .ſ. cauſando in intellectu educto; ſed.

mutabilis. Effectus non poteſt eſſe nobilior ſuâ 9
cauſa, ſed hoc eſſet, ſi Logica docens non eſſet ſcientia, & cauſaret ſcientiam, ergo, ne hoc ſequatur, debet dici, quòd etiam, logica docens ſit ſcientia.

Reſp. Diſtinguendo mai. effectus non poteſt eſſe nobilior ſua cauſa principali, & concedo maiorem, inſtrumentali, & nego mai. cauſæ enim inſtrumentales ferè ſemper ſunt inferioris ordinis ac ſūt effectus ab ipſis producti; cum ergo logica docens ſit cauſa inſtrumentalis, vt ſupra diximus, talis ſcientiæ, intellectus verò cauſa principalis, nihil intereſt quòd ipſa non ſit ſcientia, ſitq. inferioris ordinis quā effectus ab ipſa inſtrumētaliter productus.

Obiic. 2. contra tertiam concl. Logica vtens 10
conſiſtit in ſolo vſu præceptorum a logica docente traditorū, & ad nihil aliud ordinatur, ſed qood nō ordinatur, nec fit propter aliud, non eſt inſtrumētū, ergo logica vtens nō eſt inſtrumentū, ſeu habitus inſtrumētalis directiuus operationum intellectus.

Reſp. negando ſecundam partem maioris, licet enim cōſiſtat in vſu præceptorum logicę docentis, talis tamen vſus, eſt quoddam dirigens, ſeu adiuuās intellectum operantem, ad deducēdas cōcluſiones euidentes, & ſic ad aliud ordinatum; ſicuti v.g. actualis vſus præceptorum cuiuſcumque artis, dicitur actuale adiutorium potentiæ, talem artem exercentis illamque adiuuat ad exercendum opus, quod intendit; quarè cum hæc logica vtens ſe habeat tamq. actuale adiutorium intellectus operantis, ideo illam, habitum inſtrumētalē directiuū operationum intellectus in ordine ad deducendas cōcluſiones euidētes, appellamus.

Quæres. An habitus inſtrumentalis logicæ do- 11
centis ſit diſtinctus ab habitu inſtrumentali logicæ vtentis.

Reſp. habitum logicæ docentis eſſe diſtinctum ab habitu logicæ vtentis formaliter, & per intellectum, non verò materialiter, & entitatiuè; & ratio eſt, quia cum diſtinctio ſe habeat ratione diuerſæ formalitatis, ſeu rationis, conſideratæ ab intellectu, & cū intellectus diſtinctam rationē formalitatē cognoſcat in logica docente, & vtente, ideo diſtinctus erit habitus vnius, ab habitu alterius; diſtinctam inquam rationem ſeu formalitatem cognoſcit intellectus in logica docente, & vtente; logica enim docens formaliter habet ſolummodo docere præcepta, & quat. docens non poteſt conſiderari ſub ratione vtentis, ſicuti è conuerſo, utens habet ſolummodo uti præceptis, & quatenus utens, non poteſt conſiderari ſub ratione docentis.

Neque dicas. Per eūdem habitum edoceri poſſe intellectum ad efformandum ſyllogiſmum, & dirigi ad eumdem actualiter faciendum, ergo eumdem eſſe habitum, & docentem, & utentem.

Reſp. enim, concedendo poſſe intellectum edoceri, & dirigi per eundem habitum materialiter, non autem formaliter; in intellectu enim, tam logica docens, quam utens, ſe habent per modum unius, & materialiter eſt una, in quantùm eodem habitu, quo intellectus edocetur efformare u.g. ſyllogiſmū, efformat effectualiter ſyllogiſmū, ſicuti u.g. per eūdē actū aliquis edocetur ſcribere, & de facto ſcribit, formaliter verò unus habit° diſtinguitur ab

aĩo,

alio, quat. enim docetur intellectus, nō vtitur præceptis, & quatenus vtitur, præcisè, & formaliter, non edocetur, ficuti actus, quo, quis edocetur scribere, non poteſt dici formaliter idem, ac ille, quo ſcribit, ſcriptio enim, vt edocta formaliter prouenit à Præceptore, vt efformata deriuat ab ipſo Agente, ſeu ſcribente licet materialiter ſit eadē quare Lentitatiuè, & materialiter idem ſit habitus Logicæ Vtentis, & Docentis, formaliter tamen, & per intellectum diſtinguuntur, ſicuti etiam fundamentaliter, ſiue virtualiter à parte rei.

12 Colligitur primò. Dari poſſe Logicam purè naturalem, quæ ſit ſcientia propriè, & rigorosè, vt dum, quis ſolo lumine naturæ euidenter deducit aliquam concluſionem de obiecto ſcibili. Ratio autem eſt, quia huiuſmodi Logica eſt gratia ſui, & ad nihil aliud ordinatur de ſuo formali, eſt cognitio euidens per cauſas, ergo, &c. Item colligimus, talem Logicam eſſe eamdē cum illa producta in intellectu per ſolam Docentem; cum vtraque ſit cognitio euidens per cauſas, quòd ſi vna poſset dici diſtincta ab alia, hoc eſſet non ratione ſui, cum vtraq. habeat eamdem eſſentiam, ſed ratione principij extriſeci, cū naturalis ſit cauſata in intellectu per lumen naturæ .ſ. per claritatem ipſiuſmet intellectus, alia verò per idemmet lumen naturæ, ſed adiutum inſtrumentaliter à Logica Docente.

13 Colligitur 2. Quòd quando diximus Logicam Docentem, & Vtentem eſſe habitus intellectuales, &c. nomine habitus non intelleximus illum, qui ex frequentatione actuum in qualibet reſultat potentia, cum etiam in vnico actu poſſit ſtare, & Logica Docens, & Vtens, ſed nomine habitus intelligere voluimus, quandam rationem, ſeu quoddam inclinans, dirrigens, & adiuuans intellectum in ſuis operationibus, hocq. nos appellauimus habitum propter ſimilitudinē, quā habet cum habitu, .ſ. in inclinando, & dirigendo potentias ad operandum.

SECTIO II.

Quodnam ſit obiectum Logicę Scientię.

14 Vt intelligatur quodnam ſit obiectum Logicæ, inquirendum eſt prius, quid ſit obiectum ſimpliciter. Obiectum ergo formaliſſimo modo ſumptum ſecundùm P. Morandum, & Zabarellam eſt id, quod obijcitur potentiæ, ſeu actibus potentiæ, & in illo nihil efficitur; dicitur autem obiectum quaſi *obex actuum*, ſic color dicitur obiectum, viſus, quia obijcitur potentiæ viſiuæ, & in ipſa obiectione remanet immutatus, ſonus potentię auditiuę, ens potentiæ intellectiuæ metaphyſicè ſpeculantis, &c. & per hoc diſtinguitur obiectum rigorosè loquendo à materia, ſeu ſubiecto, & fine, materia enim, ſeu ſubiectum eſt illud, quod ſubijcitur quodam modo, & aliquid recipit .ſ. aliquam formam, finis verò eſt ille, ad quem aliquid ordinatur.

15 Hinc ſequitur, Quòd artes propriè, & rigorosè nō habent obiectum, cum ſemper operentur, & prop. ter aliud, & propter introducendam in materia, aliquam formam, ſic v. g. Rhetor profert periodum ſonantem ob cauſandam talem formam illis verbis materialibus, vnitim ſumptis, & ecce materia informata, vel ad perſuadendum aliquid efficacius Auditoribus, & ecce finis intentus, ſcientiæ autem cum ſolummodo ſiſtant in cognitione, & ſpeculatione, propriè, & rigorosè dicuntur habere obiectum, quia nihil in illo obiecto operantur, hocq. tàm è de neceſſitate ſcientiæ, ut ſine illo non poſſit eſse ſcientia, cum enim ſcientia ſit cognitio, cuius eſset cognitio? ſi non eſset obiectum, quod cognoſceret? his notatis; inſuper.

Suppon. eſt. Obiectum cuiuſcunque ſcientiæ debere comprehendere in ſe ea omnia, quæ tractātur in tali ſciētia, ſciētia enī, ut talis eſt extra obiectum, non debet uagari, ergo in obiecto debent cōtineri ea omnia, quæ à ſcientia poſſunt attingi.

Suppon. 2. Logicam ſcientiam habere ſuum obiectum, ut conceditur ab omnibus, excepto Patre Morando in Proœmial. Logicę quæſt. 6. Ratio 16 autem eſt, quia omnis ſcientia habet ſuum obiectum, at ex ſupra probatis conr. P. Morand. Logica aliqua eſt ſcientia, ergo hæc habet ſuū obiectū.

Neq. valet quod ipſe ait. Quod ſibi proponit cognoſcendum Logica, non proponit, vt exiſtēs, ſed ut efficiendum (ſyllogiſmum .ſ.) at obiectum debet eſſe exiſtens, ergo, &c.

Eſt enim Reſp. Quòd obiectum debet eſſe exiſtens non actu, .ſ. quòd ſit extra cauſas, ſed ex iſtentia eſſentiali .ſ. quòd eius eſſentia ſit in rerum natura, atq. adeò ſpeculabilis; quate ſ. ſyllogiſmus, de quo loquitur in maiori non ſit exiſtens, attamen illius eſſentia poteſt cognoſci, & ſic eſſe obiectum Logicæ ſcientiæ. Deinde dicimus, quòd Logica ſcientia non ſibi proponit efformationem ſyllogiſmi, benè verò Logica Docens, aut Vtens, & de iſtis etiam nos concedimus, non habere obiecta; attamen non videtur præter has Logicas, neganda Logica purè ſcientia, quæ ſolùm ſpeculetur eſſentiam, ne dum ſyllogiſmi, ſed & aliorum entium ſcibilium. His ergo ſuppoſitis, inquitimus quodnam ſit hoc obiectum Logicæ ſcientię.

Supp. 3. Obiectum cuiuſcunq. ſcientiæ duplex eſſe, materiale .ſ., & formale; obiectum materiale eſt illud ens, quod obijcitur alicui ſcientiæ tamquam materia, quam ſcientia ſpeculatur, quod ens, 17 tum non ſecundum totam ſuam latitudinem à tali ſcientia conſideretur, ſed coarctatum, & ſub aliqua ſola ratione, ideò talis ratio, à qua coarctatur, & ſub qua tale ens conſideratur à tali ſcientia, dicitur obiectum formale; ſic v. g. corpus ſecundùm ſuum eſſe materiale eſt obiectū Phyſicæ, & Mathematicæ; at quia Phyſica illud conſiderat, non ſecundùm totam ſuam latitudinem, ſeu ſecundùm omnes rationes, & formalitates, quas habet, ſed ſolùm ſecundùm naturalitatem, ideò naturalitas eſt ratio, ſub qua conſideratur à Phyſica, ſeu eſt illius obiectum formale, quia verò Mathematica ſecundùm eandem rationem illud non conſiderat, ſed ſolùm ſec. rationem quātitatis, ideo reſpectu Mathematicę, quantitas eſt ratio formalis, ſub qua ab ipſa cōſideratur corp°, ſeu quantitas eſt obiectum formale Mathematicę. His ſuppoſitis de vtroq. obiecto, materiali, & formali inquirēdū eſt quodnā, ſ. ſit Log. ſcent. æ obiectum.

Pri-

18 Prima Conclusio. Obiectum Logicæ scientiæ, non sunt verba, seu voces. Est ferè secundùm communem, contra Nominales, & Alios.

Prob. Obiectum scientiæ debet esse inuariabile, æternum, & immutabile, vtpotè respiciens essentiam, sed voces tales non sunt, cùm ad libitum, & placitum hominum, hoc potius, quàm illud significent, ergo non possunt esse obiectum scientiæ, ergo neque Logicæ; mai. conced. ab omnibus, min. patet, euidentissima est ergo consequentia.

19 Secunda Conclusio. Obiectum Logicæ scientiæ non est argumentatio, neque syllogismus, neque demõstratio. Ita ferè cõmuniter contrà quosdam Antiquos.

Prob. In obiecto scientiæ debent contineri ea omnia, quæ pertractantur in scientia, at neq. in argumentatione, neq. in syllogismo, neque in demonstratione, continentur ea omnia, quæ in Logica tractantur, ergo non sunt obiectum Logicæ; maior est euidens, minor patet, Logica enim speculatur essentiam diuisionis, & definitionis, quæ, formaliter non sunt, neque argumentatio, neque syllogismus, ergo &c.

Neq. valet, ad demonstrationem ordinari omnia, quæ tractantur in Logica, ergo

Resp. Ad obiectum non debere ordinari, quæ tractatur in scientia, sed in obiecto debere reperiri, obiectũ enim est quod proponitur speculabile, seù quod obijcitur, quare in ipso omnia speculabilia respectu illius scientiæ, cuius est obiectum, debent reperiri, non verò ad ipsum ordinari. Quare demonstratio solùm potest dici obiectum Attributionis Logicę, non verò obiectum principale, cum enim obiectum attributionis sit id (quidquid dicant alii diuersimodè obiecta attributionis sibi fingentes) ad quod ordinantur omnia, quæ tractantur in scientia, cum ad demonstrationem ordinentur omnia, quæ tractantur in Logica, ideo, &c. in hancque sententiã conueniunt Arriaga disp. 2. Hurtadus disp. 1. sect. 8. & Alij, hancq. & nos admittimus.

20 Tertia Conclusio. Obiectum Logicæ scientiæ non sunt operationes intellectus, vt dirigibiles. Est ferè contrà omnes recentiores, Ouiedum, Arriagam, Serbellonum, & Alios, qui reiectis alijs obiectis, antiquitus Logicæ scientiæ adscriptis, operationes intellectus, vt obiectum materiale, vt dirigibiles verò, seu sub formalitate dirigibilitatis, vt obiectum formale, illi attribuunt.

Prob. Dirigere operationes intellectus non spectat ad Logicam scientiam, benè verò ad Logicam Docentem, & Vtentem, ergo operationes intellectus, vt dirigibiles nequeunt esse obiectum Logicę scientiæ, antecedẽs patet ex diuisione supra facta Logicæ, consequentia prob. cum enim obiectum sit circa quod versatur scientia, cum circa operationes intellectus, vt dirigibiles, Logica scientia non versetur, ideo neque possunt esse illius obiectum.

Neq. dicas, omnia, quæ tractantur in Logica spectant ad operationes intellectus vt dirigibiles, vel tanquam principia, vel essentiæ, vel passiones, vel proprietates, vel partes, vel effectus, &c. ergo operationes intellectus, vt dirigibiles sunt illius obiectum.

Resp. Circa ea omnia, quæ ordinantur ad operationes intellectus, vt dirigibiles, versari Logicam Docentem, & Vtentem, non verò Logicam, quam simpliciter sciẽtiam appellamus, hæc enim sistit in cognitione euidenti per causam cuiuscunque rei cognoscibilis, atq. adeò ad solas operationes intellectus non est coarctandum illius obiectum, benè verò omne scibile, & cognoscibile debet comprehendere; quare supposita distinctione inter Logicam simpliciter scientiam, & Logicam Docentem, & Vtentem, taliter est philosophandum, quòd non faciunt communiter, supponentes, præter Logicas Vtentem, & Docentem, aliam excogitari non posse,

Quarta Conclusio. Obiectum Logicæ scientiæ est Ens pro vt est scibile, ita vt ens, seu omne illud quod est, sit obiectum materiale, prout verò scibile, & intelligibile, obiectum formale, .i. ratio sub qua ens consideratur, & quasi determinatur ad Logicam, est scibilitas, seu intelligibilitas illius. Ita Guatinus in Proœmialibus Logicæ expen. 2. 2

Prob. 1. pars, auct. Aristotelis, qui 4. Met. tex. 5. ait *Dialectici quoq. de omnibus disputant, ens verò commune omnibus est*, ex quo textu patet, voluisse Aristotelem ens omne, esse obiectum Dialecticæ, seu Logicæ.

Prob. Secundo. Logica scientia est cognitio euidens per causam, seu per demonstrationem, sed omne ens est cognoscibile per causam, ergo omne ens est obiectum Logicæ scientiæ.

Prob. Secunda pars. In tantùm ens potest cognosci per causam, & per illius passiones, in quantùm est cognoscibile, & scibile, ergo in tantùm est obiectum Logicæ in quantum est scibile, ergo scibilitas est obiectum formale, seu ratio formalis, sub qua à Logica scientia, consideratur ens.

Prob. Secundò. Logica speculatur ens, pro vt ex eo possunt educi demonstrationes scientificę, & conclusiones euidentes, at hoc respicit scibilitatem, & intelligibilitatem in ente, ergo Logica speculatur ens, vt scibile, vt cognoscibile, ergo scibilitas est obiectum formale, sub quo &c.

Ob. Primò. Omnia, de quibus tractat Logica scientia sunt ẽtia rationis, ergo ens rationis debet esse obiectum Logicæ scientiæ. 22

Resp. 1. Neg. antecedens, Logica enim agit etiam de entibus realibus, quat. cum omnia entia realia sunt cognoscibilia per causam, considerantur à Logica scientia; sed dato ãtecedẽti, dummodo comprehendat, & entia rationis sine fundamento, & cum fundamento, species .s. genera, & similia intentionaliter existentia in intellectu.

Resp. Secundò. Neg. consequentiam, nam Logica non speculatur entia rationis, vt talia, & reduplicatiuè, vt abstracta, & vt entia rationis sunt, sed pro vt, ex ipsis deduci, & demonstrari possunt conclusiones euidentes. Quare etiam ipsa entia rationis speculatur, vt scibilia, atq. adeò cum prima ratio, sub qua considerantur talia entia à Logica

gica ſcientia, ſit ſcibilitas, ideo ipſa ſcibilitas debet eſſe obiectum formale, ſeu ratio formalis, ſub qua &c. quare &c.

23 Ob. 2. Logica non eſt ſimplicitèr cognitio euidens per cauſam, ſed talis cognitio, ergo debet habere obiectum proprium, à quo ſpecificetur ad eſſe talem cognitionem, conſequentia, patet ens enim, vt ſcibile pertinet ad omnes cognitiones euidentes &c. ſeu ad omnes ſcientias; antecedens prob. logica enim eſt cognitio euidens &c. diſcurſiua, *Λογος* enim grecè, ſermonem, ſeu diſcurſum, latinè importat.

Reſp. Logicam eſſe ſcientiam vniuerſale m, atq. adeo obiectum vniuerſale debere habere, quale eſt ens ſcibile; Quando autem dicitur; logicam non eſſe cognitionem ſimplicitèr per cauſam &c. ex eo quia eſt talis cognitio, .ſ. diſcurſiua.

Reſp. 2. cognition diſcurſiuamē nihil aliud importare, niſi cognitionem per cauſam, ly enim *per cauſam*, ſignificat per demonſtrationem, per diſcurſum &c. quare logica ſcientia, de qua loquimur propriè, & ſimplicitèr eſt cognitio euidens per cauſas, aliæ autem ſcientiæ, ſunt tales cognitiones euidentes per cauſam, atque adeo aliæ ſcientiæ peculiare obiectum, à quo ſpecificentur debent habere; logica verò ſcientia, cùm ſit ſcientia uniuerſaliſsima, obiectum vniuerſaliſſimum, quale eſt ens ſcibile, neceſſario exigit habere; ſed.

Inſt. ſub hac ratione formali ſcibilitatis poteſt conſiderari obiectum ſcientiæ vt ſic, ergo ſcibilitas entis non poteſt eſſe obiectum formale logicæ, conſequentia patet, quia obiectum debet ſolummodo ſpecificare id, cuius eſt obiectum; antecedens probatur ex eo, quia ſcientia vt ſic, eſt cognitio euidens per cauſas, & per conſequens debet eſſe cognitio alicuius ſcibilis, & intelligibilis, alioquin ſi non eſſet ſcibile, & intelligibile, non poſſet cognoſci, ſciri, aut intelligi ergo &c.

Reſp. neg. antecedens exeo, quia non datur hęc ſcientia vt ſic, niſi abſtractiuè, ſi enim eſt ſcientia, ergo alicuius eſt ſcientia, ſi alicuius, ergo alicuius obiecti. ergo ab eo ſpecificatur, & denominatur talis ſcientia; Quandò autem dicitur quòd ſcientia eſt cognitio euidens per cauſas, intelligitur quòd, ea, quæ reuera eſt ſcientia, & habet obiectum, debet eſſe huius modi .ſ. cognitio euidens &c. in hoc enim conſiſtit eius ratio formalis, ſeù conſtitutiua, ſicut quando dicitur quòd homo eſt animal rationale, non intelligitur de homine vt ſic, & abſtractiuè, ſed intelligitur, quòd quilibet homo; qui eſt à parte rei debet habere has rationes formales animalitatis, & rationalitatis.

24 Ob. 3. ſcibilitas poteſt eſſe obiectum formale cuiuſcunq. ſcientiæ realis, ergo non poteſt eſſe logicæ, conſequētia patet. prob. ãtecedēs quælibet enim ſcientia conſiderat ſua obiecta materialia, quæ habent cognoſcibilitatem intelligibilitatem, & ſcibilitatem, alioquin non poſſent ab ipſa conſiderari ergo &c.

Reſp. neg. antecedens, & probationem; .ſ. enim omnes aliæ ſcientiæ conſiderent ſua obiecta, quæ ſunt cognoſcibilia, tamen non conſiderant ſub hac formalitate cognoſcibilitatis, ſeu vt cognoſcibilia, ſed vel ſub formalitate v. g. naturalitatis, vt Phyſica; ſanabilitatis, vt Medicina; quantitatis, vt Mathematica &c. & per hoc .ſ. talia obiecta ſint cognoſcibilia, tamen, quia vt cognoſcibilia non conſiderantur ab alijs ſcientijs, ideo vt talia non ſunt obiecta aliarum ſcientiarum, ſicuti corpus, quod conſiderat Phyſica licet in ſe ſit quantum, tamen, vt quantum non eſt obiectum Phyſicæ, benè quidem, vt naturale, quia ſub formalitate naturalitatis illud conſiderat. At quia logica conſiderat ſuum obiectum materiale .ſ. ens, vt ex ipſo deducat concluſiones euidentes, ſequitur, quòd neceſſariò debeat illud conſiderare, vt ſcibile, vt cognoſcibile, ex eo enim, quòd ſit ſcibile, ſit cognoſcibile, eſt capax demonſtrabilitatis, ſeu quod ex eo deducatur quæcumq. concluſio euidens per cauſas, ſed.

Inſt. omnes ſcientiæ conſiderant ſua obiecta, quatenus ex ipſis deducant cõcluſiones euidẽtes, ergo adhuc ſibilitas obiecti erit obiectum formale aliarum ſcientiarum.

Reſp. diſting. antecedēs, conſiderant ſua obiecta, quatenus ex ipſis deducãt cõcluſiones euidẽtes ſiplicitèr, & nego, quatenus deducãt tales cõcluſiones euidentes, & concedo, nam uerum quidem eſt, quòd quælibet ſcientia conſiderat ſuum obiectum ad deducendas ex ipſo concluſiones euidentes, ſed quia tale obiectum conſideratur ſub alia ratione formali, ſub aliqua formalitate præter ipſam cognoſcibilitatem, v. g. à Phyſica conſideratur corpus ſub formalitate naturalitatis &c. hinc eſt, quòd præcipuum intentum aliarum ſcientiarum uerſatur circa deductionem talis concluſionis, ſpectantis ad formalitatem talis obiecti; quæ deductio cum ſit ſcientifica debet paritèr eſſe euidens per cauſas. At logica, quia conſiderat ſuum obiectum, quatenus ex ipſo poſſunt deduci concluſiones euidentes, quæ fundantur in ſcibilitate obiecti, ſi enim non eſſet ſcibile, & cognoſcibile non poſſet eſſe capax diſcurſus illationis &c. atq. adeo neq. vt ex eo concluſiones euidentes deducerentur; ideo ſuum obiectum, & ens, ſub hac formalitate ſcibilitatis ſimplicitèr conſiderat, cum ab hac formalitate ſimplicitèr ipſa deſumat totum ſuum eſſe, & ſpecificatiuum.

Inſt. 2. hoc pacto omnis ſcientia eſſet logica, cum enim omnis ſcientia ſit cognitio euidens per cauſam entis ſcibilis, & huiuſmodi ſit logica ſciẽtia, ergo omnis ſcientia eſſet logica.

Reſp. concedendo omnẽ ſcientiam eſſe logicã,
ſed nõ ſimplicitèr logicã, ſed talem logicã, ratio- 25
ne cuius taleitatis, ſeu talis materiæ circa quã quælibet ſcientia verſatur, diuerſũ ſortitur eſſe, eſt iquã omnis ſcientia logica quodad eſſe, vt ita dicã, formale, .ſ. quoad eſſe cognitionẽ euidentẽ per cauſã, nõ autẽ quoad eſſe materiale. ſ. quoad eſſe cognitionẽ euidẽtẽ circa talẽ, vel talẽ materiã, & obiectum.

Neq. hoc videatur nouum, ex ipso enim nomine multarum scientiarum hoc euidentèr patet; sic scientia de Deo dicitur Theologia, quasi Logica, sermo, seu discursus de Deo, scientia de natura dicitur Physiologia, quasi Logica, sermo, & discursus de natura &c. ergo quælibet scientia est nō simplicitèr cognitio obiecti, sed talis cognitio; quarè cū quælibet scientia recipiat à Logica sui taleitatem specificam, .s. esse non simplicitèr cognitionem obiecti, sed talem cognitionem obiecti .s. cognitionem per causam, quę cognitio suaptè natura est logica scientia, ideo quælibet scientia secundùm esse formale, est logica .s. posteà ratione materiæ, circa quam uersatur diuersum sortiatur esse materiale.

SECTIO. III.

An, & quinam sit Finis Logicę

26 Commune axioma est, omne Agens agere propter finē, quarè cum Logica sit quædam actio, seu operatio intellectus consequentèr, & propter aliquem finē debet esse; inquirimus ergo in præsenti sectione, an quæcumq. Logica habeat proprium finē, & supposito quòd habeat, qualis sit.

Supp. est autē 1. Finē definitū fuisse ab Aristotele 2. Physicorum tex 29. esse *id cuius gratia aliquid fit*, .s. id. ad quod aliquid ordinatur, sic v. g. si quis sumat medicinam ad acquirendam sanitatem, talis sanitas dicitur finis sumptionis medicinę, ergo sumitur medicina gratia sanitatis, s. ob acquirendam sanitatem. Inter alias autem diuisiones finis, celebris est illa, qua diuiditur finis, in finem operantis, & in finem operis, finis operantis est ille, quem in aliqua operatione intendit operans, vt v. g. dans eleemosynam ob vanam gloriam, vana gloria est finis operantis, qui ad talem finem tale opus dandi eleemosynam, ordinat finis autem operis est ille, ad quem operatio de sua natura ordinatur, sic in exemplo allato, finis operis eleemosynæ largitæ, esset subleuatio pauperum, largitio enim eleemosynæ de sua natura ordinatur ad subleuandos pauperes. Hic ergo solùm inquirimus de fine operis, quærentes ad quem finem ex sua natura ordinetur Logica.

27 Supp. 2. Operationem practicam esse effectum finis scù causæ finalis; cū enim finis causet mouendo Agens ad se consequendum, ideo operatio Agentis ordinata ad finem consequendum est effectus eiusdem met finis, vt pote causata a tali motione. Quarè omnis operatio practica Agentium cognoscitiuorum, etiam ordinabitur ad finem, cum enim omnia Agentia cognoscitiua agant propter finem aliquem, à quo mouentur, ideo quælibet ipsorum operatio tendet ad finem aliquem.

28 Supp. 3. Logicam scientiam propriè non habere finem, deducitur ex Aristotele primo met. cap. 2. vbi sic ait, scientia autē quæcunq. est gratia sui, & non ordinatur ad aliud, atque adeo neq. ad finem; suadet etiam ratio, quia si logica scientia ordinaretur ad finem, ergo esset effectus alicuius finis; sed non potest esse effectus alicuius finis, ergo &c. min. prob. si enim esset effectus alicuius finis esset tendentia in talem finem ad illum consequendum; at Logica scientia, vt potè cognitio euidens per causam entis scibilis, in aliud non tendit, nisi in obiectum, illud cognoscendo, non vero ad illud obtinēdum, qualis est tendentia effectus causæ finalis ad illam acquirendam, ergo Logica scientia propriè, & rigorose loquendo non est effectus alicuius finis, atq. adeo non habet finem Logica scientia. His suppositis inquirendum remanet de Logica Docente, Vtente, pro quo sit.

29 Prima Conclusio tam Logica Docens, quam logica Vtens habent fines sibi proportionatos. Ita communiter.

Prab. omnis operatio facta gratia alterius habet finem, sed tam logica Docens, quam Vtens sunt operationes factæ gratia alterius, ergo habent finem, mai. patet huiusmodi enim operatio est effectus finis min. prob:, tam enim logica Docens, quam Vtens sunt in ordine, vel ad perficiendas operationes intellectus, vel ad illum illustrandum ergo &c.

Prob. 2. Omnia instrumenta habent finem, sed tam logica Docens, quam Vtens sunt instrumenta, ergo habent finem; minor probata est, mai. patet, instrumenta enim sunt proptèr aliud, ergo proptèr finem.

30 Secunda Conclusio. Finis Logicæ Docentis sunt operationes intellectus benè faciendæ, seu rectitudo operationum intellectus. Ita Morandus in Procem. Logicæ quæst. 2. Guarinus eodem loco expe 3. Serbellonus eodem loco quæst. 3. art. 7. & alij multi.

Prob. 1. finis intrinsecus operis, de quo loquimur est, qui primo mouet, & vltimò acquiritur per illam actionem, quæ gratia illius fit; sed huiusmodi sunt operationes intellectus benè faciendæ, seu rectitudo earumdem operationum respectu logicæ Docentis, ergo &c. mai. supponitur, & in secundo Physicorum patebit, min. prob. omnia enim præcepta logicæ Docentis sunt ordinata ad instruendum intellectum in suis operationibus, ergo perfectio, seu rectitudo in talibus operationibus intentionaliter existens in intellectu, est quæ primo mouet intellectum; & quæ vltimò habetur per Logicam Docentem ergo &c.

Prob. 2. ille est finis intrinsecus alicuius operationis ad quem de sua natura talis operatio ordinatur, sed docere ordinatur ad rectitudinem, & perfectionem eius, quod docetur, ergo rectitudo, & perfectio eius, quod docetur erit finis intrinsecus docere, seu operationis docendi, docere Logicæ Docētus ordinatur ad rectitudinē, &

per-

perfectionem operationum intellectus, ergo rectitudo, & perfectio earumdem operationum erit finis intrinsecus Logicæ Docentis.

31 Tertia Conclusio finis Logicæ vtentis est scientia parta in intellectu de aliquo obiecto. Ita multi recentiores cum Patre Guar. loco supracitato; Non intelligimus tamen pro scientia parta in intellectu etiam Demonstrationem, vt ipse videtur intelligere.

Prob. 1. finis intrinsecus alicuius operis est, vt supra diximus, cuiusgratia tale opus exercetur, & qui primo mouet, & vltimò acquiritur, at huiusmodi est scientia parta in intellectu respectu Logicæ vtẽtis, ergo &c. min. prob. in tantũ enim quis vtitur præceptis logicalibus, vt per demonstrationem, quę per ipsa pręcepta logicalia habetur, deueniat in cognitionem euidentem alicuius obiecti; ergo hæc cognitio euidens obiecti; seu scientia obiecti, est ea, quæ primò mouet, cuius gratia est vsus præceptorum logicalium, & quæ vltimo acquiritur post vsum præceptorum, seu post demonstrationem, ergo talis scientia parta in intellectu est finis logicæ vtentis.

Prob. 2. Quòd non sit demonstratio; sed id quòd resultat à demonstratione. Demonstratio formaliter sumpta est actus logicæ vtentis, sed idem met. actus non potest esse finis sui ipsius, ergo neq. demonstratio potest esse finis logicæ vtentis; min. patet, idem enim esset respectu sui, & causa, & effectus, mai. prob. demonstratio enim habetur per syllogismum, qui est actus Logicæ Vtentis. Quarè non demonstratio; sed id quod consequitur demonstrationem .s. scientia parta in intellectu, est finis Logicæ Vtentis.

32 Obiicies cont. primam Conclusionem rectitudo operationum intellectus potest esse finis etiam aliarum scientiarũ, ergo nõ solius logicę docentis; antecedens prob. omnes enim scientiæ exigunt rectitudinem operationum intellectus in faciendis definitionibus, diuisionibus, argumentationibus circa proprium obiectum ergo, &c.

Resp. duo considerari posse in diuisione, definitione, argumentatione &c. cuiuscumq. scientiæ; & esse materiale, & esse formale, esse materiale, est illud esse, ex quo est talis diuisio, definitio &c. esse verò formale est esse formaliter diuisionem, argumentationem .s. esse talem, vel talem orationem, vel explicantem essentiam rei, vel diuidentem totum in partes, exempli gatia in hac definitione *forma est qua dat esse rei*, si sumatur hęc definitio, prout est quædam oratio explicans essentiam rei definitæ, intelligitur illius esse formale, si verò sumatur, vt est definitio talis rei, intelligitur illius esse materiale. Hoc supposito.

Resp. esse formale definitionis, diuisionis, argumentationis haberi à Logica, esse verò materiale à cæteris scientijs, sic in definitione allata, talis definitio reduplicatiuè, vt definitio, habetur à logica, seu logica illi tribuit esse formale, esse verò materiale recipit à physica, cuius est definitio, quarè formaliter, & propriè sola logica docens instruens intellectum per sua præcepta ad bene definiendum, diuidendum, habet pro fine rectitudinem operationum intellectus, cum ab ipsa habeatur esse formale diuisionis, definitionis, argumẽtationis &c. cæteræ verò scientiæ solùm subministrant materiam diuisibilem; definibilem &c.

Obiicies cõ 2. Conclusionem; Actus Logicæ vtẽtis tẽdũt ad rectitudinẽ operationũ intellect', ergo etiã ipsa habet pro fine rectitudinẽ operationũ intellectus, non vero demonstrationem; antecedens prob. talis enim rectitudo, ne dum resultat ex cognitione præceptorum, sed etiam ex vsu, ergo &c. 33

Resp. neg. antecedẽs, ad cuius probationem dico, quòd aliud est dicere, rectitudinem operationũ intellectus resultare ab vsu præceptorum, aliud est dicere talem rectitudinem esse finem eiusdem met. logicæ vtentis, non enim omnia, quæ resultant ex alio dicuntur illius finis, sic effectus causæ efficientis, resultat, seu habetur à causa efficiente, & tamen non dicitur illius finis, habitus resultat ab actibus, & tamen actus ex suo intrinseco non habent pro fine habitum &c. finis ergo est ille, qui intenditur, seu cuius gratia fit aliquid, at vsus præceptorum logicalium est semper ad acquirendam euidentiam de aliquo obiecto per demonstrationem, ergo talis euidentia per demonstrationem, seu scientia de illo obiecto est finis intrinsecus, & primarius talis actionis, licet postea ex tali vsu alia consequantur.

Inst. etiam Logica docens ad hoc edocet intellectum; vt faciliter, & perfectè deducat conclusiones euidentes de aliquo obiecto; ergo etiam respectu ipsius cognitio eiusdem obiecti, seu scientia parta in intellectu de aliquo obiecto erit finis.

Resp. neg. consequentiã, nam Logicà Docens licet edoceat intellectum, vt faciliter, & perfectè deducat conclusiones euidentes de aliquo obiecto, attamen ipsa formaliter, vt talis, sistit solummodo in edoctione, & directione intellectus, quoad illius operationes, intellectum scilicet instruendo quomodo efformanda sit diuisio, definitio, argumentatio &c. quòd postea ex tali edoctione, intellectus efformet hanc, uel illam diuisionem definitionem &c. ratione cuius deueniat in euidentem cognitionem alicuius obiecti, hoc per accidens se habet respectu talis logicæ Docentis, nec hoc ab ipsa intenditur; sicuti si quis v. g. assiduè scriberet, vt deueniret perfectus scriptor, seu vt acquireret perfectum habitum scribendi, finis talis assiduę scriptionis esset perfectio in scribendo, quando postea hoc, vel illud scriberet per accidens se haberet; sic est in casu nostro; quòd ab intellectu edocto per logicam Docentem, cognoscatur tale uel tale obiectum; per accidens se habet respectu Logicæ illum docentis. Quod sic non euenit respectu Logicæ Vtentis: finis enim primarius, & qui primo mouet intellectum ad exercendum vsum præceptorũ logicalium, est euidens cognitio alicuius obiecti, cum enim talis

præceptis logicalibus perfecta cognitio, seu scientia talis obiecti possit gigni in intellectu, ideò illis vtitur intellectus, atq; adeo talis vsus nullum alium habet finem, nisi scientiam partam in intellectu talis obiecti; ex quo tamen.

34 Collig. Tàm Logicam Docentem, quàm Vtentem habere pro fine secundario, & extrinseco, seu pro fine operantis omnes alias scientias. In hanc sententiam conueniunt multi, præcipuè Morandus, & Serb. locis supracit. Hurtadus, & Alij.

Ratio Autem est, quia ille est finis extrinsecus; ad quem aliquod opus ordinatur ab exercente tale opus, quarè dicitur etiam finis operantis, sed tàm Logica Docens, quàm Vtens, ex intentione addiscentis tales Logicas ordinātur ad acquisitionem aliarum scientiarum, ergo acquisitio aliarum scientiarū, seu aliæ scientiæ acquisibiles sūt finis extrinsecus, tàm Logicæ Docentis, quàm Vtentis, ita tamen, vt respectu Vtentis, ne dum sit finis extrinsecus, sed etiam intrinsecus, respectu verò Docentis solùm extrinsecus.

Collig. pro solutione illius celebris quæstionis, an Logica sit simul speculatiua, & practica; Logicam purè scientiam esse solummodo speculatiuā, cum in sola euidentia seu speculatione, sui obiecti sistat, & ad praxim seu operationē nullo pacto ordinetur. Logicam verò Docentem, & Vtentem esse Logicas practicas, cum enim prima consistat in directione operationum intellectus, & secunda in vsu præceptorum Logicæ Docentis, & tàm directio, quam vsus sit quoddam practicum, ideò tā Logica Docens, quàm Vtens erunt Logicæ practicæ, & nullo pacto vt tales speculatiuæ.

SECTIO IV.

An, & quomodo Logica ad alias scientias concurrat suq. necessaria.

35 Supp. est primò: Hic nos non loqui de logica purè scientia, cum enim ex suppadictis sit cognitio euidens obiecti scibilis habita per causam, seu per demonstrationem, & discursum, ideò nulla scientia potest haberi, quæ implicitè non inuoluat esse Logicæ scientiæ, atq. adeò, quæcunque Conclusio de quocunq. obiecto, pro vt est cōclusio reduplicatiuè, & formaliter, seu pro vt est cognitio euidens, debet dici conclusio logica, pro vt verò talis conclusio est, de tali materia, seu de tali obiecto Physico v.g. vel Mathematico, dicitur cōclusio Physica, vel Mathematica, vno verbo, secundùm illius esse formale erit conclusio logica, secundùm esse materiale conclusio Physica, Mathematica, &c. Ex hoc tamen non sequitur logicā scientiam respicere alias scientias tamquam sui finē, ad quem, &c. nam ipsa non ordinatur ad scientias, sed necessario inuoluitur in conceptu cuiuscunque scientiæ, vtpotè quia quæcunq. scientia est cognitio euidens per demonstrationem, talis autem est logica purè scientia.

Supp. 2. Inquirere, quomodo logica concurrat ad alias sciētias, idem esse, ac quærere, an actus, seu habitus aliarum scientiarum sit habitus logicus, an verò sit solummodo ad exemplar actus, vel habitus logici; si enim primò modo res se haberet, logica concurreret effectiuè ad alias scientias, quatenus s. per actus logicos haberentur formaliter tales scientiæ, si verò secundo modo, solum ideāliter concurreret, se s. præbendo, vt ideam, cuius exemplo alii scientifici circa propria obiecta conclusiones euidentes deducerent. Supp. ergo quòd concurrat, quonam ex his modis concurrat videndum est.

Supp. 3. Ferè extra controuersiam esse, Logicam Docentem concurrere idealiter ad alias scientias, omnes enim scientiæ ad deducendas suas conclusiones euidentes desumunt regulas traditas à Logica Docente, cum enim deducant suas conclusiones per causas, & per demonstrationem, & deductio conclusionum hoc pacto, habeatur à Logica Docente, & tradente modum deducendi conclusiones per demonstrationem, ideò ab ipsa concurrente, vt Idea, desumunt exemplar tales conclusiones deducendi. Quare de sola Logica Vtente remanet inuestigandum.

Supp. 4. Logicam Vtentem posse esse, & naturalem, & artificialem; artificialis est, quæ artificio, & studio acquiritur, qualis est, qua, quis per regulas efformat aliquem syllogismum; naturalis verò consistit in vsu præceptorū logicalium, quibus quis solo lumine naturæ, non aliquo artificio, vtitur, vt faciunt Rustici, qui licet numquam logicam didicerint, attamē argumēta euidētissima fundata in præceptis Logicalibus efformant de vtraq. ergo procedit quæstio.

Supp. 5. Quòd quilibet actus, & habitus secundùm nostrā in sētentiam, quam probabimus in Physica, non ab obiecto ad quòd est, sed à modo tendendi in obiectum specificatur.

Ratio autem pro nunc sit, quia ratio specificans debet esse intrinseca rei specificatæ, at non obiectum, sed modus tendendi in obiectum est intrinsecus, & actui, & habitui, ergo modus tendendi, non obiectum, est ratio specificans actus, & habitus, & sic quandò erit diuersus modus operandi, diuersus erit actus, & habitus, idem verò, quando idem erit modus operandi, quamuis obiectum esset diuersum. His ergo supp. sit.

Prima Conclusio. Logica vtens, aut naturalis, aut artificialis cōcurrit effectiuè ad alias scientias, ita vt habitus, seu actus aliarum scientiarum sit actus, seu habitus ipsius logicæ vtentis. Ita Aliqui recentiores præcipuè Guarnus in Procem. exp. 5. contrà tamen multos præcipuè Arriagā disp. 3. de logica sect. 5. 36

Prob. 1. Nulla conclusio scientifica potest deduci nisi per actualem demonstrationem, sed actualis demonstratio est actus logicæ Vtentis, ergo nulla conclusio scientifica potest haberi nisi per actum logicæ Vtentis, ergo logica vtens effectiuè concurrit ad alias scientias: mai. & min. sunt euidentissimæ, ergo & Consequentia.

Prob. 2. quotiescunq. est idem modus operandi est

est, & idem habitus, & actus, sed in quacunque scientia, est idem modus definiendi, diuidendi &c. ergo, & idem habitus, & actus. sed huiusmodi actus definiendi, diuidendi, &c. sunt actus Logicæ Vtentis. ergo quilibet actus cuiuscunq. scientiæ est actus Logicæ Vtentis. ergo talis Logica effectiuè concurrit ad omnes scientias.

Ob. ex Arriaga, habitus potest solummodo concurrere effectiuè ad producendos actus similes illis, à quibus ipse productus est, sed habitus logicæ vtentis non est productus ab actibus aliarum scientiarum, ergo neque potest ad illos actus concurrere effectiuè.

Resp. Quòd licet ab actibus aliarum scientiarum non sit efformatus habitus logicus, attamen ad illos potest concurrere effectiuè, quia sunt similes quoad rationem formalem actibus, à quibus productus est, cum enim actus, quibus quęcunq. scientiæ demonstrant suas conclusiones importantes demóstrationē sint similes actib⁹, à quibus efformatus est habitus logicus, ideò effectiuè ad illos potest concurrere; atq. adeo ex maiori ab ipso educta, in meliori forma sic efformo argumētum, contraq. ipsum Arriagam retorqueo habitus potest solummodo concurrere effectiuè ad actus similes illis, à quibus est productus, sed actus cuiuscunq. scientiæ sunt similes actibus, à quibus est productus habitus logicus, ergo ad illos potest effectiuè concurrere, mai. ex ipso supponitur, min. prob. in quacunq. enim scientia eodem modo definitur, diuiditur, argumentatur, &c. ergo &c.

Inst. sequeretur ex hoc; quòd omnis actus aliarum scientiarum esset logicus, & non illius alterius scientiæ.

Resp. Distinguendo sequelam: esset actus logicus quoad materiam actus nego, quoad dispositionem illius actus in forma syllogismi, definitionis, &c. concedo, neque ex hoc sequitur implicantia, cum etiam in moralibus possit actus esse vnius virtutis quoad materiam, & alterius quoad efficientiã, v.g. lauare pedes pauperib⁹ est actus quoad materiã humilitatis, at quia fit propter amorem Dei elicitiuè, & efficienter talis actus est à charitate, neq. tamen per hoc talis actus dicitur charitatis, sed humilitatis: ita à pari, licet actus scientifici aliarum scientiarum sint elicitiuè, & effectiuè quoad dispositionem à logica, cum tamen sint in materia propria talis scientiæ, dicentur etiam simpliciter actus illius, propter materiam circa quam versantur.

37 Pro. 3. Conclusione supponendũ est, aliam esse necessitatem simpliciter, aliam secũdum quid, seu aliud necessariùm simpliciter, aliud secundùm quid; necessarium simpliciter ad aliquam rem est illud, sine quo talis res absolutè esse non potest, vt color v.g. necessarius est simpliciter ad visionē, quia sine colore non potest stare visio; necessariũ verò secundùm quid ad aliquam rem, est quando talis res sine illo potest stare, sed non tam perfectè, vt v.g. temperies aeris dicitur necessaria secundùm quid ad viuendum, quia licet possit stare vita cum solo aere etiã intemperato, tamen talis temperies est necessaria secundũ quid ad conseruandam vitam.

Supp. 2. Logicam Vtentem naturalem, non esse facultatem ipsam intellectiuam, qua naturaliter potest quis discurrere, & ex aliquo noto, venire in cognitionem alicuius ignoti, vt volunt Guarinus, & Morandus; nam hæc potius est fundamentum, seu potentia, à qua potest haberi logica vtens, cum enim logica vtens importet vsum necessarium ad cognoscendum euidenter ex aliquo noto, aliquid ignotum, ideò consistit in actu exercito, quo quis solo lumine naturali deducit conclusionem euidētem, quæ deductio nullo pacto est facultas ipsa intellectiua, sed actus talis facultatis, neq. tamen est actus artificialis, seu logica vtens artificialis cum non acquiratur artificio.

Neq. valet. Tale artificium acquisitum esse, atq. adeo importare logicam artificialem; Nam Rustici v. g. deducentes conclusiones euidentes per argumentationem, seu vsum logicę vtentis nullo pacto didicerunt, neq. à se ipsis, modum argumētandi, quo tamen actualiter vtuntur.

Neq. valet Resp. in Rusticis non esse scientiã seu conclusiones scientificas, benè verò solùm, aut opinionem, aut fidem. Cum enim, vt Aliquis possit dici sciens, debeat scire, se non errare in aliqua cognitione, alioquin aut esse solũ opinans, aut solũ, credens, ideo si Rustici neq. ex se ipsis acquisiuerũt logicam artificialem, quæ demonstrat bonam fuisse illationem ab ipsis factam, & necessariam consequentiam, cum non possint scire se non errãre neq. scientiã, aut cognitionē euidentē possunt habere.

Resp. enim ex Aristotele, & communi, scientiam consistere in cognitione euidenti per demonstrationem, non verò vlterius importare reflexionem, quòd talis cognitio sit euidenter deducta, statim enim ac intellectus, videndo necessariam connexionem duorum extremorum cum vno tertio in præmissis, deducit necessariam connexionem eorumdem inter se, habetur cognitio scientifica absq. alio actu reflexo, quo cognoscat se non errare. Quod patet, ex eo quia vel postquã est facta illatio euidens de aliquo obiecto; antequam intellectus reflectat ad bonitatem illationis, seu se non errare, talis cognitio est scientia, vel non; si primũ ergo non est necessaria reflexio, si secundùm, ergo potest stare in intellectu cognitio euidētèr deducta, quæ non sit scientia, ex eo quia non sit aduertentia, benè fuisse deductam, ergo quia tia non in tali cognitione consisteret, sed in cognitione reflexa, talem primam cognitionem fuisse benè deductam, quòd nemo dicet. Quare cum Rustici possint deducere aliquam conclusionem euidentem, licet non aduertant ad bonitatem illationis, seu ad modum, quo processerant in deductione talis conclusionis euidentis, ideo talis deductio debet dici actus solius Logicæ naturalis, non artificalis.

Tertia conclusio Logica vtens, aut naturalis, aut artificialis est necessaria simpliciter, & necessitate absoluta ad alias sciẽtia acquirendas videtur Conclusio P. Morandi semper subtilissimè speculantis, quæst. vltima de prooem. qui etiam citat Vallium, & Peripateticos omnes, est etiam Guarini in Prooemia exp. 5. 38

Prob.

Prob. primò. Logica vtens concurrit effectiuè ad actus aliarum scientiarum, ergo ad ipsos est necessaria simpliciter, prob. consequentia, si enim effectiuè actus aliarum scientiarum emanant à Logica Vtente, nec nisi ab ipsa possint effici, ergo ad illos erit necessaria simpliciter, & necessitate absoluta; illud enim est necessarium simpliciter, & necessitate absoluta ad aliud, quando hoc aliud absolutè sine illo haberi nequit.

Prob. 2. Necesse est, vt omnis scientia demõstret suum obiectum per illationem euidentem, sed demõstratio per illationẽ euidentem habetur à Logica Vtente, ergo Logica Vtens, vt talis, erit necessaria simpliciter ad alias scientias.

39 Quarta Conclusio. Logica Docens artificialis non est necessaria simpliciter, sed tantùm secundùm quid; seu est solummodo vtilis ad alias scientias acquirendas. Hæc conclusio est illorum, qui solùm logicam secundùm quid, esse necessariam ad alias scientias sustinent.

Prob. Prima pars. Sola Logica Vtente naturali possunt deduci conclusiones euidentes per demõstrationem, ergo Logica docens artificialis non est necessaria simpliciter, & necessitate absoluta ad alias scientias, antecedens iam probatum est, consequentia patet.

Prob 2. pars. Impossibile est moraliter, intellectum solo lumine naturali tendere posse in cognitionem omnium obiectorum sine errore, ergo ad cognitionem omnium obiectorum indiget aliquo directiuo; sed hoc est Logica Docens, ergo secundùm quid est necessaria ad hoc, vt intellectus omnes scientias attingat, mai. & min. per se sunt notæ, ergo & consequentia.

Ob. contra 3. Conclusionem. Potest quis solo lumine naturali deducere aliquam conclusionem euidentem in aliqua scientia sine Logica Vtẽte, ergo non est necessaria simpliciter ad omnes scientias, antecedens patet, ex eo quia Ægyptij, & Caldei, antequam inuenta esset Logica, didicerunt scientias Mathematicas, & mediceas, consequentia prob. ex eo quia illud non est ad aliquã rem necessarium simpliciter, quando sine illo talis res potest attingi, ergo, &c.

Resp. Distinguendo anteced. potest quis, &c. sine Logica Vtente artificiali, & conc. anteced. sine naturali, & nego anteced. i. enim quis edoctus non sit per logicam docentem, quomodo efformandus sit syllogismus ad perfectam demonstrationem educendam, potest tamen solo lumine naturali talem demonstrationem educere per illationem; quæ quidem eductio per illationem est vtique logica vtens, quatenus fundatur in præceptis logicis, non quidem traditis à logica docente, sed ab intellectu per solum lumen naturæ adhibitis; cum ergo hæc deductio per illationem sit simpliciter necessaria ad quamlibet conclusionem educendã, ideo talem logicã vtentẽ esse simpliciter necessariã ad alias scientias affirmamus.

Inst. ergo ex hoc sequeretur posse dari logicam vtentem purè naturalem, & per consequens ad nihil deseruire artificialem.

Resp. Vtique concedendo posse dari Logicam Vtentem purè naturalem, cum intellectus solo lumine naturali possit vti præceptis logicis, vt patet de Ægyptiis, & Caldeis, qui alias scientias vtiq. apprehenderunt vtendo præceptis logicis, .s. argumentatione, definitione, &c. & tamen nõdum erat inuenta hæc logica artificialis; at per hoc non est dicendum esse frustatoriam logicam vtẽtẽ artificialẽ, quia, per eam acquiritur maior, & perfectior facilitas in intellectu adoperandum.

Obiic. 2. Si Logica vtens esset simpliciter necessaria ad alias scientias, etiam esset logica docens, sed per vos non est simpliciter necessaria docens, ergo vel neq. vtens est simpliciter necessaria, uel etiam docens est simpliciter necessaria, quòd est contra quartam conclusionem, prob. sequela, intellectus enim non potest vti lumine naturali præceptis logicis, nisi etiam à tali lumine naturali, per præcepta logica edoceatur quomodo vti debeat talibus præceptis.

Resp. Neg sequelam, & probationem, ex eo quia potest intellectus sine præuia edoctione inferre aliquam euidentem conclusionem per illationem; absq. enim quòd intellectus edoceatur à lumine naturali, v. g. propter connexionem duorum cum vno tertio arguendam esse identitatem illorum duorum inter se per aliquam illationem in hoc fundatam lumine naturali deducere, vt clare patet in Rusticis, qui ex ariditate vel humiditate aeris tempore verno deducunt, & inferunt abundantiam, vel defectum messium in æstate, quæ quidem illatio est logica vtens naturalis, non tamen à Logica Docente in intellectu Rustici causata, cum talis intellectus nullo pacto sit edoctus, neq. à lumine naturali, ex talibus præmissis connexis tali pacto deducendam esse talem conclusionem propter illud principium, quæ sunt eadẽ vni tertio, ergo, &c. sed.

Instabis nullo pacto intellectus Rustici deduceret abundantiam messis ex pluuia verna, nisi cognosceret, abundantiam, & messem esse idem, in dependentia, seu in causa cum pluuia, ergo semper priusquam deducat hanc conclusionem, abundantiæ messis, ratione pluuiæ vernæ, requiritur quòd edoceatur de illa connexione, ergo semper requiritur Logica Docẽs, saltẽ naturalis. 40

Resp. Concesso ãtecedenti, & prima consequentia negando subsumptam consequentiam, ex eo quia edoctio talis cõnexionis nõ est formaliter Logica Docens, Logica enim Docens instruit intellectum, quo pacto debeat deducere conclusionem syllogisticam ratione illius principij, quæ sunt eadem, &c. At quando Rusticus illam conclusionem de abundantia messis ex pluuia deducit, non considerat rationem, quarè hoc pacto talem conclusionem deducat, sed quia lumine naturali videt, connexionem abundantiæ, & messis cum pluuia, importare connexionem inter se abundantiæ, & messis, ideo efformat conclusionem, quæ efformatio conclusionis nihil aliud est, quàm Logica Vtens fundata quidem in illo principio, quæ sunt eadem, &c. sed non Rustico cognito, neq. propter illud sic operanti. vnde sequitur Logicam Vtentem esse necessariã simpliciter, Docentem verò secundùm quid. Et hæc dicta sint de Procemialibus. DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA
De
ENTE RATIONIS
Et
DE SECVNDIS INTENTIONIBVS.

LIcèt potiùs ad Methaphysicos ſpectet tractare de Ente rationis, vtpotè quia reducitur ad ens vt ſic, quòd eſt obiectum metaphyſicæ; tamen quia ad concluſiones logicas deducendas, multum deſeruire illius cognitionem agnouerunt Logici, ideo hic poſt proœmiales, illius tractationem ferè communiter inſtituunt, quos, & nos ſequentes idem facimus, Quare ſit.

SECTIO I.

Quid ſit, & an detur ens rationis.

1 CVIuſcunq. rei prius inquiritur an ſit, poſtea, quid ſit, è contra de ente rationis faciendum eſt, cum enim illius exiſtentiæ determinatio dependeat à conſtitutione illius eſſentiæ, ideo prius inquirendum eſt, quid ſit.

Supponimus primò. Ens rationis ita dici, quia eſt ens precipuè factum ab intellectu, intellectus enim ratio dicitur. tripliciter autem poteſt eſſe aliquod ens rationis, vel ſubiectiuè, vel effectiuè, vel obiectiuè: ens rationis ſubiectiuè eſt, quòd ſolummodo in intellectu reperitur, in illoq. ſubiectatur, & huiuſmodi ſunt ipſa cognitio, habitus intellectuales, ſpecies intelligibiles; ens rationis effectiuè, eſt quod efficitur per realem influſſum ab eodem intellectu, vt pariter sũt omnes actus ab ipſo eliciti, & omnia opera artificioſa exteriora effecta per directionem intellectus, hæc autẽ entia rationis aliqua dicuntur etiam ſubiectiuè, quæ .ſ. in ſolo intellectu recipiuntur, vt actus eliciti interni, aliqua verò nõ, vt opera artificioſa, externa; ſicuti etiam entia rationis ſubiectiuè, alia ſunt etiam effectiuè, vt cognitio, actus intellectuales, &c. quia ne dum recipiuntur, ſed etiam efficiuntur ab ipſo intellectu; aliqua verò ſolùm ſubiectiuè, quia non efficiuntur, vt ſunt ſpecies, & habitus infuſi; ens deniq. rationis obiectiuè eſt, quod obijcitur ipſi intellectui, & hoc eſt in duplici differentia, primum eſt quod obijcitur intellectui, & habet ſuum eſſe reale à parte rei, ſecundum quod totum ſuum eſſe habet in eo, quòd obijciatur intellectui, ita vt præter eſſe obiectum intellectus, nullum aliud habeat eſſe à parte rei, vt v.g. Chimera, quæ ſolum in intellectu obiectiuè exiſtit, & de hoc ſolùm in præſenti loquimur, cum cætera alia entia rationis, ſint entia realia, hoc ſolùm ſit ens rationis, quòd contradiſtinguitur ab ente reali.

Concluſio 1. Ens rationis eſt id, quod habet ſolùm eſſe obiectiuè in intellectu, & ita impoſſibile cognitum vt poſſibile, & poſſibile cognitum, vt exiſtens, ſunt entia rationis, eſt ferè communis concluſio, tàm Thomiſtarum, quàm Scotiſtarum, vt notat. Faber. 4. Methaphyſicorum diſput. 4. ab hac tamẽ diſcrepat quoad tertiam partem, Auerſa in Logica quæſt. 5. de ente rationis ſect. 2. Explicatur Concluſio. Cum intellectus intelligat obiecta, per ſpecies, quæ ſunt veluti imagines obiectorum vt in lib. de Ani. videbitur, hinc eſt, quòd aliquando poteſt vnire ſpecies vnius obiecti cum ſpeciebus alterius obiecti à parte rei impoſſibiliter vnibilib⁹ cum primis, vt v.g. quando vnit ſpeciem Hirci, cum ſpecie Cerui, efformatq. Hircocernum, uel poteſt ponere unam ſpeciem loco alterius, ut quando cogitans Deum corporeum, ponit ſpeciem corporeitatis in Deo; his ergo ſtantibus, cum unaquæq. ſpecies repreſentet obiectum, cuius eſt Vicaria, & per opus intellectus poſſint uniri illæ ſpecies, uel applicari obiecto, cui ſunt incompoſſibiles, inde euenit, ut repreſentetur obiectum, uel per ſpeciem illi, à parte rei impoſſibilem: uel unitum cum aliqua re, cuius tamen unio à parte rei ſit impoſſibilis, hoc ergo obiectum importans impoſſibiliter unibilia à parte rei, cognitum ab intellectu, ut repræſentans, & ut quid poſſibile eſt ens rationis, ut obiectiuè ſolùm exiſtens, in intellectu, quòd ſic. 2

Prob. Quoad primam partem, ens rationis debet diſtingui ab ente reali, & à nihilo, ſed tantummodo id, quod habet ſolùm eſſe obiectiũ in intellectu diſtinguitur ab ente reali, & a nihilo, ergo, &c maior eſt certa, minor prob. ens enim reale, habet ſuum eſſe præter obijci intellectui, nihil verò formaliter, ut nihil, non eſt obiectiuum, ergo ab utroq. diſtinguitur.

Prob. 2. pars. Ens rationis eſt, quod habet ſolum 3

eſſe

esse obiectiuum in intellectu, sed impossibile cognitum vt possibile, solùm habet esse obiectiuum in intellectu, ergo est ens rationis.

Prob. 3. pars contra Auersam. Possibile pro vt est possibile reduplicatiuè, impossibile est esse existens, ergo si concipitur ab intellectu, vt existens, ratione illius existentiæ cognitæ, illud habet solum esse obiectiuum in intellectu, ergo est ens rationis.

Confirmatur. hæc tertia pars. Rosā in hyeme possibilem, remanēdo in possibilitate, impossibile est esse existentem, ergo intellectus concipiens rosam in hyeme, concipit impossibile ad modum possibilis, sed per ipsum Auersam concipere impossibile ad modum possibilis est facere ens rationis, ergo & concipere possibile, vt existens, cum talis conceptus implicitè sit rei impossibilis, vt possibilis.

Neq; dicas. Possibile habere esse independentèr ab intellectu atq; adeo non posse esse ens rationis, quod non habet esse nisi dependenter ab intellectu.

Resp. Possibile, vt possibile habere esse independenter ab intellectu, non vero cognitum vt existens, quando de facto non est existens, nam in tali casu illa existentia cognita de illo possibili est solùm obiectiuè in intellectu, atq; adeo ens rationis.

4 Ob. Impossibile cognitum, vt impossibile, seu nihil cognitum vt nihil, habent solùm esse obiectiuum in intellectu, ergo erunt entia rationis; ergo præter assignata hæc sunt admittenda.

Resp. Impossibile, & nihil, cognitum vt impossibile, & nihil, aliud non habere esse in intellectu, nisi quod habent à parte rei, atq; adeo non esse entia rationis, de quibus loquimur: nam quando intellectus cognoscit nihil, aut impossibile vt talia sunt, cognoscit illas negationes, quæ suo modo abusiuè sunt à parte rei. Quare cum illis nullum aliud esse tribuat, ideo illas relinquit vt sunt, atq; adeo non facit ens rationis, quod fit, Quando loco nihili, & impossibilis à parte rei, ponitur ab intellectu aliqua forma, vel aliquod ens, quod à parte rei non est, cum enim obiectum intellectus sit ens in sua vniuersalitate, ideo quando aliquid cognoscit debet hoc facere, vel secundùm ens quod in se habet, vel quod ab intellectu illi tribuitur.

5 Secunda Conclusio. Datur ens rationis solùm obiectiuum in intellectu. Hæc Conclusio fuit omnium antiquorum Græcorum, Arabum, Latinorum, & omnium ferè etiam recentiorum, contrà tamen Vallium contr. 10. Physicæ, Bernardum Mirandulanum in expositione prædicamētorum, & nouissimè contra Spinulam disp. 4. de ente rationis sect. 2. art. 3.

Prob. 1. Intellectus aliquando concipit ea, quæ non sunt, nec esse possunt, ac si essent, sed hæc ita concepta sunt entia rationis, ergo datur ens rationis, mai. patet, quando enim concipit Hircocerum, Chimeram, &c. concipit plures naturas vnitas, quæ à parte rei impossibiliter sunt vnibiles, min. prob. quia ex supradictis impossibile cognitum vt possibile est ens rationis.

Prob. 2. Intellectus aliquandò concipit priuationes, & negationes admodum entis, tenebras v. g. admodum formæ nigræ inhærentis in aere; cecitatem admodum formæ positiuæ in oculo, sed hæ nec sunt, nec esse possunt formæ reales, ergo, vt taliter conceptæ ab intellectu sunt entia rationis.

Prob. 3. Dantur aliqui actus intellectus, quorum obiecta non sunt, nec esse possunt à parte rei, ergo illorum obiecta erunt solùm in intellectu, sed huiusmodi entia obiectiua sunt entia rationis, ergo datur ens rationis: antecedens prob. quando hæreticus v. g. concipit Deum corporeum, filium diuersum à patre, vel quando quilibet intellectus cōcipit animal genus distinctum a speciebus, tunc concipit aliquid, quod nullo pacto esse potest à parte rei, ergo hoc tale sic conceptum habens solùm esse quatenus cognoscitur, seu solùm esse obiectiuum est ens rationis.

Ob. primò. Contra secundam Conclusionem. 6

Id cuius nō est assignabilis causa non datur in rerum natura, sed entis rationis nulla assignabilis est causa, ergo non datur in rerum natura, maior patet, minor probatur, si enim illius esset assignabilis causa esset intellectus, sed intellectus non potest esse, siquidem vt causa realis causat efficientia reali, quæ necessariò terminat ad effectum realem.

Resp. dist. mai. Id cuius non est assignabilis causa realis non datur in rerum natura realiter, concedo, id cuius non est assignabilis causa impropriè, non datur in rerū natura obiectiuè, & nego: Quare distinguo etiam minorem, entis rationis non est assignabilis causa realis, & concedo, impropria, & nego, nam sicuti ens rationis est solummodo obiectiuè, & veluti umbra, & similitudo entis realis, cum eoq. nullam aliam habeat conuenientiam, nisi in nomine; ita solummodo impropriè, & largo modo dicitur effici, & produci ab intellectu, cum potius sit in rerum natura, per resultantiam, & propriè non sit effectus, sed obiectum intellectus, ex eo enim, quod intellectus realiter vnit species obiectorū impossibilitèr vnibiliū à parte rei, ex tali vnione, quæ quidem est realis, resultat illud compositum obiectiuum, repræsentatum per illas species, quod est ens rationis resultatum, non propriè effectum ab operatione intellectus, sicuti ex eo, quia recedit sol, sunt tenebræ per resultantiam, nullam enim habent causam realem, cum sint priuationes; absentia siquidem solis potest dici solùm impropriè causa illarum, hocq. est proprium similium entium abusiuorum, quę solummodo sunt in rerum natura, per resultantiam non per causam realem.

Ob. 2. Quòd non est intelligibile ante intellectionem non potest esse intellectum, sed ens rationis non est intelligibile ante intellectionem, ergo neque potest esse intellectum, ergo cum per vos totum illius esse consistat in esse obiectiuo, seu in cognosci, aut intelligi, nullo pacto datur ens rationis, mai. prob. actus enim secundus supponit primum, ergo intellectio, quæ est actus secundus supponit intelligibilitatem, quæ est actus primus. 7

Resp.

Resp. primò dist. min. Nō est intelligibile formalitèr transeat, fundamentalitèr, & nego .s. sunt intelligibilia illa obiecta, quorum species vniendo intellectus, facit vt resultet ens rationis, quod sufficit.

Resp. 2. distinguendo min. Non est intelligibile ante intellectionem, ita vt habeat præter intelligi antecedentia prædicata, quæ sint intelligibilia, & concedo, non est intelligibile, ita vt nullo pacto possit attingi ab intellectu, & nego, cum enim ēs rationis consistat in eò, quòd sit cognitum, seu obiectiuum intellectui ideo sufficit, quòd secundū hoc habeat suam intelligibilitatem, quæ veiq. illi negari non potest; vt illius passio, non tamen realis, sed eiusdem ordinis, ac est id cuius est passio vel deniq.

Resp. 3. dist. minorem. Ens rationis non est intelligibile &c. quoad esse possibile, seù quoad illius essentiam, & nego minor. quoad illius existentiā & concedo, sufficit autem, vt aliquid possit esse intellectum, quòd prius sit intelligibile, quoad illius essentiam.

8 Ob. 3. Ens reale, & nihil contradictoriè opponuntur, ergo inter ipsa non potest dari medium, sed daretur, si daretur ens rationis, neq. enim esset ens reale, neq. nihil, ergo non datur ens rationis.

Resp. ens posse sumi, & in rigore pro eo solùm quòd realitèr, vel est, vel existere potest, & nihil pro vt tali enti opponitur, & hoc pacto ens rationis est nihil, & contradictoriè opponitur enti reali, vel potest sumi ens magis amplè pro eo, quòd potest existere, vel realitèr, vel obiectiuè; nihil verò pro vt opponitur tali enti amplè sumpto, & hoc pacto ens rationis non esse purum nihil, sed aliquo pacto ens; quare si propriè, & rigorose sumantur ens, & nihil, ens rationis est purum nihil, si verò impropriè, & latè, ens rationis contra distinguitur à nihilo, quia habet esse obiectiuum, quod non habet nihil, contradictio autem est inter ens, & nihil strictè sumpta.

9 Ob. 4. ex Spinula in intellectu cognoscente Chimæram & est actio cognoscitiua, & terminus talis actionis, qui verbum mentis, seu imago obiecti vocatur ipsa s. Chimera cognita, sed hoc totum est ens realissimum, ergo non datur ens rationis in cognitione Chimeræ; maior in omnium sententia est certa, min. quoad actionem cognoscitiuam est etiam euidens, actio enim est realis, prob. quoad verbum, seu terminum cognitionis, vel iste identificatur, vt volunt aliqui cum actione, & sic erit realis, neq. enim nihil cum ente reali identificatur, vel est qualitas secundùm alios distincta, & itidem erit realis, cum enim sit terminus actionis realis, debet etiam esse realis, influxus enim realis ad nihilum non terminat, ergo cum in intellectu cognoscente Chimeram, & actio sit realis, & verbum mentis, seu terminus actionis, in quo relucent illa prædicata Chimeræ sit realis, totum erit reale, & nihil rationis.

Resp. neg. min. & ad illius probationem dico, Verbum mentis, seu terminum cognitionis esse realem, non vero ipsam Chimeram cognitam, quę debet distingui a verbo mentis, nam verbum mentis est quidem expressio, & imago obiecti, non tamen formalitèr est obiectum, & hoc præcipuè cū ex illius senentia in lib. de Ani. disp. 4. sec. 1. quā & nos sequimur, verbum mentis non distinguatur à cognitione, cum ipsa met cognitio sit expressio, & imago obiecti; quare cum cognitio debeat esse non sui ipsius, sed alterius distincti, hoc erit ens fictum, seu Chimera cognita, sicuti est ens reale in cognitionibus terminantibus ad ens reale sed.

Instabis primò. Obiectum formale intentionalitèr, nō distinguit à verbo mentis, ergo si verbū est reale paritèr, & obiectum, ergo &c.

Resp. Esse obiectum intentionalitèr nihil aliud importare, nisi esse in intellectu expressionem obiecti, quæ vocatur verbum, quam expressionem, & nos concedimus esse realem, at per hoc non concluditur obiectum debere esse reale, est enim distinctum à verbo, & expressione, aliud est enim esse expressionem obiecti, aliud esse obiectum; quare ipsa expressio est realis, & subiectiuè est in intellectu, ipsum verò obiectum uel est solùm obiectiuum in intellectu, & non à parte rei, & dicitur ens rationis; vel est, & obiectiuè in intellectu, & a parte rei, & dicitur ens reale, hæc enim est distinctio inter ens reale, & rationis, quòd ēs reale ab intellectu solùm recipit esse obiectum, cum esse, obiectiuum habeat à suis causis, ens vero rationis, & esse obiectum, & esse obiectiuum sumit ab intellectu.

Instabis 2. Creaturæ possibiles habentes esse obiectiuè in intellectu Dei, non habent esse distinctum à cognitione Dei, ergo, pariter Chimera habens esse obiectiuè in intellectu, non debet dici distincta à cognitione, seu verbo mentis, ipsā exprimente, sed hoc est reale, ergo, & ipsa Chimera cognita ergo &c.

Resp. neg. antec. Cum enim creaturæ possibiles in nostra sententia non sint aliquid distinctum ab ipso Deo, & illarum prædicata essentialia possibilia sint, non in se, sed in omnipotentia diuina, ideo Deus cognoscens possibilia se ipsum cognoscit, quæ cognitio cum saltem virtualiter, aut ratione, sit distincta ab essentia diuina, sic erit à creaturis possibilibus; quare corruit vis argumenti.

Instabis 3. Eamdem entitatem importat hoc 10
concretum, me cognoscere Chimeram, ac hoc aliud Chimera cognita; in vno enim sensu intelligitur actiuè, in alio passiuè, sed me cognoscere Chimeram nil aliud importat, nisi cognitionem expressiuam hominis, & leonis simul, ergo hoc idem præstabit Chimera cognita, sed cognitio expressiua hominis, & leonis est realis, ergo, & Chimera cognita, ergo non datur ens rationis.

Resp. neg. min. Illud enim concretum, me cognoscere Chimeram, nedum importat illam expressionem hominis, & leonis, sed etiam id quod exprimitur. s. hominem, & leonem vnitos, seu Chimeram; nam licet verum sit, quòd dicit Spin. cognitionem recipere suam essentiam, &

taleitatem ab illo,cuius est cognitio,atq. adeo cognitionem Chimeræ de suo essentiali, & formali importare, quòd sit talis cognitio Chimeræ, tamen per hoc non deducitur, ipsam Chimeram nõ esse distinctam a cognitione, sicuti licet cognitio quantitatis dicatur cognitio mathematica de suo formali, quia est circa obiectum mathematicum, tamen per hoc non concluditur, quantitatem non esse distinctam ab illa cognitione, quę formalitèr est solũ expressiua quantitatis,nõ vero est ipsa quãtitas, sicuti ergo cognitio entis realis est distincta ab ente reali, etiam,vt obiecto intellectus, sic paritèr suo modo debet esse distincta ab ente purè obiectiuo, hoc est ab ente rationis, atq. adeo licèt cognitio sit realis, tale non est ens rationis. Quòd si vellit Spinula, ipsam expressionem obiecti, seu verbum,esse obiectum cognitionis; hoc falsum est,quia expressio est alicuius distincti, non sui ipsius; & in expressione, & verbo, vt ipse fatetur, relucent prædicata obiecti,ergo ipsa expressio non est obiectum, sed in ipsa est obiectum, sicuti imago Cæsaris non est Cęsar, sed aliquid distinctum ab ipsoCæsare, quod est exemplum ab ipso adductum ad confirmationem suæ doctrinæ ipsam magis iugulans quam defendens.

11 Instabis 4. ens rationis debet esse, vel obiectũ materiale cognitionis, vel obiectum formale, neutrum esse potest.ergo nõ datur ẽs rationisami. prob. & quidem de obiecto materiali certum est, cum enim obiectum materiale sit id, quod est à parte rei, & cognoscatur, cum Chimera non sit à parte rei, neq. ens rationis est tale obiectum.: probatur ergo, quòd neq. sit obiectum formale. Obiectum formale est illud esse cognitum, quod habet obiectum materiale, sed illud esse cognitum connotat ipsam cognitionem, quæ est realis, ergo obiectũ formale est quid reale, nõ ẽs rationis, ergo nullo pacto datur purũ ens rationis obiectiuum. vel, etiam quandò cognoscitur ens reale, illud esse cognitum erit ens rationis, cum non sit à parte rei.

Resp. Ens rationis esse obiectum formale cognitionis, non tamen eo modo, quo sumitur à Spinula, obiectum formale sumitur enim ab ipso pro concreto ex cognitione, & obiecto, cum tamen cognitio nullo pacto formalitèr possit dici obiectum, ex eo, quia ipsa non obijciatur intellectui, sed sit illa, quæ obijcit intellectui obiectum, illud in se repræsentando, neq. enim ex eo quod repræsentet obiectũ,est obiectum,nisi repræsentatiuè, quando autem dicitur, quod ens rationis est chimera cognita, sensus non est, quòd hoc totum concretum sit ens rationis, quod supponit Spinula, alioquin verum esset non dari ens rationis, cum enim hoc concretum importet ipsam cognitionẽ,imo sit ipsa species expressa,ratione illius, hoc concretum deberet dici reale,& non rationis; sed sensus est, quod Chimera, quæ cognoscitur, seu illa prædicata essentialia hominis, & leonis, ad quæ, vt vnita terminat cognitio, sit ens rationis obiectiuum, quare cum excludatur cognitio, seu species expressa, quæ se habet potius, vt causa remota, a qua resultat illa chimera, ideo talis Chimera erit purum ens rationis; & licet necessariò connotet cognitionem,cum aliàs nõ daretur,nec obiectiuè,illam tamẽ connotat, vt ipsius causam effectiuam remotam, non materialem, aut formalem, ex qua componatur talis Chimera, ita vt sit eadem cum illa. sicuti paries visus connotat visionem, non quia sit ipsa visio, sed quia non esset visus,nisi esset visio.

Ad id autem,quòd dicebat Spinula, etiam obie 12
ctum reale hoc pacto futurum, *vt cognitum*, ens rationis.

Resp. negando, vel enim sumitur ly *vt cognitum* tamquam concretum ex cognitione expressiua obiecti, & obiecto reali, & sic ex vtraq. parte erit reale, vel sumitur obiectum reale cum illa denominatione reali, cogniti, & ita paritèr erit reale, quòd sic non euenit in ente rationis, quod l. sit cognitum, seu cognoscatur realiter per actionem realem, quia tamen in se reale non est, ideo solùm esse obiectiuum sortitur, sed.

Instabis 5. Cognitio intellectiua eodem modo est imago obiecti, sicuti pictura est imago Cæsaris, sed pictura non distinguitur à Cæsare picto, ergo nec cognitio intellectiua distinguitur ab ipso obiecto, vt cognito, seu vt per ipsam repræsentato, ergo cum cognitio sit realis; & obiectum,vt repræsentatum erit reale,&sic non dabitur ens rationis.

Resp. distinguendo minorem pictura non distinguitur à Cæsare picto, sumendo Cæsarem,& pictũ, vt vnum concretum. & concedo,sumendo Cæsarẽ realem denominatum pictum, quia repræsentatũ per picturam,&nego,& sic etiam distinguo consequens:cognitio intellectiua expressiua obiecti non distinguitur ab ipso obiecto cognito,sumendo obiectum,& cognitum,vt aliquid concretũ, & concedo,hoc enĩ nihil aliud importat nisi expressionèm obiecti; sumendo obiectum,quia terminat illã cognitionẽ,denominatum cognitum, & nego cõseq. quare vel obiectum terminans cognitionẽ erit in se reale, & sic præter illud terminare cognitionem proprium habebit esse; vel erit impossibile, & sic solùm esse obiectiuũ,seu esse purum terminum cognitionis intellectiuæ participabit, quæ cognitio l. realis sit,potest terminum non realem habere:cũ solùm necessè esset, realem esse, si, vt effectus ab ipsa produceretur,non autem si solùm,vt obiectũ, quod ipsam terminet:fere enim ab omnibus est cõcessũ,priuationes,& negationes,vt tales,ab aliquo intellectu posse cognosci,&tamen nihil sunt,&per cognitionem realem possunt dici cognitæ. Et hæc tota respõsio cõfirmatur exẽplo,quod ipse ad aliud suadendum adducit,dicit ergo ipse. Aues volantes ad vuas ingeniosissimè à Zeusi pictas,picturam vidisse, non tamen percipisse picturam,&colores insapidos,sed quod erat expressum per picturam, & colores; modo sic arguo. Illæ aues non percipiebant picturam, nec colores insapidos, sed vuas repræsentatas per illos, ergo vuæ repræsentatæ distinguebantur à pictura:sic ergo est in casu nostro. Chimera repræsentatur per cognitionem realem, & talis cognitio Chimeræ explicatur per hoc concretum, Chimera cognita, tamen reuera ipsa Chimera non est imago, seu expressio,

seu

seu pictura, sed quod exprimitur, repræsentatur, & intelligitur; & ecce enodatæ omnes difficultates, quas subtilissimè ad suam stabiliendam conclusionem adducit Spinula, cæteras, quas habet, facile erit euertere responsionibus supra allatis.

13 Coll. 1. ex dictis, Ens rationis non habere causam effectiuam propriè, sed solum remotè, cum enim influxus realia effectiuus non possit terminare in nihilum, ideo effectiuè non producitur ens rationis. Resultat ergo solum, ex eo, quia intellectus vniendo species obiectorum impossibiliter vnibilium, vel applicando speciem vnius obiecti alteri obiecto ex tali vnione reali resultat quoddam obiectum repræsentatum per diuersas species, quod omnino implicat a parte rei, Chimera v.g. Hircocerus, alius Deus &c.

14 Coll. 2. contra Thomistas aliquos, ens rationis non cõsistere in denominationibus extrinsecis, quibus u. g. paries denominatur visus, obiectum denominatur cognitum &c quòd ut percipiatur.

Sciendum est. Denominationẽ esse id, per quod aliquid denominatur tale: in duplici autem sunt differentia; aliæ intrinsecæ, aliæ exstrinsecæ. Denominationes intrinsecæ proueniunt ab aliqua forma reali existente in subiecto illudq. denominante, sic oculus denominatur vidẽs per visionẽ in ipso existẽtẽ. Denominationes autẽ extrinsecæ proueniũt ab aliqua actione tẽdẽte in aliquod obiectũ. i illo tamen nihil reale ponendo, nisi solùm esse realitèr denominatum, vt paries realitèr dicitur visus, per visionem in ipsum tendentem, in ipso tamen, nisi solam denominationem visi producendo. Hoc supposito, dicimus denominationes extrinsecas non esse entia rationis; & ratio est.

Quia ens rationis est quid fictum ab intellectu, at denominationes sunt quid reale, eo quòd parieti viso, realitèr conuenit licet extrinsecè, esse visum; Deo, esse creatorem, obiecto, esse cognitum, &c. nihil enim aliud significat esse visum, quam videri, esse creatorem, quam creare, quæ vtiq. sunt entia realia, passiones s. vel actiones, & ita hoc verum est, vt etiam denominatio, qua ipsum ens rationis denominatur cognitum, sit realis, licet ipsum non sit reale; & ratio est, quia ad hoc, vt denominatio sit realis, sufficit, quòd sit talis, saltem respectu vnius termini, vel subiecti s. in quo est, vel obiecti ad quod terminat, quare cum denominatio extrinseca entis rationis cogniti sit à forma intrinseca, intrinsecè denominante subiectum, in quo est s. intellectum, & extrinsecè terminum, quem denominat, ideo cum in subiecto sit forma realis, & terminus non sit realis, & in illo nihil reale ponat, tamen dicitur realis; ens enim rationis esse cognitum, nihil aliud importat; nisi intellectionem referri ad ens rationis, & quando dicitur, quòd totum esse entis rationis consistit in cognosci, & obiici intellectui, non sensus est, quòd ipsum pati, seu attingi Chimeram ab intellectu (in quo consistit denominatio extrinseca) sit essentialiter ens rationis, nam tale cognosci, tale attingi vere datur à parte rei, sed sensus ille est causalis. s. quod ex illo attingi, ex illo cognosci alitèr, ac est à parte rei, resultat esse fictum, & ens rationis in intellectu.

Coll. 3. ens rationis non dari in rebus ante operationem intellectus, nisi fundamentalitèr, cum enim totum illius esse, sit, esse obiectiuum, & hoc habeat ab intellectu, ideo ante operationem intellectus, non est nisi fundamentalitèr, quatenus s. sunt istæ naturæ, illa prædicata essentialia, quæ præbent fundamentum intellectui fingendi aliquam naturam ex illis compositam. Quare tota essentia entis rationis possibilis eo modo, quo potest habere essentiam, erit posse cognosci ab intellectu. 15

Coll. vltimo. Actũ falsum intellectus formalitèr non esse ens rationis benè verò id, quod resultat ex actu falso, nam actus falsus licet talis est tamen realis, est enim cognitio intellectiua non correspondens obiecto à parte rei.

SECTIO. II.

Vtrum ab omni operatione Intellectus resultet Ens rationis.

Supp. Ens rationis fieri per cognitionem quasi reflexiuam, & comparatiuam, & ratio est quia ens rationis semper concipitur ad instar entis realis, ergo illius cognitio supponit cognitionem entis realis, supra quam fit reflexio, comparando aliquo pacto ens rationis, enti reali alias cognito; nunquam enim conciperentur tenebræ, forma nigra, nisi prius cognita fuisset forma nigra; dixi autem quasi reflexiuam, quia non est propriè reflexiua, seu comparatiua, nam quando intellectus concipit tenebras ad modum formæ nigræ, verè non concipit tenebras, vt sunt, comparando illas ad formam nigram. hoc enim non faceret si cognosceret esse nihil, sed solummodo præsuppositiuè habendo in se speciem formæ nigræ, illam applicat tenebris sicq. facit ens rationis. Hoc supposito. Sit. 16

Prima Conc. A Prima intellectus operatione resultat ens rationis. Ita Ouied. In Metaph. contro 12. puncto 6. Serbel. tomo 2. suæ Phyl. disp. 3. in Metaph. quæst. vnica de ente rationis art. 4. Amicus trac. 3. in Logica quęst. 6. dub. 6. art. 2. Moràd' tract: de ente rationis quæst. 2. &alii cõtra multos.

Prob. primò ab illa operatione intellectus potest resultare ens rationis, ex vi cui' potest cognosci ens, quod nec est nec esse potest à parte rei, sed hoc potest esse à prima operatione intellectus, ergo ab illa potest resultare ens rationis, min. prob. potest enim apprehẽdi u. g. 4. persona in diuina Trinitate. 17

Prob. 2. simplex apprehẽsio producit speciẽ expressam intellectiuam, sed talis species potest esse repræsentatiua hircocerui, uel Chimeræ, quæ sunt entia rationis, ergo hæc entia rationis possunt resultare, à prima operatione.

Neq. dicas primã apprehẽsionẽ habere solũ repræsentare, quod illi obiicitur per phantasma, atq. adeo nõ facere, At supponere factum ens rationis.

Resp. enim. Dato etiam quòd factum esset ens rationis ab imaginatione, adhuc tamen de nouo fieri ab apprehensione simplici: nam negari non potest, simplicem apprehensionem, non producere suam speciem repræsentatiuam phãtasmatis, illi obiecti ab imaginatione, cum ergo in tali specie reluceat ens rationis, & talis species efformetur ab ipsa apprehensione, pariter ab ipsa resultare tale ens rationis asserendum est.

Neq. dicas 2. Ens rationis fieri per actum falsum, sed in prima apprehensione non esse errorẽ, & falsitatem, ergo á prima apprehensione non posse fieri.

Resp. Data maiori, quæ tamen à multis negatur, præcipuè ab Amico loco supracitato, negando min. nam licet in prima apprehensione non sit error, & falsitas formaliter, est tamen error, & falsitas suo modo; quis enim dicet, quartam personam in Trinitate apprehensam, non esse obiectum falsum, siquidem est disforme obiecto, quod est à parte rei, ergo, &c.

18 Neq. dicas 3. Ens rationis fieri per actum comparatiuum, & reflexiuum, sed actum primæ apprehensionis non esse huiusmodi, ergo, &c.

Resp. enim. Ens rationis non fieri propriè per actum comparatiuum, & reflexiuum, sed quasi reflexiuum, vt habetur in supposito; hic autem actus, quasi reflexiuus habetur etiã à simplici apprehensione: cum enim hic consistat in eo, quòd in intellectu præsupponatur cognitio ãtecedẽs, illius entis, quod ponitur loco nihili, & impossibilis, & hæc cognitio sit in apprehensione, ideo etiam per ipsam potest resultare ens rationis. Et cum hac responsione conciliantur ab Ouiedo loco supracitato Hurtadus, & Arriaga, primus quorum asserit fieri ens rationis à simplici, & incomplexa apprehensione, .s. ab apprehensione vnius simplicis termini; alter vero sustinet fieri à complexa .s. ab apprehensione termini complexi, componendo vnum cum alio; potest enim ens rationis fieri per apprehensionem obiecti simplicis, & incomplexi, vt alterius Dei, quæ tamen apprehensio præsupponat aliud obiectũ iam aliàs apprehensum, & sic ratione huius duplicis obiecti potest dici apprehensio complexa.

Secunda Conclusio. Ab alijs duabus operationibus intellectus, etiam resultat ens rationis, est quasi communis, licet contra aliquos paucos & præcipuè Serbellonum loco supracitato.

Prob. Per iudiciũ, & discursum attingitur ab intellectu obiectum, quod nec est, nec esse potest à parte rei, sed huiusmodi obiectum est ens rationis ergo. &c.

Cõfirmatur. Qualibet ex his operationibus efformat propriam speciem intellectiuam, sed potest efformari species repræsentatiua Chimeræ, ergo, &c.

19 Ob. primò. Secunda, & tertia operatio feruntur in obiectum iam apprehensum; ergo si attingunt ens rationis, illud supponunt factum, ergo non faciunt.

Resp. Neg. conseq. ex eo enim, quòd hæ duæ operationes ferantur in obiectum iam apprehensum, per hoc non sequitur, quòd circa tale obiectum non operentur, scilicet, neq. iudicet secunda & discurrat tertia, aliter ac est apprehensum; si enim nihil operarentur, tale obiectum remaneret simpliciter apprehensum, neq. respectu cognitionis immutaretur, cum ergo secunda, & tertia operatio determinent obiectum apprehẽsum per affirmationem, & negationem ad esse verum, uel falsum, illud immutant ab esse simpliciter apprehenso, ad esse iudicatum verum, vel falsum, & sic à iudicio, vel illatione falsa resultat ens rationis.

Instabis. Quando intellectus, per actum reflexum cognoscit ens rationis factum in probabiliori doctrina non facit de nouo ens rationis, & tamen illi obiecto tradit nouum esse, .s. esse cognitum reflexiuè: ergo à pari. Quando secunda & tertia operatio affirmat, & infert ex obiecto iam apprehenso, non facit ens rationis licet det illi nouum esse præter esse simpliciter apprehensum.

Resp. ex Ouiedo neg. anteced. Nam quotiescunq. cognoscitur ens rationis, & non est aduertentia ad fictionem, de nouo fit ens rationis, cum enim noua species expressa in intellectu producatur, pariter, & ipsum, vt repræsentatum in illa specie reproducitur, quare cum per secundam, & tertiam operationem habeatur obiectũ, ne dum, quod de nouo cognoscatur, sed etiam diuerso modo, ratione immutationis, quam in ipso faciunt tales operationes illud de simpliciter apprehenso, faciendo iudicatum verum, vel falsum, ideo etiã ab ipsis resultat ens rationis, immò potius ab ipsis, quam à simplici apprehensione, cũ in ipsis sit veritas, vel falsitas formaliter ratione cuius magis difformatur Chimera in intellectu 20
Chimeræ impossibili à parte rei. Quòd autem à secunda, & tertia operatione producatur noua species expressa obiectã est euidentissimum. Nam per secũdã operationẽ necessariò, v.g. exprimitur ne dum prædicatum, & subiectum vt fit per apprehensionem, sed etiam vnio, & copula inter ipsa, sed expressio talis vnionis inter prædicatum, & subiectum est species expressa assertiuè repræsentatiua connectionis eorum, quæ connectuntur, quę assertiua connectio nõ exprimitur à prima apprehensione, ergo per secundam operationem producitur propria species expressa. Quod etiam dicito de iudicio. Quare, &c.

SECTIO III.

A quonam Intellectu resultet ens rationis.

PRæcipuè hic dubitatur de intellectu diuino, 21
cuius quæstionis resolutio cum pendeat ex alia, an .s. possit fieri ens rationis per actum dissensus; ideo prius hoc est determinandum; ad quid. Supp. illum esse actum dissensus quo intellectus cognoscit impossibilitatẽ v.g. Chimeræ, per illũ .n. intellectus dissentitur vnioni illorũ prædicatorum essentialium incompossibilium; quia autem talis dissen-

sen-

sensus præsupponere videtur cognitionem ipsius Chimeræ, cuius impossibilitas cognoscatur, adeo etiam, per actum dissensus resultare verum ens rationis putarunt aliqui, inter quos præcipuè Ouiedo in Metaphysica controuersia 12. puncto 6. conclusione 7. contra quem sit.

Prima Conclusio. Per actum dissensus nullo pacto potest resultare verum ens rationis. Ita ferè communiter.

Prob. Per actum dissensus, quo intellectus dicit, v. g. Hircoceruus est impossibilis, destruitur essentia, & existentia Hircocerui, sed nullius rei efformatur essentia, aut existentia per illius destructionem, ergo per actum dissensus destruitur, & non fit ens rationis.

Prob. 2. Non existentia Chimeræ, seu illius negatio existit suo modo à parte rei, ergo per actum dissensus concipiendo non existentiam Chimeræ, non fit ens rationis; hæc conseq. prob:, sicuti enim concipiendo tenebras, vt tenebras: impossibile, vt impossibile, non fit ens rationis, quia dantur suo modo præter intellectum; ita concipiendo non existentiam Chimeræ non fit ens rationis, quia adhuc datur talis non existentia extra intellectum, suo tamen modo, .s. negatiuè.

22 Ob. ex Ouiedo. Intellectio cognoscens negationem Chimeræ habet duo obiecta, & negationem Chimeræ, & ipsam Chimeram, cuius est negatio; sed illa Chimera nullum aliud habet esse, nisi obiectiuum, ergo erit ens rationis, ergo etiã per cognitionem impossibilitatis, Chimeræ, per actum dissensus fit ens rationis, mai. prob.; neq. enim affirmari potest negatio de obiecto non cognito, ergo si affirmatur negatio de Chimera, supponitur Chimera cognita.

Resp. neg. mai. Nam quandò intellectus concipit negationem Chimeræ, non concipit aliquid sub formali ratione vnius, ex pluribus essentijs resultantis; quòd est facere ens rationis, sed solum concipit implicantiam illius vnionis, quæ quidem implicantia est à parte rei, est enim negatio Chimeræ, atq. adeo non facit ens rationis; ad probationem autem. Respondeo: Chimeram impossibilem, non esse obiectum incognitum, nam cum prædicata hominis, & leonis ex quibus conficitur Chimera, sint cognita, & negatio vnionis inter ipsa sit à parte rei, ideo intellectus potest affirmare, non esse possibilem talem vnionem, inter illa prædicata.

Ob. 2. Per actum, quo quis dicit Chimera est impossibilis, destruitur existentia Physica Chimeræ, nõ verò intentionalis, & obiectiua; sed in intentionali, & obiectiua existentia cõsistit ens rationis, ergo adhuc per actũ dissẽs⁹ datur ens rationis.

Resp. Destrui etiam existentiã obiectiuam, nam existentia obiectiua Chimeræ consistit in eo, quòd per cognitionem habeatur vnio prædicatorum essentialium incompossibilium, ex qua resultat Chimera, at per cognitionẽ impossibilitatis Chimeræ, talis vnio non habetur, ergo neq. Chimera; quare fallitur Ouiedo supponendo prius cognosci Chimeram, & postea illius impossibilitatem neq. enim cognoscitur Chimera, sed solùm prædicata essentialia; ex quibus vnitis potest obiectiuè efformari Chimera, quæ prædicata cum non vniat, immò separet intellectus per actum dissensus, non facit, sed potius destruit ens rationis.

Secunda Conclusio. Deus nullo pacto facit ens rationis est ferè communis contra ipsum Ouiedũ loco citato, nostrum Lanfrancum in opusculis theologicis opusc. 2., quem refert. Pater Morandus tract. de Ente rationis quæst. 4. numero 168. & alios paucos.

Prob. Si Deus faceret ens rationis, vtiq solum faceret per actum dissẽsus secundum Catholicos, sed ex probatis ens rationis non fit per actum dissensus, ergo, &c.

Tertia Conclusio. Deus cognoscit ens rationis, tum factum à nobis, tum etiam in se ipso. Ita Henriquez, Ruitz, Fasolius, & alii moderni præcipuè Seibellonus disp. 3. in Met. quæst. vnica de ente rationis art. 5. Pontius in log. disp. 1. de ente rationis quæst. 9. 23

Prob. 1. pars. Deus cognoscit perfectè cognitionem humanam, qua repræsentatur ens rationis, ergo perfectè cognoscit ens rationis, per cognitionem humanam repræsentatum.

Neq valet Deum non cognoscere obiecta cognitione abstractiua, idest in alio; sed in se, at si cognosceret hoc modo Hircoceruum, cognosceret dependenter à cognitione humanà; ergo. &c.

Resp. enim. Deum cognoscendo hoc pacto Hircoceruum noo cognoscere dependẽtèr; sed solum perfectè cognoscere cognitionem repræsentantem Hircoceruum, in quo nulla est imperfectio.

Prob. 2. pars. Deus cognoscit omnia possibilia in se, sed ens rationes est possibile eo modo, quo est, ergo in se quatenus est possibile potest cognosci à Deo.

Neq. valet quòd si Deus cognosceret ens rationis in se, tunc tale ens rationis haberet solum esse obiectiuè in Deo, ergo tunc Deus faceret ens rationis.

Resp. enim. Tunc tale ens rationis habiturum esse in Deo obiectiuè, sed per actum dissensus, per quem, vt supra diximus non fit, sed destruitur ens rationis, sed.

Instabis ergo tunc non cognosceret in se, cum non cognosceret sicuti est.

Resp. Quod cognosceret in se, vt factibile à Creatura, non verò vt ab ipso fictum: cum enim ens rationis sicuti suo modo existit, sic etiam suo modo sic possibile; ideò secundùm talem possibilitatem potest attingi à Deo in quo caso ab ipso non fit, sed vt est factibile à creatura cognoscitur.

Quarta Conclusio. Quilibet alius intellectus, Angelicus, vel human⁹ in puris naturalib⁹ potest 24
facere ens rationis, non tamen vt Beatus. Ita multi præcipuè Thelez pri: parte suæ phil. dis. 3. sec. 2. Caratinus disp. 2. de ente rationis exp. 4. Morandus tract. de ente rationis quæst. 4. numero 169. & alí.

Prob. 1. pars de Angelis, (de hominibus enim probatum est.) Angeli possunt peccare ergo facere ens rationis, conseq. prob., in tantum quis peccat in quãtum male bonitatem falsò ab intellectu

lectu attributam obiecto proposito voluntati, ergo, &c.

Confirm. exemplo Luciferi, qui apprehendendo possibilitatem alterius Dei, qui est impossibilis, deceptus est, ergo, &c.

Prob. de intellectu Beato. Intellectus Beatus, per visionem beatificam videt res sicuti sunt in se claré, & aperté, ergo non potest facere ens rationis, in quo semper interuenit error.

Col. Ens rationis de facto solùm fieri ab hominibus, & à Dæmonibus cum in illorum intellectibus possit interuenire error, & deceptio.

SECTIO IV.

An præter Intellectum ab aliqua alia potentia resultet ens rationis.

25 LIcèt Ens rationis propriè sit dictum; quia ab intellectu præcipuè resultat, qui ratio appellatur, tamen cum illius esse consistat in eo, quòd obiiciatur intellectui, nec sit à parte rei, quia etiam aliquibus aliis potentijs potest aliquid obiici, quod nec sit, nec esse possit à parte rei, ideo an ab ipsis resultet tale ens, solùm obiectiuum inquirunt Doctores, pro cuius notitia.

Supp. Quæstionem esse, & de quinq. sensib. externis, & etiam de internis, præcipuè tamen de Phantasia, quæ est quædam potentia vniens species obiectorum conseruatas in imaginatiua, alia ex potentiis sensitiuis internis, ita appellata, quia conseruat species seu imagines obiectorum, quæstio autem procedit circa tales sensus, nedum hominum, sed & Brutorum.

Prima Conclusio. A qualibet potentia cogno-
36 sciriua interna resultat ens rationis. Ita Arriaga disp. 6. in Met. sect. 5. subsect. 2. Suarez. disp. 54. in Met. sect. 2. num. 17. Guarinus disp. 2. de ente rationis exp. 2.

Prob. 1. Phantasia v.g. potest coniungere species repræsentatiuas obiectorũ incompossibilium, ergo potest facere ens rationis conseq. prob., quia hoc modo resultat ens rationis ab intellectu, prob. ant. antecedens, quia multoties agnus apprehendit præsentiam lupi, vbi non est, & in alium locum fugit, sed tunc per Phantasiam, agnus coniungit species lupi cum illo loco, & tamen lupus supposito quòd sit alibi, ibi est impossibilis, ergo talis præsentia lupi concepta, est quid impossibile ad modum possibilis, ergo ens rationis.

Neq. dicas præsentiam localem non posse attingi formaliter à Bruto.

Resp. enim neg. antecedens. Ouis enim nedum apprehendit lupum vt sic, sed vt in tali loco vbicatum, cum enim fugiat in contrariam partem signum est apprehendere vnionem lupi cum tali loco, à quo fugit.

Prob. 2. Quando animal fugit vmbram, illam apprehendit, vt aliquod viuum volens, aut potens illi nocere, sed vmbram esse viuam, & posse illi nocere impossibile est, ergo apprehendit impossibile, vt possibile, ergo facit ens rationis; mai. prob. adquid enim fugeret si cognosceret vmbram, vt vmbram? fugit ergo applicando vmbræ esse entis, viuentis, potentiæ offendendi, & huiusmodi, quod est facere ens rationis; cum vmbra nihil sit. Neq. dicas secũdò Esse quidẽin phãtasia plures species, illam tamen non cogitare de vnione illarum specierum, & obiectorum.

Resp. enim hoc esse falsum, si enim non coniungeret talia obiecta non terreretur animal; ad quid enim fugit? nisi conciperet cum vmbra vnionem entis illi potentis nocerè, nam transit ante ipsum homo viuus, & non timet, videt vmbram se mouentem, & timet, quare hoc? nisi quia concipit in vmbra aliquod illi contrarium, quod re-uera non est, ergo, &c.

Neq. dicas tertiò. Sensus internus non attingit rerum essentias, sed accidentia, sed ex vnione accidentium naturarum diuersarum, non resultat ens rationis, sicuti ex vnione essentiarum, ergo à sensu interno non resultat ens rationis. mia. prob. nam figura hominis cum figura leonis contiguè vnitæ non repugnat.

Resp. sensum internum non simpliciter attingere accidentia, sed etiam concretum accidentium; neq enim accidentia stare possunt sine subiecto, quare cum illa cõcreta aliquando ipossibiliter sint vnibilia, sensus internus facit ens rationis concipiendo vnita, quòd autem concipiat concretum paret; quia quando animal timet vmbram, ideo timet quia concipit illam, vt ens habens potẽtiam sibi nocendi, ergo illam potentiam sibi nociuam concipit in aliquo concreto, quæ cum reuerà nõ sit, vmbra enim est priuatio, ideo facit ens rationis.

Secunda Conc. sensus externi nequeunt facere ens rationis est fere communis, vt videre est apud Suarez disp. 54. in met. sec. 2. num. 17. Morandum trac. 2. de ente rationis quest. 1. & alios, est tamen contra Arriagam loco supraci. 27

Prob. primò sensus externus non potest apprehendere nisi id, quod existit realitèr, sed hoc non est ens rationis, ergo, &c. mai. prob., quia non operatur nisi per speciem, quæ illi immititur ab obiecto præsenti.

Prob. 2. Sensus externus non habet alias species, quas ponat loco alterius, ergo non potest illas ponere, & sic facere ens rationis, prob. antecedens non enim sensus exterior habet memoriam, sed solùm ab obiecto præsenti mouetur, ergo, &c.

Ob. 1. Oculus videt colores in Iride, vel in collo columbæ, qui verè ibi non sunt, item videt remum in aqua, vt fractum, cum sit integer, & alia huiusmodi; ergo cognoscit res aliter ac sunt, ergo facit ens rationis.

Resp. oculum, & quemlibet alium sensum externum videre solummodo obiecta, quæ existunt, & producere suam speciem expressam ad similitudinẽ specierum illum actualiter mouentium, quare quando videt colores in Iride, in collo columbæ, & huiusmodi, videt illam confusionem,

seu

seu refractionem specierum, quæ vtiq; realiter à parte rei existit; quòd clarè patet, & eo, quia tales colores, talis fractio remi, obijciuntur, & repræsentantur, etiam in speculo; & quis dicet à speculo resultare ens rationis? eodem, ergo modo, quo illi colores, & fractio percipiuntur in speculo, neq. ab illo resultat ens rationis, phylosophandum est etiam de oculo.

Ob 2. Si sensus externus nequit facere ens rationis, ergo nec internus, conseq. prob, sensus internus tantum percipit ea, quæ sensus externi illi repræsentant, ergo si sensus externi nequeunt illi repræsentare ens rationis, ab illo non resultabit.

Resp. Quòd licet sensus externi non possint repræsentare illi ens rationis formale, possunt tamen ens rationis fundamentale s. species obiectorum, quas sensus internus vniat, sicq. ex tali vnione resultet ens rationis.

28 Tertia Conclusio. A potentia appetitiua siue rationali, siue sensitiua non resultat ens rationis. Ita ferè communiter, contra tamen Mastrium dis. 3. Logicæ quæst. 4. art. 3. & alios paucos.

Prob. Ab illa potentia resultat ens rationis, quæ potest sibi suum obiectum fingere, sed voluntas, & appetitus non possunt fingere; neque enim faciunt sibi suum obiectum, sed supponunt factum, vel ab intellectu, vel ab imaginatione, dicitur enim communiter; nihil volitum, quin præcognitum, ergo ab illis non resultat ens rationis: quare licet aliquando appetantur impossibilia, vt Deum non existere, dari duos vltimos fines, & huiusmodi, tamen talia impossibilia prius sunt proposita possibilia ab intellectu, & vt talia mouent voluntatem.

Ob. Quando voluntas appetit impossibile repræsentatum, vt possibile, tunc illud impossibile acquirit esse obiectiuum in voluntate, sed in hoc consistit ens rationis, ergo à voluntate potest resultare ens rationis.

Respondetur. Illud impossibile esse obiectiuè in voluntate, sed secundùm illud esse obiectiuum, quod acquisiuit ab intellectu, ipsa enim nihil fingit in obiecto, sed in bonitatem repræsentatam ab intellectu simpliciter fertur, quare cum illud impossibile non immutetur in suo esse obiectiuo, ideo à voluntate illud non acquirit, atque adeo neq. ab ipsa resultat ens rationis. Quæ responsio magis patet ex hoc, quod esse obiectiuè in voluntate, nihil aliud est, quàm obiectū amatū, & volitum trahere ad se voluntatem, vt enim optimè adnotauit D. Tho. 4. contra gent. cap. 19. obiectum amatū est in voluntate, vt illā inclinans, & quodam modo impellens ad se amandum, & Caitan. & Nazarius in prima parte, quæst. 27. art. 3. dicebant, quòd amatum, seu uolitum est in uoluntate, non ut tractum, sed ut trahens ipsam uoluntatem, & amare non est trahi, sed trahere uoluntatem. Quod è contra euenit in intellectu, ipse enim cognoscendo obiectum illud trahit ad se, & in se intentionaliter existit ipsiusq. cognitio est intellectio, & expressio obiecti, hoc autem patet, quòd ens rationis existere obiectiuè in uoluntate nihil aliud est, nisi ens rationis existens in intellectu trahere uoluntatem ad se nolendum, & amandum, oh uideant aduersarii si Chimera, v.g. ex eo, quia sit amata acquirat nouum esse repræsentatiuum, quod est esse ens rationis, sed.

29 Instabis. Potest voluntas ferri ex sua libertate in obiectum propositum malum ab intellectu, ergo tunc aliquam bonitatem ex suo libito finget in obiecto; si quidem semper voluntas appetit bonum, ergo tunc faciet ens rationis.

Resp. Nullo modo posse uoluntatem fingere in obiecto bonitatem, quæ in ipso non repræsentetur ab intellectu, alioquin falsum esset illud axioma, quòd nihil sit volitum, quin præcognitum, in tali enim casu bonitas appeteretur, quæ ut non repræsentata, non cognosceretur.

Instabis 2. Potest uoluntas ferri in obiectum propositum, ut impossibile ab intellectu, ergo nulla responsio, antecedens patet in uoluntate eliciente actum contritionis, talis enim vellet peccatum commissum non esse commissum, & tamen, supposito, quòd sit commissum, impossibile est non fuisse cōmissum, ergo, &c.

Resp. Voluntatem velle peccatum non esse cōmissum, quia in tali negatione peccati repræsentatur illi ab intellectu bonitas, in quam bonitatē, vt repræsentatam ab intellectu fertur volnntas, quę bonitas non illi repræsentatur, vt tunc possibilis, sed ut possibilis ante commissionem peccati, quare in illam tali pacto repræsentatam fertur uoluntas; immò ex hoc magis dolet uoluntas; quia s. illi ab intellectu proponitur impossibilitas, quæ est, peccatum non fuisse, supposito quòd sit commissum.

Coll. Ex dictis etiam à Brutorum potentiis resultare ens purè obiectiuū, non propriè dicendum ens rationis, cum non sit ab intellectu, sed uel illud sic appellando ob similitudinem entis rationis, vel illud solum obiectiuum appellando.

SECTIO V.

De Diuisione entis rationis in suas species, & De secundis Intentionibus.

30 Supp. 1. Communiter diuidi ens rationis in Priuatiuum, Negatiuum, & Relatiuum, vel enim concipitur ens vbi est negatio entis, & dicitur ens rationis negatiuum, vel vbi est priuatio, & dicitur Priuatiuū, vel concipitur relatio vbi nō est, & dicitur Relatiuum; hic inquirimus an benè tradita sit hæc diuisio.

Supp. 2. Diuiditur totum ens rationis in tota sua amplitudine in ens rationis, cum fundamento, & in ens rationis sine fundamento. Ens rationis sine fundamento est, quod efformatur ab intellectu merè fictitiè, absque vllo fundamento in rebus, vt quando efformat Hircoceruum, & Chimeram, &c. nullum enim habet à parte rei fundamentum vniendi duas naturas: Ens verò rationis cum fundamento est, quando à parte rei intellectus non quodlibet habet fundamentum, (alio-

(alioquin etiam ad fictitium efformandum aliquid posset dici babere fundamentum .s. illas naturas) sed, vt inquit Mastrius disp. 3. Log. quæst. 7. quando intellectus reperit à parte rei occasionem, seu motiuum, veluti illum vrgens ad talia entia rationis effingenda, non temerè, & gratis, sed ex ipsis rerum proprietaribus sumpta occasione, vt v. g. quando ex eo, quia videt, Petrum esse hominem, Paulum esse hominem, concipit quamdā naturam illis communicabilem, illamq. appellat speciem ab illis abstractam; de hac autem diuisione entis rationis ferè nulla est controuersia inter Doctores, cum ita euidens sit, vt negari nequeat, qnare eam amplectentes solùm quæstio est de prima diuisione; sitq.

Prima Concl. Malè diuiditur ens rationis in Priuatiuum, Negatiuum, & Relatiuum. Ita Auersa quæst. 5. in Logica sect. 7. Mastrius disp. 3. Log. quæst. 7. Guarinus disp. 2. de ente rationis exp. 5. & alij.

Prob. 1. Bona diuisio non debet esse nimis diminuta, hæc est nimis diminuta, ergo non est bona diuisio, prob. min. quia sicuti datur ens rationis relatiuum deberet etiam dari circa alia prædicamenta, potest enim intellectus omnia prædicamenta concipere vbi non sunt, ergo, &c.

Neq. valet, complecti omnia prædicamenta sub membro diuidente *Negatiuum*, si quidem negatio potest vagari per omnia prædicamenta, ergo, &c.

Resp. enim. Dato, & concesso antecedenti, neg. conseq. immò etiam ex hoc capite non esse bonam assignatam diuisionem.

Prob. 2. In bona diuisione vnum membrum non debet includere aliud, sed in assignata vnum membrum includit aliud, ergo non est bona, min. prob. membrum enim ly *negatiuum* includit membrum *relatiuum*, cum enim negatio sit infinitans, & vagetur per omnia prædicamenta, ergo etiam per relationem, ergo, &c.

Prob. 3. Quando fit ens rationis, vel concipitur priuatio, negatio, &c. vel aliquod aliud, quod ponitur loco priuationis, & negationis, &c. non primum, alioquin non esset ens rationis, verè enim à parte rei sunt priuationes, & negationes, ergo secūdū, ergo hoc aliquid, quod ponitur loco priuationis, negationis, quod formaliter est ens rationis, est id, quod debet præstare fundamentum diuisionis, ergo non priuatio, negatio, &c. quare sit.

Secunda Conclusio. Ens rationis benè diuiditur, data proportione sicuti diuiditur ens reale, ad
32 modum cuius concipitur. Hanc conclusionem deducit ex Scoto Mastrius disputat. 3. Logicæ quæst. 7.

Probatur. Quidquid simpliciter reperitur in entibus realibus secundùm quid, & suo modo reperitur in entibus rationis, ergo etiam diuisio, quæ reperitur in entib⁹ realibus reperiri debet suo modo in entibus rationis, probatur antecedens, ens rationis in tantum habet esse, in quantum concipitur ad modum entis realis, ergo sicuti ens reale diuiditur in substantiam, & accidens, hoc in absolutum, & relatiuum, absolutum verò in quantitatem, & qualitatem, relatiuum verò, in intrinsecus, & extrinsecus adueniens, sic ens rationis diuiditur in substantiā rationis, & accidens rationis. &c.

Prob. 2. Ens rationis cum fundamento, & sine fundamento potest fieri apprehendendo substātiā, & accidens, vbi non sunt nec esse possunt, sed talis, substātia, & accidens ita apprehensa sunt entia rationis, ergo talia entia rationis denominabuntur, uel substātiæ, vel accidentis; ergo secundùm ipsorum diuisionem pariter, & ipsum debet diuidi, mai. prob. dùm enim concipitur Chimera, vel species humana distincta à singularibus concipitur aliquid substantiale, dū concipiuntur spatia imaginaria, vt quantitas, & accidens concipiuntur accidentia, ergo, &c. Hæc sunt mihi tam clara, vt superfluum existimem diùtius immorari.

Quæres. Quid sint secundæ intentiones; & an sint entia rationis.

Respondetur. Intentionem nihil aliud importare, 33
nisi tentionem in aliud, & licet intentio dicatur de voluntate, quæ tendit in suum obiectum, & de alijs etiam potentijs, hic tamen eam sumimus pro intentione solius intellectus in suum obiectum, huiusmodi autem intentio duplex est, alia vocatur prima intentio, alia secunda intentio, ex eo quia dupliciter potest intellectus versari circa res, & obiecta.

Vel enim intellectus cognoscit res secundùm id, quod habent à parte rei, vt quando cognoscit hominem esse animal, leonem esse rugibilem, & tunc ipse actus cognoscens dicitur intentio formalis, res vero intenta dicitur prima intentio obiectiua, nomina autem significantia res hoc pacto cognitas dicuntur nomina primæ intentionis vt *homo leo*, &c.

Vel intellectus cognoscit res iam cognitas, secundùm aliquam rationem, quam non cognouit in prima intentione, ut quando cognoscit rem à se fuisse cognitam, reflectendo supra antecedentem cognitionem, vel quando ex cognitione hominem esse animal, equum esse animal, uel Petrum esse hominem, Paulum esse hominem, cognoscit postea animalitatem, esse genus, in quo conueniunt homo, & equus; naturam humanam esse speciem, in qua conueniunt Petrus, & Paulus, uel deniq. quando ex cognitione, Petrum esse animal, cognoscit postea animal esse prædicatum de Petro, qui est subiectum, huiusmodi autem actus cognoscentes dicuntur secundæ intentiones formaliter, quasi secundò tendentes in idem obiectum, res uerò cognitæ secundū illud esse, quod à negotiatione intellect⁹ acquisiuerunt vocantur secundæ Intentiones obiectiuæ, quasi secundò obiectæ intellectui, nomina autem tales intentiones explicantia vocantur secundæ intentionis, ut, *genus*, & *species*, &c.

Licèt autem, tàm actus cognoscens, quàm res 34
cognita sint ueræ intētiones, usu tamen receptū est, ut de solis obiectiuis intentionibus sit sermo, quando de ipsis loquuntur Philosophi, quæ intelligūtur ut expressæ in actu intellectionis secundum suum esse, quod habent ante operationem intellectus; secunda uerò intentio est eadem res secundum illud

esse

esse quod à negotiatione intellectus recepit. Hæc est cõmunis explicatio primarum, & secundarum intentionum ; quidquid dicant alii diffusè de his tractantes, videre est apud Heruæum tractatu de secundis intentionibus, Masium lect. 4. de Vniuersalibus, Sanchez lib. 2. Logicæ, Mastrium disp. 3. in Logica quæst. 8. Suarez, Ruuium, Hurtadum, & alios.

35 Resp. 2. Ne dum primas, sed etiam secundas intentiones posse esse entia rationis, nõ tamen semper esse, loquimur de intentionibus obiectiuis.

Prob. 1. pars. Intellectus potest attingere obiectum, quod de facto non sit à parte rei, sicq. ens rationis Chimerã, v. g. sed per huiusmodi cognitionem habetur prima intentio obiectiua, ergo talis intentio obiectiua in tali casu erit ens rationis, ergo, &c.

Prob 2. pars. Potest intellectus reb' fictis intellectis, seu ẽtibus rationis tribuere aliquam rationẽ, quæ illis non conueniat ex ui primæ cognitionis, vt v. g. concipere plures chimeras conuenire in animalitate, sed huiusmodi esset secunda intentio, & esset rationis, ergo potest dari secunda intentio rationis.

Prob. 3. pars. Tàm res primò obiectæ intellectui, secundùm vnam simplicem rationem, quam eædem denuò illi obiectæ secundùm aliquam rationem communem, v. g. speciei generis, &c. possunt ita esse à parte rei, sed quod est à parte rei non est purum ens rationis, ergo tam primæ, quam secundæ intẽtiones possunt esse reales, nõ rationis.

Collig. Quod si nomen entis rationis vellimus sumere, non strictè pro eo, de quo huc vsq. loquuti sumus, sed pro ente prouenienre à ratione, .i. realiter, de quo diximus in principio huius disputationis, hoc pacto posset dici, omnes secundas intentiones esse entia rationis, si quidem illud esse, quod per secundam intentionem acquirunt res in intellectu, acquirunt opere ipsius intellectus, & ideò hoc pacto sunt entia rationis, non simpliciter tamen, & solùm obiectiuè in intellectu ; quare per admittentes vniuersalia à parte rei, genus, speciem, &c. quæ sunt secundæ intentiones, non sunt pura entia rationis, si concipiantur, eo modo, quo sunt à parte rei ; Et hæc sufficiant dicta de secundis intentionibus, & de ente rationis. De secundis intentionibus plura desiderans videat citatos Doctores, hic enim nobis sufficit necessaria explanasse. 36

DISPVTATIO TERTIA,

De Vniuersalibus in Communi.

AD prædicamenta Aristotelis percipienda, immo ad Definitionem, & Diuisionem, Logicales modos sciendi, perfectè addiscendos necessariam esse cognitionem Generis, Differentiæ, Speciei, Proprii, & Accidentis, optimè, ex antiquis multi agnouerunt Phylosophi Porphyrius Phœnicius inter hos necessitatem hanc perspicacissimo intuens obtutu, horum tractatum ante prædicamenta Aristotelis præmisit, quem postea sequentes cæteri Philosophi, claritatis causa hoc itidem fecere; at quia Genus, Differentia, &c. sunt quædam vniuersalia, ideò ante ipsorum explicationem, quædam de vniuersalibus in communi ab omnibus pertractantur, vt à faciliotibus ad difficiliora sit gressus ; hoc ergo, & nos facientes. Sit

SECTIO PRIMA.

An detur natura Vniuersalis.

1 VNiuersale ex vi nominis importat multa in vna ratione conuenientia, quare secundùm diuersitatem conuenientiæ, multiplicantur vniuersalia ; Aliud ergo dicitur vniuersale Complexum, aliud Incomplexum ; complexum est quodlibet principiũ vniuersale, vel omnis propositio vniuersalis effecta signo vniuersali, vt v. g. omnis homo est animal, omne constitutiuum est etiam distinctiuum, & huiusmodi, & de hoc agit Philosophus primo Post. cap. 7. Incomplexum est, quod explicatur voce simplici, & termino incomplexo, & dicit ordinem ad plura, hocq. respectu diuersi ordinis multipliciter diuiditur. Aliud enim dicitur vniuersale in causando, quod licèt sit vnum plura causat, vt est Deus, & cæteræ causæ vniuersales.

Aliud dicitur vniuersale in repræsentando estq; quod .i. sit vnũ plura repræsentat; vt imago hominis, omnes homines repræsentãs, ideæ in mẽte Artificis, species intelligibiles, & huius modi; Aliud est vniuersale in significando, & est vox, vel scriptura 2

Io. Ponf. Bagatt. Cur. Pat.

significans, aut ex natura rei, aut ad placitum hominum plura, vt vox Canis, Leonis, & huiusmodi; Aliud deniq. est vniuersale in essendo, & est quædam natura vniuersalis pluribus communis, ut natura humana, equina, &c. ex quo vniuersale postea, aliud resultat vniuersale in prædicando appellatum, quod in intellectu solum datur, & propriè vniuersale logicum est; hic autem ommissis cæteris acceptionibus vniuersalis, solùm est quæstio de Vniuersali in essendo, & prædicando, licèt enim vniuersale in essendo, vel possit dici Physicum, quatenus dicit ipsas naturas Physicè existentes, vel Metaphysicum, vtpote importans naturas rerum secundùm se, & secundùm proprias essentias, & vt tale videatur spectare illius cognitio ad alias scientias; tamen, quia non potest percipi absq. illius cognitione vniuersale logicum, seu in prædicando, ideò de illo prius est agendum.

Supp. 1. Vniuersale definiri ab Aristotele primò Post. textu 125. *Vniuersale est vnum in multis* seu, vt alibi *est vnum aptum esse in multis* quæ definitiones cõmuniter admittuntur ab omnib᷒, dicitur autem *vnum* ad explicandam essentiam Vniuersalis, quæ consistit in eo, quòd habeat aliquam vnitatem, & tamen à pluribus sit participabilis, dicitur *in multis*, quia tale debet esse vniuersale, vt, licet sit vnum in pluribus, tamen reperiatur, & à pluribus participetur, seu aptum sit sit esse in pluribus; licèt enim singularia aliqua solum possibilia essent, natura ab illis participabilis, quando actu essent, diceretur Vniuersalis, aptitudinalitèr existens in pluribus; quare hoc maxime aduertendum est ad cognoscendum quid sit vniuersale, quid verò non, quod scilicet vniuersale debeat esse quoddam ita multiplicatũ, & plurilicatum in pluribus, vt secundùm eamdem formam, seu rationem, secundum quam est multiplicatum, sit etiam vnum, vt v.g. natura humana est multiplicata in Petro, & Paulo, quilibet quorum habet naturam humanam, & tamen est vna natura secundùm eamdem rationem, secundùm quam est multiplicata.

3 Ex quo deducitur. Quòd Anima rationalis licèt sit vna, & reperiatur in pluribus partibus corporis nequit tamen dici Vniuersalis; quia licèt sit in pluribus ipsa tamen non est multiplicata, sed est eadem in omnibus, sic neq. natura diuina est vniuersalis, licèt in tribus personis existens, quia non est multiplicata, sed est eadem met natura numero in omnibus tribus personis; inquirimus autem hic vtrum detur tale Vniuersale.

Supp. 2. Quòd quando in progressu disputationis inuenientur isti termini, Singularia, Indiuidui, Differentiæ, & huiusmodi, idem omninò sunt, & significant ea multa, in quibus est, à quibus præscinditur, vel de quibus prædicatur vniuersale. Quando autem dicitur Pretreitas, Pauleitas, Eceitas intelligitur illa ratio indiuiduans seu per quam talis homo est Petrus, non Paulus, hic homo non alius.

4 Prima Concl. Datur vniuersale in rerum natura. Hæc Conclusio est Aristotelis pluribus in locis, & omnium Phylosophorum contra tamen Heraclitum, & Cratilum relatos ab Aristot. 4. Metaph. tex. 22. & alibi.

Prob. 1. Tam homo quàm leo conueniunt in animalitate, Petrus, & Paulus in rationalitate, ergo rationalitas, & animalitas, sunt quoddam vnum in multis existens, seu à pluribus participatum, at huiusmodi ex dictis est vniuersale, ergo datur uniuersale in rerum natura.

Prob. 2. Dantur voces vniuersales, quæ plura significant, non vt diuersa, sed vt conuenientia, v. g. vox, homo, significans omnes homines, item dantur conceptus vniuersales, v. g. hominis repræsentantes omnes homines, ergo etiam debet dari id, quod per vocem significatur, & conceptus repræsentatur; hoc autem est aliqua natura uniuersalis, ergo datur uniuersale, hæc min. probatur quãdo enim dicitur Petrus est homo, Paulus est homo, non intelligitur Petro, & Paulo solum nomen hominis conuenire, sed aliquod commune, per nomen expressum, ergo aliqua natura uniuersalis illis communis, ergo, &c. & ex hoc patet contra Nominales non in solis uocibus consistere uniuersale, sed in aliquo alio per uoces significato.

Prob. 3. Si non daretur uniuersale, non darentur scientiæ, quæ utpotè uersantes circa essentias rerum uersantur circa uniuersalia, sed dantur scientiæ, ergo, & uniuersale.

Ob. 1. Omnia quæ sunt, singularia sunt, ergo non datur uniuersale.

Resp. Quòd licèt sint singularia, possunt tamen conuenire inuicem; & eamdem participare naturam, & hanc appellamus uniuersalem.

Ob. 2. Vnum, & multiplex in essendo repugnat, sed huiusmodi debet esse uniuersale, ergo non datur uniuersale.

Respond. Vnum unitate numerica repugnare cum multiplicitate, non uerò unum unitate uniuersali, ut inferiùs probabimus, cum de unitate constitutiua uniuersalis agemus.

SECTIO II.

Vtrum Vniuersale detur à parte rei.

Vidimus dari Vniuersale absolutè, in rerum natura, at quia posset reperiri solùm in intellectu, ideo in præsenti inquirimus an ante operationem intellectus detur natura uniuersalis à parte rei. 5

Suppo. est 1. Actus intellectus vocari conceptus mentis, quia ueluti proles concipiuntur ab ipso intellectu, & quia ipsi conceptus sunt repræsentariui obiecti, ideò etiam obiectum, ut repræsentatum conceptus mentis appellatur cũ hac

tamen

tamen distinctione, quòd actus intellectus vocatur conceptus formalis; res verò seu obiecta concepta vocantur conceptus obiectiui.

Supp. 2. Quòd, cum intellectus possit separare perfectiones, quæ sunt in aliqua re, & de vnaquaq. conceptum distinctum efformare, vt quando solum concipit animalitatem in homine, non concepta rationalitate, ideo circa quālibet rem dantur plures conceptus obiectiui .s. rationes illæ, seù gradus correspondentes diuersis conceptibus formalibus, quæ rationes, seu conceptus obiectiui, cum non solùm sint indiuiduales, sed aliquando communes, & vniuersales, vt potè cum pluribus conuenientes, vt v. g. animalitas, rationalitas &c. in quibus conueniunt Petrus, & Paulus, homo, & leo, ideo hic inquirimus vtrum hæc vniuersalitas seu natura communis, sit verè à parte rei correspondens conceptibus obiectiuis, ā vero solùm per opus intellectus.

Suppo. 3. Contrà Platonem non dari vniuersale separatum à singularibus, dicebat enim Plato, vt refert Aristotele primò Metaph. cap. 6. & alibi, uniuersalia esse quasdam naturas separatas, quas Ideas uocabat, e quibus postea singularia desumebant suum esse; sic humanitas, equinitas dicebat esse vniuersalia. à quibus, Petrus, & Paulus participabant humanitatem, hic, & ille equus suum esse equinum, &c. quasi quòd hæ ideæ essent adinstar magnæ massæ luteæ; ex qua artifex desumit lutum od efformanda uasa. Hæc fuit opinio Platonis, licet ab aliquibus tanti erroris excusetur dicētibus pro Ideis non intellexisse talia vniuersalia separata a singularibus; sed ideas, quæ in mente diuina dantur omnium rerum.

Supp. ergo. Talia vniuersalia non dari propter multas rationes ab Auctoribus fusè adductas præcipuæ quarū sunt, quia vniuersale debet esse in multis, ergo ab illis nō debet esse separatum; tùm quia hæc natura, & idea realitèr separata a singularibus, esset singularis, vt pote indiuisa in se, & diuisa à quocumq. alio, ergo non vniuersalis, tum quia natura est essentia rerum, sed essentia non potest esse separata à singularibus, quorum est essentia, ergo &c. tum deniq. quia non esset assignabilis locus vbi starent tales ideæ separatæ à singularibus, ergo à primò ad vltimum clarè patet naturas separaras non dari, & si datur vniuersale à parte rei, dari debere inclusum in insingularibus.

6 Prima Conc. Datur à parte rei vniuersale inclusum in singularibus. Ita multi Thomistæ, & Scotistæ, vt apud Mastrium disp. 5. in logica art. primò, videtur etiam Aristotelis primò Metaph. cap. 6. & alibi.

Prob. primò. Dantur conceptus formales naturæ uniuersalis, ergo etiam debet dari conceptus obiectiui, sed conceptus obiectiui sunt expressiui obiecti q est à parte rei, ergo à parte rei dat natura, vniuersalis, āteccedens probatur concipitur eni natura, quæ est in Petro, & Paulo, vt vna natura, prima conseq. probatur, nam conceptus formalis correspondet non voci significanti conceptum, vt volebant Nominales, sed ipsi conceptui obiectiuo, non enim vox sola est, quæ percipitur ab intellectu, sed quod est expressum per vocem, ergo id, quod est expressum per uocem correspondet conceptui formali, ergo si datur conceptus formalis naturæ uniuersalis debet dari conceptus uniuersalis obiectiuus, ergo uniuersale à parte rei. correspondens conceptui obiectiuo.

Prob. 2. Humanitas quæ est in Petro, & Paulo potest unica definitione definiri; sed nequit definiri unica definitione, nisi quod est uuum ex Aristotele 8. Mateph. 15. ergo talis humanitas habet aliquam unitatem; sed huiusmodi unitas naturæ stat cum multiplicitate à parte rei, ergo datur uniuersale à parte rei, hæc min. prob. natura enim non habet ab intellectu, sed à se, quòd sit definibilis. ergo si est definibilis, ut una, ut talis est a parte rei licet etiam pluruficata.

Prob. 3. Nullo intellectu cogitante, Petrus est similis Paulo in rationalitate, similis leoni in animalitate, sed conuenientia, seù similitudo fundatur in unitate. ex Aristotele 5. Mateph. cap 15. ergo Petrus, & Paulus nullo intellectu cogitante sunt in aliquo, unum, ergo hæc unitas Vniuersalis stans cum diuisione in Petro, & Paulo nullo intellectu cogitante reperitur à parte rei, at huiusmodi unitas non est numerica, aut indiuidualis, ergo uniuersalis, ergo nullo intellectu cogitante datur uniuersale à parte rei.

Ob. A parte rei nulla datur unitas præter numericam, sed numerica non est constitutiua uniuersalis, ergo à parte rei non datur uniuersale.

Resp. Aliam unitatem dari à parte rei præter numericam, qua est constitutiua uniuersalis, in qua assignanda, cum præcipua, & difficilior difficultas sit in tota materia uniuersalis ob diuersas Doctorū opiniones, ideo diffusè eā dillucidabimus in sequenti sectione.

SECTIO. III.

Quanam sit vnitas constitutiua Vniuersalis.

Svpp. primò, Vnitatem consistere in negatione diuisionis, ut ex Aristotele decimo Metaph. 5 cap. 4. textu q Vnum enī dicitur, quod in se est indiuisium, per hanc autem indiuisionem in se debet esse à quocumq. alio diuisum, ut habetur ex eodem Aristotele; quare illud ens, quod erit in se indiuisum, & à quocumq. alio habebit diuisionem per suum tale esse, dicetur unum; unitas enim propriè consistit in negatione diuisionis; Vnum uero est ipsum ens indiuisum, seu habens negationem diuisionis.

Sopp. 2. duplicem unitatem posse considerarè in natura à parte rei materialem .s. & formalem; unitas materialis, quę etiam dicitur indiuidualis, est, quam haber quodlibet indiuiduū per unitatem numericam, secundùm quam est diuisum realitèr ab alio, sic per talem, Petrus dicitur realiter, & numericè distinctus a Paulo, formalis uerò est, quam habet idemmet indiuiduum, non ratione indiuiduationis, sed ratione graduum essentialium, ex quibus metaph. componitur, sic u. g. unitas indiuidualis

uidualis Petri est ipsa Petreitas; vnitas verò formalis, est esse substantiam, ens, animal rationale &c. talis autem vnitas formalis verè est à parte rei, cum sicuti Petrus dicitur *vnum* numericè, quia non est diuisus in plures materias. ita etiam possit dici *vnum* formalitèr cum non sit diuisus in plures formas, & essentias.

Sup. 3. Hanc vnitatem formalem, quæ verè ex omnium consensu datur in quocumq. indiuiduo à parte rei, præbuisse fundamentum Scotistis ad mittendi illam, vt constituentem vniuersale; cum enim vnitas formalis unius indiuidui sit similis formali unitati alterius īdiuidui u.g. rationalitas Petri, rationalitati Pauli, ideo dicebant rationalitatem Petri, & Pauli non esse duas rationalitates, sicuti sunt duo indiuidua, sed esse unam formalitèr rationalitatem cōmunicatā Petro, & Paulo singularizatis ab unitate propria indiuidua .s. à Petreitate, & Pauleitate, quæ rationalitas seu natura rationalis, cum secundùm essentialia sit indiuisa in se, & diuisa ab alia natura, & per indiuiduationes numericas pluribus communicata, ideo dicebant esse uniuersalem, ut potè *vnam in multis*. An autem talis unitas subsistat inquirendum est.

Suppo. 4. Caietanum, cognoscendo impossibilitatem unitatis formalis amissæ à Scoto, adinuenisse quæst. 6. de ente, & essentia, aliam unitatem, quam uocat Negatiuam. Hæc autem consistit in eo, quòd natura antequam sit contracta ad indiuiduationem sit una, ut potè diuisa à quacumq. alia, indifferens tamen ad cōtrhai per indiuiduationem Petri, uel Pauli, & quia in illo stauante contractionem ad singularia, habet negationem diuisionis, ideo unam unitate negatiua appellauit, uniuersalē postea dixit phoc, quòd sit cōtrahibilis a singularibus. Hanc etiam unitatem uidetur solis uerbis dissonantib' tenere Fonsecaquitò Metaph. cap. 7 3. quæst. 3. admitrens naturam, ut possibilem esse unam, multiplicem uerò per non repugnantiam ad posse contrahi à singularibus, an autem verè detur est etiam hic videndum.

8 Pri. Conclusio Non datur vnitas formalis ex natura rei, quæ sit constitutiua vniuersalis. Ita omnes Thomistæ cōtra Scot. & ferè recentiores omnes.

Pro Implicat, quòd eadem entitas à parte rei sit essentialitèr vna, & essentialitèr non una, sed hoc esset, admissa in natura unitate formali, ergo non est admitrēda; min. prob. si enī ex Scotistis natura, quæ est in Petro, est eadem ac illa, quæ est in Paulo formalitèr, & ex natura rei, ergo est eadem ex essentia rei, idem est enim ex natura rei, ac ex essentia rei, ergo essentialitèr vna, insuper non est vna essentialitèr, & dicit negationem unitatis, quia natura, quæ est in Petro, est realitèr identificata cum Petreitate, ergo essentialitèr est ipsa Petreitas, quæcumq. enim realitèr identificantur, essentialiter non possunt esse distincta, ergo natura, quæ est in Petro essentialitèr est distincta à natura, quæ est in Paulo, quia Petreitas est distincta à Pauleitate, ergo illa natura diceretur essentialitèr una, & essentialitèr non una, quòd implicat.

Prob. 2. si natura humana, quæ est in Petro, esset una formalitèr cum natura Pauli distincta à Petreitate, & Pauleitate nō posset cum Petreitate essentialitèr identificari, sed hoc est falsum, ergo id ex quo sequitur, mai. prob. implicat, quòd entitas essentialitèr vna identificetur cum essentiali sui diuisione, alioquin idem posset identificari cū sui negatione, ergo si natura est formalitèr, & essentialitèr vna, & Petreitas est essentialis diuisio, talis natura cum Petreitate essentialitèr, & realitèr non posset identificari.

Prob. 3. vel natura vna formalitèr est distincta realitèr ab indiuiduis, vel non; si est distincta realitèr, ergo est vna singularis, non vniuersalis, vt potè indiuisa in se, & diuisa a quocumq. alio, atque adeo similis ideis Platonis, si non est distincta realitèr, ergo identificata realitèr cum singularibus, sed singularia sunt multiplicata realitèr, ergo, & ipsa natura est realitèr multiplicata, ergo ex natura rei formalitèr, & essentialitèr non est vna, sed multiplex natura.

Neq. dicas esse multiplicatam realitèr vnam verò formalitèr.

Resp. enim hæc esse pura verba, nam esse vnā formalitèr secundùm ipsos est esse vnam essentialitèr ex natura rei, sed esse multiplicatam realitèr est esse multiplicatam essentialitèr, & secundùm essentialia, neq. enim essentialia Petri possunt separari à Petreitate, ergo si Petreitas distinguitur realitèr à Pauleitate. distinguitur etiam secundùm sua essentialia .s. secundùm suam naturam, ergo, & secundùm formalitatem, seu vnitatem formalem, & sic, si natura est realitèr multiplicata erit & formalitèr .s. secundùm propria essentialia cuiuscumq. indiuidui.

Prob. 4. vel natura, quæ est in Petro poterat poni in Paulo, vel non, si non, ergo signum est, quòd in tali natura specificatiuè accepta. sit aliquid, quod non sit in natura Pauli, cum potuerit identificari cum Petreitate, non cum Pauleitate, ergo ex natura rei non sunt vna natura, sed distinctæ; si verò dicant, quòd potuisset poni in Paulo, hoc est falsum, quia hoc modo accidentalitèr esset natura Petreitati, & Petrus in ratione indiuidui esset compositum accidentale, siquidem alia natura potuisset illi accidere, quòd est ridiculum, ergo à primò ad vltimum non datur hæc natura vna formalitèr. 9

Prob. 5. si natura humana esset vna formalitèr in Petro, & Paulo, sequeretur, Petrum, & Paulum non esse duos homines, hoc est falsum ergo &c. sequela probatur sicuti enī tres Personę Diuinæ non sunt tres Dii, licet três personalitates, quia vnicam habent naturam diuinam, ita Petrus, & Paulus non essent duo homines licet duas singularitates haberent, quia vnicam formalitèr participarent naturam, & humanitatem.

Prob. 6. quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, ergo si vna est animalitas, & cum illa essentialitèr identificātur homo, & leo, erunt idem inter se essentialitèr, quòd est falsum.

Nq. dicas eis idem inter se unitate formali generica, diuisos vero quoad esse specificatiuum, & indiuiduale.

Resp. enim hanc distinctionem esse per intellectum

ctum, quare sic vrgeo, & confirmo probationem, animalitas à parte rei, seu realiter, formaliter, est una, sed homo, & leo, realiter, formaliter identificantur cum animalitate, ergo realiter, formaliter inter se identificantur, quòd est falsum, si neg. min, eo quod homo, & leo cum animalitate, non identificentur realiter, ergo, dico ego, hoc esse unum formaliter nō est esse unū realiter, si enim esset idē, omne, quod est vnum formaliter esset vnum realiter, ergo hoc esse vnum formaliter est per intellectum, vel nihil, quod ipsi nolunt.

10 Prob. 7. Quòd est idem realiter cum aliquo est diuisum à quocunque alio cum illo, sed animalitas est eadem cum homine realiter, & à parte rei, ergo est diuisa ab animalitate bruti à parte rei, ergo animalitas bruti cū animalitate hominis non cōstituit aliquid unum formaliter à parte rei atque adeo non datur hæc vnitas naturæ formalis. Quare tota vnitas, quæ reperitur in natura Petri, & Pauli est solùmodo cōuenietia, & similitudo, vt infra dicemus, illam assignantes pro vnitate vniuersali, & si vnitas, quàm formalem vocant Scotistæ est maior, quàm similitudinis, est omninò ficta, & chimerica, nulloq. innixa fundamento, omnes enim rationes ab ipsis adductæ ad stabiliendam talem unitatem, possunt saluari data unitate similitudinis.

11 Secunda Conclusio. Neq. unitas uniuersalis est unitas negatiua, aut per non repugnantiam. Ita ferè communiter contra Caietanum loco supracitato.

Prob. 1. In nullo instanti potest esse natura humana u.g., in quò non sit Petreizata, aut Pauleizata, ergo nullo modo potest intelligi natura negatiuè una, conseq. patet ex eo, quia semper est multiplicata: antecedens etiam euidēs est, nā à parte rei non datur nisi hæc, & hæc numero natura.

Prob. 2. Si natura in aliquo instanti, esset sine petreitate, &c. esset positiuè, non negatiuè una, sed quod est unum positiuè neq. per ipsos est uniuersale ergo, &c. mai. prob. talis enim natura esset indiuisa in se, & diuisa positiuè à quocunq. alio, ergo, positiue una, ergo, &c. hoc autem est ita mihi clarum, ut superfluum iudicem ampliùs impugnare, impossibile enim uidetur captu, dari naturam à parte rei antequam sit contracta ad indiuiduationes, nisi uelimus admittere ideas Platonis toties impugnatas. Quare sit.

Tertia Conclusio. Vnitas constitutiua naturæ uniuersalis à parte rei est unitas similitudinis, seu conuenientiç, quàm habent secundùm aliquas rationes singularia, seù existentia, seu possibilia. Hęc Conclusio uidetur desumpta ex D. Thoma opusc. 48. tract. primo cap. 4. quem secuti sunt ueteres discipuli D. Thomæ Heruæus quodlibeto 1. quæst. 3. Niger quæst. 22. hanc etiam defendunt Complutenses dis. 3. de essentia Vniuersalis quæ. 5. nu. 27. Auersa quæst. 8. de Vniuers. sect. 6. Conc. 6. Spinula dis. 5. in Log. sect. 3. Conclusione vnica, Serbelonus in Log. disp. 2. quæst. pr. art. 3. §. 41 Guarinus disp. 4. de Vniuersali exp. 3. & alij multi, quos suppresso nomine refert Arriaga disp. 4. Logicæ sect. 4., non omnes tamen, licèt concedant dari hanc vnitatem similitudinis à parte rei volunt esse sufficientem ad constituendum vniuersale. Hoc tamen asseuerantet asserit Pontius disp. 3. in Log. quæst. 2. Conclus. 4. vbi etiam sustinet hanc fuisse vnitatem admissam à Scoto, appellatam tamen ab ipso formalem, vtpotè inter formalitates existentem.

Prob. 1. Quæ sunt similia sunt vnum in eo, in quo sunt similia, vt habetur ex Aristotele 5. metaph. cap. 15., sed adhuc sunt plura, commune enim axioma est inter Philosophos nullum simile esse idem, & nihil posse esse simile sibi, ergo vnum, & multiplex, sed huiusmodi debet esse vniuersale, ergo in similitudine, & conuenientia habetur vnitas uniuersalis.

Prob. 2. de natura Petri, & Pauli. Nullo intellectu cogitante uerùm est dicere, est animal rationale, ergo tàm natura Petri, quàm pauli est vna à parte rei, quod enim non est unum, nequit illi una definitio conuenire, sed non sunt unum numericè, non formaliter, ergo similitudinariè, ergo unitas uniuersalis consistit in similitudine.

Ob. 1. Natura Petri essentialiter non differt à natura Pauli, Petrietas verò essentialiter differt à Pauleitate, sed hoc prouenit, non ex sola similitudine, sed quia tā natura Petri, quā Pauli est una formaliter, non uerò Petrietas, & pauleitas, ergo unitas uniuersalis est formalis, non similitudinis, min. prob. etiam petrietas, & pauleitas dicunt similitudinem in indiuiduatione. 12

Resp. Naturam petri essentialiter non differre à natura pauli, non significare eamdem esse naturam, sed solummodo illas duas naturas distinctas conuenire in ijsdem prædicatis essentialibus, atq. adeo non differre in essentialibus licèt tamen reuera sint duæ essentiæ realiter, & formaliter distinctæ; quare non Petrietas simpliciter, & sola distinguitur realiter à pauleitate, sed tota illa natura, quæ dicitur Petrus distinguitur ab illa, quæ Paulus appellatur, qui licèt conueniant in ratione communi indiuiduationis tamen cum non conueniant in ratione talis indiuiduationis, ideò Petrus, & Paulus, vt talia indiuidua non dicuntur similia.

Ob. 2. Hæc vnitas similitudinis non est sufficiens ad constituendum vniuersale, ergo non est admittenda, antecedens patet, quia similitudo est semper inter plura distincta, & nullam habent vnitatem realem, sed solummodo rationis, & per intellectum, ergo, &c.

Resp. Neg. antecedens, & ad illius prob. dico in rebus similibus esse vnitatem realem, non tamen numericam, sed similitudinis, quæ vnitas realis non importat aliquod tertium ens à rebus similibus distinctum, vt videbimus in disp. de Relatione, sed sunt ipsa singularia, quæ quia conueniunt in aliqua ratione, omnia simul vnita dicuntur constituere vnum reale in similitudine. Quòd autē hæc vnitas similitudinis sit realis, nec distincta à reb⁹ similib⁹ patet clarè in concinnitate, quæ ab aure percipitur duarum vocum in eodem gradu similium, certum est enim talem consonantiam, vt vnam percipi ab aure, imò ipsam distinguere ab alia consonantia, ergo signum est, quòd illa consonantia,

quæ

quæ nihil aliud est, nisi duæ voces similes in aliquo gradu, sit realis, atq. adeo similitudo sit realiter à parte rei, sensus enim non percipit, nisi ens reale;

Ob. 3. Vnitas similitudinis ex Arist. fundatur in vnitate, ergo vnitas est ãtecedẽs ipsã similitudinẽ, ergo præter similitudinẽ datur alia vnitas à parte rei, in qua fundatur similitudo.

Resp. Similitudinem fundari in vnitate, non significare antecedentèr ad similitudinem dari vnitatẽ, sed illa esse similia, quæ sunt vnum, ita quod ratio vnitatis non sit ratio fundandi similitudinẽ, sed ipsa unitas est ipsamet similitudo, quod optimè, & diffusè prob. Pontius loco supracitato.

13 Ob. 4. Vnitas vniuersalis debet esse strictior, quæ potest esse præter numericam, sed huiusmodi esset vnitas præcisionis, per quam intellectus præscindit naturam unam à pluribus indiuiduis realiter distinctis, & conuenientibus in aliqua ratione, ergo hæc est admittenda.

Resp. Vnitatem præcisionis esse potiùs uniuersalis Logici, quàm Metaphysici, & in essendo, quare aliam unitatem necesse fuit assignare; Deinde, uel hæc unitas præcisionis correspondet unitati reali, & à parte rei, uel non; si non, ergo est fictitia, & ens rationis, si correspondet, ergo in illa cui correspondet constituenda est ratio uniuersalis in essendo, neq. solùm illius fundamentum debet dici, cum propriè, & uerè unitas appellanda sit, quæ ut concepta ab intellectu constituit uniuersale Logicum.

Instabis. Quandò intellectus præscindit animalitatem à Petro, & Bucefalo, non considerat rationalitatem in Petro, irrationalitatem in Bucefalo, ratione quarum à parte rei realiter inter se diuersificantur, ergo maior est unitas præcisionis, quàm similitudinis, quæ est à parte rei, conseq. probatur, quia illa, quæ est à parte rei stat etiam cum dissimilitudine, non verò, quæ in intellectu per præcisionem reperitur.

Resp. Quòd quando intellectus præscindit animalitatem à Petro, & Bucefalo, non considerando de rationalitate, & irrationalitate, illas non separat à Petro, & Bucefalo, alioquin faceret ens rationis atq. adeo cõcipit animalitatem, in Petro, & Bucefalo, ac est à parte rei, licet non cogitet de aliis rationibus illis idẽtificatis, & sic vnitas præcisionis, non ficta, non est maior vnitas, quàm quæ est à parte rei. Quòd autem intellectus unã rationem ab alia præscindat prouenit ex eo, quia, uidẽs eamdem naturam in plures effectus exire, v.g. hominem ratiocinari, sentire, uegetare, &c. ideò in illo diuersa prædicata distinguit, & vt est discurrens, rationalem, ut sentiens animal, ut negetans viuens illum, appellat, sicq. aliquando unũ, aliquãdo aliud prædicatũ concipit, præscindit ab alio; vtrùm autem, & quomodo à parte rei detur talis distinctio rationum, & graduum patebit in sequenti sectione.

Collig. Vniuersale in essendo, & metaphysicum non propriè dicere aptitudinem ad essendum in pluribus, sed de facto esse in pluribus, siue existentibus siue possibilibus, quod enim de facto est, propriè non potest dici aptum ad taliter esse, nisi quatenus per intellectum consideratur talis potentia, & aptitudo iam tamen reducta ad actum; quare definitio Arist. *Vniuersale est vnum aptum esse, &c.* vel intelligitur respectu possibilium quatenus tale vniuersale possibilium dicit aptitudinẽ ad illa, vt possibilia, vel de aptitudine satiata, & adimpleta, per inexistentiam in pluribus.

SECTIO IV.

An, & quomodo distinguantur inter se gradus Metaphysici,

Vbi

De Distinctionibus.

Dictum est supra in natura præter vnitatem numericam reperiri etiam vnitatem formalem, seu essentialem, & quia plures gradus essentiæ in aliqua natura reperiuntur, v.g. in homine gradus rationalitatis, animalitatis, viuentis sensitiui, &c. ideò plures vnitates formales, quæ grad' metaphysici vocantur in eadem natura, & entitate considerantur. Quæritur ergo hic, an isti gradus seu vnitates formales, & ab ipsa vnitate numerica, .s. ab indiuiduatione, & etiam inter se distinguantur, & si distinguntur, qualis sit hæc distinctio. 14

Supp. est autem, Diuersas à Doctoribus adinuentas fuisse distinctiones, quas hic necesse est ventilare, an verè dentur antequam examinemus, quanam ex his (si distinguntur) distinguantur gradus metaphysici. Distinctio autem importat separationem vnius ab alio, ideò uariæ assignantur distinctiones. Alia ergo est distinctio realis, alia rationis; distinctio realis est illa, quæ reperitur inter res à parte rei, ante operationem intellectus. Rationis verò, quæ versatur circa idem indistinctum à parte rei, distinctum tamen per opus intellectus; hæc autem diuisio distinctionum est immediatior, & proximior, cum enim ens diuidatur in reale, & rationis, sic, & distinctio entis, vel debet esse realis, uel rationis. Distinctio autem realis subdiuiditur in Negatiuam, & Positiuam; Negatiua est, quæ reperitur inter ens, & non ens, ut inter animal, & tenebras, uel inter duo non entia, seu negationes, ut inter umbram, & tenebras, dicitur autem huiusmodi distinctio realis, non quia extrema sint realia, uel quia inter ipsa detur aliqua relatio realis, sed quia de ipsis à parte rei uerificatur propositio negatiua, uel quia unum eo modo, quo est, reuera non est aliud. Distinctio Positiua est, quæ inter rem, & rem reperitur, uel inter rem & modum, uel inter modum, & modum. Prima uocatur realis positiua, secunda modalis; huiusmodi autem distinctio, uel est accidentalis, uel essentialis, sicuti sunt membra distincta. Vbi aduertendum est; quòd cum distinctio positiua importet negationem in rebus distinctis,

stinctis,

ſtinctæ, qua .ſ. una dicit negationem alterius, tamen diſtinctio non conſiſtit formaliter in negatione, ſed in re poſitiuè, quæ ſecundùm ſuum eſſe dicit non eſſe aliam, ſeu eſſe diſtinctam ab alia.

Diſtinctio rationis ſubdiuiditur in diſtinctionem rationis ratiocinantis, & in diſtinctionem rationis ratiocinatæ. diſtinctio rationis ratiocinantis, eſt quam facit intellectus circa idem realitèr indiſtinctum ex ſuo libito abſq; ullo fundaméto, ut quando concipit idem diſtinctum à ſe ipſo, uel idem ſibi ipſi, u. g. cum dicit Petrus eſt Petrus; Petrus eſt idem ſibi ipſi, ubi uidetur diſtinguere Petrum à Petro, uel eumdem à ſe ipſo; Diſtinctio rationis ratiocinatæ, ſeu cum fundamento. eſt quã facit intellectus circa idem indiſtinctum realitèr, uirtualitèr tamen diſtinctũ, quando .ſ. quia uidet idem indiſtinctum realitèr in uarios, & diuerſos effectus exire, u.g. hominem ratiocinari, ſentire &c. cum fundamento arguit diſtinctum principium ſentiendi, quod animalitatem uocat, diſcurrendi, quod rationalitatem appellat &c. de his autem diſtinctionibus ferè nulla eſt controuerſia inter Doctores, & communitèr ſunt acceptæ quare in ipſis non eſt hic amplius immorandum, ſolum quærendum eſt utrum aliæ duæ diſtinctiones Virtualis .ſ. Thomiſtarum, & formalis ſeu ex natura rei Scotiſtarũ; adinuentæ quaſi mediæ inter iſtas, uerè ſubſiſtant, & dentur in rerũ natura.

15 Diſtinctio, ergo Virtualis ut hoc conſiſtit, quòd ens realiter unũ & indiſtinctum, habeat uirtutem, & ſit potens effectus diuerſos ita producere, ac ſi eſſet realitèr diſtinctum, ſic u. g. quia homo intelligit, ſentit, & uegetat, qui effectus à cauſis realitèr diſtinctis poſsunt eſſe, dicitur Virtualitèr diſtinctus in animalitatem, rationalitatem &c.

16 Diſtinctio uero formalis, ſeu ex natura rei conſiſtit in diſtinctione diuerſarũ formarum, quas reperiri dicunt Scotiſtæ in aliquo ente indiuiſo, formas autem dicunt non phyſicas, quæ ſint entitates ſeu formę partis, ſed Metaphyſicas, quæ ſint formæ totius, quod nihil aliud eſt, quam quoddam abſtractum naturæ totius, ut u.g. humanitas, dicunt ipſi, eſt forma metaphyſica totius hominis. quia uerò hæ formę poſsunt eſſe, & totales, ut humanitas reſpectu hominis, & partiales ut rationalitas, & animalitas reſpectu eiuſdem, ideo tres formas, ſeu formalitates in eodem reperiri dicunt, animalitatis .ſ. uiuentis, rationalitatis &c. quarum quælibet, quia ex natura ſua non eſt alia, & fundat diuerſam rationem ab alia, ideo diſtingui ab illa formaliter, & ex natura rei aſſerunt, volentes ea omnia diſtingui à parte rei ante operationem intellectus in plures formalitates, quæ poſſunt fundare diuerſas relationes, & prædicata contradictoria, ſic ex natura rei dicunt diſtingui in Deo Miſericordiam, & Iuſtitiam, quia in Deo reſpectu Miſericordiæ, & iuſtitiæ verificantur prædicata contradictoria puniendi, & non puniendi, quod etiam dicunt de Gradibus metaphyſicis.

Prima Concluſio. Non datur diſtinctio formalis, & ex natura rei. Ita contra omnes Scotiſtas diuus Thomas illiuſq. ſequaces, & ferè recentiores omnes.

Prob. primò. Vel vnum diſtinctum formalitèr, & ex natura rei ab alio, eſt extra illud, vel non; ſi nõ, ergo non eſt diſtinctum ab illo, ſi eſt extra illud, eſt diſtinctum realiter, ergo non datur hæc diſtinctio formalis, probatur ſecundùm cornu dilemmatis, quod eſt extra aliud à parte rei eſt ſecundùm illud eſſe ſecundùm quod aptum natum eſt eſſe à parte rei (conſtitutiuum eſt etiam diſtinctiuum) ſed ſolum eſſe phyſicum entitatiuum aptum eſt eſſe à parte rei, ita, vt formalitates non ſint à parte rei, niſi pro vt exiſtentes in entitatibus phyſicis, ergo, quod eſt extra aliud, ſolùm ſecũdùm eſſe phyſicũ aptũ eſt eſſe extra illud, ergo ſi per diſtinctionem formalem vnum diſtinctum, eſt extra aliud erit ſecundùm eſſe phyſicum, & entitatiuum, ergo erit diſtinctio entitatum, & realis, non formalis, & ex natura rei.

Prob. 2. non poteſt à parte rei dari diſtinctio, quæ non ſit oppoſita identitati, quæ eſt à parte rei, ſed identitas, quæ eſt à parte rei nihil aliud dicit, quam ſimplicitatem, & vnitatem entitatis, ergo diſtinctio à parte rei oppoſita identitati à parte rei debet dicere multitudinem entitatum, ſed huiſmodi eſt diſtinctio realis, non formalis, ergo nõ datur diſtinctio formalis, & ex natura rei, quæ importet diſtinctionem formalitatum, & nõ realitatum, & non rerum. 17

Prob. 3. Vel hæ formalitates formalitèr diſtinctæ ſunt entia realia, uel non, ſi non, ergo nihil, vel aliquid rationis ſunt, aliud enim excogitari nequit, ſi entia realia, ergo diſtinctio erit, vt inter entitates, realis, non formalis.

Prob. 4. Si ſapientia ante operationem intellectus diſtingueretur ex natura rei, & formalitèr à Deo, ergo haberet in ſe negationem Deitatis, ergo non eſſet Deus, ſed creatura (quicquid enim non eſt Deus eſt creatura, vel nihil) item Deus haberet negationem ſapientiæ ſi ab ipſa ex natura rei diſtingueretur, quæ omnia ſunt falſa, ergo non datur hæc diſtinctio formalis.

Prob. 5. Vbi datur diſtinctio ibi datur compoſitio, ergo ſi in Deo daretur diſtinctio ex natura rei, & deberet dari compoſitio, ergo non eſſet ſimpliciſſimum ens, quod eſt falſum.

Secunda Conc. Datur diſtinctio virtualis in rebus realitèr indiſtinctis, atq. adeo inter gradus metaphyſicos, & vnitatem numericam, & formalitatem ſola interuenit diſtinctio virtualis. Ita cum D. Thoma omnes Thomiſtæ recentioreſq. infiniti relati à Telea parte 3. diſp. 52. in Metaph. ſec. 4 Morando quæ. 9. in Metaph. ar. 4. & ab aliis.

Prob. prima pars id, quod poteſt à pluribus inadæquatis conceptibus diuerſimodè attingi, aliquam diſtinctionem debet habere, ſed homo v.g. à pluribus inadæquatis conceptibus poteſt attingi .ſ. à conceptu rationalitatis, à conceptu animalitatis, &c. ergo aliquam diſtinctionem debet habere, ſed realem non habet, formalis non datur, ergo virtualis eſt aſſignanda, qua .ſ. cum ſit potens in plures diuerſos effectus exire, habeat fundamentum diuerſos conceptus terminandi.

Prob. 2. contradictoria de eodem poſſunt verificari,

rificari, vt in Deo punire, & non punire, in homine sentire, & non sentire, sed contradictio non potest esse circa omnino idem, ergo debet dari in Deo, & in homine aliquod distinctum: at non datur distinctum realiter, non formaliter, ergo virtualitèr.

18 Confirmatur. Quia ex communi datur distinctio rationis ratiocinatæ, sed hæc supponit fundamentum distinctionis in rebus, ergo, &c.

Prob. 2 pars. Nulla datur distinctio à parte rei, nisi realis, modalis, & virtualis, sed gradus metaphysici neque realiter, neq. modalitèr distinguntur, ergo virtualitèr, mai. probata est min. prob. distinctio enim realis supponit vtrumq. extremum separabile, modalis saltem unum, sed gradus metaphysici nullo modo separari possunt, alioquin destrueretur essentia illius cuius sunt, ergo non realitèr, neq. modalitèr, sed solùm virtualitèr distingui dicendum est; hoc autem nihil aliud sibi vult, nisi quòd illi gradus metaphysici, ex quibus compositum metaphysicum constituitur in se nihil aliud sint, nisi tota entitas cuiuscumq. rei, quæ licet indistincta realitèr, habet virtutem fundandi diuersos gradus metaphysicos exprimibiles per diuersa prædicata, & hoc dicito etiam de unitate numerica, & formali.

Prob. 2. Homo potest fundare diuersas relationes, potest enim esse similis per animalitatem Brutis, per rationalitatem Angelis, sed vbi diuersæ dantur relationes, debent diuersa fundamenta assignari, ergo cum realiter distincta fundamenta non sint, virtualiter debent esse, ergo, &c. habere autem distincta fũdamenta virtualitèr; nihil aliud importat, nisi esse tale ens æquiualens virtualitèr ratione productionis diuersorum effectuum diuersis entitatibus.

Ob. primò. Licet distinctio formalis sit ante operationem intellectus attamen non est inter res, sed inter formas, seu formalitates, ergo non est realis, sed formalis contra supra probata.

Resp. Nullum esse hoc subterfugium, vel enim hæ formalitates sunt aliquid, vel nihil, non nihil, ergo aliquid, ergo ens. (conuertuntur enim ens, & aliquid), quare si distinguuntur ex natura sua, debent distingui secundùm essentiam, & existentiam, ergo realitèr, non formalitèr, sed realitèr non distinguuntur, ergo &c.

19 Ob. 2. Contradictoria possunt homini v. g. cõuenire ante opus intellectus, sed contradictoria sopponunt distinctionem, nequeunt enim saluari circa idem omnino indistinctum, ergo ante opus intellectus datur à parte rei distinctio in homine, sed hæc distinctio non est realis, ergo formalis, & ex natura rei: mai. prob. homo enim à parte rei sentit vt animal, non sentit, vt rationalis.

Resp. Ante opus intellectus homini non conuenire contradictoria, cum enim omnis contradictio consistat in affirmatione, & negatione, secluso intellectu, non datur contradictio, quod si uellint dari fundamentum contradictionis, ad hoc saluandum dicimus sufficere distinctionem virtualem, qua .s. sit potens in plures, diuersos effectus exire.

Ob. 3. Ea sunt distincta à parte rei, quæ vnico conceptu nequeunt concipi, quod enim est īdistinctum vnico attingitur conceptu, sed formalitates omnes, quæ sunt in homine, v.g. nequeunt vnico conceptu concipi, ergo sunt distinctæ à parte rei, at non realiter, ergo ex natura rei, & formaliter.

Resp. 1. Negando mai., hoc enim prouenit, vel ratione obiecti, quod secundùm se non sit proportionatum intellectui, vt patet in Deo, qui ob summam perfectionem nequit vnico conceptu cognosci, neq. etiam secundum ea, quæ nullo pacto ab ipso distincta possunt poni, vt actus liberi, & ideæ; vel hoc prouenit ob imperfectionem intellectus cognoscentis, qui vtpotè finitus, & limitatus potest in eadem indiuisibili entitate vnam rationem cognoscere, non cognita alia, & inde.

Resp. 2. neg. min. Nam licèt formalitates diuersæ in eodem, quatenus subsunt diuersis conceptibus nequeant vnico conceptu concipi, tamen quia constituunt unam indiuisibilem essentiam optimè vnico conceptu possunt attingi, sic rationalitas, & animalitas quatenus constituunt naturam humanam vnico conceptu concipiuntur; deinde etiam supposita aliqua distinctione, possunt plures formalitates vnico cõceptu attingi. Intellectus enim potest cognoscere vnico actu plura, vt plura, sicuti, & vnica sensatione sensus, potentia imperfectior, plura obiecta potest attingere, & hoc clarè patet nullo modo ex hoc capite admittendam esse distinctionem formalem, sed virtualem sufficere.

Ob. 4. Opere intellectus distinguntur formalitates in homine, sed non potest dari distinctio, nisi vbi est distinctiuum, ergo à parte rei in homine, v.g. ante opus intellectus est distinctiuum, hoc autem nihil aliud est, quàm formalitates à parte rei formaliter inter se distinctæ, ergo, &c. 20

Resp. Non esse necesse, quòd illæ formalitates sint à parte rei formaliter distinctæ, sed sufficere, quòd sint virtualiter, potest enim intellectus per vim suam præcisiuam diuidere obiectum in diuersas partes secundùm esse obiectiuum per id solùm, quod obiectum idem indiuisum habeat virtutem producendi diuersos effectus.

Ob. 5. Vera est hæc propositio animalitas non est rationalitas, ergo signum est, quòd à parte rei, vna formalitas est distincta ab alia, sed non distinctione reali, ergo formali, & ex natura rei.

Res. Quòd si hæc propositio intelligatur de obiecto pro vt est à parte rei est omnino falsa, à parte enim rei in omine rationalitas est animalitas, si verò ītelligatur de animalitate, quæ est obiectiuè in intellectu, est vera, cũ enĩ propositio enũciare possit nõ dũ de his, quæ sunt à parte rei, sed & de his, quæ obiectiuè reperiuntur in intellectu, & intellectus possit præscindere vnam rationem ab alia, ideò supposita tali præcisione potest dicere animalitas præcisa, non est rationalitas quod nequit dici de animalitate, & rationalitate quæ existunt in vno indiuiduo à parte rei, quæ nullo pacto virtualitèr distinguuntur.

Ob. 6. gradus essentiales naturæ humanæ reperiuntur in Petro, & Paulo, at indiuiduatio vnius

non

non reperitur in alio, ergo gradus eſſentiales formaliter diſtinguntur ab indiuiduatione, ſeu ab vnitate numerica.

Reſp. omnes gradus Metaphyſicos, qui reperiuntur in Petro, eſſe realiter diſtinctos ab exiſtentibus in Paulo ſolùmq. inter ſe dicere conuenientiã, & ſimilitudinem; quare corruit argumentum.

21 Ob. 7. Quæ differunt definitione, differunt inter ſe, ſed gradus metaphyſici differunt definitione, ergo, & inter ſe, nõ autem realiter, ergo formaliter.

Reſp. ad hoc ſufficere diſtinctionem virtualem; & hac reſponſione ferè omnia argumenta reffelli poterunt.

Ob. vltimò. Natura eſt communicabilis, ſingularitas non eſt communicabilis, ergo pluſquam virtualiter diſtinguntur.

Reſp. naturam ſumptam pro vt eſt à parte rei non eſſe communicabilẽ, cum ſit enim ſemper ſingularizata, ideo nequit communicari; quare ſolùm poteſt dici communicabilis, quatenus concipitur ab intellectu præciſa à ſingularibus.

Coll. 1. nos nõ negare diuerſas formalitates, ſeu gradus metaphyſicos in entitatibus, verè enim in homine eſt rationalitas, animalitas, &c. ſed ſolũ negare inter illas, diſtinctionem formalem; quare verè dantur plures formalitates, virtualiter tamen ſolùm diſtinctæ.

22 Coll. 2. Quod quando in diſput. vtemur hac diſtinctione *formali* ptu tali diſtinctione non intelligenda erit, quam modo impugnauimus, ſed per ipſam, vel intelligetur diſtinctio per intellectũ, & rationis ratiocinatæ, uſu enim communiter loquendo, talis diſtinctio rationis ratiocinatæ, uocatur etiam formalis, vel intelligetur diſtinctio virtualis, illam quanſ q. formalem appellando, utpotè inter formalitates; ſicut etiam unitatem ſimilitudinis aliquando uocamus formalem, utpotè in formalitatibus exiſtentem. Et hæc ſufficiant de Vniuerſali metaphyſico, & in eiendo, tranſeamus ad Logicum.

SECTIO IV.

Quid ſit, & quomodo fiat Vniuerſale Logicum.

23 VNiuerſale logicum definitum fuit ab Ariſtotele primò Perhier. cap. 5. quod ſit *unum quod de pluribus ap...* *...* quale eſt, natura humana; quia autem prędicatio eſt quædam explicatio, ſeu iudicium quoddã intellectus, manifeſtatiuum ſubiecti, explicans quid in ſe ſit, ideo uniuerſale logicum propriè fit ab intellectu; difficultas ergo ſolùm eſt, quomodo fiat ab intellectu; cum enim intellectus poſſit obiecta cognoſcere, & actu comparatiuo, & actu confuſiuo, & præciſione formali, & præciſione obiectiua, ideo quonam ex his actibus faciat uniuerſale, inquirunt Doctores, in hoc autem maximè deſſudant, cum enim nullũ uniuerſale a parte rei ferè communiter admittant, ſed ſolum per intellectum, ideo maxima laborant difficultate in aſſignando, quomodo, abſq. fictione, conſtituatur ab intellectu unitas uniuerſalis, quæ à parte rei non reperitur. Nos autem ſuppoſita noſtra doctrina faciliter nos ab his difficultatibus expediemus.

Suppo. eſt autem. Actum comparatiuum eſſe illum, quo intellectus, agnoſcendo naturam vniuerſalem, illam comparat ſingularibus, à quibus contrahitur, vt quando conſiderans animalitatem contractam à Petro, & a Bucefalo, nec dum animalitatem, ſed & ipſum Petrum, & Bucefalum concipit; actus verò confuſiuus eſt, quando ſolùm confuſè ſingularia cognoſcit, clarè verò ipſam naturam ab ipſis participatam.

Supp. 2. Præciſionem eſſe actum intellectus, quo vnam indiuiſibilem realiter entitatem intentionaliter diuidendo, vnam partem concipit, non aliam: hæc autem duplex eſt, alia negatiua, alia poſitiua; negatiua eſt, quando intellectus concipiendo vnam partem, dicit non eſse aliam, vt quando dicit rationalitas non eſt animalitas, alia verò eſt præciſio poſitiua, quando ſimpliciter concipit vnam rationem, non cogitando de alia, & hæc eſt propriè vera præciſio realis, quæ inſuper duplex eſt, alia formalis, alia obiectiua; formalis eſt, actus ipſe intellectus, quo obiectum concipitur, & fit manifeſtum intellectui, ſeu manifeſtatio illa intellectiua, attingens totum obiectum vt eſt à parte rei, ſed in confuſo vnam partem, magis clarè aliã. ſic eſt præciſio formalis, qua cognoſcitur, v.g. animalitas participata a Petro, & leone, in cõfuſo cognitis, diciturq præciſio formalis, quia præciſio ſe tenet reſpectu formæ manifeſtatiuæ intellectui obiectum, ſ. reſpectu actus, qui eſt veluti pręciſus, vtpotè manifeſtãs totum obiectũ, ſed vnã partem obiecti clarè, aliam confuſè, diciturq. etiam præciſio inadæquata. Præciſio verò obiectiua eſt actus intellectus exprimens obiectum, non prout eſt in ſe à parte rei, & ſecundùm totum ſuum eſſe reale conſideratum, ſed ſecundùm eam ſolam partem, & rationem, ſecundùm quàm intellectui obijcitur, non conſideratis cæteris differẽtijs, cum quibus à parte rei identificatur, vt v.g. ſi conſideretur rationalitas, non conſideratis Petro, & Paulo, cum quibus à parte rei identificatur; dicitur autem hæc præciſio obiectiua, quia aliquo pacto intentionaliter fit præciſio in obiecto. His ſuppoſitis. Sit

Prima Concluſio. Vniuerſale logicum fit ab intellectu, nec dum per præciſionem formalem, ſed & per obiectiuam. In hanc ſententiam quoad primam partem conueniunt Nominales, & ferè omnes Doctores ſociet. Ieſu, ſicuti ex noſtris Guar. diſ. 4. de Vniuer. exp. 4. quoad ſecundam verò omnes Thomiſtæ, acriter defendentes præciſiones obiectiua, & multi recentiores, præcipue Spin. diſp. 5. in logica ſect. 4. ar. 4. 24

Prob. 1. pars. Per præciſionẽ formalem habetur natura vna apta prędicari de pluribus, ſed in hoc conſiſtit vniuerſale logicum, ergo per præciſionẽ, &c. mai. pr. per præciſionem formalem licet attingatur totum obiectum, tamen vna ſola formalitas illius clarius attingitur, v.g. animalitas reſpectu hominis, & leonis, ipſis in confuſo cognitis, ſed hæc ratio communis animalitatis, non eſt multiplex, ergo vna; item hęc ratio poteſt adduci per prædicationem ad ſingularia, ergo prædicabilis, ergo vniuerſale logicum.

Prob. 2. In tantum per præcisionem formalē non posset haberi vniuersale logicum, in quantùm conciperentur obiecta existentia à parte rei, quę sunt singularia, nec constituentia vniuersale à parte rei, sed, licet singularia, esse sufficientia ad constituendum vniuersale à parte rei, iam probatum est, ergo vt cognita in confuso, & clarè per illam rationem communem, per quam constituunt vniuersale à parte rei, possunt esse vniuersale logicum.

Prob. 2. pars. Humanitas v. g. præcisa à Petro, & Paulo, neq. in confuso cognitis, est vna, & apta prædicari de pluribus, ergo vniuersale logicum; sed talis præcisio est obiectiua, ergo per præcisionem obiectiuam potest efformari vniuersale logicum.

25 Neq. dicas; non posse fieri hanc præcisionem à Petro, & Paulo, cum nihil aliud sit humanitas, quàm Petrus, & Paulus, & cætera indiuidua.

Resp. Quòd licet à parte rei nullo pacto realiter distinguatur humanitas à singularibus, potest tamen intellectus sua subtilitate distinguere; sic autem fit hæc precisio, videt aliquis Petrum, & Paulum similes in aliquo, ex hac autem visione oculari resultat in phantasia quædam species repræsentatiua horum indiuiduorū, accedit inde intellectus agens, & suo artificio depurat illas species à materialitate, & à cōditionibus indiuidualibus, & ita depuratas trāsmittit ad intellectū possibilē, in quo cum sint depuratæ à materialitate, & à ratione indiuiduationis, non amplius repræsentant Petrum sub ratione Petri, & Paulum sub ratione Pauli, sed, vt duos homines. quare tunc intellectus concipit rationem hominis secundùm se, non consideratis differentiis indiuidualibus; & hæc est præcisio obiectiua, quæ nullo interueniente errore potest fieri ab intellectu.

Prob. 3. Verè datur à parte rei vnitas similitudinis in aliqua formalitate, sed quidquid est à parte rei, potest ab intellectu præcindi, ergo hæc sola formalitas potest præcindi, non cogitatis cæteris differentiis, at huiusmodi est præcisio obiectiua, ergo, &c. min. primi argumenti prob. ex fundamento enim distinctionis virtualis in rebus, potest intellectus alicuius effectus, vnum principium assignare, non cogitando, quòd sit principium alterius effectus.

26 Ob. primò. Contra primam partem conclusionis. Per præcisionem formalem, vel attinguntur aliquo modo singularia, quæ sunt à parte rei, vel non; si non attinguntur, hæc est præcisio obiectiua, cum non attingatur totum obiectum, quod est à parte rei, sed obiectum præscindatur; si attinguntur, ergo attinguntur, vt plura, sed vt talia à parte rei non sunt vniuersale, ergo neq. in intellectu.

Resp. per præcisionem formalem attingi singularia, & indiuidua, sed in confuso, cum solùm clarè attingatur ratio communis. quod autem per talem cognitionem non fiat vniuersale, clarè patet falsum in nostra sententia admittente vniuersale à parte rei, in vnitate conuenientiæ, & similitudinis; sed.

Inst. vniuersale logicum debet esse aptum prædicari de pluribus, at per solam vnitatē similitudinis, quā habet per præcisionē formalē non est aptū prædicari de pluribus, ergo per præcisionem formalem non potest fieri vniuersale logicum; min. prob. prædicatio enim est adductio naturæ vniuersalis ad singularia, ergo singularia non debent in illa natura esse cognita, alioquin ad quid prædicatio? ergo cùm per præcisionem formalem cognoscantur singularia similia, per ipsam non potest cōstitui vniuersale logicum, seu prædicabile.

Resp. neg. min. & ad illius probationem dico, prędicabilitatem posse saluari etiam cum vnitate similitudinis habita per præcisionē formalē, nā licet aliquo pacto cognoscantur indiuidua, tamen cognoscuntur in confuso, atq. adeo neq. cognoscitur perfectè identitas naturæ abstractæ cum illis, quæ per prædicationē potest dignosci, quòd sufficit ad hoc, vt tale vniuersale sit prædicabile, sed.

Inst. 2. humanitas v. g. quæ est in Petro, non potest prædicari de Paulo, ergo ad hoc, vt humanitas sit prædicabilis de Petro, & Paulo, debet esse concepta distincta à Petro, & Paulo maiori distinctione, quàm habet à parte rei, sed hoc non potest præstari per præcisionem formalem attingente aliquo pacto obiecta; ergo &c.

Resp prædicationem esse opus intellectus, atq. adeo, non humanitatem existentem realiter in Petro, prædicari de Paulo, sed humanitatem obiectiuè existentē in intellectu: cum enim intellectus à Petro, & Paulo præscindat rationem humanitatis, non considerando tamen, nisi in confuso, rationes indiuiduales, quæ essentialiter, & realiter indistinctæ sunt à ratione humanitatis, ideo de tali humanitate prædicationē facit, quæ tamen humanitas potest esse in intellectu, & cognitis in cōfuso differentiis indiuidualibus .s. per præcisionem formalem, & nō cognitis .s. per præcisionē obiectiuā.

Ob. 1. Non potest intellectus repræsentare nisi id, dequo habet speciē impressā, sed nō habet speciem impressam animalium possibilium, ergo non potest illa repręsentare, & concipere, nisi per speciem ab illis abstractam, & præcisam, ergo præcisione obiectiua, non formali. 27

Resp. intellectum non habere speciem impressā animalium possibilium originatam à sensibus, cū enī actualiter non fuerint nec sensus illa videre potuerunt, habere tamen illorum speciem impressam ab ipso intellectu efformatam ad similitudinē aliorum animalium existentium, quare dato quod intellectus cōcipiat illam animalitatem cum aliqua cognitione in confuso animalium possibilium, tale vniuersale erit in intellectu per præcisionē formalem, .s. tamen non negemus posse, & fieri per præcisionem obiectiuam.

Ob. contra secundam partem conclusionis. Vniuersale abstractum per præcisionem obiectiuā est vnum non multiplex, sed vniuersale debet esse, & vnum, & multiplex, ergo huiusmodi non est vniuersale. mai. patet humanitas enim u. g. præcisa nō cognitis ullo pacto differentijs, solùm inuoluit in suo conceptu unitatem, ergo &c.

Resp. illā naturā uniuersalē præcisā obiectiuè, esse unam, & in multis, nam licet non attingantur

alia

illa multa in quibus est, attamen ex hoc non deducitur non esse in illis; quòd patet ex eo quòd, talis natura ita præcisa, apta nata est prædicari de illis multis, ergo quia est in illis multis, nequit enim prædicari identicè de alio, quod non est idem cum illo.

Ob. 2. natura obiectiuè præcisa, non est eadem cum Petro, & Paulo, ergo non potest de illis essentialiter prædicari, & sic neq. esse vniuersalis, antecedēs est certum, conseq. prob. quia in prædicationibus essentialibus, prædicatum debet esse idem cum subiecto.

Resp. naturam obiectiuè præcisam, non esse eamdem cum Petro, & Paulo realiter, benè verò fundamētaliter, quòd sufficit ad prædicationē; licet eni natura, quæ est in Petro, solùm realiter possit inesse in Petro, tamen quia ex natura, quæ est in Petro, & ex illa, quæ est in Paulo, desumit fundamentum intellectus efformandi vnum conceptum vtriusq. naturæ, præcisum à suis differentijs, ideo talis conceptus aptus natus est prædicari de illis differentiis, & singularibus, quòd sufficit, & hac responsione facilè reijcitur quodcumq. argumentum.

Ob. 3. Si per præcisionem obiectiuam vniuersale logicum constitueretur, animal v. g. cognosceretur, & nō cognosceretur eadē cognitione,
28 hoc implicat, ergo, & id, ex quo sequitur, sequela probatur, cognosceretur quidem, vt supponitur, nō cognosceretur, quia non cognosceretur omne id, cum quo est identificatum, à parte enim rei est identificatum cum differentijs indiuidualibus.

Resp. primò. Quòd cognosceretur animal cum suis differentiis eadem cognitione, fūdamētaliter, licet non formaliter, in quo nulla est implicantia, quando enim intellectus præscindit animalitatem à suis differentijs, licet nullo pacto formaliter cogitet de differentijs, tamen quia à parte rei animalitas est imbibita in differentijs, ideo fundamenta talis humanitatis etiam cognoscit, licet non aduertat, & solùm rationem vniuersalem ab illis participatam, præscindat.

Resp. 2. Data sequela, neg. implicantiam, nam cognosceretur animal intentionaliter, non cognosceretur realiter, scilicet cognosceretur animalitas præcisa, nec cognoscerentur differentiæ reales, à quibus fuit præcisa, quæ differentiæ cum realiter distinguantur ab ipsa animalitate, vt præcisa, ipsa potest cognosci, illis non cognitis.

Collig. primò ex dictis. Actum præscindentem vniuersale debere esse aliquo pacto confusum, ad
29 quem tamen aliqua comparatio est necessaria antecedenter; est inquam necessaria comparatio antecedentèr, quia si plura in vna ratione conuenire debent cognosci, illa plura debent antecedenter comparari, & inter illa similitudo cognosci; est autem ipse met actus confusus, quia vel fiat per præcisionem obiectiuam, & talis est confusa, cum confundantur, & simul vniantur plures formalitates non cognitis illarum differentijs, vel fiat per formalem, & itiden erit confusa cum in confuso singularia cernantur, quæ confusio importat aliquam comparationem simplicem, per quam .s. intellectus apprehendit naturam vnam in multis.

Collig. 2. Vniuersale logicum solùm fieri per primā operationē intellectus. Ità Scotus, & aliqui Thomistæ relatià Pontio disput. 3. de vniuersalibus quæstione 6. Conclusione 4.

Ratio autem est, quia vniuersale logicum est, 30
quod est prædicabile de pluribus, sed per solam primam operationem natura vniuersalis fit prædicabilis de pluribus, ergo per ipsam solam fit vniuersale logicum; Non fit autem per secundam operationem, quia secunda operatio est actualis prædicatio, sed vniuersale logicum non consistit in actuali prædicatione, sed in eo quòd natura vniuersalis fiat in potentia proxima ad prædicationem, seu in prædicabilitate, ergo secunda operatio non facit sed supponit factum vniuersale.

Tùm quia, secunda operatio non potest facere vniuersale logicum, nisi iudicando existentiam naturæ vniuersalis in inferioribus, sed hoc iudicium supponit apprehensionem talis naturæ vniuersalis ī singularibus, ergo supponit factum vniuersale, & sic non facit.

Tùm quia, intāiū intellectus prædicat per secundam operationem naturā humanam abstractam, de Petro, non de equo; quia priùs ipsam apprehēdit in Petro, non in equo, ergo prius est facta talis natura vniuersalis à prima operatione, ergo nō fit à secunda, sed solùm de facto iudicat, & prædicat; quòd etiam dicito de tertia operatione.

Neque valet, secundam, & tertiam operationē facere ens rationis, licet supponant factum à prima operatione, ergo, & vniuersale.

Respondetur enim, disparem esse rationem, nā cum totum esse entis rationis cōsistat in esse quid obiectiuum, seu repræsentatum in specie expressa seu verbo mentis, ideo cum quælibet operatio producat propriam speciem expressam, & verbū, & consequenter in illo relucear ens rationis, ab ipsis de nouo fieri ens rationis asseruimus: At vniuersale logicum est conceptus confusus naturæ vniuersalis proximè prædicabilis; cum autem, hoc vniuersale tale sit, solùm per primam operationē, non per secundam, dicimus per illam solam constitui; nam licet etiam secunda operatio producat speciem expressam, & verbum talis naturæ vniuersalis apprehensæ, tamen, non producit speciē expressam illius, vt prædicabilis, sed vt actu prædicatæ, per quam prædicationem actualem, cum non constituatur vniuersale logicum, sed supponatur, ideo talem naturam expressam à secunda operatione, dicimus esse, & supponi, non verò fieri vniuersalē, atq. adeo secundam operationem nō facere vniuersale.

Collig. 3. A qualibet alia potētia cognoscitiua 31
interna posse fieri vniuersale logicum. Ita Arriaga disput. 6. logicæ sect. 7. Ratio autem est, quia quælibet potētia cognoscitiua potest plura imperfectè cognoscere, vt vnum, sed hoc modo cognoscere est facere vniuersale, ergo &c.

Neq. dicas, huiusmodi vniuersale non futurum aptum ad prædicationem, eo quòd nulla poten-

tia, præter intellectum, possit prædicare, atq. adeo non futurum vniuersale.

Resp. enim, tale vniuersale futurum prædicabile, licèt non ab illis potentijs, tamen ab intellectu, quod sufficit, in prædicatione enim non consistit ratio vniuersalis logici, sed in prædicabilitate, seu aptitudine ad prædicationem.

32 Coll. 4. A sensibus externis non fieri vniuersale logicũ, cognosci tamen vniuersale metaphysicum, seu physicum; non fit autem vniuersale logicũ, quia sensus externi producunt sensationem per receptionem specierum obiectorum, illas non immutando, ergo si percipiuntur ab ipsis plures species, vt vnum, vt quando oculus videt stellas viæ lacteæ vt vnum splendorem, hoc est, quia ita sunt confusæ à parte rei, atq. adeo cognoscunt vniuersale physicum, &c. non faciunt vniuersale logicum, & Conf. ex his, quæ diximus de ente rationis, nam confusio talium specierum recipitur etiam in speculo, sed à speculo non fit vniuersale logicum, ergo, &c.

Coll. 5. A potentijs appetitiuis non fieri vniuersale, cum enim ferantur in cognitum, ideo si ferentur in vniuersale, in illud ferentur, vt iam factum, ergo non facerent.

Coll. 6. Bruta posse facere vniuersale, cum possint cognoscere, suis potentijs cognoscitiuis, plura, vt vnum; & licèt tale vniuersale non posset prædicari, neq. ab illis, neq. ab hominibus, cum ipsum non possint attingere, sufficit tamen, quòd de se sit prædicabile saltem ab intellectu aliquo potente illud attingere.

Coll. 7. Deum nullo modo posse facere vniuersale logicum, cum perfectissimè cognoscat, & non in cõfuso, quòd necessarium est ad faciendum vniuersale logicum,

Coll. 8. Beatos, circa possibilia non clarè cognita, posse etiam facere vniuersale, cum illa in confuso sub vnica ratione vniuersali possint concipere.

SECTIO VI.

De Prædicabilitate Vniuersalis Logici.

33 PRædicari vnum de alio, idem est, ac dici vnum de alio, quare esse prædicabile nihil aliud importat, nisi esse tale ens aptum natum dici de alio; prædicabilitas uerò dicit ipsam aptitudinem, seu potentiam ad posse prædicari, quæ aptitudo inest tamquã aliqua forma, seù relatio ĩ ipsis rebus prædicabilibus. Hic ergo est priùs inquirendum, an hæc aptitudo, seu prædicabilitas, sit essentia vniuersalis logici, an uerò passio, seu proprietas essentialis ab essentia dimanans. Quo determinato, insuper erit examinandum, quid sit, quod prædicetur, quando prędicatur uniuersale, cum enim uniuersale sit quoddam vnum cõpositum ex natura vniuersali, veluti materia, & ex vniuersalitate, veluti forma, dubium est, an quando prædicatur, prædicetur ipsa vniuersalitas, an vero natura ipsa.

Supp. est autem, quamlibet prædicabilitatem non conuenire vniuersalibus, cum enim possit prædicari inferius de superiore, vt cum dicitur aliquod animal est leo, quæ appellatur prædicatio indirecta, & hæc non sit prædicatio vniuersalis, ideo prædicabilitas vniuersalis debet esse directa, vt superius, .s. vniuersale, prædicetur de inferioribus; insuper cum possit dari prædicatum, quod de vno subiecto affirmetur, vt cũ dicitur indiuiduum est vnum, ideo prædicabilitas vniuersalis, debet esse prædicabilitas de pluribus; insuper quia potest dari vnum prædicatum de pluribus, quod tamen sit in se indiuisum, vt est natura diuina vna singularis, quæ tamen prædicatur de tribus personis, ideò prędicabilitas vniuersalis debet esse prædicabilitas vnius in se indiuisi ratione conceptus cõfusi, de multis veluti se ipsis, vno verbo, prædicabilitas vniuersalis est prædicabilitas directa, de pluribus realiter distinctis, sub vna tamen vniuersali ratione abstracta, & pręcisa, conuenientibus.

Prima Conclusio. Prædicabilitas, non est essentia vniuersalis logici, sed illius passio. Ita Scotus relatus à Mastrio disp. 4. in logica, quæst. 2. ar. 2. & ferè communiter.

Prob. 1. Id quod primò intelligitur in rebus, dicitur esse illius essentia, quod verò ab ipso dimanat, illius passio, sed in uniuersali logico, priùs itelligitur esse in multis, postea prædicari de multis, ergo esse in multis est illius essentia, prædicari verò, passio essentialis.

Prob. 2. Posse prædicari sequitur ad esse, sed quod sequitur non est essentia, sed passio, ergo posse prædicari, seu prædicabilitas est passio, non essentia vniuersalis logici, mai. patet, prædicari enim est affirmati vnum de alio, ergo priùs supponitur vnum esse aliud.

Prob. 3. Quando duo attributa sunt in aliqua re, id quod emanat ab alio, non potest dici illius causa, sed passio, at esse in multis, & prædicari de multis conueniunt in vniuersali, & secundum emanat à primo, ergo secundum non potest dici causa, & essentia, sed passio dimanans ab essentia.

Ob. Essentia est illa, per quam res primò constituitur in suo esse, sed vniuersale logicum, primò constituitur in tali esse per prędicabilitatem, ergo &c min. prob. quia vniuersale logicum in tantùm est tale, in quantum est conceptum ab intellectu, sed per esse conceptum ab intellectu, primò & per se aptum est prædicari, ergo, &c. 34

Resp. Neg. min. & ad illius probationem dico, desumere quidem ab intellectu prædicabilitatem, sed tãquam passionem, non tamquam essentiam, quatenus quã do est in intellectu, est aptũ formaliter ad prædicationẽ, ad quã fundamentaliter erat aptum a parte rei; Quod vero hæc non sit essentia, sed passio, patet ex eo quia, quæro, quare est prædicabile de pluribus? non quia est in intellectu, singularia enim sunt in intellectu, & non sunt prædicabilia de pluribus, est ergo prædicabile de

pluribus

pluribus, quia est in pluribus, & concipitur ab intellectu, esse in pluribus, conceptus ergo intellectus priùs exprimit vniuersale, ex qua postea expressione vniuersalis, emanat illius prædicabilitas tamquam passio. Sed

Inst. in definitione uniuersalis logici ponitur prædicabilitas tamquam illius differentia, dicitur enim *vnum aptum prædicari de multis*. sed differentia est pars metaphysica essentialis illius, cuius est differentia, ergo prædicabilitas est pars essentialis uniuersalis logici, ergo non passio.

Res. disting. mai. Ponitur prædicabilitas tamquam illius differentia essentialis, & metaphysica, neg. mai. tamquam illius passio essentialis, & concedo maiorem; Quia enim iam explicauerat Aristoteles partes essentiales metaphysicas vniuersalis per ly *vnum*. tamquam genus, per ly *in multis* tamquam differentiam, ideo uolens explicare uniuersale logicum, quod solùm differt ab uniuersali metaphysico per hanc passionem formaliter sumptam, utpotè, quia metaphysicum solùm fundamentaliter est prædicabile, logicum uerò formaliter; ideo inquam in illius definitione explicat hanc illius primariam passionem .s. prædicabilitatem, dicens *vnum aptum prædicari de multis*, quòd etiam facit Porphirius in definitione omnium prædicabilium, per proprietates enim & passiones, multoties clariùs cognoscitur quid sit rei.

Sec. Concl. Quando prædicatur vniuersale, non
35 prædicatur uniuersalitas, neq. singularitas, sed natura ipsa præcisa, prout importat prædicata essentialia. Ita D. Thomas cap. 4. de ente, & essentia, & opusc. 56. ita Auer. quæst. 8 in log. sect. 14. Comp. in disp. 32. sect. 3. & alij multi ab ipsis relati.

Prob. 1. pars. Quòd non prædicetur uniuersalitas. Id prædicatur quod, licèt præcisum per opus intellectus, etiam tamen inest in rebus, prædicatum enim affirmatur de subiecto, quia inest in illo, sed uniuersalitas non est in rebus, ergo uniuersalitas non prædicatur; & Confirm. neq. enim dicitur Petrus est species humana, seu specieitas, sed Petrus est homo.

Prob. 2. pars. Quòd non prædicetur natura, prout est singularis, & indiuiduata. Quando dicitur Petrus est homo, non est eadem prædicatio, & propositio, ac quando dicitur Petrus est hic homo, in secunda enim importatur ex parte prædicati determinata singularitas respectu Petri, non verò in prima, ergo in prima propositione ly prædicatum *homo*, non sumitur singulariter, sed vniuersaliter, ergo natura vt singularis, & indiuiduata, non prædicatur, quando prædicatur vniuersale; & confirmatur, quia hoc esset prædicare singulare de singulari, non verò vniuersale de singulari.

Ex quo patet 3. pars. Quòd .s. prædicetur natura præcisa secundum prædicata essentialia; ita ut quando dicitur Petrus est homo, sensus sit, quòd prædicata essentialia hominis, sint in Petro; sed

Ob. Quando dicitur Petrus est homo, vel de illo prædicatur tota natura, vel pars; non pars, quia non esset prædicatio vniuersalis, ergo tota natura humana, sed non natura, quæ est in Paulo, quod implicat, ergo vniuersalitas, ergo cum prædicatur vniuersale, prædicatur secundùm vniuersalitatem, non secundùm naturam.

Res. Prædicari naturã humanã non extẽsiuè, sed intẽsiuè .s. non integralis, prout in suo cõceptu inuoluit omnes homines, sed essẽtialiter, prout dicit omne id, quod includitur in suo essentiali conceptu, quare cum in suo essentiali conceptu inuoluat prædicata essentialia, quando dicitur Petrus est homò, sensus non est, Petrus est humanitas, seu tota natura humana, quæ etiam est in Paulo, sed sensus est, ea prædicata essentialia, quæ reperiuntur in Paulo, & in alijs hominibus, reperiuntur etiam in Petro.

Coll. 1. Quòd cum natura sit illa, quę prædi- 36
catur, non vniuersalitas, ideo in definitione vniuersalis logici, definita est ipsa natura non verò vniuersalitas; ipsa inquam natura non simpliciter, sed prout substat vniuersalitati .s. prout est vniuersalis, cum enim natura sit illa, quæ inest, & prædicatur de singularibus, ipsa definitur. Neq. valet, quòd, quando aliquid definitur, principaliter definitur eius ratio formalis, ergo cum ratio formalis naturę vniuersalis sit vniuersalitas, ipsa uniuersalitas debet intelligi definita.

Resp. enim: quòd non sola ratio formalis definitur, sed subiectũ etiã rationis formalis, sic quãdo definitur homo, non definitur, quòd sit rationalis, sed quòd sit animal rationale, sic ergo in casu nostro, definitur ipsa natura principalis prout substat rationi formali .s. uniuersalitati, & hoc intelligite de omnibus prædicabilibus, ità quòd in definitione generis, natura generica, non Genereitas sit definita, in specie, natura specifica, non specieitas.

Collig. 2. Quòd tàm ad uniuersale logicum, quàm ad metaphysicum requiruntur plura indiuidua, ita quòd ab uno solum indiuiduo nequeat præscindi natura communis, & uniuersalis, & ratio est clara, cum enim utrumq. uniuersale, uel sit in multis, uel aptum prædicari de multis, ideo singularia, saltem possibilia, sunt necessaria ad hoc, ut in ipsis sit uniuersale, & ab ipsis possit abstrahi.

SECTIO VLTIMA.

De Diuisione Vniuersalis.

NOn hìc inquirimus, quot sint naturæ vniuersales, cum sint tam copiosæ, vt illarum mul- 37
titudinem impossibile sit recensere, sed solùm quæstio procedit inquirendo, quot, & qui sint modi diuersæ formaliter uniuersalitatis, & prædicabilitatis. Sit, ergo.

Prima Concl. Diuiditur Vniuersale in Genus, Speciem, Differentiam, Proprium, & Accidens. Ita communiter cum Porphirio.

Prob. Quidquid inest in pluribus, uel prædicatur de pluribus, inest, & prædicatur, uel tamquã aliquod essentiale, uel tamquam aliquod acciden-

tale

tale, si tamquam aliquid essentiale, vel per modum partis materialis, & ecce Genus, vel per modum partis formalis, & ecce Differentia, vel per modum totius, & ecce Species; si tamquam aliquid accidentale, vel inest, & prædicatur necessariò, & ecce Proprium, vel accidentaliter, & contingenter; & ecce Accidens, ergo cum quinq modis possit aliquid inesse in multis, & de multis prædicari, quinq. erunt species vniuersalium, seu prædicabilium.

Secunda Conclusio. Vniuersale, respectu quinq. prædicabilium est vniuocum Ita ferè communiter.

Prob. illud est vniuocum, cuius nomen est idem, & eadem ratio per nomen significata, sed huiusmodi est vniuersale respectu quinq. prædicabilium ergo, &c. min. prob. omnia enim uocantur uniuersalia, item omnia conueniunt in hoc, quòd sint vnum in multis unitate similitudinis, quod omnia sint in intellectu per conceptũ confusum, per prædicationem adducibilem ad singularia, ergo &c.

De his ergo prædicabilibus in particulari est agendum, quare sufficiant dicta de Vniuersali in communi.

DISPVTATIO QVARTA

De

Quinque Prædicabilibus

QVoniam, vt vidimus, vniuersale diuiditur in quinque prædicabilia, ideò de tali uniuersali in communi terminata disputatione, circa eius partes, seu membra diuidentia, quæstiones introducimus; & quia genus in his, primum locum tenet, ideo ad genus pertinentia primò dilucidabimus.

SECTIO PRIMA.

De Genere,

Et de ad ipsum Spectantibus.

3 NOtandum primò. Quòd hic non agitamus quæstionem de genere metaphysico, quatenus .s. inest in multis, sed solummodo de logico quatenus prædicatur de multis, cum enim disputatio sit de prædicabilib⁹, ideo tũ genus, tũ alia prædicabilia in ordine ad prędicationé sũt consideranda; licet enim prędicatio fundetur in essendo rei, tamen supposita doctrina tradita de uniuersali in communi circa esse metaphysicum, quæ est communis omnibus prædicabilibus, ut illius partibus, seu membris, hìc solum illa, ut logica, seu ut prædicabilia considerabimus.

Notandum 2. Quòd aliquid uel potest prædicari per modum substantiæ, & per se stantis illius, de quo prædicatur, & hęc dicitur prædicatio *in quid*, ad quæsitum enim factum per *quid* semper respondetur per substantiam rei, de qua est interrogatio, sic si quis interrogetur, quid est homo? rectè respondetur: est animal rationale, uiuens &c. uel potest prædicari per modum adiacentis, seu inhærentis in re, de qua predicatur, & hæc dicitur prædicatio *in quale*, quia ad quæsitum factum *in quale*, semper respondetur per aliquid adiacens, seu inhærens, ut si quis interrogetur, qualis est homo, rectè respondetur: risibilis, bipes, rectus &c. uel potest prędicari per modum substantiæ, non tamen per se stantis, sed inhærentis in alio, qualis est forma, & hæc dicitur prędicatio *in quale quid*, in quid .s. quoad rem prædicatam, quę est substantialis, in quale, quoad modum standi .s. per inhæsionem.

Notandum 3. Definitum fuisse Genus à Porphyrio, quòd sit *id quod prædicatur de pluribus differentibus specie in quod quid est*, quæ definitio maxime examinanda est, an .s. conueniat generi essentialiter, an uerò solummodo sit descriptiua: multi enim affirmant esse solummodo descriptiuam, non uero essentialem, & quidditatiuam.

Prima Conclusio. Definitio generis tradita à Porphyrio, est optima definitio generis, ut prædicabilis. Est Scoti quæst. 15. in prędicabilibus, Caiet. ibidem, & aliorum contra Tol. Morandum, Guatinum & multos alios.

Probatur primò. Bona definitio tradenda est per genus, & differentiam, sed hæc est huiusmodi, ergo est optima, prob. min. explicatione definitionis.

Dicitur genus *est id* .s. id Vniuersale, loco generis, conuenit enim in hoc cum cæteris aliis prædicabilibus,

dicabilibus, quæ sunt vniuersalia, dicitur *quod prædicatur* vt explicetur per prædicationem, quæ est essentialis passio vniuersalis logici, definitio nem esse de genere logico.

Dicitur *de pluribus differentibus specie* ad differentiam essentialem speciei, quæ prædicatur de pluribus differentibus numero, licet enim etiam genus possit prædicari de pluribus differentibus numero, tamen hoc non fit immediatè, sed mediantibus speciebus, neq prædicatur, vt tota essentia, sicuti species, sed vt pars essentiæ; dicitur *in quod quid est* vt distinguatur etiam essentialiter à Differentia, quæ prædicatur in quale quid, & à Proprio, & ab Accidente, quæ prædicantur in quale simpliciter, vt videbimus.

Aduer. tamen, quòd quando dicitur genus est id, quod prædicatur, &c. per ly *id quod* intelligimus, secundùm præhabita in vniuersali, conceptum confusum, qui reperitur in intellectu naturæ similis, quæ est à parte rei, cum enim genus sit pars vniuersalis, & vniuersale sit vniuocum respectu generis, & aliorum prædicabilium, ideo quæ diximus de Vniuersali, intelligēda sunt etiam de illius partibus, scilicet de genere, & alijs prædicabilibus.

39 Obij. 1. Si genus definiretur per genus, & differentiam, daretur genus generis, sed hoc implicat, quia daretur processus in infinitum, ergo nullo pacto genus pot st definiri, prob. sequela, quia deberet dari genus p imum, per quod definiretur secundum, deinde aliud genus, per quod definiretur illud primum, & sic in infinitum.

Resp. data maiori, negan. minorem, non enim implicat, quòd detur genus generis, cum primum genus sit in diuersa ratione, saltem accidentaliter, ac secundum, primum enim genus est illa ratio communis, seu conceptus confusus intellectus, per quem concipit similitudinem inter omnia prædicabilia, quæ in se habent aptitudinem ad posse prædicari; secundum verò genus est ratio communis, seu conceptus confusus intellectus per quem concipit similitudinem aliquarum naturarum in prædicatis essentialibus, & sic cum vnum sit diuersum ab alio, non implicat dari genus generis.

Neque ex hoc sequitur processus in infinitum, quia licet etiam illud primum genus posset definiri per genus, tamen hoc genus, per quod definiretur, non esset ab illo diuersum, cum conueniret in ratione similitudinis ut sic, &c. omnia enim genera, quæ hoc pacto possent in infinitum cognosci, omnia conuenirent in ratione similitudinis, &c. & sic secundùm hanc vnam rationem, vnum esset genus, licet per intellectum vnum definiretur per aliud.

Obijcies 2. Si definiretur genus per genus, & differentiam, genus definitum euaderet species, ergo nullo pacto potest definiri genus. Probatur sequela, quia euaderet species illius generis, per quod definiretur.

Resp. distinguendo antecedens euaderet, &c. secundum diuersam rationem, concedo, secundum eamdem, nego; in vna enim ratione esset species illius generis, per quod defini et in alia postea esset genus, respectu specierum de quibus essentialiter prædicaretur.

Obijcies 3. ex Morando, & Guarino. Porphyrius pluribus in locis vocat traditam definitionem generis, descriptionem, ergo ex eodem desumitur, non esse quidditatiuam definitionem, sed descriptiuam.

Res. vocasse talem definitionem descriptiuam largo modo, quælibet enim definitio potest largo modo appellari descriptiua, primatium tamen suum intentum fuisse tradere essentialem, & quidditatiuam definitionem generis, quòd clarè patet ex eiusdem uerbis relatis à Morādo. f. (*nihil enim superfluū descriptio ista*) in quibus enititur probare nihil esse superfluum in assignata definitione, iuxta regulas bonæ definitionis ab ipso optimè cognitas; Si enim solam descriptionem uoluisset tradere, non tam scrupulosè examinasset, an esset aliquid superfluum; nec ne, cum in descriptionibus tam subtiliter non sit progrediendum.

Ob 4. Ex supradictis, sicuti se habet prædicari ad vniuersale, ita se habet ad eius partes, s. prædicabilia, sed prædicari se habet, & est passio, ergo vt passionem se debet habere respectu prædicabilium, sed quod se habet per modum passionis, non est essentiale, ergo definitio explicans prædicabilitatem, nō est definitio essētialis ergo data a Porphirio, quæ est huiusmodi non est bona.

Res. 1. Definitum fuisse hic genus à Porphirio, vt vniuersale prædicabile; quare necessaria erat explicatio illius prædicabilitatis, non tanquam essentiæ, sed tanquam passionis, sicuti si definiendus esset homo, vt potens ridere, in definitione explicanda esset illius passio essentialis risibilitatis, sic dicendo *homo est animal risibile*.

Res. 2. Dato toto argumēto, neg. vltimam conseq. ex eo quia, in definitione Porph. nō explicatur prædicabilitas, vt pars metaphysica essentialis, sed solummodò, vt passio, ad hoc, vt ex passionibus clarius dignoscatur genus logicum, facilius etiam ex proprietatibus & passionibus dignoscitur quid sit res; & hoc modo, definitum etiam fuit vniuersale ab Aristotele dicendo *Vniuersale logicum est vnum aptum prædicari de multis*. Quòd autem hoc ita sit, patet, quia aliæ sunt partes essentiales metaphysicæ huius definitionis ly *vniuersale* quod subintelligitur ante particulam ly *Quod*, sensus enim definitionis est *genus est vniuersale, quod prædicatur, &c.* & ly *in quod, de pluribus differentibus specie*, per primam explicatur Genus, cum quo conuenit cū cæteris prædicabilibus, quæ omnia vniuersalia sunt, per secundam, differentia ab alijs prædicabilibus. Et quamuis videatur perfectius explicatā fuisse essentiam generis, si dictum fuisset *Genus est vniuersale, quod aptum est in esse, & prædicari de pluribus differentibus specie*, tamen quia inexistentia in multis satis explicata est per particulam ly *vniuersale* quæ de suo formali importat hanc inexistentiam in multis; ideo per illam explicato genere generis, solum tunc necesse

illius

& præcipuè Spinulam dis. 7. in logica 3. sect. 3.

Prob. In hac definitione explicatur tota essentia constitutiua, & distinctiua differentiæ, ergo est bona definitio; probatur antecedēs explicatione conclusionis.

Dicitur *illa, quæ prædicatur* seù *illud vniuersale quod prædicatur* loco generis cōuenit enī ī vniuersalitate tanquam in genere, & in prædicabilitate tanquam in illius principali passione cum cæteris prædicabilibus; dicitur *de pluribus differentibus specie, vel numero* ad includendam non solùm differentiam subalternam, quæ prædicatur de pluribus speciebus, sed etiam infimam, & atomam, quæ de pluribus indiuiduis; dicitur *in quale quid* tum quia interrogationi factæ, vt inquit Porphyrius, quid est homo? Respondetur, *est animal*, at si quale animal sit, interrogetur, rectè respondetur *rationale*; tum quia per quid denotatur prædicari differentiam tanquam partem essentialem & quidditatiuam, per quale autem denotatur non prædicari, tanquam partem per se stantem, sed adiacentem, & qualificantem alteram; Per hoc etiam distinguitur à genere, quòd solùm prædicatur *in quid*, à Proprio, & Accidente, quæ prædicantur solùm *in quale*, & à specie, quæ non prædicatur vt pars, sed vt tota essentia.

41 Obiices contra secundam conclusionem. In definitione Porphyrii definita est etiam differentia atoma, negatiuè, & per non repugnantiam, ergo talis definitio est optima, vt pote continens omne definitum. Probatur antecedens, definita est differentia, vt differentia, non vt talis differentia; sed differentia, vt differentia est, non habet repugnantiam ad prædicari de pluribus differentibus numero, ergo definita est etiam differentia atoma, saltem negatiuè.

Resp. Negando antecedens, & ad probationem dico, necesse quidem fuisse definire differentiam non vt talis est, sed vt differentia est, at sic nō fecisse Porphyrium, definiuit enim differentiam, vt talis est .i. ut est subalterna, & potest prædicari de pluribus specie differentibus, & sic cum in definitione talis differentiæ subalternæ, neque negatiuè possit reperiri infima, & atoma, ideò ut deficientem definitionem excludimus.

Obiicies contra tertiā conclusionem. Differentia infima differt essentialiter à differentia subalterna, ergo ambæ non possunt vnica definitione definiri, probatur ātecedens, genus differt essētialiter à specie, quia prædicatur in quid de pluribus differentibus specie, illa verò de differentibus numero, sed hoc diuerso modo prædicatur etiam differentia infima, & subalterna, ergo differunt essentialiter.

Respondet. Negando ātecedens, differunt enim solùmmodo accidentaliter: & ad probationem Respondetur negando causalem, genus enim non solùm differt à specie, quia illud prædicatur in quid de speciebus, illa verò de indiuiduis, sed quia prædicatur in quid incompletum, species in quid completum, genus enim prædicatur tanquam pars quidditatiua, species verò tanquam totum quidditatiuum

Et ex hoc colligitur, differentiam subalternā nō constituere diuersum prædicabile à differentia atoma. & vltima, vt ferè communiter tenent doctores, quos videre est apud Hurtadum disp. 6. Logicæ sect. 4. Vallium de Different. quæ. 2. cap. 3. & alios. Ratio autem, est quia prædicabilia diuersificantur ob diuersitatem modi prædicandi, sed non est diuersus modus prædicandi Differentiæ subalternæ, & atomæ, ergo neq. ipsæ differentiæ diuersificantur, neq per consequens diuersū constituunt prædicabile, maior vt suprà, secundùm communem Philosophorum est certa. Min. prob. omnis enim differentia siue subalterna, siue atoma prædicatur in completé tanquam pars essentialis illius, de quo prædicatur, seu prædicatur per modum adiacentis, seu inhærentis, ergo cum eodem modo prædicetur, tam differentia subalterna, quàm atoma, vnum, & idem prædicabile constituere, asserendum est.

Quæres. 1. Quomodo differentia possit prædicari in quale quid respectu eiusdem, cum quale, & quid sint modi prædicationis se inuicem destruentes; prædicari enim in quid, est prædicari, vt quid essentiale, prædicari vero in quale, est prædicari, vt quid extra essentiam. 42

Notandum. Pro solutione quæsiti ex doctissimo, & olim amicissimo nostro Pasqualigo in metaphysica disp. 59. sect. 3. Duplici modo aliquid posse dici in quale, vel secundùm accidens, vel secundùm essentiam; primò modo est quando forma qualificans facit vnum per accidens cum subiecto qualificato, ita vt ne dum sit extra essentiam, sed neq. etiam illud substantialiter perficiat, vt v. g. pulchritudo in homine, quæ qualificat hominem accidentaliter, secundo modo quando forma qualificans constituit vnum per se cum subiecto qualificato, & illud substantialiter perficit, licet sit extra eius essentiam, & tales sunt formæ substantiales, quæ licet sint extra essentiam materiæ, tamen illam informando, faciunt vnum per se substantialiter, Differentia, ergo est qualitas secundùm substantiam, quæ qualitas cum qualificet genus, & de quodam incompleto, ad esse completum deducat, illud substantialiter perficit, & cum tali substantiali perfectione efformat speciem, seu compositum metaphysicum, quod constat ex genere, & differentia, & sic respectu speciei talis qualitas qualificans, seu differentia, est pars essentialis constitutiua, respectu verò generis, est pars essentialis, non tamen constitutiua, sed inhærens, & adiacens generi illudq. completum reddens, & ideo vt inquit Porphyrius interrogationi factæ in quid, est respōsio facta per aliquid substantiuum, incompletū tamen, vt v. g. *quid est homo? est animal*, ad explicandum postea differentiam quæsitam per interrogationem in quale, responsio facienda est per adiectiuum .s. *rationale*, *mortale*, &c. ex quo patet, differentiam respectu generis se habere, vt aliquid adiacens, seu adiectiuum. Hoc supposito.

Resp. quæsito ex eodē Pasqualigo. Differentiam præ licari in quale quid, secúdum diuersā rationē, prædicatur i quale respectu generis, cui adiacēs est, prædicatur vero in quid respectu speciei, quam constituit. At quia dum differentia prædicatur de specie, prædicatur ex eo quia adiacet generi, illudq. perficit, ideo adæquatus modus eius prædicationis explicatur per quale quid, per quod s. sit pars constitutiua speciei, & adiacear generi.

Quæres 2. qu d sit differentia metaphysica.

43 Resp. secundùm nostra principia, Differentiam metaphysicam, esse naturam, formalitatem, seu rationem p ioribus communē, per quam natura essentialiter constituitur diuersa ab alia; vel secundùm definitionem Porphyrij, esse illam, per quam singula differunt.

Patet hæc responsio: cùm enim differentia sit ratio qua vnum non est aliud, per hoc est formalitas importans dissimilitudinē, quæ formalitas importans dissimilitudinem, cum adiacendo generi illud essentialiter perficiat componendo speciem, & compositum metaphysicum, per hoc dicitur, per quam, vnum essentialiter constituitur diuersum ab alio, ad differentiam Proprij, & Accidentis, quæ licet faciant differe naturas, hoc faciunt accidentaliter, non autem essentialiter.

Neque ex hoc sequitur, non esse vniuocam differentiam respectu vniuersalis, cùm stet illud in similitudine, hæc autem in dissimilitudine.

Respondetur enim. Quòd hæc dissimilitudo adhuc etiam est similitudo, omnia enim singularia seu species differentiæ, conueniunt, & sunt similes in hac dissimilitudine differentiæ.

Collige tamen. Differentiam esse solùmmodo vniuersalem respectu specierum, aut indiuiduorū in quibus inest, vel de quibus potest prædicari, non autem respectu generis, quod in species diuidit, cum enim vnum solum genus diuidat, respectu illius, non potest dici vniuersalis.

Quæres 3. Verum genus, quod diuiditur à differenti s, in iis includatur.

44 Respondetur. Genus, quod est à parte rei, includi in differentiis, ita vt nulla detur distinctio formalis inter genus, & differentiam a parte rei. Est contra Scotistas.

Probatur. Si daretur distinctio formalis à parte rei inter genus, & differentiam, sequeretur quòd duæ realitates essent in vno indiuiduo, sed hoc non potest dici, ergo neq. quòd detur distinctio formalis inter genus, & differentiam à parte rei, sed quòd sit omnino idem; probatur mai. nā cùm darentur duæ formalitates s. generis, & differentiæ, & essent à parte rei, ergo etiam reales, ergo duæ realitates, quòd implicat, ergo &c. hic omnia recensenda sunt, quæ in præterita disputatione diximus de vnitate formali, quam cum probauerimus implicare, ergo etiam distinctionem, quæ in illa fundatur, implicat, asserimus.

Resp. 2. Genus, quod est in intellectu non includi formaliter in differentiis. Est Diui Thomæ, Hurtadi, Ruuij, Caietani, & Aliorum, quos sequitur P. Morandus Cap. 3. de prædicabilibus quæst. 3.

Prob. Genus logicum, est conceptus confusus naturæ similis, differentia verò naturæ dissimilis, sed similitudo, & dissimilitudo formaliter opponuntur, ergo, & genus, & differentia, ergo genus in differentiis, quatenus ambo sunt in intellectu, formaliter non includitur.

Prob. 2. Differentia quatenus prædicatur de speciebus, diuidit genus, sed diuidere genus, non importat includere genus, ergo formaliter genus non includitur in differentiis.

Quæ. 4. An differentia inferior contineat superiorem. Differentia autem inferior est, quæ constituit speciem Infimam, seu Atomam, & Vltimam, v.g. *rugibile* in Leone, *Hinnibile* in Equo respectu generis, seu speciei subalternæ animalis irrationalis; Differentia autem superior est, quæ speciem subalternam componit, vt v.g. *sensitiuum* respectu viuentis, *animatum* respectu corporis &c. 45

Resp. primò. Materialiter, & à parte rei, differentiam inferiorem continere in se superiorem. Ratio autem est, quia cum à parte rei, & materialiter idquod est v.g. *Hinnibile* sit etiam *sensitiuum* ideo differentia Hinnibilitatis, cōtinet in se materialiter ipsam differentiam sensitiui, & in hoc nulla potest esse controuersia.

Resp. 2. Differentiam inferiorem, formaliter non includere in suo conceptu superiorem. Sic optimè deffendunt Scotus, Fonseca, Capreolus, & alii apud Hurtad disp. 6. Log. sect. 3. Ruui. de differentia quæ. 1. cap. 7. & Morandum tract. de Prædicabilibus quæst. 4. de differentia.

Ratio autem est. Quia differentia, quà differentia est, debet diuidere Genus, & facere, differe, sed differentia inferior, si in suo conceptu formali includeret superiorem, non diuideret genus, nec faceret differe, ergo non debet continere formaliter in suo cōceptu superiorem; Maior, ex Porphyrio, et communi Philosophorum conceditur; min. prob. *hinnibile* enim v. g. & *rationale* quæ sunt duæ differentiæ inferiores, si in suo conceptu formaliter includerent superiorem differentiam, *sensitiuum*, v. g. non possent diuidere animal, si quidem per hanc differentiam *sensitiui*, non diuiditur Genus animalis. Quare ad hoc, vt tales differentiæ diuidant Genus animalis; in suo formali conceptu non debent includere formaliter differentiam *sensitiui*, & sic differentia inferior, non continet formaliter superiorem.

Secundò idem prob. Quia differentia vltima, debet vltimò diuidere Genus, dicitur enim vltima, quia vltimò diuidit genus, nec relinquit amplius diuisibile, sed non esset vltima, si in suo conceptu formali includeret superiorem, quia superior non vltimò diuidit genus, ergo &c. quare quando Arist. & alii philosophi videntur asserere, differentiam inferiorem continere superiorem, intelligendi sunt, materialiter, non formaliter.

Quæ-

46 Quæres vltimò. Quid definitum sit in nostra definitione, an scilicet natura faciens differre, an differentieitas.

Respondetur. Eodem modo ac supra de genere, definitam fuisse naturam, quæ tamen est in intellectu, & est prædicabilis, prout substat differentieitati, & hoc quidem rationibus, quibus probauimus de genere.

Colligitur 1. Differentiam se habere, vt formam respectu generis, non propriè, & rigorosè, sed vt videbimus infrà cum de composito metaphysico, quod constituitur ex genere, & differentia.

Col. 2. Quòd cum differentia duplicem habitudinem importet, vnam scilicet ad Genus, quod diuidit, aliam ad speciem, quam constituit, ideo in suo conceptu formali, & adequato, vtramque habitudinem debet importare, si enim conciperetur, aut absq. habitudine ad Genus, aut absque illa ad speciem, non conciperetur adequatè, & perfectè sicuti est. Quare, &c. Et hæc dicta sint de tertio prædicabili, & de differentia.

SECTIO III.

De Specie, & de ad ipsam spectantibus.

47 EXaminatis partibus compositi metaphysici scilicet speciei, modo videndum est, quid sit hoc compositum, & primo supponimus dari hoc compositum saltem per intellectum, cum enim dentur partes, per consequens totum, cuius sunt partes, debet necessario dari.

Notandum primò. Duplici modo definitam fuisse speciem a Porphyrio. Primus modus est, *species est ea, quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus prædicatur in eo quod quid est:* secũdus est *species est ea, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid est, prædicatur;* licèt enim prima definitio tradita sit à Porphyrio, tamquam duæ definitiones, probabile est tamen, sic vnam solam, vt asserunt Mastrius, Auersa, Pasqualigus, & multi alij. Modo videndum est, quænam ex his conueniat speciei, vt prædicabili.

Notandum 2. Speciem duplici modo posse considerari, primò, vt subijcitur generi, & de illa genus prædicatur, & hoc modo vocatur species subijcibilis; secundò, vt prędicatur de inferioribus; & hoc modo vocatur prædicabilis, sic v. g. species humana, prout consideratur stare sub genere animalis, dicitur subijcibilis, prout prædicatur de inferioribus, dicitur prædicabilis.

Notandum 3. Speciem communiter diuidi in Subalternam, & Infimam; subalterna est simul genus, & species, species, quatenus est sub aliquo genere superiori, genus verò, quatenus prædicatur de pluribus differentibus specie, sic v. g. animal est species, quatenus est sub genere viuentis; est vero genus quatenùs habet sub se species hominis, leonis, &c. Infima est, quæ etiam species Specialissima, Atoma, & Vltima vocatur, est inquam ea, quæ sub se non habet plures species, sed solum indiuidua, vt species humana, quæ sub se non continet nisi Petrum, & Paulum, &c.

Prima Conclusio. Benè definita est species vt prædicabilis à Porphyrio, quod sit *ea, quæ de pluribus differentibus numero in eo quod quid est, prædicatur*. Ita ferè communiter.

Explicatur, & probatur Conclusio. Dicitur *quæ prædicatur* seu vniuersale, quod prædicatur loco generis, conuenit enim in hoc cum cæteris prædicabilibus, dicitur *de pluribus differentibus numero* ad differentiam generis, quod de solis speciebus immediatè prædicatur, dicitur *in eo quod quid est* scilicet secundùm totum esse, seu vt tota quidditas, & essentia, ergo cum hęc definitio explicet essentiam speciei, optima est.

Secunda Conclusio. Benè est etiam definita à Porphyrio species vt subijcibilis, quod sit *ea, quæ ponitur sub assignato genere, & de qua genus prędicatur in eo quod quid est*. Ita etiam communiter. 48

Prob. Species respectu generis solum dicit subijcibilitatem, .i. stare sub ipso, & de illa ipsum prædicari; seu hæc omnia rectè explicantur in assignata definitione Porphyrii, ergo est optima. Aduertendum tamen, quod species, vt subijcibilis non est vniuersalis, cum enim sit inferior secundum rationem subijcibilitatis, & sub vno solum genere subijciatur, per hoc non potest esse vniuersalis.

Ob. primò. Tàm genus, quàm species prædicatur, vt quid, ergo respectu prædicationis nulla est differentia inter genus, & speciem; ergo addenda est aliqua particula differentialis, dicendo .i. genus est quod prædicatur vt quid incompletè, species vero completè, est Arriagæ.

Resp. Superfluas esse tales particulas, cu in definitionibus allatis, satis explicatum sit Genus prædicari incompletè, & vt partẽ essentiæ, speciem verò complete, & vt totam essentiã; cum enim genus prædicetur in quid de pluribus differentibus specie, clarè patet, non prædicari vt totã essentiam illorum, de quibus prædicatur, si enim differũt specie, & genus de his prædicatur non secundum rationem, secundùm quam differunt, sed solummodo secundum quam conueniunt in genere, ergo prædicatur vt pars, & non vt tota essentia, quod sic non euenit in prædicatione de pluribus differentibus numero, quæ prædicatio debet esse ut tota essentia, quia, quæ solum differunt numero, conueniunt in essentia.

Obijc. 2. contra primam Conclusionem. Species subalterna in allata definitione non fuit definita; sed species subalterna est vera species, ergo allata definitio non complectens omne definitum, non est bona: mai. prob. prædicatur enim species subalterna de pluribus differentibus specie, non numero.

Resp. Concessa mai. negandó min. & conseq. pro maiori claritate cuius responsionis. Sit.

Tertia Conclusio. Species subalterna, vt talis est, non est species prædicabilis. Est Arriagæ, disp. 7. in logica sec. 3. sub. 1, num. 4. & aliorum paucorum.

Prob. Conclusio. Species subalterna formaliter sumpta, vt talis est, non potest prædicari cōpletè in quid, vt tota essentia de suis inferioribus speciebus, sed de ratione speciei prædicabilis est, quòd prædicetur completè, vt tota essentia, ergo species subalterna, vt talis est, non est prædicabilis. prob. mai. quia, vt talis est, respicit essentialiter alias differentias essentiales, quibus mediantibus respicit indiuidua, v. g. animal irrationale, quod est species subalterna respectu generis animalis, & specierum Leonis, Equi, &c. non potest prędicari de his speciebus infimis, nisi incompletè, & tanquam pars, adhuc complebilis per aliā compartem, & differentiam essentialem, & sic quando dicitur Leo v. g. est animal irrationale, ly animal irrationale, quod est species subalterna, non prædicatur, vt tota essentia Leonis, seu rugibilis, sed, vt pars, nō enī leo est solùm animal irrationale, sed etiam rugibile, quæ rugibilitas est differentia essentialis Leonis, ab aliis animalibus irrationalibus. Vnde patet, speciem subalternam esse solùm speciem respectu generis, cui subiicitur, esse verò genus respectu specierum inferiorum, de quibus tanquam genus, & pars essentialis potest prædicari, non verò, vt tota essentia.

49 Hinc aduertendum ex Arriaga disp. 7 Logicæ sectione 3 subsectione prima prædicationem speciei specialissimæ, debere fieri per nomen substantiuum, complectens indiuisibiliter, & implicitè genus, & differentiam, vt explicetur eius prædicatio in quid, & sic non esset bona prædicatio specifica, si diceretur v. g. Petrus est animal rationale, licet explicaretur tota essentia Petri, quia non esset prædicatio simpliciter in quid, sed in quid, & inquale, in quid, quatenus prædicaretur expressè genus, in quale, quatenus prædicaretur expressè differentia, vnde esset prædicatio partim generica, partim differentialis. Ad hoc ergo, vt prædicatio sit specifica, debet esse in quid, per nomen .s. substantiuum, continens implicitè genus, & differentiam, & sic esset bona prædicatio specifica, Petrus est homo, ly enim *homo* implicitè cōtinet animal rationale .s. genus, & differentiam.

Hinc aduertendum etiam, quòd si aliquando videatur prędicari genus immediatè de indiuiduis, vt v. g. quando dicitur Petrus est animal, hoc tamen verum non est, cum semper de illis prædicetur mediantibus speciebus, & sic quando dicitur Petrus est animal ly *animal* prædicatur de Petro, non quatenus est indiuiduum, seu quatenus habet Petreitatem, sed quatenus est homo, in quo inest animalitas, quatenus enim indiuiduum formaliter non est animal, & sic genus non prædicatur de indiuiduo immediatè, sed solùmmodo mediante specie subintellecta.

Obijcies contra 3. conclusionem. Si species subalterna, vt talis est, non esset prædicabilis, ergo n. q. etiam differentia subalterna esset prædicabilis, contra iam dicta in præterita sectione.

Resp. diuerso modo esse philosophandum de specie, ac de differentia subalterna; nam species debet prædicari, vt tota essentia; differentia verò, vt pars essentialis, & sic differentia subalterna v. g. irrationalitas, adhuc prædicatur, vt pars, & differentia leonis, licet leo aliam possit habere essentialem differentiam .s. rugibilitatem; hoc autem non potest esse de specie subalterna, quæ cum debeat prædicari, vt tota essentia, taliter non prædicatur de suis speciebus, quæ aliam differentiam possunt habere. Hinc.

Collige 1. Quòd cum in specie duplex respectus possit considerari, vnus .s. quo respicit genus, alter verò, quo inferiora, per quos respectus dicitur, & subijcibilis, & prædicabilis; ideo species infima, & specialissima solùm constituitur per respectum ad inferiora, cum enim suum constitutiuum sit in ordine ad inferiora, ideo per respectum ad inferiora constituitur in esse prædicabilis. species verò subalterna, & etiam infima, vt subijcibilis, constituitur per respectum ad genus, vt clarè patet, cum, vt talis, non respiciat inferiora.

Colligitur etiā, non omnem speciem subiicibilem esse prædicabilem, species enim subalterna vt iam diximus, est subijcibilis, non verò prædicabilis, vt species, licet, vt genus; omnis autem species prædicabilis est etiam subiicibilis, species enim semper est sub aliquo genere.

Quæres primò. Quænam sit species metaphysica. seu à parte rei.

Resp. secundùm ante habita, speciem esse naturam similem plurium indiuiduorum, in aliquibus effectibus essētialibus, dissimilem verò in aliis, ab aliis naturis. Patet responsio, cum enim species includat genus, & differentiam, & genus importet similitudinem, differentia vero dissimilitudinem, ideo species erit natura similis, & dissimilis in diuersis effectibus essentialibus.

Hinc patet, quod quando definiuimus speciem logicam, seu prædicabilem per definitionem Porphyrii, *species est, quæ prædicatur &c.* per ly *ea quæ prædicatur* intelleximus conceptum confusum naturæ similis, & dissimilis in diuersis effectibus essentialibus, adducibilem ad cognitionem inferiorum, per maiorem claritatem.

Hinc etiam patet responsio quæsito, quod posset fieri, an .s. definita sit sola natura, an etiam specieitas, patet inquā responsio, definitam fuisse naturam, pro vt substat specieitati, & hoc quidem rationibus, quibus supra de genere, & differentia.

Quæres. Quodnam sit compositum metaphysicum, & quomodo detur in rerum natura.

Resp. primæ parti quæsiti. Compositum metaphysicum nihil aliud esse, quàm speciem, quæ constat ex genere, & differentia; vocatur autem compositum metaphysicum, ad differentiam compositi physici, quod constat ex materia, & forma, in hoc enim composito metaphysico, differentia se habet, vt forma, genus verò, vt materia, non propriè tamen, & rigorosè, sed solùmmodo similitudinariè, quatenus se habent eodem modo ac materia, & forma in composito physico.

Res. secundæ parti quæsiti. Compositum metaphysicum

physicum seu speciem, non componi intrinsecè ex parte obiecti, ex genere, & differentia, benè quidem solùm in intellectu, ita quòd à parte rei solùm virtualiter, siue fundamentaliter possit dici compositum metaphysicum.

Prob. prima pars. Vbi non datur distinctio, non datur compositio, sed à parte obiecti, non datur distinctio inter genus, & differentiam ergo neq. potest dari compositio, ergo à parte obiecti non datur compositum metaphysicum ex genere, & differentia, mai. est certa, min. probata est in antecedentibus, vbi diximus non dari distinctionem formalem à parte rei, ergo &c.

Prob. 2. pars. In solo intellectu distinctio datur inter genus, & differentiam, sed vbi datur distinctio potest dari compositio, ergo in solo intellectu potest dari compositum metaphysicum, ex genere, & differentia .s. species, vt composita ex eisdem.

50 Aduertendum est. Quòd quando dicimus compositum metaphysicum, intelligimus factum in intellectu sic enim communiter uocatur à Doctoribus, quia licet esse metaphysicum fundetur in gradibus entis, qui vtiq. sunt à parte rei, quo pacto vniuersalia, vt sunt à parte rei, metaphysica vocauimus, tamen quia etiam hoc compositum intellectuale fūdatur in gradibus metaphysicis, ideo etiam ipsum vocatur metaphysicum, ad differentiam compositi physici, quod constat ex materia, & forma; posset tamen etiam vocari logicum, quatenus est in intellectu, & prædicabile, sed ne à termino communi discedamus, illud metaphysicum compositum, etiam nos vocauimus.

Obiicies contra primam partem. si nō daretur compositum intrinsecè à parte obiecti ex genere, & differentia, non daretur species à parte rei, sed per vos datur, ergo etiam composita intrinsecè à parte obiecti, probatur maior, nam species nihil aliud est, quam quoddam compositu ex genere, & differentia.

Resp. negat. mai. & consequentia, probationem distinguo, species nihil aliud est, quàm quoddam compositum, entitatiuè, & à parte rei, negó, quàm quoddā compositum metaphysicum, & per intellectum, & concedo; nam, vt diximus supra, species à parte rei, vt vniuersale, nihil aliud est, quā natura similis, & dissimilis, plurium indiuiduorum respectu aliarum naturarum, quæ quidem in indiuiduis non est quid distinctum, sed sunt æc dēmet indiuiduales entitates, quæ quatenus habēt prædicata essentialia similia cum alia natura, dicūtur cum ea similes, quatenus habent alia dissimilia, dicuntur dissimiles & ideo cum non detur distinctio à parte obiecti, neq. danda est compositio, cum hęc supponat primam; sed.

Instabis. Datur per vos à parte rei genus, quod importat similitudinem, &c. datur etiam differentia, quæ dissimilitudinem, sed similitudo, & dissimilitudo importāt duo distincta, ergo datur à parte rei genus, distinctum à differentia, ergo per consequens species composita ex his duobus.

Resp. concessa mai. distinguendo min. important duo distincta à parte rei nego, per intellectum, & concedo: quando enim diximus dari, à parte rei genus, & differentiam, semper diximus tām vnum, quam aliud nihil aliud esse, quàm ipsa indiuidua similia, & dissimilia secundùm diuersa prædicata essentialia, & ideò nullum vniuersale admisimus distinctum ab ipsismet indiuiduis; quòd cum ita sit, nihil aliud sūt genus, & differentia à parte rei, quàm indiuisibiles entitates, & indiuidua, quatenus dicunt similitudinem constituentia genus, quatenus dissimilitudinem differentiam; sed.

Instabis 2. ergo à parte obiecti daretur solum esse indiuiduale, aut ad summum esse specificum, probatur sequela, per vos non datur genus, & differentia, nisi quatenus eadem indiuisibilis entitas in aliquibus prædicatis essentialibus dicit similitudinem, in aliis dissimilitudinem cum alia natura, sed hęc distinctio similitudinis, & dissimilitudinis secundùm prædicata essentialia est solùm per intellectum, ergo à parte rei datur solùm esse indiuiduale.

Resp. negando sequelam, & ad probationem nego minorem; nam verum quidem est, quòd solus intellectus cognoscit distinctionem inter prædicata essentialia indiuiduorum terminatorum in esse specifico, at per hoc non sequitur, non esse fūdamētū à parte rei huius distinctionis, nam nullo intellectu cogitante idemmet indiuisibilis homo v.g. & discurrit, & sentit, cum sensatione est similis aliis animalibus, cum discursu dissimilis, & sic secundùm diuersos effectus, quos producit eademmet indiuisibilis entitas dicit similitudinē, & dissimilitudinem, quam quidem similitudinē per nus importat genus, dissimilitudinem verò differentia. Vnde patet, dari genus, & differentiā à parte rei, semper tamen vtrumq. contractum ad esse indiuiduale, & specificum, compositumq. metaphysicum ex genere, & differentia esse solùm in intellectu formaliter, & solum fundamētaliter, seu virtualiter à parte rei, quibus rationibus patet responsio cuicumq. obiectioni quæ fieri posset. Et hæc dicta sint de specie.

SECTIO IV.

De termino correlatiuo speciei

.S. de Indiuiduo.

CVm ex supradictis species supponat, & dicat relationem ad indiuidua, ideo post quæstionem de specie, aliam introducimus vt essentiam, & quidditatem Indiuidui examinemus.

Notandum, ergo primò. Quòd licet pluribus modis possit sumi indiuiduum, hic tamen solùm sumitur prout opponitur vniuersali, & ideò dicitur etiam singulare, secundum quam acceptionem, aliud est indiuiduum determinatum, & est illud quod exprimitur proprio nomine, vt Petrus, Paulus, &c. aliud vagū, quod rem singularem sed uagè, & indeterminatè significat, vt aliquis

quis homo, quoddam animal, &c. hoc autem secundum est solùm per intellectum, indiuidua enim à parte rei sunt omnia determinata. Indiuiduũ determinatum insuper, aliud est substantiæ, quando .s. exprimitur proprio nomine vt Petrus, Paulus, &c. aliud signatum, quando aliquo signo, vt hic homo, hic equus, &c. aliud circumloqutum, quando circumlocutione exprimitur, vt nepos Francisci, filius Petri, &c.

51 Notandum 2. Dupliciter posse indiuiduum considerari, & vt est à parte rei, & subest primæ intentioni .s. prout dicit suum esse à parte rei, & vt subest secundæ intentioni, secundùm esse, quod habet per intellectum, vt est à parte rei, definitum fuit à Porphyrio, quòd sit *Id cuius proprietates omnes, in alio reperire, est impossibile*. Hę autem proprietates à Boetio, & Alberto tractatu 4. cap. 7. his versibus comprehenduntur, .s.

Forma, Figura, Locus, Stirps, Nomen,
Patria, Tempus
Vnum perpetua reddere lege solent.

Quatenus postea indiuiduum subest secundæ intentioni, sic ab eodem definitum fuit, *indiuiduum est id, quod prędicatur de vno tantum*. Secundùm ergo vtrunque illius esse, examinanda est essentia indiuidui; & quia, vt clare patet, definitio tradita à Porphyrio de indiuiduo vt est à parte rei, est potius descriptiua, & solùm cõuenit indiuiduis humanis, & ad summum, brutis, ideo, ea relicta aliam trademus.

52 Prima Conclusio. Indiuiduum, vt est à parte rei, est id, quod est indiuisum in se, & diuisum à quocunq. alio. Est Diui Thomæ prima parte quæstione 29. articulo 4. & aliorum.

Explicatur Conclusio. Dicitur *id* loco generis, in quo conuenit cum omnibus entibus, licèt enim ens, vt suo loco dicemus, non possit esse genus, tamen in hac definitione impropriè vicem gerit generis, cum aliud genus non sit excogitabile, dicitur *quod est indiuisum, &c.* loco differentiæ, per quam ab omnibus distinguitur, dicitur etiam *quod est indiuisum in se, & diuisum à quocunque alio* quia ita est vnum, vt illi repugnet omnis diuisio in alia plura, quæ sint ipsum, ita vt neq. materialiter possit multiplicari; quare licèt aliquod indiuiduum possit multiplicari in suas partes integrantes, vt v. g. Petrus in animam, & corpus, quia tamen non diuiditur in ipsas cum sui multiplicatione, ideo semper dicitur indiuiduum, sicuti etiam lignum, v. g. palmare, quia non potest multiplicari in plura ligna palmaria, dicitur indiuiduum: & hinc patet discrimen inter indiuiduum, & indiuisibile, primum enim non negat partes, vt facit secundum, vt videre est in puncto. Sed

Probatur Conclusio. Per hanc definitionem constituitur natura indiuidualis perfectè differẽs à quacunq. alia, ergo per indiuisionem in se, & diuisionem à quocunque alio, constituitur indiuiduum.

53 Secunda Conclusio. Natura ipsa per semet, est indiuidua absq. alia forma superaddita, quæ sit physica, aut realis, propter quam natura sit singularis; est Ochan, Gabrielis, Henriquez, Caietani, Heruei, Ricchardi, Durandi, Marsilij, Rubij, Ægidij, Fonsecæ, Vasquez. Auersæ, Pererij, Piccolominei, Suarezi contra Scotistas, qui conantur trahere proprium Doctorem in suam sententiam, vt aduertit Pasqual. hanc sustinens sententiã tom. 2. in metaph. disp. 41. defenditur etiam à Guarino disp. 9. de Indiuid. exp. 5.

Probatur 1. Si esset aliqua forma superaddita constituens naturam in esse indiuiduationis, posset destrui à Deo, sed destructa adhuc remaneret natura indiuidua, ergo absq. tali forma esset indiuidua, ergo, &c. mai. est certa, prob. min. vel remaneret talis natura diuisa à quacunq. alia, vel nõ diuisa; si diuisa, ergo singularis, & per consequẽs indiuidua; si non remaneret diuisa, ergo eadem cum alia natura, ergo adhuc indiuisa in se. quòd enim est idem, est etiam indiuisum, ergo semper remaneret indiuidua, ergo dicendum, sine forma supperaddita, naturam esse indiuiduam.

Prob. 2. Si indiuiduatio esset forma distincta à natura, deberet cum ipsa componi ad faciendum indiuiduum; modò inquiro, hæc natura ante compositionem, vel est singularis, uel non; si primum, ergo absque forma indiuiduationis superaddita est indiuidua; si secundum, ergo talis natura est quid commune pluribus, & uniuersale, ergo in unoquoq. indiuiduo à parte rei datur natura uniuersalis, quòd tamen est falsum, cum à parte rei, uniuersale sit semper in multis, ergo non esse formam superadditam indiuiduationem asserendum est, sed persemet esse indiuiduam naturam.

Prob. 3. distictiuũ, & cõstitutiuũ idẽ sũt, sed distĩctiuũ huius num. naturæ, ab alia num. natura est ipsamet natura, seu ens indiuiduũ, ergo etiam constitutiuum huius numero naturæ, est ipsamet natura, & nõ aliquid superadditum, maior est certa, minor prob. ex eo quia implicat vnum distingui ab alio per aliquid, quod sit ab illo distinctum, ita vt distinctiuum sit extra proprium esse; hoc enim pacto si tale distinctiuũ ab ipso distingueretur, aliq. esset superadditum, adhuc aliud distinctiuum esset concedendum, quo à proprio distinctiuo distingueretur, & sic vel daretur processus in infinitum, vel deueniendum esset ad primum distinctiuũ, quod non distingueretur à natura indiuidua, hocq. est ipsamet natura, quam dicimus à se ipsa esse indiuiduam, ut putè quia etiam per se ipsam, & non per aliquòd superadditum, est ab omni alio distincta.

Obiicies primò si hoc esset, sequeretur, quòd in vnaquaq. specie nõ daretur nisi vnicũ indiuiduũ, sed hoc est absurdum, ergo &c. probatur sequela, quæ sunt eadem vni tertio sunt eadem inter se, sed indiuiduationes sunt eadem vni tertio .s. naturæ humanæ v. g. non enim per vos sunt quid distinctum, seu supradditum, ergo sunt etiam identificatæ inter se ergo in vnaquaque specie non erit nisi vnica indiuiduatio. 54

Resp. negando sequelã. Non enĩ per nos natura à parte rei est quoddam communicabile seu participabile ab indiuiduis sed importat ipsamet indiuidua, quæ quatenus habent similitudinem, secũ-

enim

dum eam constituunt vniuersale, vnde distinguo min., sed indiuiduationes sunt eædem vni tertio, .s. naturæ distinctæ ab indiuiduis, & ab ipsis participabilis, nego, naturæ, quæ est ipsamet indiuidua, & concedo, & sic quot indiuidua reperiuntur, tot naturæ indiuiduatæ sunt à parte rei, quæ vtpotè similes in aliquibus, constituunt naturam vniuersalem.

Obijcies 2. Essentiæ sunt æternæ, non verò ratio indiuiduationis, ergo distinguuntur.

Resp. Distinguendo secundam partem antecedentis; ratio indiuiduationis non est æterna in statu possibilitatis, nego, in statu existentiæ, concedo, ergo distinguuntur nego, consequentiā; eodem enim modo, quo naturæ existunt, sunt etiam possibiles. at quia non possunt existere nisi indiuiduatæ, ideò vt indiuiduæ, seu singulares sunt possibiles.

55 Tertia Conclusio. Indiuiduum secundæ intentionis, seu logicum, benè definitum est à Porphyrio, quòd sit *Id, quod prædicatur de vno tantum*. Ita communiter.

Prob. Hæc definitio conuenit indiuiduo, vt prædicabili, ergo est bona; probatur antecedens, nam tradita est per prædicabilitatem.

Quæres, an possit dari per intellectum vna ratio indiuiduationis communis omnibus indiuiduis.

Resp. Affirmatiuè secundùm sententiam Diui Thomæ prima parte quæst. 20. articulo 4. Conimbricensium, Ruuij. Hurtadi, Arriagæ, Auersæ, Guarini, Ouiedi, & ferè omnium recentiorum, contra Caietanum, Louanienses, Toletum, & alios.

Prob. 1. Omnia indiuidua conueniunt in hoc, quòd sint vnum in se indiuisum, & diuisum à quocunq. alio, sed de his, quæ inuicem conueniunt potest dari vna ratio communis, ergo de omnibus indiuiduis potest dari vna ratio communis.

Prob. 2. Ratio vnitatis participatur æqualiter ab omnibus indiuiduis, ergo secundùm hanc rationem, possunt omnia indiuidua concipi. Prob. antecedens, quia vnitas indiuidualis est maxima vnitatum, ergo non potest magis ab hoc, quam ab illo participari, alioquin hoc esset magis vnum, quàm aliud.

Obijcies. 1. Ex Porphyrio; Indiuiduum est illud, quod de vno tantùm prædicatur, ergo non datur ratio communis omnibus indiuiduis.

Resp. Porphyrium definire indiuiduum pro vt est indiuisum in se, & diuisum, &c. non verò definire rationem communem omnibus indiuiduis; cum enim omnia indiuidua in hoc cōueniant, quòd sint indiuisa in se, & diuisa, &c. ideo intellectus ab illis potest abstrahere rationem communem, & hanc de illis prædicare.

Instabis, ergo indiuiduum esset vniuersale, cum
56 detur hæc ratio communis indiuiduationis omnibus indiuiduis.

Resp. Distinguendo consequens, est vniuersale indiuiduum perfectè, & vltimate cognitum, & nego, imperfectè, & sub aliqua ratione communi & concedo; illa enim ratio communis, est ratio vniuersalis incompleta, & complebilis per maiorem, & vltimatam cognitionem indiuidui.

Obijcies 2. Si daret ratio indiuiduationis communis, indiuiduum non distingueretur à specie, sed 57
hoc non est dicendum, ergo, &c. probatur ma. nam sicuti species prędicatur de pluribus differentibus numero, ita etiam prædicaretur hæc ratio communis de pluribus indiuiduis.

Resp. Distinguendo mai. Indiuiduum non distingueretur, &c. perfectè cognitū nego, imperfectè, & concedo, & hoc non est absurdum, quia cum indiuiduum non addat aliquid aliud supra rationem specificam, nisi cognitionem magis explicitam ipsius rationis specificæ, ideò secundùm conceptum confusum, est ipsamet ratio specifica, secūdùm verò quòd clere, & completè cognoscitur, est ipsamet ratio specifica, sed completè, & vltimatè, .i. indiuidualiter cognita. Ex quo.

Patet 1. Indiuiduum logicum & completè cognitum non esse conceptum confusum intellectus, sed clarum, & apertum, vtpotè terminantem ad vltimam cognitionem indiuidui.

Patet 2. Indiuiduum non constituere diuersum prædicabile; prædicatio enim indiuidui, est partim specifica, partim propria, specifica, quia prædicatur ratio specifica, propria, quia prædicatur vnitas, seu singularitas, quæ est passio, seu proprietas entis, vt v.g., in hac indiuiduali prædicatione, *Petrus est vnus homo*, per ly *homo* explicatur ratio specifica, per ly *vnus* ratio proprij, seu passio entis, vt hominis.

Patet 3. Quod indiuiduum cognitum perfectè, & vltimatè secundùm indiuisionem in se, & diuisionem à quocunque alio, prędicatur semper de vno, & de hoc intellexit Porphyrius in sua definitione; indiuiduum verò imperfectè cognitum, siue ratio communis omnibus indiuiduis, potest prædicari de pluribus, vt ex dictis patet.

Quæres, an indiuiduum prædicetur de se ipso identicè. 58

Respondetur. Aliquando prędicari identicè, aliquando verò non; prædicatio identica est ea, quando nulla est distinctio inter prædicatum, & subiectum, vt hæc Petrus, est Petrus, Petrus est hic homo, est prædicatio identica, quia nullam maiorem cognitionē importat in intellectu prædicatum, quàm subiectum. Prædicatio verò tunc non est identica, quando aliquid, id est maiorem cognitionem, supra subiectum, dicit prædicatum præter indiuiduationem, vt *Petrus est hoc animal, hoc rationale, &c.*

Quæres vltimò. Quid sit indiuiduum vagum.

Resp. Indiuiduum vagum est indiuiduum affe- 59
ctum termino *aliquis*, vel simili, vt *aliquis homo, aliquod animal, &c.* quod quidem à parte rei non reperitur, cum omnia, quæ sunt à parte rei, sint determinata. Et hæc dicta sint pro nunc de indiuiduo. Multa alia expendentur in metaphysica cum de vnitate entis.

SECTIO V.

De Proprio.

Et de ad ipsum Spectantibus.

60 NOtandum primò. Quadrupliciter posse sumi Proprium secundùm Porphyrium, primò, pro eo, quòd conuenit *vni soli* Speciei, sed nō omnibus indiuiduis contentis sub ipsa, vt mederi, sonare, esse phylosophum, &c. quæ conueniunt Soli Speciei humanæ, non tamen omnibus indiuiduis; secundò, pro eo quod *omnibus indiuiduis & toti Speciei* conuenit, sed non soli, vt homini esse bipedem, conuenit enim Speciei humanæ, & aliis etiam Speciebus animalium; tertiò, pro eo quod *soli, & toti Speciei* conuenit, sed non semper, vt canescere; Quartò pro eo, quod *omni, & Soli* Speciei *semper* conuenit, vt risibilitas homini, & hoc vltimum dicitur proprium in quarto modo, & est verum proprium, immò, vt ait Porphyrius propriè Proprium, & de hoc in præsenti agitamus quæstionem.

61 Prima Conclusio. Proprium est habilitas in natura ad producendos tales effectus. Ita Guarinus disp. 10. in Logic. exp. 1.

Prob. Nullum Proprium, si non sumatur vt habilitas, conuenit *omni, soli, & semper*, ergo proprium consistit in habilitate naturæ ad aliquos effectus. Prob. antecedens, nam risibilitas v. g. si sumatur actualiter, non conuenit omni, & semper, benè quidem vt habilitas, & radicaliter, ergo, &c.

Obiicies primò ex Arriaga. Proprium est, quod conuenit *omni, & soli* licet non semper, ergo non est habilitas. Prob. consequentia, quia potest saluari omnis conditio proprii in actuali v. g. risu.

Resp. Negando antecedēs; cum nullo pacto possit conseruari ratio Proprii in solo actu, sed requiratur, quòd sit radicaliter in natura; & semper, id est necessariò, illi conueniat, nam saltem supernaturaliter per potentiā obedientialē, possunt actus conuenire naturæ, cuius non sunt Proprij, vt legitur aliquando irrationabilia, & etiam marmoreas statuas risisse, locutas fuisse &c. quare gratis, & absq. vllo fundamento Arriaga excludit à ratione Proprij conditionem ab omnibus, cum Porphyrio admissam.

62 Obiicies 2. Si proprium esset habilitas non distingeretur à natura, sed debet distingui, ergo non est habilitas.

Res. Distinguendo mai. non distingueretur à natura realiter concedo, virtualiter, & nego; à parte enim obiecti, est ipsamet natura potens exire in tales effectus ridendi v. g. &c. atquia possunt considerari hi effectus vt aduenientes naturæ iam constitutæ in suo esse, ideo inter ipsam, & principium talium effectuum concipitur distinctio virtualis, quod principium cū conueniat vni, soli, & semper, ideò vocatur Proprium talis naturæ, & ab illa secundùm probabiliorem doctrinam, est inseparabile radicaliter, & secundùm potentiam, non secundùm exercitium, & actum, & ideo tale Proprium consistere in habilitate asserimus.

Secunda Conclusio. Proprium, vt vniuersale metaphysicum, est natura generica, vel specifica similis in proprietatibus essentialibus, siue in habilitatibus essentialibus. 63

Prob. Vniuersale per nos non stat, nisi in similitudine, & conuenientia, ergo Proprium vt vniuersale, non erit nisi natura generica, vel specifica similis in proprietatibus essentialibus. Probatur consequentia, cum enim Proprium sit genericum, vel specificum .f. vel conueniens necessariò pluribus speciebus, vel pluribus indiuiduis, ideo in tali similitudine naturæ genericæ, vel specificæ in proprietatibus essentialibus, consistit Proprium vniuersale metaphisicum.

Tertia Conclusio. Proprium vt uniuersale logicum, & prædicabile, sic definitur, *est id, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter, & necessariò*. Est communis conclusio deducta à Porphyrio.

Prob. Proprium debet prædicari sicuti est, sed est qualitas essentialis necessariò ab essentia proueniens, ergo prædicatur in quale necessariò.

Quæres. An proprium saltem per Dei omnipotentiam possit separari à natura. 64

Resp. Secundùm cōmuniorem doctrinam, nullo pacto posse separari quoad aptitudinem à natura, & ratio est, quia cum proueniat ab ipsius essentia, & radix proprii sit ipsamet essentia, per consequens, nisi destruatur essentia, non poterit ab ipsa separari Proprium.

Hic recensenda sunt quæ diximus de aliis prædicabilibus, conueniunt enim etiam suo modo huic quarto prædicabili, quæ ne eadem redicamus, consultò relinquimus.

SECTIO VI.

De Accidente, & de ad ipsum spectantibus.

NOtandum. Tripliciter sumi posse Accidens, primò, pro quocunq. quod in alio reperitur non spectans ad ipsius essentiam, siue in se sit substantia, siue Accidens, & hoc pacto vestes accidunt homini, differentiæ generi &c. & hæc accidentia vocantur verbalia, cum potius dicantur accidere alicui, quam esse eius Accidentia; secūdò sumitur accidens, pro omni eo, quòd contra distinguitur à substantia, & continetur sub aliquo ex nouē prædicamentis, siue adueniat ab extrinseco, vt calor, & frigus, siue ab intrinseco vt motus &c. & hoc dicitur accidens nominale, seu prædicamentale; teriò sumitur Accidens pro eo, 65

quòd

quòd accidit alteri non per se, sicuti Proprium, quod emanat ab essentia rei, sed omnino contingenter, & extra essentiam, & hoc dicitur accidens prædicabile, & de hoc in præsenti efformamus quæstionem.

Prima Conclusio. Benè definitur accidens secundùm suum esse, quòd sit *id, quod abest, & adest præter subiecti corruptionem*. Est communis conclusio, secundùm etiam Porphyrium. Prob. Per hanc definitionem explicatur essentia accidentis eiusq. distinctiuum ab omnibus alijs entibus, ergo est bona, antecedens patet, ergo, & consequentia.

Secunda Conclusio, Accidens, vt vniuersale metaphysicum, est natura, siue generica, siue specifica similis in prædicatis accidentalibus. Patet ex dictis conclusio.

66 Tertia Conclusio. Accidens vt vniuersale logicum seu prædicabile, est *id, quod prædicatur de pluribus in quale accidentaliter, & contingenter*.

Explicatur Conclusio. Dicitur *id quod prædicatur* loco generis, in quo conuenit cum cæteris prædicabilibus; dicitur *in quale accidentaliter* ad differentiam primi, secundi, & tertij prædicabilis, quæ prædicantur essentialiter, dicitur *contingenter* ad differentiam Proprij, quod non prædicatur accidentaliter, sed necessariò.

Coll. 1. Accidens posse esse genericum, & specificum, genericum est illud, quod prædicatur de pluribus specie differentibus, vt album prædicatur de homine, leone, &c. specificum, quod tantùm de pluribus numero differentibus, vt actu ratiocinari, quod dicitur tantum de Petro, &c.

Coll. 2. Omnia dicenda esse suo modo de accidente, ac de alijs prædicabilibus. Et hæc sufficiant de vniuersalibus in communi, & in particulari.

DISPVTATIO QVINTA

De Categorijs Aristotelis hoc est, de Prædicamentis.

DE Categorijs, seu Prædicamentis tractaturus Philosophus, quædam præmittit vtpotè necessaria ad illorum perfectam cognitionem, quæ quia prædicamentorum librum antecedebant, ideo Ante prædicamenta vocauit; hæc autem sunt Vniuoca, Æquiuoca, & Denominatiua, quia enim res prædicamentales vniuocè, vel æquiuocè, vel denominatiuè possunt summi, ideo de Vniuocis, Æquiuocis, & Denominatiuis agit Philosophus. Sumuntur autem in communi sententia æquiuocè, aut Analogicè (sub æquiuocis enim comprehendit hic Aristoteles etiam analoga) si comparentur ad ens, quod diuidunt, vniuocè verò si comparentur ad sua inferiora, de quibus vniuocè prædicantur; denominatiuè verò, si comparentur prædicamenta Accidentium in ordine ad substantiam, quibus ipsa denominatur. Hæc ergo omnia, Philosophum immitantes, etiam nos in sequentibus, ante tractatum de Prædicamentis, dilucidabimus. Quare sit.

SECTIO I.

De Antiprædicamentis,

Seu, de Vniuocis, Aequiuocis, & Denominatiuis.

SVpponendum 1. Alia esse vniuoca vniuocantia, alia vniuoca vniuocata; vniuoca vniuocantia sunt voces, quæ plura vniuocè significant, ut v.g. vox animal, quæ est una vox, quæ dicitur de omnibus animalibus; vniuoca vniuocata sunt illæ res, quæ per uniuoca uniuocantia significantur. Prima uniuoca solet appellari uniuoca in significando, secunda, in essendo; hæc autem diuisio conuenit etiam alijs antepradicamentis, & de omnibus solū quæstionē agitamus, quatenus sūt uniuoca aut æquiuoca, uniuocata seu æquiuocata.

Supponendum 2. Alia esse uniuoca participata, alia participantia, vniuoca participata sunt naturæ communes, uniuoco nomine significatæ, ut, u.g. animal respectu hominis, leonis, &c. uniuoca uerò participantia, sunt ea inferiora, quæ illas naturas participant, ut homo, leo, &c. respectu animalis; hæc autem diuisio conuenit etiam alijs antepradicamentis.

Prima Conclusio. Vniuoca sunt *quorum nomen est idem, & substantia, per nomen significata*. Ita communiter cum Aristotele.

Explicatur Conclusio. Dicitur *quorum nomen, &c.* loco generis, in hoc enim conueniunt cum æquiuocis, &c. dicitur, *& substantia, &c.* loco differentiæ, per hoc enim differunt ab alijs antepradicamentis, ut uidebimus infrà; dicitur etiam *& substantia*, intelligendo nomine substantiæ non substantiam verè, & rigorosè, sed essentiam, & quidditatem, cum etiam accidentia, nullam habentia substantiam, possint esse uniuoca; dicitur etiam *quorum substantia est eadem* non quia uniuoca debeant habere omnimodam identitatem, & indiuisibilitatem, sed solùm omnimodam similitudinem in ea ratione, in qua sunt uniuoca, sic homines sunt uniuoci, quia æquè participant idem nomen, & eamdem essentiam, seu quidditatem. 3

4 Quæres, an prædicta definitione definiantur solùm vniuoca participata, vel etiam participantia.

Resp. Vtraq. definita fuisse, .l. eni primò intuitu vniuoca participata non videantur definita, quatenus ipsa non sunt plura habentia idem nomen, & eamdem essentiam, ratione quorum, dicantur vniuoca, vt v. g. animal, quæ omnia in vniuoeis definitis ab Aristotele videntur requiri, tamen sunt vniuoca respectu inferiorum, quatenus respectu ipsorum habent nomen commune, & etiam essentiam, & sic animal respectu hominis, & Leonis, dicitur vniuocum, quia habet idem nomen, & eamdem essentiam, æquè participatam in ratione animalis ab homine, & leone. Hæc autem quæ diximus de vniuocis, dicenda sunt etiam de æquiuocis &c.

5 Secunda Conclusio *Aequiuoca sunt ea, quorum solum nomen est idem, ratio verò per nomen significata, diuersa*. Ita communiter cum Aristotele.

Explicatur conclusio. Dicitur *quorum nomen* loco generis, conueniunt enim cum vniuocis &c; dicitur *ratio vero per nomen* &c. loco differentiæ, per quam distinguuntur ab vniuocis, dicitur etiam *ratio diuersa* .s. secundùm totam essentiam, quia licet in aliquibus essent eadem, tamen cum repugnent in tota essentia, dicuntur æquiuoca, & sic v. g. Canis Cœlestis, & Marinus sunt æquiuoci, licet conueniant in ratione substantiæ, corporis, &c. quia in tota essentia repugnant, vnus enim Canis est Astrum, alter verò animal.

Tertia Conclusio. *Denominatiua sunt quęcumq. ab aliquo nominis apellationem habent, solo casu differentia*. Ita communiter cum Aristotele; vt v. g. Studiosus à Studio, Iustus à Iustitia, & similia. Vbi aduertendum est ex Boetio, Burleo, & Caietano, tria requiri in denominatiuis ab Aristotele definitis primò, vt conueniant in principali significato, sic, licet studiosus significet in concreto, studium verò in abstracto, dicitur tamen primum denominatiuum, quia in principali significato conueniunt; secundò; vt conueniant in principio vocis, & sic iustus est denominatiuus iustitiæ, cum qua conuenit in principio vocis; tertiò vt differant in fine vocis, vt misericors à misericordia.

Multi, occasione vniuocorum, & æquiuocorum; quæstionem etiam de Analogis efformant, sed quia & Aristoteles hoc in loco eã non agitat, & quia ea diffusiùs in metaphysica cũ de analogia entis, per tractanda est, ideò consultò hic eam omittimus, in his, quæ logicæ sunt propria, immoraturi.

SECTIO. II.

De Prædicamentis

Et primò, quid, & quotuplex sit prædicamentum.

6 Ingredimur explicationem libri Aristotelis, qui latinè dicitur *Prædicamentum* græcè *Cathegoria*. nihil autem est prædicamentum, quàm series quædam eorum, quæ prædicari possunt, vnde visa vniuersalis ratione .s. ipsa naturarum uniuersalium similitudine, hic agendum est de ipsis naturis similibus, quæ prædicari possunt; agit autem logicus de his naturis, quatenus sunt scibiles, & distinguit eas in ordine ad nostram cognitionem, ut cognita natura rerum, rectè, his propria prædicamenta adaptentur, quare ea solùm quæ ad logicum pertinent uidebimus, reliqua, cum in Physica, aut metaphysica locus erit, tractaturi.

Notandum primò. Prædicamentum dupliciter posse sumi, materialiter .s. & formaliter; materialiter nihil aliud est, quàm aliqua suprema entia, quæ sunt à parte rei, de quibus potest confici prædicatio, & hoc pacto 10. esse prædicamenta affirmauit Aristoteles cap. 5. Prædica. his verbis. *Vnum quodq. eorum, quæ incomplexè sumuntur, aut significat substantiam, aut quantum, aut quale, aut ad aliquid, aut vbi, aut quando, aut situm, aut habere, aut agere, aut pati*: prædicamentum uerò formaliter sumptum, nihil aliud est, quàm series prædicatorum deducta à supremo genere, usq. ad ultima indiuidua, per genera, & species intermedias, ut series substantiæ deducta, per Corpus, Viuens, Animal, Hominem, usq. ad Petrum, quare prædicamentum formaliter sumptum duo dicit, & prædicata superiora, & inferiora. & ordinem talium prædicatorum. Sit exemplum de prædicamento substantiæ sumpto formaliter.

Differ. propriæ	*Genera, & Spec.*	*Diff. impropriæ.*
Corporea	Substantia	Incorporea
Animatum	Corpus	Inanimatum
Sensitiuum	Viuens	Insensitiuum
Rationale	Animal	Irrationale
Petrus	Homo	Paulus.

Not. 2. In prædicamento formali, alia poni directè, & immediatè, alia indirectè, & à latere; 7
ea dicuntur poni directè, quæ immediatè prædicantur de inferiori, & sunt ea, quæ sunt in linea recta arboris Porphyrij .s. corpus, uiuens, animal; ea uerò indirectè, quæ non pręadicantur directè, sed indirectè, & reductiuè, ut sunt omnes differentiæ, quæ ponuntur à latere arboris.

Not. 3. Pręadicamentum formale, secundùm nostra principia, nullo pacto dari à parte rei, benè solùm in intellectu; cũ enim in rebus nullam distinctionem à parte rei admiserimus, per consequens, series prædicatorum, quæ distinctionem supponit neganda est; datur autem hoc prædicamentum formale in intellectu, quia intellectus ab aliquo supremo genere potest descendere, argumentando per inferiora genera, species, & differentias, usq. ad ultimum indiuiduum.

Not. 4. quòd cùm prædicamenta nihil aliud sint, quàm diuersa suprema genera entium finitorum, ad quæ singula, quæ sunt in mundo sunt reducenda, ideo diuisio prædicamentorum nihil aliud est, nisi assignatio multitudinis

entium

entium, seu, vt ait Simplicius, enumeratio entium finitorum; Quare ex hoc patet, ens vt sic, non constituere vllum prædicamentum distinctum ab alijs, tũ quia prædicamẽta debẽt esse quædã prima suprema capita inter se diuersa, sed ens non est tale, cũ transcẽdat per omnia prædicamẽta, singula eni entia sunt, ergo in ratione entis non est ab illis diuersum, sed simile, ergo non constituit peculiare prædicamẽtum: tùm quia prædicamẽta debent esse suprema genera respectu suorum inferiorũ, sed ens non potest dici genus respectu prædicamẽtorũ, ergo &c. min. prob. genus enim debet prædicari vt pars, at ens de prædicamentis, prædicatur, vt totum, prædicamenta enim secundùm omnes gradus sunt entia, ergo &c.

8 Neq. valet; Ens esse vniuocũ respectu ipsorum, atq. adeo genus. Nam dato etiam, quòd sit vniuocum, quod videbimus ĩ metaphysica; tamen ex hoc non sequitur, debere esse genus; licet enim omnia genera sint vniuoca, non tamen è contra, omnia vniuoca sunt genera, ratio enim formalis generis, & vniuocationis est diuersa, per primam enim importatur pars essentialiter intrinseca, per secundam verò importatur vnitas formæ in omnibus inferioribus, non tamen secundùm partem, sic humanitas, est ratio vniuoca, & tamen non importat partem, sed totum esse hominis, cum sit ratio specifica non generica. His notatis. Sit.

Prima Conclusio. Ens finitum primò, &
9 immediatè in tria solùm diuiditur prædicamenta, s. in Substantiam, Accidens, & Modum. In hanc conclusionem videtur consentire Hurtadus disp. 9. in metaph. sec. 2. concl. 3. & alij pauci, licet non tam clarè.

Prob. Entia sunt primò, & immediatè ad inuicem distinguenda, secundùm distinctionem modi essendi, sed triplex est solummodo modus essendi, ergo triplex ens prędicamentale, seu prædicamentum, mai. patet cõstitutiuum enim est etiã distinctiuũ, sed modus essẽdi est constitutiuum talis ẽtis, ergo & distinctiuum, ergo tot erũt distincta entia, quot erunt modi distincti, min. prob. quidquid enim est, vel est, per se, vel inhæret in alio, vel adhæret, ergo triplex est modus essendi, per primum constituitur Substantia, per secundum Accidens, per tertium, Modus.

Prob. 2. Prędicamenta in communiori sententia (quidquid dicant aliqui, præcipuè Tellez, & Pontius) debent esse genera generalissima, incomplexa, & simplicia, non subiecta definitioni, vt potè non constantia ex genere, & differentia, nec habentia supra se alia genera, sed solùmmodo tria assignata sunt huiusmodi, ergo ipsa solùm sunt propriè appellanda prima capita entium, & prædicamenta, ergo ens prædicamentale, primò, & immediatè diuiditur in Substantiam, Accidens, & Modum; mai. prob. nam alioquin si prædicamenta non deberent esse genera generalissima, infinita possent admitti prædicamenta, min. prob. supra enim hæc tria, nulla ratio superior excogitari potest, nisi ratio entis, sed ratio entis, vt supradiximus in notabili, cũ transcendat, & imbibatur in omnibus, vt totũ, nõ potest dici superior, nec genus respectu illorũ, nec per illud possunt definiri, ens enim ex Arist. non ponitur in definitionibus, ergo &c.

Neq. dicas. Etiam cætera prædicamenta Peripatetica esse genera generalissima, cum sufficiens sit, ad hoc, vt aliquid sit genus generalissimum, quòd non habeat supra se aliud genus in eo genere, in quo est prædicamẽtum, sic quantitas, quia in genere quantitatis nullum aliud genus superius habet, potest dici generalissimum, sic qualitas &c. 10

Res. enim. Hoc pacto distinctionem prædicamentorum futuram mediatam, non immediatam, atq. adeo nedum decem, sed quasi infinita excogitari posse prædicamenta; si enim sufficeret ad constituendum prædicamẽtum, quodcumq. ens, quod esset primum genus in ea ratione, in qua est tale, infinita essent prædicamenta, sic corpus diceretur prædicamentum, quia in genere corporeorum, ipsum est prima ratio, sic viuens respectu viuentium vegetatiuorum, & sensitiuorum, &c. quare dicendum est, prædicamenta nullum aliud supra se debere habere genus, atq. adeo cum huiusmodi sint solum tria assignata, in illa primò, & immediatè diuidendum esse ens prædicamentale.

Neq. redicas. Prædicamenta debere distingui, per diuersam habitudinem, quam entia habent ad primam substantiam, atq. adeo, cum hæc multiplex possit assignari, ideo multiplicanda esse prædicamenta.

Resp. enim. Quòd si hoc modo sumantur prædicamenta, prout ferè communiter fit ab omnibus, non inde postea appellanda sunt summa prima capita entium, ad quæ singula reducantur, sed potius quædam genera subalterna, ad quæ cætera reducantur; quę in mundo excogitari possunt; ita distributa, & multiplicata vsq. ad numerum denarium; vt optimè aduertit Amicus in log. tract. 18. quæst. 4. dub. 5. art. 1. ad euitandam confusionem, & ad acquirendam distinctam cognitionem rerũ, ita quòd ad quamcumq. interrogationem factam de aliqua re, supposita notitia prædicamentorum, possit distinctè, & sine confusione responderi, modò per vnum prædicamentum, modò per aliud, & hoc pacto concedemus & nos in sequenti conclusione 10. prædicamenta, at si prædicamenta sumenda sunt, vt summa, & prima capita omnium entium, nec habentia supra se alia genera, ita vt ens absq. vlla mediatione in illa multiplicetur, solùm tria assignata debere esse, necessariò est concedendum.

Secunda Conclusio. Ens finitum, mediatè potest multiplicari in 10. prædicamenta Peripatetica communiter assignata. Ita ferè communiter. 11

Prob. Quidquid conuenit enti, vel conuenit vt essẽtia, vel nõ vt essentia, ecce Substãtia, si nõ conuenit vt essentia, vel inhæret, vel adhæret, si inhæret, vel respicit materiam, & ecce Quantitas, vel formã, & ecce Qualitas, si adhæret, vel adhæret vt aliquid simpliciter relatiuũ, & ecce Relatio, vel vt aliquid in ordine ad potẽtiã actiuã, & ecce Actio, vel in ordine ad potẽtiam passiuã, & ecce Passio, vel conuenit per modum mensuræ tẽporis, & ecce Quando, vel respectu loci, & ecce Vbi, vel respectu loci cum certo modo partium, & ecce Situs, vel

vt quædam habitudo, & ecce Habitus, ergo cum ens his 10. modis possit considerari, benè mediatè multiplicatur in hæc 10. prædicamenta, ad quæ cæteraentia, quæ sunt in mundo reducuntur.

Prob. 2. De ente, solùm decem possunt fieri interrogationes, seu quæstiones, ad quas, quæcumq. fieri possunt, reducuntur, ergo 10. debent esse prædicamenta, in quæ multiplicetur ens, vnoquoq. quorum sit respõsio interrogationibus, & quæstionibus factis, prob. antecedens, vel enim de aliquo indiuiduo quæritur quid sit, & Resp. per Substantiam, est animal, est corpus, est viuens; vel quæritur quale sit, & Resp. per Qualitatem, est nigrũ, est bipes; vel quæritur quãtum sit, & Resp. per Quantitatem, bicubitum, tricubitum, &c. vel, Quæritur, ad quid referatur, sit simile, &c. & Resp. per Relat. esse similẽ, vel dissimilẽ, vel quæritur quo in loco sit, & Resp. per Vbi, vel quæritur quonam modo sit in loco, & Resp. per Situm; vel quæritur quonam tempore sit, vel fuerit, & Resp. per Quando; vel quæritur quodnam faciat, vel patiatur, & Resp. per Actionem, & Passionem, vel deniq. quomodo se habeat, & Resp. per Habitum; cum ergo his 10. interrogationibus exhauriatur totum esse entis, tot debent multiplicari entia prædicamẽtalia, quot sunt interrogationes.

12 Ob. cont. primam conclusionem. In bona diuisione, vnum membrum non debet includi in alio, sed modus includitur in substantia. & accidenti, ergo nõ benè diuiditur, seù multiplicatur ens prædicamẽtale in substantiã, accidens, & modum, prob. min. modus enim nõ est aliquod distinctum à re, cuius est modus, ergo, &c.

Resp. Negando min. & ad illius probationem dico, modum non esse quidem distinctum à re modificata realiter, benè verò modaliter, ita, quòd diuersus sit conceptus, & essentia rei modificatę, ac modi, atq. adeo possũt diuersũ prædicamentum constituere, sed.

Inst. Modus non est ens, sed potius entis ens, ergo non potest dici distinctũ prædicamentũ, cõseq. prob. quia quodlibet prædicamẽtũ debet esse ens.

Resp. dist. antecedens, non est ens distinctum, & con. antecedens, non est in alio, neg. antecedens, nam licet modus non habeat propriam entitatem, tamen, non est nihil, sed entis ens, & sicuti in communiori sententia eadem, et indiuisibilis entitas potest constituere diuersum prædicamẽtũ p diuersos respectus, vel denominationes, quibus afficit substantiam, ut u.g. actio, & passio; ita, & nos dicimus, modum, & rem modificatam constituere diuersum prædicamentum, per diuersos modos essendi, res enim modificata, uel est substantia, & stat per se, uel accidens, & inhæret; modus uerò, cum nec propriè inhæreat, neq. stet per se, ideo diuersimodè ab ipsis est, & ideo diuersum constituit prædicamentum.

Ob. 2. formæ substantiales inhærent in subiecto, & tamen sunt substantiæ, ergo inhærentia non est propria accidentium, ergo per talem modum inhærendi, & per se standi, nõ debent multiplicari prædicamenta.

Resp. dist. antecedens, inhærent eodem modo, ac accidentia, & neg. antecedens, inhærent diuerso modo, & con. antecedens, licet enim formę substantiales inhæreant in subiecto, tamen in ipsis saluatur modus per se stãdi proprius substãtiæ, saltem, vt quò, vt suo loco videbimus.

Ob. 3. Aristoteles excludit à prædicamentis modos quosdam, illos admittens in Postprædicamentis, simultatem. s. & prioritatem, &c. ergo dicendum est, quemcumq. modum excludendum esse à prædicamento, cum non sint entia, sed potius affectiones, & proprietates entium.

Resp. Aristotelem, non exclusisse modos, & Postprædicamenta à Prædicamentis, sed de illis quiq. peculiarẽ istituisse quæstionẽ, quorũ quæstionẽ cum posuerit post tractatum de prædicamentis, ideo Postprædicamenta appellauit, cum tamen ad ipsa reducantur, quis enim non dicet, priùs, & posterius, hanc, vel illam habitudinem non esse relationes; motum non esse actionem, & similia, ergo &c.

Ob. 4. ex Guarino disputatione 16. de Modis expens. 1. Prædicamentum est illud, in quo diuersa prædicabilia fundari possunt, sed in modo vera prædicabilia non reperiuntur, ergo modus per se prædicamẽtum constituere non potest, mai. prob. quia substantia ideo dicitur Prædicamentum, quia in substantia reperiuntur prædicabilia corporis, viuentis, animalis, &c. min prob. quia prædicabilia ab inuicem præscindere debent, ita vt inferius non inuoluat conceptum superioris, vt homo, qui ab animali pręscindit, sed differentię inferiores in quolibet modo, à modo in genere non perfectè præscindunt, immo necessariò eius rationem inuoluunt, ergo non possunt modales differentiæ multiplicare prædicabilia, hæc minor patet, nam circularis figura, octangula, triangula, &c. rationem figuræ in genere inbibunt; nec nisi, vt figura concipi potest, quòd ita dici potest de cæteris, ergo &c. 13

Resp Neg. min. ad cujus probationem dico, prædicabilia quidem debere inuicem præscindere, non tamen debere præscindere à ratione Prædicamenti, cuius sunt prædicabilia; sic verum est hominem præscindere ab animali, animal præscindere à uiuente, uiuens à corpore, &c. non tamen hæc præscindũt à ratione substantiæ, quare homo, animal, uiuens, & corpus, inuoluunt in suo conceptu perfecto rationem substantię: sic, ergo, & faciunt inferiora modi, unio enim præscindit à figura, figura à situ &c. Quòd uerò, ut ipse asserit, figura circularis, octangula, triangula &c. non præscindat a ratione figuræ in genere, unio substantialis, & accidentalis ab unione in genere, sessio, statio, flexio à situ in genere, hoc non excludit modum à ratione Prædicamenti, huiusmodi enim sunt differentiæ à lateribus prædicamenti ponendæ, coarctantes, & diuidentes genera, & species, in linea recta positas, quæ differentiæ nec est necesse, quòd perfectè præscindant à specie, quam constituunt, seu à genere, quod diuidunt sic in prædicamento substantiæ, .i. homo, vt ipse ait, præscindat ab animali, attamen rationale perfectè in suo esse non præscindit ab homine, specie

ſ. quam conſtituit, & ab animali, genus, quod diuidit: quare eſt tranſitus à generibus, & ſpeciebus, ad differentias, atq. adeo, &c.

14 Ob. 2. ex eodem. Si modus conſtitueret ſpeciale prædicamentum, deberet perfectè poſſe concipi ſine ſubſtantia, & accidente, ſed modus non poteſt perfectè concipi ſine ſubſtantia, & accidente, ergo nec poteſt conſtituere, à ſubſtantia, & accidente diuerſum prædicamentum; minor ſupponitur, mai. prob. ex Ariſtotele enim in capit. de reg. & diuiſione prædicat., prædicamenta debent eſſe impermixta, & tota diuerſitate diuerſa, ergo, &c.

Reſp. Neg. mai., & ad illius probationem dico Ariſtotelē itelligere, prædicamēta ſecundùm rationem, ſecundùm quàm ſunt diuerſa prædicamenta, debere eſſe impermixta, & diuerſa, quare cum ratio diſtinctionis inter prædicamenta deſumenda ſit ex diuerſitate modi, quo ens exiſtit, & ſecundùm hanc rationem, modus diſtinguatur à ſubſtātia, & accidente, quæ diuerſimodè exiſtunt, ideo, & diuerſū conſtituere prædicamētū aſſerēdum eſt, Deinde, ſecundùm communem ſententiam, quam, & ipſe ſuſtinet, Actio, & Paſſio ſunt diuerſa prædicamenta, & tamen nequit perfectè concipi actio, quin concipiatur paſſio, nec paſſio quin conceptus actionis habeatur; ſicuti ergo eādem met entitatem per diuerſam habitudinem, dicunt communiter, diuerſum conſtituere prædicamentum, ſic ego dico, eamdem entitatem per diuerſum modum ſtandi, & eſſendi, diuerſum prædicamentum importare.

Ob. 3. ex eodem. Pro prædicamento intelligitur aliquid per ſe ſtans, & entitatem, ſaltem per diuinam omnipotentiam, independentem, habens, at modi ſunt ſemper aliquid incompletum, ergo nec poſſunt conſtituere prædicamētum; mai. prob. quia propter hoc negat Ariſtoteles cap. de ſubſtātia, differentias eſſe ſubſtātias, & pertinere ad prædicamentum ſubſtantiæ, quia non ſunt aliquid per ſe ſubſiſtens, & completum.

Reſp. neg. mai. Pro prædicamento enim intelligitur aliquod primum, & ſupremū ens, ad quod cætera reducuntur; ſit poſtea hoc ens in ſe, aut in alio, non facit ad rationem prædicamenti, quare cum modus, licèt ſit ens entis, tamen ſit primum, & ſupremum ens, reſpectu diuerſi modi eſſendi diuerſum à ſubſtantia, & accidente, ideo peculiare prædicamentum, modaliter ab ipſis diſtinctum, conſtituit; ad probationem maioris dico, differentias non pertinere ad prædicamentum ſubſtātiæ niſi reductiuè, & à latere, quia ex ſe ipſis, non ſunt aliquod ens importans, aut genus, aut ſpeciem, ſed ſolum partes ſpeciei diuidentes genus, qualis non eſt modus, eſt enim ſupremum genus participatum à ſubalternis generibus, & ſpeciebus. Quare.

Tertia Concluſio. Prædicamentum formaliter
15 ſumptum, vnum eſt tantùm. In hanc Concluſionem videtur conuenire Ouiedo in metaph. cont. 5. punt. 1. num. 4., & alij pauci.

Prob. Prædicamentum formaliter ſumptum nihil aliud eſt, quàm ordo prædicatorum deductus ab aliquo ſupremo genere vſque ad vltimum indiuiduum; ſed hic ordo eſt idem reſpectu cuiuſcunque ſupremi generis, ergo eſt vnicum ſolum prædicamentum formaliter ſumptum, mai. patet ex dictis, prob. mi. tam enim fit deſcenſus per prædicata ſubſtantiæ, v. g. à ſupremo genere, per inferiora, & ſpecies vſque ad indiuiduum, quàm per prædicata quantitatis, v. g. ergo cū idem ſit deſcenſus ſeu ordo, idem etiam erit prædicamentum.

Neq. valet dicere, diuerſa eſſe prædicata, ſeu gradus, per quos fit deſcenſus, & per conſeq. diuerſum formaliter eſſe talem ordinem.

Reſp. Quòd licèt materialiter diuerſa ſint prædicata, ſeu gradus, per quos fit deſcenſus, eſt tamē ſemper idem deſcenſus, ſeu ordo, cum reſpectu quorūcūq. prædicamētorum ſēper ſit deſcenſus à ſuperioribus ad inferiora, per genera, & ſpecies intermedias, quæ genera, ſeu ſpecies, ſint, vel non ſint diuerſa, materialiter ſe habet, cum ſemper ordo, ſeu ſeries conſeruetur, nec varietur in ſuo formali, ſ. in eſſe deſcenſum à ſuperioribus ad inferiora, & ſic, v. g. licèt genera & ſpecies prædicamenti ſubſtātiæ, corpus, viuens, animal, homo, ſint omnino diuerſa à ſpeciebus, ſeu generibus prædicamēti quantitatis, quæ ſunt continuum, ſolidum, lignum, ſcamnum, tamen eadem formaliter eſt ſeries, ſeu ordo amborum, cum in vtriſq. ſit deſcenſus à ſuperioribus ad inferiora.

Quarta Concluſio. In prædicamento formali-
ter ſumpto, ſolùm genera, & indiuidua ponuntur 16
directè, & per ſe, reductiuè verò, & à latere ambo-
ris omnes differentiæ eſſentiales. Eſt communis concluſio contra Amonium, & Hurtadum.

Prob. Ea ponuntur directè in prædicamēto, quæ directè poſſunt prædicari, ſed huiuſmodi ſunt genera, ſpecies, & indiuidua, ergo, hæc ſolum directè ponuntur; differentiæ verò indirectè, & reductiuè; patet min. nam directè, & tamquam totum de Petro prædicatur, quòd ſit homo, animal, viuens, corpus, ſubſtantia, &c.

Ob. Genera, & differentiæ ſunt partes ſpeciei, ergo ſi in prædicamento formaliter ſumpto ponuntur directè genera, ergo etiam debent poni differentiæ.

Reſ. neg. conſ. Et diſparitas eſt, quia licèt genus ſit pars, tamen prædicatur, per modū totius potentialis, & per modum per ſe ſtantis, differentiæ verò ſemper prædicantur, per modum partis, & per modum alteri adiacentis, vnde per hoc directè nō ponuntur in prædicamento, ſed tamquam adiacentes ſeu reductiuè, & à latere.

Quæres. Quænam entia in prædicamentis ſint
collocanda. 17

Reſ. 1. In prædicamentis collocanda eſſe entia realia, per ſe, completa, & incompleta, vniuoca, & eſſentialia; ſunt quidem ponenda entia realia, non voces, vt aliqui volebant, nam ens, quod diuiditur in prædicamenta, eſt ens reale, quare excluduntur entia rationis, licèt etiā ſuo modo ipſū ens rationis poſſet diuidi in 10. prædicamēta rationis; ſecundò debent eſſe entia per ſe, quia cū prædicamentum debeat continere ſub ſe inferiora cum quibus conſtituat aliquod vnum, conueniens in prædicatis eſſentialibus, ideo debent eſſe entia

per

per se, non per accidens, quia in entibus per accidens non datur ad inuicem essentialis subordinatio, quare ipsa solùm reductiuè ponuntur in prædicamentis; tertiò debent esse completa, & totalia, intelligendo tamen de his, quæ ponuntur directè, & in recta linea, entia enim incompleta, & partialia ponuntur, vel indirectè, vel reductiuè. Pro entibus autem completis, placet quod ait Auersa in logica quæst. 16. de prædicamentis sect. 5. intelligi entia, quæ prædicantur in quid, ad differentiam eorũ, quæ prædicantur in quale, vt sunt differentiæ, si enim intelligerentur, entia, quæ prædicantur totaliter, & vt totum de inferioribus, deberent excludi genera à directa serie prædicamentorum, quæ solùm predicantur de inferioribus, vt pars, quæ tamen à nullo excluduntur. Neque enim valet dicere; excludi à recta linea ētia incompleta physica, vt materiam, & formam, seu partes integrales, non verò metaphysica, vt genus; quia in hoc casu etiam differentiæ non deberent excludi, sed poni in recta linea, quòd tamen non est dicendum, cum ipsę solum à latere ponantur, vtpotè diuidentes genus; nisi vellimus dicere cum alijs, ideo genus poni in recta linea, quia prædicatur, vt totum potestatiuum de suis inferioribus; quartò debent esse incomplexa scilicèt ea, quæ terminis incomplexis explicantur, vt substantia, accidens, &c. atq; adeo nõ definitiones, sed definita ponuntur in prædicamentis; quintò debent esse vniuoca, quia in vnoquoq. prædicamento vnica ratio impermixta debet esse, ratione cuius sit diuersum ab alio in eo genere prædicamenti; ita vt in serie prædicatorum vnum prædicamentum constituentium, sit perfecta vniuocatio; sextò deniq. debent esse essentialia, quia non secundùm existentiam, sed secundùm essentiam, entia dicuntur prædicamentalia quatenus, licèt non existant, possunt distingui in genera, & species &c.

Hic aduertendum. Quòd indiuiduum in prædicamento formaliter sumpto, non ponitur tamquã aliquod prædicatum essentiale, sed vt terminus terminans seriem prædicatorum essentialium, de Petro enim v. g. quòd est indiuiduum, & vltimum in serie prædicamentali, dicitur, quòd sit homo, animal, viuens, corpus, substantia, & cætera.

18 Quæres 2. Quænam sit differentia inter prædicabilia, & prædicamenta.

Resp. Ex doctissimo Pasqualigo tomo 2. metaphysicæ disput. 24. sect. 4. differentiam esse, quia prædicamenta sumuntur pro rebus, secũdùm quòd sunt primò diuersæ, & possunt constituere aliqua suprema genera; prædicabilia verò, ratione modorum, quibus prędicata possunt conuenire rebus, siue subiectis, ex quo fit, quòd cum 10. assignati possint suprema genera, inde oriatur 10. prædicamenta, vt supra diximus, quòd non contingit in prædicabilibus, cũ enim prædicatũ solùm 5. modis diuersis dicat habitudinẽ ad subiectũ, vel p modũ partis per se stantis, vel per modum partis adiacentis, vel per modũ totius, vel p modum accidẽtis intrinseci, vel extrinseci, ideo 5. solum modo constituuntur prædicabilia, f. Genus, Differentia, Species, Proprium, & Accidens. Verum tamen est, quòd hæc 10. prædicamẽta pertinent ad 5. prædicabilia, nam si comparentur ad sua inferiora, se habẽt vt genus, quæ etiam inferiora, vel se habent vt genus subalternum, si ad alia inferiora comparentur, vel vt differentia, si comparentur ad superiora, vel species si considerentur, vt quędam tota; vel si vltima 9. prędicamenta cõparẽtur cum substantia, se habebunt, vel vt Propriũ, vel vt Accidens. Ex quo patet differẽtiã inter pdicamẽta, & pdicabilia esse, quia prima cõsiderãtur prout suprema genera, quibus res sunt primo, & per se diuersæ, prędicabilia vero, important modos, quibus tales res possunt conuenire suis subiectis.

Quer. 3. Quomodo vnum prædicamentum distinguatur ab alio. Resp. aliqua distingui realiter, vt accidens à substantia, alia modaliter, vt modum à re modificata, alia solùm virtualiter, vt actionẽ, & passionẽ; ratio autem est, quia ad cõstituenda diuersa prædicamenta sufficit diuersus modus essendi, sed hic potest reperiri in eadem entitate indistincta realiter, ergo, &c.

Et hæc dicta sit de prædicamentis in communi, ad illorum quidditatem in particulari examinandam progressuri; & quia ferè de his omnibus in Physica, propria, & prolixa quęstio est examinanda, ideò hìc solum de Relatione, & Modo, perfectam texemus disputationem, vtpotè de quibus, & superius, & inferius persæpe fuit, & erit sermo; reliqua, quantùm ad illorum sufficiet aliqualẽ cognitionem breuiter dilucidabimus. Sit ergo.

SECTIO III.

De Prędicamento Substantię, & de ad ipsum spectantibus.

SVbstantia, ita vocatur præcipuè ob duo ipsi conuenientia, nempè ex eo quòd subsistat per se, & substet alijs; subsistere autem per se, nihil aliud importat, nisi stare independenter à quocumq. alio subsistente, nulliuq. indigere subiecto ad standum: substare autem, dicit, alia substentare in se; hoc autem secundum supponit primum; quare prima ratio, & quidditas substantiæ, est stare per se, ita quòd quotiescunque concipitur aliquid stans per se, habeatur adæquatus conceptus substantiæ, de qua in præsenti loquimur; substare autem alijs, est secunda ratio, seu effectus secundarius ipsius substantiæ, quatenus enim per se potest stare, habet vim substentandi in se ea, quæ indigent subiecto, nec ex se ipsis stare possunt. Hoc not. sit.

Prima Conclusio. Substantia est *ens, per se*. Ita Philosophi multi antiqui, & ex recentioribus meliores.

Explicatur Conclusio. Dicitur *ens* cum enim substantia sit primum membrum ex his, in quæ diuiditur, seu multiplicatur ens, etiam ipsa est ens, dicitur

dicitur *per se* ad differentiam accidentis, & modi, accidens enim est ens in alio inhærens, modus verò ens ali adhærens: quare essentia, & primarius conceptus substantiæ est *per se stare*, nulloq. modo dependere in essendo à subiecto, atq. adeo neq. diuinitùs inhærentia potest cõuenire substãtiæ, vt optimè multis citatis D.D. probat Tellez par. 3. in sua Phil. dis. 53. sect. 2., cum enim nulla res possit existere sine propria essentia, ideo cum essentia substantiæ sit per se stare, de cuius ratione est excludere inhærentiam in alio, inuariata essentia ipsiusmet substantiæ neq. diuinitùs potest fieri, quòd inhæreat in aliquo subiecto

Neq. dicas ex Guatino disp. 13. de substantia exp. 2. stare per se non esse essentiam substantiæ, benè verò illius proprietatem, cum cõceptus, & essentia substantiæ sit, quod sit *primum principium passiuum, & effectiuum, indiuiduationis capax.*

Rel. enim Esse primum principium, &c. non esse primam rationem, atq. adeo neq. essentiam substantiæ, hoc autem patet, quia illa est prima ratio constitutiua, & essentialis, quæ est etiam prima ratio distinctiua, (constitutiuum enim, & distinctiuum idem sunt) sed prima ratio distinctiua substantiæ à cœteris Prędicamentis, est stare per se, ergo, & constitutiua, min. prob. entia enim prædicamentalia distinguuntur, per modum essendi, ergo modus essendi est primum distinctiuum, atq. adeo constitutiuum. Quare, per hoc postea, quòd substantia sit ens per se, est etiam ens productiuum, & receptiuum, atque adeo, esse primum principium, &c. non potest esse illius prima ratio, aut essentia, benè verò, esse ens à se, &c.

20 Secunda Conclusio. Multipliciter diuiditur Substantia. Ita communiter.

Prob. Ex diuisione. Primò igitur diuiditur substantia, in substantiam infinitam, & increatam, & in finitam, & creatam; substantia infinita est Deus, estque supra quemcumque ordinem, & seriem prædicamentalem, neq. enim Deus ponitur in Prædicamento. Quare de hac non est hic sermo.

Secundò. Substantia creata, diuiditur in spiritualem, & materialem; materialis est, vel ipsa materia, uel quæ dicit ordinem ad materiam, atq. adeo, quæ exigit extendi, & habere partes. Spiritualis huic opponitur, estq. illa, quæ secundùm suum esse pręscindit à materia, neq. extendi potest, caret partibus entitatiuis, estq. indiuisibilis.

Tertiò. Vtraq. substantia creata, materialis .s. spiritualis, diuiditur in completam, & in incompletam. Completa, quæ propriissimè dicitur substantia, est quæ includit in se omnes partes ad illius constitutionem requisitas, qualia sunt composita substantialia, aut physica, aut metaphysica, aut composita ex essentia, & existentia, vt sunt entia spiritualia, physicè simplicia: incompleta verò, quæ non includit &c. Huiusmodi autem alia est physica, alia metaphysica, sicuti etiam hoc pacto est completa; substantia incompleta physica, est materia, vel forma, metaphysica verò genera, differentiæ, essentiæ, existentiæ &c.

Quartò. Diuiditur substantia in primam, & secundam; prima est, quæ est singularis, & indiuidua, estq. à parte rei, secunda verò abstrahitur à primis per conuenientiam, & similitudinem, quam inter se habent, diciturq. vniuersalis. Definiuit autem Aristoteles primam substantiam, dicens esse *id, quod nec in subiecto est, nec de subiecto dicitur* de secunda verò ait *secundas substantias esse genera, & species, in quibus insunt primæ.* primam autem substantiam, maximam substantiam vocauit, si quidem est illa, cui propriè, & stricto modo conuenit essentia substantiæ. Quare.

Colligitur primò. Substantiam materialem maximè, & propriè substantiam appellatam, aut esse materiam primam, aut formam, aut compositum; spiritualem verò, Angelos, animam rationalem &c. de quibus cum in Physica, & in Sacra Theol. præcipuè sit agendum, ideo hic sufficit essentiam, & quidditatem substantiæ vt sic, dilucidasse.

Coll. 2. Quatuor conditiones primæ substantiæ assignari ab Aristotele (aliæ enim, quas assignat, secundæ substantiæ conueniunt) prima est, quòd nõ habeat contrarium, quia quæ sunt contraria, inuicem ab alio se expellunt, sed non possunt se ab alio expellere, nisi sit in alio, & sint accidẽtia, ergo substãtia quę nõ est in alio &c. substãtia autẽ, est illud aliud, a quo se expellunt, secũda est, quòd nõ suscipiat magis, & minus .s. quod non possit suscipere intensionem in eadem parte subiecti, vt facit qualitas, quæ crescit in eadem parte subiecti; tertia est, quòd sit susceptiua contrariorum .s. accidentium, quæ inuicem contraria sunt; quarta deniq; est, quòd in subiecto non sit, eo quòd per se stat. Hæc breuiter dicta sint de substantia, de eadem postea in physica exactius tractaturi.

SECTIO. IV.

De prædicamento quantitatis

Et de ad ipsum spectantibus.

DE quantitate diffusiùs tractaturi sumus in Physica, ideo hic solùm ea quæ, ad aliqualẽ eius cognitionem pertinent, videbimus. 21

Notandum primò. Duplici modo quantitatem sumi posse, et pro virtute, seu perfectione, & pro mole; prima dicitur quantitas virtutis, secunda molis; prima est quantitas impropriè, quo pacto aliquis dicitur magnus Sapiens, magnus prudens &c. alia propriè, & de hac hic agitamus quæstionem.

Notandum 2. quantitatem diuidi ab Aristotele in continuam, & discretam; continua est, cuius partes aliquo termino communi copulantur, & connectuntur, vt sunt linea, superficies, corpus, tempus, locus &c. discreta verò est illa, cuius partes nullo termino communi coniunguntur, sed seiunctæ remanent, & hæc est v.g. numerus 10. 8, &c. & oratio; de quantitate continua omnia in

physi-

physica videbimus, hic solùm quædam de quantitate discreta, & tota difficultas est, utrum numerus sit aliquid distinctum à parte rei ab ipsis indiuiduis pro quo.

Supponendum est. Numerum alium dici numerum numerantem, alium numeratum; numerus numerans, est ille, qui mente concipitur abstractus à quacumque re, vt numerus 10. 8. 100. &c. numerus numeratus dicuntur res ipsæ, prout numerari possunt, qui adhuc dupliciter sumi potest, & materialiter, pro quacumque vnitate, & formaliter, prout .s. plures res à parte rei constituunt unitatē, ab ipsis (secūdùm cōmunē) distinctā, quæ postea per numerum numerantem explicetur.

22 Vnica Conclusio. Quantitas discreta, aut numerus, est idem ac plura indiuidua seu plures entitates, ita ut nullam aliam dicat, vel supperaddat entitatem, vt numerus est, præter entitates ipsorum indiuiduorum, nisi puram indifferentiam ad posse numerari per actus intellectus. Est Ouiedi, Guarini disp. 15. de quantitate exp. 4. & aliorum contra P. Morandum alios multos sequentem.

Prob. Omne ens est vnum, sed numerus v.g. 4. non est vnus, ergo numerus vt numerus est, non est ens, prob. min. ideo enim numerus potest numerari, quia est pluificatus, ergo numerus, vt numerus est, non est vnus.

Neque valet dicere, esse vnum in numerabilitate.

Resp. enim. Numerabilitatem non esse ens reale, & per consequens, neque numerum esse vnum ens reale, Patet etiam hæc responsio, nam numerabitas est potentia, de cuius ratione est, non esse ens; sed dato etiam quòd hæc potentia poneretur in actu, neque numerus esset ens reale, sed opus intellectus, nullus enim, nisi intellectus potest numerare, & actualis numeratio vt omnes cum. D. Thoma fatentur, est opus intellectus.

Prob. 2. Si numerus esset ens reale, in aliquo deberet inhærere, aut ergo inhæret in omnibus, aut in singulis rebus numeratis, Si in omnibus, ergo datur à parte rei vnitas vniuersalis rigorosa, quod est inintelligibile, cum non possit percipi, quomodo idem ens reale, sit in pluribus etiam distantibus, Si verò totus numerus est in singulis, ergo esset vel 4. vel 5. &c. quòd enim actu existit, non potest esse indeterminatum, & sic quòd esset 4. v.g. etiam si adderetur vnum, nō potest dici 5 quia ētitatiuè esset 4. Deīde uidetur īperceptibile, quòd unum indiuisum indiuiduum, possit esse quatuor, aut quinq. indiuidua, quòd esset, si numerus quatuor, aut quinq. esset quoddā ens in ipso inhærens.

Neque valet dicere; in singulis esse aptitudinem ad quemcumque numerum, & per consequēs per hanc aptitudinem, quod est unum, posse esse

23 duo, uel 3. &c.

Resp. enim, Quòd posse esse hoc, uel illud, non est esse hoc, uel illud, & ideo illa aptitudo de facto non est, neq. 3. neq. 4. omnia autem entia realia sunt iam determinata, quę determinatio cū non sit in indiuiduis, per consequens neq. in ipsis reperitur numerus ternarius, aut quaternarius, ut ens ab ipsis distinctum

Prob. 3. Vel à tribus u.g potest separari ratio ternarij, vel non, si non, ergo signum est, quòd non est aliquod accidens distinctum, si enim esset distinctum, posset separari; si potest separari, separetur saltem per diuinam omnipotentiam, in tali casu, vel erūt tria indiuidua, vel non; secūdū nequit dici, cum enim entitates indiuiduales non destruerentur, permanerent, vna distincta ab aliis, & sic tria, ergo primum dicendum est, ergo si perseuerarent tria absque entitate superaddita, frustra additur talis entitas, & numerus ab ipsis entitatiuè distinctus. Vnde concludendum est, numerum non esse nisi plura indiuidua, per suam entitatem inuicem distincta, ab intellectu cognita vt tot, & non amplius, quare supra entitatem, nihil additur nisi pura indifferentia adducibilis ad numerum, per intellectum, ex quo patet, numerum, extra indiuidua numerata, esse solùm opus intellectus.

Obijc. ex Patre Morando. Musica, & Aritmetica agunt de numero, sed scientiæ non agunt nisi de veris, & realibus obiectis, ergo numerus est ens verum, & reale.

Resp. Nihil facere contra nos argumentum, non enim dicimus, numerum esse ens fictitium, sed extra res numeratas, esse opus intellectus; de operibus autem intellectus nulli dubium est, veram scientiam dari posse (saltem in sententia communi) quare quando intellectus numerat tria, uel quatuor, non fingit aliquid, cum à parte rei sint tot entitates, & unitates; quibus ipse talem tribuit numerum, Et hæc sufficiant de quantitate, cætera uisuri in Physica.

SECTIO V.

De Prędicamento Qualitatis, & de ad ipsum spectantibus.

QValitas, secundùm quòd definiuit Aristoteles, est illa *qua reddimur quales*, quæ definitio .l. tradita sit à posteriori .s. ab effectu, tamen est bona ab omnibusq. accepta, utpotè explicās proprium effectum qualitatis. Intelligenda est autem hæc definitio, ut explicat Albertus in prædicamentis cap. 1. quòd per qualitatem reddimur perfecti, tàm in essendo, quam in operando; intelligenda est etiam hęc definitio de omnibus rebus, licèt quoad nos solum tradita, quare ab aliquibus sic uertitur, *qualitas est ea, qua res redduntur quale*. 24

Quatuor autem secundùm Aristotelem sunt species qualitatis. Prima est Habitus, & Dispositio. Habitus hic non sumitur pro uestitu, quo induimur, sed pro qualitate non congenita, sed acquisita, qua reddimur faciles ad aliquid agendum, & ideo definitur habitus, quòd sit qualitas difficilitèr mobilis, & hujusmodi sunt habitus uirtutis, uitij, scientiæ, &c. Dispositio, non hic sumitur largo modo, pro omni qualitate, siue facilis, siue difficilis amotionis, cum hoc pacto, etiam habitus posset dici dispositio; sed stricto modo, pro simplici dispositione, seu habitu inchoato faciliter amouibili, ut frigiditas, caliditas, sanitas, &c.

Secunda species, est naturalis, Potentia, & Im-

potentia

potentia naturalis potẽtia est vis tradita à natura, vel ad agendum, vel ad resistendum, vt v.g. perspicacitas oculi, & ĩtellectus, durities ligni, lapidis, &c. dicitur enĩ oculus habere potẽtiã ad vidẽdũ, lapis ad resistendum sectioni, &c. Impotentia .I. explicetur per negationem, etiam ipsa tamen est potentia, & vis, sed debilis, & exigua, & ad agẽdũ, vt ĩ pueto ad cursũ, & ad resistendum, vt in butyro ad sectionẽ.

Tertia Species est, Passio, & Passibilis qualitas; passio hic nõ sumitur pro passione, quæ correspõdet actioni nitenti introducere formã in aliquo subiecto, sed sumitur prout causat alteratione ĩ sẽsu, perturbationẽ, aut dolorem v. g. calor, & frigus in corpore, quæ qualitas si citò trãsit, dicitur qualitas passionis, si diu perseuerat passibilis qualitas.

Quarta Species est Forma, & Figura. Figura hic sumitur pro pulchritudine, vel deformitate, Forma verò pro dispositione, quam habent partes quantitatis, secundũ quã faciũt quadrãgulũ, triãguũ &c. Potest etiam diuidi qualitas in spiritualem, & Corporeã, in supernaturalẽ, & naturalem, & huiusmodi.

25 Post diuisionem, qualitatis, tres illi assignat proprietates phil. 1. est quòd sit capax cõtrarietatis, vt calor, et frigus. 2. est quòd possit suscipere magis, et minus, 3. est, quòd per ipsam res dicãtur similes, et dissimiles. Et hęc de qualitate. Esset hic agẽdum de aliis prædic. sed cum de his in physica, ideo de his ibi, solum hic agemus de Modo, et de Relatione.

SECTIO VI.

De Modo.

26 DIximus supra, modum esse vnum membrum entis prædicamentalis; quia autem multa ex communiter assignatis 10. prædicamentis ad modum reducuntur, vt in processu erit videre, ideo naturam modi hic diligentiùs examinabimus.

Not. primò. Modos non propriè appellari res seu entia, sed potius appendices rerum, seu entitatum, ita enim illis adhærent, vt neq supernaturaliter ab ipsis seperati existere possint.

Not. 2. In rerum natura alias res esse determinabiles, alias determinantes; quæ sunt determinabiles, sunt indifferentes ad determinari ab hac, vel ab illa determinante secundùm propriam exigentiam, sic materia, est determinabilis ab hac, vel ab illa forma determinante, &c. determinantes verò determinãt determinabiles per se ipsas, cum enim res ĩdifferẽs, & determinabilis habet rẽ determinãtẽ, absq. alio superaddito, seu distincto, est determinata His notatis. Sit.

27 Prima Concl. Modus nõ est, entitas distincta, nec superaddita rei modificatæ. Ita P. Morã. q. 9. Met. Art. 2. nu. 414. Pasq. tomo 2. Met. disp. 51. Guarinus disp. 16. de modis exp. 3. Nomin. & alij.

Prob. primò. Quidquid habet proprium esse, ab alio, etiam solùm ratione, distinctum, potest concipi sine illo, sed modus nullo pacto potest concipi sine re, cuius est modus, ergo non habet proprium esse, & entitatem distinctam à re, cuius est modus, mai. patet, min. prob. tum ex axiomate com. accepto quod refert noster Nouarinus lib. 2. animæ scientiarum axiom. 4568. tum quia in conceptu v. g. sessionis, quæ est quidam modus, intrinsecè inuoluitur sedẽs, nec potest concipi sessio, quin sedens concipiatur, ergo, &c.

Prob. 2. Modus neq. supernaturaliter potest separari à re, cuius est modus, sed quæ à Deo inseparabilia sunt, nõ habẽt diuersã entitatẽ, ergo modus non habet diuersã entitatem à re cuius est modus.

Prob. 3. Modus non potest transire de subiecto in subiectum, ergo non habet ẽtitatem propriam, cons. prob. si enim haberet propriã entitatẽ, saltem diuinitùs posset trãsire de subiecto in subiectum.

Secunda Conclusio. Modus formaliter sumptus est *actualis determinatio rei indifferentis per aliquid illi adueniens, & determinans* Videtur Hurtadi disp. 2. Met. sec. 5. Ouiedo cont. 4. met. p. 5. num. 6. Morandi quæst. 9. Met. Ar. 2. num. 44. & aliorũ. 28

Pr. 1. Ille est cõceptus quidditatiuus alicuius, per quem illud distinguitur à quocumq. alio, sed modus à quocumq. alio distinguitur, per hoc quòd sit actualis determinatio &c. ergo actualis determinatio &c est cõceptus quidditatiuus modi, min. prob. distiguitur enim ab entibus realibus per se existẽtibus, quę sunt, vel determinantia, vel determinabilia, distinguitur ab entibus rationis, quæ non sunt quid reale, ergo &c.

Prob. 2. Quotiescumq. aliquid ab alio sibi conueniẽte determinatur, acquirit nouum esse, sed non acquirit nouum esse entitatiuum, ergo modale, ergo modus est actualis determinatio alicuius rei indifferentis per aliquod illi adueniens.

Prob. 3. Per hoc quòd modus dicatur actualis determinatio &c. illi conueniunt ea omnia, quæ à posteriori ipsi adueniunt, ergo in actuali illa determinatione &c. consistit essentia modi; antecedens prob. nam, 1. est aliquid positiuum, & reale, neq. est nihil, aut fictio intellectus, secundò nequit stare, neq. diuinitùs sine re, cuius est modus, determinatio enim est semper alicuius, nec potest stare sine re determinante, & determinata, 3. nullam habet entitatem distinctam, rem enim esse determinatam à determinante, nihil importat entitatis super entitatem rei, ergo &c.

Tertia Conclusio. Modus super rem modificatã, & modificãtem, dicit solum negationem indifferẽtię ad talẽ modificationem. Deducitur, ex dictis. 29

Prob. Res modificata non est amplius indifferens ad talem modificationem, ergo dicit negationem indifferentiæ ad talem modificationem, ant. prob. indifferẽtia enĩ tollitur p determinationem.

Ob. primò contra primam conclusionem. Quãdo acquiritur, vel deperditur modus, aliquid acquiritur, vel deperditur, sed non acquiritur, aut deperditur entitas rei modificatæ, ergo entitas ipsa modi, ergo habet aliquam entitatem.

Resp. dist. mai. quando acquiritur &c. acquiritur aliquid modale, & concedo, aliquid entitatis, & nego mai. simul cum conseq. Nam quando v. g. Petrus de non sedente fit sedens, perseuerat in sua entitate, nec aliquam aliam entitatẽ acquirit, sed solũ ipsa sua ẽtitas diuerso modo stat, ac prius stabat, & in hoc cõsistit, Petrũ, modũ sessionis acquisiuisse.

Inst. datur Res modificata, & modificans, &

non datur modus, ergo modus est aliquid præter ipsas: antecedens patet in forma, & materia ante vnionem, in corpore, & loco, ante locationem, &c.

Resp. dist. Antecedens datur res &c. in sensu diuiso, & con. in sensu composito, & nego antecedens; quare non sequitur dicere entitatem distinctam, eo enim ipso, quò res modificans, seu determinans ponitur in re modificata, & prius determinabili, seu per se ipsam, seu per agens naturale absq. alio superaddito, illas, vt ita dicam conglutinante, habetur modus, & ideo non est ens nisi entitate subiecti, modum enim existere, non importat entitatem modi existere, sed subiectum in proprio esse, taliter, vel taliter modificari, cum enim essentia modi sit modificatio subiecti, ita vt sine subiecto non posset intelligi, ideo quotiescumq. intelligitur subiectum modificatum, intelligitur modus; & hinc est, modum, licet existat existētia subiecti, non tamē dicere in recto existētiā subiecti, sed solùm in obliquo, quare quando ipse desinit esse, non desinit existentia subiecti, sed solū desinit tali pacto se habere subiectum.

30 Inst. 5. Ergo modus non est quid reale, sed purum figmentum rationis; sequela prob. quia per vos nullam essentiam, nec existentiam habet.

Resp. Neg. sequelam, & ad probationem dico, modum habere propriam essentiam, sed non sufficientem ad constituendam peculiarem entitatē, cum enim illius essentia sit esse essentialiter modificationem illius, cuius est modus, modificatio verò ex suo intrinseco nihil aliud faciat, quàm modificare esse alterius, non autem constituere aliquid esse peculiare, ideo dicimus, modum solùm esse ens entitate subiecti .s. subiectum taliter existens. Neq. ex hoc sequitur, nō esse realem, duplici enim modo aliquid potest esse reale, vel tamquam res, & entitas, vel tamquam aliquid de entitate; primo modo non dicitur modus quid reale, benè verò secundo modo, quòd nihil aliud importat, nisi fundari in realitate rei, modus enim, licet non sit aliquid reale in se ipso, adhuc tamen est aliquid reale in alio .s. in re, cuius est modus, est enim entitas rei, pro vt tali, vel tali pacto se habet.

Inst. 3. In aliqua modificatione datur res modificata, & non modificans, nisi modus, ergo in tali casu, modus habet aliquam entitatem. conseq. patet, nam in definitione modi dicitur, quòd sit determinatio per aliquid adueniens, hoc autem aliquid non est, nisi modus, ergo &c. antecedens prob. in sessione enim, in subsistentia, figura &c. qui omnes sunt quidam modi, non datur res determinans, & modificans præter modum ipsum.

Resp. disting. antecedens, non datur res modificans absolutè, & nego, pro aliqua differentia tēporis, conc. antecedens; verum enim est, non semper durare omnes res modificantes in modificatis, vt in sessione producta à motu locali, at per hoc non sequitur, produci modum absq. re determinante, & modificante adueniente, quare ad summum concludit argumētum, modum stare in re modificata absq. re modificante, quòd numquam negauimus; diximus enim, modū esse determinationē rei indifferentis, quare cum in assignatis modis habeamus res indifferentes, determinatas per aliquid adueniens .s. vel per motum localem, vel per generationem &c. argumentum contra nos non militat, solumq. probat, aliquos modos adhærere rei modificanti, & modificatæ, qualis est vnio, locatio &c. alios verò solùm rei modificatæ, vt sessio, subsistentia &c.

Ob. 2. Per actionem loco motiuam aliquid producitur, sed non substantia locata, ergo ipse modus; ergo modus habet aliquam entitatem; mai. prob. omnis enim actio aliquid debet producere.

Resp. disting mai. producitur aliquid entitatiuè distinctum nego, producitur aliquid modale 31
conc. mai. per hoc enim quòd producatur aliquid, non infertur produci entitatem distinctam, producere enim nihil aliud est, quàm ponere id, quod erat in potentia in actu secundùm illud idem esse, secundùm quod erat in potentia, & ideo quando producitur modus, ponitur in actu ea potentia, quæ erat, & quia erat indiff. rētia, & determinabilitas entitatis alicuius, iden quando per actionem aliquam tali potentiæ satisfit, illa actio habet suum terminum .s. ipsammet entitatem, quæ iam producta erat, adimpletam, & determinatam. Ad probationem Respondeo, quòd sicuti duplex potentia reperitur, vna ad esse simpliciter, alia ad esse secundùm quid .s. ad exigendum pro suo perfecto statu aliam entitatem, ita duplex datur actio, altera productiua alicuius entitatis simpliciter, altera adductiua vnius entitatis ad aliam, quæ actio terminat ad ipsam entitatem, quæ iam producta est, vt potentem adimpleri per aliam entitatem aduenientem.

Ob. 3. Ly stare simul in rebus coniunctis, vel ly esse præsens in locatis, præter locatum, & locum, & præter res coniūctas, adhuc dicit aliquid, neq. potest intelligi nisi addatur aliquid, ergo dicit entitatem modi.

Resp. Addere semper aliquid negatiuum, quo per suum esse abusiuum alucinatur lumen intellectus, ita vt credat esse aliquid entitatis, quod non est, vt dum oculus videt tenebras, aliquid credit intellectus videri; ly ergo simul esse in rebus se tangentibus dicit negationem corporis intermedii, ita in locatis, dicit negationem alterius loci, .s. superficiei ambientis, ita figura dicit negationem aliarum partium se se vltra extendentium &c.

Inst. Omne negatiuum habet suum esse positiuum, quod negatur, ergo si esse vnitum dicit nega- 32
tionem, suum positiuum erit modus, ergo &c.

Resp. Hoc negatiuum esse entitates ipsas, quæ per se ipsas, & per suum esse hoc numero, negant alias entitates, vt dictum est cum de indiuiduo, quælibet enim res, per suam ētitatem negat aliam, quia dicit non esse aliam, & quia res indifferens, & determinabilis adimpletur, & determinatur ab entitate adueniente, & determinante, desumit etiam talis determinatio, hoc esse numero distinctam ab alia determinatione, & ita sicuti entitas negat secundùm suum esse omnem aliam entitatem, ita, & hic modus, hæc determinatio negat omnem aliū modū, & determinationē, per hoc esse numero huius entitatis adimpletæ.

Ob. 4.

Ob. 4. Distinctio modalis est realis, sed quæcumq distinctio realis dicit extrema realia, ergo modus est aliquid reale, distinctum ab alio extremo reali.

Resp. distin. mai. Si ly *realis* intelligatur, vt aliquid diuersum à nihilo, & concedo maiorem, si vt aliqua res realis, & neg. mai. & sic distinguo etiam minorem, extrema debent esse realia .s. res, & res, & neg. min. .s. non fictitia, & conc. min. modus autem, vt iam explicatum est, non est res, aut ens, nisi entitate subiecti, quare non est dicendum nihil, sed quid reale, in alio tamen, & ab illo non distinctum, nisi modaliter, quòd sufficit, ad hoc vt saluetur distinctio realis modalis, vt explicatum est.

Coll. 1. Modum alium esse substantialem, aliū accidentalem substantialis est, quando per ipsum fit vnum per se, seu vnum substantialiter determinatur, accidentalis verò quando fit vnum per accidens, seu accidentaliter determinatur.

Coll. 2. Ad modum reduci multa, ex prædicamentis, sumptis secundùm diuisionem Aristotelicam. Quæ autem sint, cuiuscumq. dicemus loco. Et hæc sufficiant dicta de modo.

DISPVTATIO SEXTA.

De Prædicamēto Ad aliquid, hoc est, de Relatione.

Licèt de Relatione agere non pertineat propriè ad Logicum, sed potiùs ad Metaphysicum, quia tamen ferè semper de ipsa incidenter est agendum, vt etiam hucvsque fecimus, cum de vniuersalibus loqueremur, quorū fundamentum est ipsa relatio; ideo ne semper de re ignota sit sermo, hic totam illius quidditatem, ad ipsamq. spectantia, vna cum ipso Aristotele cæterisq. Philosophis expendemus. Sit ergo.

SECTIO I.

Quid sit Relatio.

Supp. 1. Definitam fuisse Relationem ab Aristotele in Prædicamentis cap. 3. quod sit *id cui ipsum esse est ad aliud*, sic enim loquendo de Relatiuis in eodem capite, ait, *sed sunt ad aliquid* (.s. relatiua) *quibus hoc ipsum est esse ad aliquid, quodammodo se habere*; hæc autem definitio communiter est accepta, vtpotè explicans totam quidditatem relationis; dicitur enim *id* .s. illud ens, in quo conuenit cum cœteris alijs prædicamentis absolutis; dicitur *cuius esse est ad aliud*, vt explicetur illius differentia, quę consistit in hoc, quòd per ipsam aliquid referatur ad aliud, ita vt relatio sit tale ens in actuali exercitio semper respiciendi, & dicendi ordinem ad aliud, seu respectum ad aliud; huiusmodi autem esset Paternitas in Patre respectu Filij; per paternitatem enim semper importatur ordo, seu relatio in Patre ad Filium; Hoc autē relationis Prædicamentum explicatur varijs terminis, vocatur enim Ordo, Respectus, Habitudo, Nexus, Ad aliquid, quæ omnia aduertenda sunt, ne in progressu disputationis confusionem causent.

Supp. 2. Ad relationem tria requiri, fundamentum .s. terminum, & rationem fundandi, fundamētum est id, quod per relationē refertur ad aliud, terminus est hoc aliud, ad quod refertur, seu ad quod terminatur fundamentum; ratio fundandi est ratio, per quam fundamentū refertur ad terminum, si enim fundamentum ad terminum refertur in illo debet esse aliqua ratio formalis, per quam referatur; sit exemplum in pariete albo, qui dicitur similis, seu habere relationem in albedine cum alio pariete albo, primus paries dicitur fundamentum, alius, cui dicitur similis vocatur terminus, albedo verò, ratione cuius est similis, vocatur ratio fundandi, quæ ratio fundandi, cum supra ipsam resultet relatio, vocatur etiam fundamentum proximum, ita quòd fundamentum remotum sit vnū ex extremis relationis, proximum verò ipsa ratio fundandi, fundamentum autem, & terminus vocantur etiam extrema relationis, seu correlatiua, quando relatio est mutua, relatiua verò, quando non est mutua.

Supp. 3. Relationem de suo formali duo dicere, primò esse *In* .s. esse in subiecto, seu in fundamento, quod facit ad aliud referri, vt enim de genere accidentium, debet esse in suo subiecto; secundò esse *Ad* .s. esse respectum ad aliud; secundùm esse *In* respicit fundamentum, in quo est, secundùm esse *Ad* terminum, ad quē refertur fundamentum. Ex hoc tamen non deducitur duplex reperiri esse in relatione, esse .s. *In*, & esse *Ad*, nam esse *In* non distinguitur ab esse *Ad*, nisi per maiorem expressionem, & per diuersum respectum, esse namq. *In*, se habet vt ratio generica esse verò *Ad*, vt ratio specifica, & sicut in cœteris, ratio generica intimè imbibitur in specifica, ita ratio *In*, intimè imbibitur in ratione *Ad* & idem sunt esse *In*, & esse *Ad* relationis, duplici tamen termino expressum, ad demonstrandum, quòd illud esse proprium omnium accidentium, vocatum esse *In*, per aptitudinalem inhærentiam in subiecto, quam habent, est tale, in relatione, quòd per contractionem .s. pro eo quòd sit *In* talis accidentis .s. relationis, mutat nomen, & dicitur esse *Ad*, ita quòd formaliter debeat appellari esse *Ad*, licèt quia est in genere accidentis, de cuius essentia est inhærentia, ideo est tale esse *Ad*, quòd dicit inhærere, seu habere esse *In*; vno verbo, est esse *Ad inhærens*, sicuti euenit de alijs prædicamentis accidentalibus, cuius inhæsio, seu esse *In* appellatur vel *Circa* vt in Prædicamento habitus, vel *Ab* vt in Prædicamento actionis, &c.

Supp. 4. Dari relationes à parte rei ante opus intellectus, contra quosdam Philosophos antiquos præcipuè Zenonem, & Stoicos, vt refert Ammonius, & Simplicius; ratio autem desumitur tùm ab ipso Aristotele diuidente ens reale in decem prædicamenta, inter quæ etiam relationem enumerat, tùm quia nullo intellectu cogitante, filius dicit ordinem realem ad Patrem, duo parietes albi dicuntur inter se similes, sed talis similitudo est à parte rei, paternitas est à parte rei, ergo relationes reales à parte rei; tùm etiam, quia de fide certum est, dari relationes reales in Diuinis, ergo etiam dari poterunt in creatis, cum nulla sit implicantia.

Neq. enim valet, quòd dicunt aliqui, dari à parte rei relationem solùm fundamentaliter, non verò formaliter, id est fundamenta relationis, non verò ipsam formam relationis. Nam inquiro, quid important à parte rei duo parietes albi? certè similitudinem inter ipsos? ergo relationem, neq. enim illa fundamenta sunt solùm absoluta, sed etiam relatiua, ergo &c.

Supp. 5. Tam esse realem relationem secundùm esse *Ad* quàm secundū esse *In* contra Caietanum, & Capreolum, volentes relationem secundum esse *Ad* neq. esse realem, neq. rationis, sed quid abstrahens ab vtroq. Tum quia supradiximus, esse *Ad* non distingui ab esse *In*, ergo si est realis, debet esse secundum totam suam essentiam. Tum quia esse *Ad* est propria essentia relationis, ergo si est realis, debet esse secundum suam essentiam. Tum denique quia non potest concipi, quid sit hoc abstrahens ab ente reali, & rationis, cum inter ipsa non detur medium, neq. possit abstrahi aliqua ratio superior ente, cum ens sit prima ratio omnium; ergo relatio secundum esse *Ad*, debet esse realis. His ergo suppositis tamquam certis, tota difficultas consistit in assignando, quodnam sit hoc ens relationis, an sit ens accidentale, an verò modale, ex quo determinato, facilè erit deducere, an, & quomodò ipsa relatio distinguatur ab extremis relatiuis.

3 Supp. 6. Non omnem respectum ad aliud reduci ad prædicamentum relationis prædicamentalis propriè, & formaliter, pro vt hic sumitur, sed solummodo respectum, qui aliquo modo distinguitur à rebus relatiuis, & illis, prius absolutè existentibus, quodammodo aduenire dicitur; ratio autem est, quia cum relatio prædicamentalis sit accidentalis, ideo vt extra essentiam terminorum relatiuorum, illis, prius absolutis, debet aduenire, quod nō euenit in quibusdam relationib⁹, quæ vtpotè dicentes necessariam cōnexionem cū suo fundamento, ab illo essentialiter importantur, vt v.g. scientia, quæ necessariò refertur ad obiectū, potentia ad actum, Creatura ad Creatorem, &c. in quibus, licèt sit respectus, & relatio, tamen quia talis relatio dicit necessariam connexionem cum suis fundamentis, ita vt talia fundamenta nequeant existere sine tali relatione, ideo talis relatio, non est aliquid illis prius absolutè existentibus, aduenienss, sed est ipsorum essentia talem necessariò dicens dependentiam, atq. adeo non in hoc prædicamento collocanda, sed in illis prædicamentis, ad quæ reducuntur illæ res, talem necessariò dicentes connexionem, & dependētiam, quæ res, cum possint esse, vel substantiæ, vel quantitates, vel qualitates, &c. ideo eorum respectus, siue connexio necessaria, vel erit substantialis, vel quantitatiua, &c. atq. adeo talis relatio dicitur transcendentalis, id est transcendens per omnia prædicamenta, ad differentiam relationis prædicamentalis, quæ propriè constituit prædicamentum *ad aliquid*; quo supposito, vt communiter concesso, hìc solummodo erit sermo de ipsa relatione prædicamentali, tractaturi etiam postea de relatione transcendentali.

Prima Concl. Relatio prędicamentalis est modus accidentalis adueniens extremis absolutis, non tamen ab ipsis entitatiuè distinctus. Quoad primam partem est multorum præcipuè P. Morandi tract. de Prædic. quæst. 10. quoad secundam Nominalium, Ochan, Marsilii, aliorumq. multorū, quos referunt Complutenses in logica disp. 14. de Relatione quæst. 5. est etiam Serbelloni disp. 2. in met. quæst. 4. art. 4. §. 118. licèt tamen neget esse modum, quia defendit contra nostram doctrinam, modum esse entitatem distinctam à subiecto modificato. 4

Prob. prima pars, Auctoritate Aristotelis, qui in prædicamentis cap. ad aliquid, loquendo de relatione sic ait *est autem esse ijs, quæ ad aliquid sunt idem, ac ad aliquid aliquo modo se habere*, ergo ex Aristotele deducitur esse modum.

Prob. 2. Modus est determinatio rei indifferentis per aliquod illi adueniens, & determinans, sed huiusmodi est relatio, ergo &c. min. prob. per hoc enim quòd parieti v.g. albo absolutè existenti, adueniat alius paries albus, ad quem primus referatur, resultat inter ipsos relatio, sed per talem relationē determinatur paries, qui prius erat absolutus, ad esse relatiuum, ergo relatio est determinatio, &c.

Prob. 3. Ille est modus, qui à rebus modificatis, neq. per diuinam omnipotentiam potest separari, seu relatio per diuinam omnipotentiam nequit separari à terminis relatiuis, ergo est modus, mai. ex dictis est certa, cum enim non distinguatur entitatiuè ab ipsis, neq. ab ipsis potest separari; min. prob. nequit enim Deus facere, quòd duo parietes existentes albi, non dicantur inter se similes, ergo relatiui, si enim similitudo consistit in hoc, quòd vnus paries habeat similem qualitatem, quam habet alter, dum perseuerant in habendo talem qualitatem, non potest Deus facere, quòd non sint similes, alioquin faceret quòd essent, & non essent similes, quod propter contradictionem implicat.

Neq. enim valet quòd dicūt aliqui, Deum posse auferre relationem formalem, & in tali casu futuros illos parietes similes solùm fundamētaliter, atq. adeo relationem esse formam accidendentalem inhærentem in rebus relatiuis, ab ipsis realiter distinctam, ipsaq. relatiua formaliter facientem.

Resp. enim, hoc esse vanissimum effugium, quo

omnes

omnes admittentes relationem superadditam conantur nostris rationibus respondere, sed frustra; nam quid sibi importat, hoc esse extrema similia fundamentaliter, in casu, quòd ab ipsis auferatur relatio formalis? nihil aliud certè, nisi coexistere duo extrema habentia eamdem formam specificā albedinis; quid ergo amplius desideratur ad relationem? oh dicēt ipsi, requiritur ipsa similitudo, siue relatio superaddita, qua dicatur vnum referri vel dicere similitudinem ad aliud; oh ineptiæ Resp. ego, nam illa duo extrema absq. hoc superaddito, certè nō sunt dissimilia, participant enim similem aliquam rationem, ergo similia, ergo relatiua, absq. hoc superaddito, formaliter enim duo esse similia nihil aliud importare potest, quā vnum habere tantùm alicuius qualitatis, quantùm habet aliud, quòd hoc certè est absq. superaddita similitudine.

Neq. dicas 2. cum P. Morando quæst. 9. de Prædic. similitudinē, æqualitatē, & huiusmodi, non esse relationes reales à parte rei, sed solùm rationis, cum enim fundentur in vnitate, & vnitas generica, & specifica sit solùm in intellectu, ideo, & tales relationes.

Resp. enim. Vnitatem specificam, & genericam esse quidem à parte rei, vt probauimus cū de vniuersali, atq. adeo, & similitudinē in ipsa fūdatam.

Prob. 2. pars. Ad omne, quod est distinctum entitatiuè ab alio, debet dari motus, .s. aliqua actio, per quam existat, sed ex Aristotele. 5. Physicorum, ad relationem non datur motus, ergo relatio non est aliquid, entitatiuè distinctum a fundamento.

Neq. dicas. Ad relationem so ā, non dari motum, quia producitur per eamdem actionem, qua producitur terminus, v. g. per eamdem actionem generatiuam, qua producitur filius, producitur etiam entitas relationis, quæ est in Patre, ad filium.

Resp. enim. Vel talis actio terminat, & directè, & primariò ad terminum, & secundariò ad relationem, vel è contra, vel primariò, & directè ad vtrumq. si dicunt primum, ergo terminus esset correlatiuus ante relationem superadditam, ergo est superflua, conseq. prima probatur, terminus enim productus haberet per suā entitatem id, per quòd dicit relationem, v. g. filius filiationem, paries albus albedinem, ergo formaliter diceret relationem ante superadditam relationem; si dicant secundum, nempe actionem prius terminare ad relationem, & postea ad terminum; hoc est falsum, quia priùs esset relatio, ante quam essent extrema relatiua. quòd implicat; si tertium Resp. hoc pacto relatio esset adequatè identificata cum termino, cum per eamdem indiuisibilem actionem ambo producerentur, quòd ipsi nolunt; quare &c.

5 Neq. dicas 2. Ad relationem, per se non dari motum, benè verò per accidens, ita quòd ad productionem termini, per naturalem resultantiam emanet relatio, ab ipso fundamento, ita vt causa realis producens fundamentum, dicatur causa per accidens relationis resultantis, quando ponitur terminus, qui est conditio sine qua non, fundamentum non potest dici relatiuum, vt patet de passionibus animæ, quæ ad positionem animæ ab ipsa realiter emanant.

Resp. enim. Nullo pacto posse dici relationē resultare à fundamento tamquam aliquid entitatiuè distinctum, nam in tantum passiones dimanant ab anima, inquantùm ipsa est principium ipsarum & virtualiter, & potentialiter in ipsa sunt, quòd non potest dici de relatione, causa enim producens fundamentū, non intendit producere relatiuum sed absolutum, atq. adeo in ipso non est principium emanatiuū relationis; si enim esset, saltē de potētia absoluta posset ab ipso educi hæc relatio absq. termino, quòd tamen implicat; Neq. enim sufficiens est responsio, terminum esse conditionem sine qua non, nequit resultare relatio, nam si relatio est aliqua entitas de nouo adueniens fundamento, non sufficit positio conditionis sed requiritur causa effectiua ipsam producens, sicuti ex eo quia approximatio sit conditio sine qua non, ignis non comburit, non per hoc combustio dicitur esse simpliciter per positionem conditionis, sed quia ignis de se est potens producere combustionem, ita ergo, fundamētum deberet esse potens ad producēdam talem entitatem relationis à se distinctam, quòd nullo pacto nequit dici, cum ergo ab ipso nequeat dimanare, vt potè in ipso non contenta, neq. possit realiter, & physicè eā producere, dicēdū est, non esse aliquid ab ipso distinctum entitatiuè.

Prob. 2. Si relatio esset aliquid ētitatis superadditum extremis, posset aliquid dici relatiuum sine suo correlatiuo & termino, sed hoc implicat, ergo & id ex quo sequitur, sequela prob. seruetur relatio similis in pariete albo, & destruatur correlatiuum .s. alius paries albus (hoc enim posset facere Deus, si relatio esset entitas superaddita) talis paries diceretur similis, si quidem in ipso conseruaretur forma similitudinis, ergo diceretur relatiuus absq. termino, quòd implicat.

Prob. 3. Si relatio esset aliquid entitatis superadditum, non posset aduenire fundamento absq. illius mutatione reali (forma enim realis non potest alicui de nouo aduenire, quin illud aliquo pacto immutetur) sed relatio aduenit fundamento absq. vlla mutatione reali eius, ergo non est aliquid entitatis realis superadditum, &c. min. prob. tùm ex ipso Aristotele hoc asserente secundò Phys. tex. 10. his verbis *me immutato per solam extrinsecam positionem alterius, sum illi similis, cui antea similis non eram* tùm ratione, quia existente pariete albo, si ponatur alius paries albus apud Indos, statim primus paries incipit esse illi similis, sed hoc absq. sui mutatione reali, ergo &c. hæc min. prob. non enim apparet quænam sit causa talis realis mutationis, neq. enim potest esse fundamentum, cum nihil operetur, neq. terminus, cum sit admodum distans ergo &c.

Prob. vltimò. Iisdem rationibus, quibus supra
probauimus, modos non esse entitates superaddi- 6
tas rebus modificatis; quare ex hoc patet, quòd quando dicitur relationem esse accidens, non intelligitur, quòd sit accidens physicum; sed Accidens formale, seu logicum; quia .s. concipitur relatio ad modum formæ, seu rationis formalis; cū enim alius sit conceptus essentiæ per se conside-

rate

tate, alius verò conceptus eiusdem essentiæ considerata, ut relatiuæ, ideo relatio concipitur ad modum formæ accidentalis, licèt verè non sit talis, sed solum dicatur accidens, quia ipsis rebus constitutis in suo esse absoluto aduenit, quòd nihil aliud importat, nisi quòd sit modus accidentalis, & propter hoc etiam illius existentia in fundamēto supra explicata fuit per esse In proprium cuiuscúq. accidentis, cum tamen iuxta cæteros modos sit per adhærentiam non inhærentiam.

Ob. primò. Relatio aduenit fundamento priùs existenti absoluto, & destruitur ipso permanente, ergo ab ipso distinguitur entitatiuè, & realiter. Item fundamentum per relationem mutatur realiter, ergo relatio est aliqua forma realis ab ipso distincta. Item implicat idem indistinctum esse per se, & esse ad aliud (sunt enim modi essendi oppositi) sed relatio dicit esse ad aliud, ergo non potest esse idem cum fundamento, quod dicitur esse per se, ergo ab ipso est distincta entitatiuè.

Resp. ad primum, neg. cons. e ratio est, quia aduenire, & perire relationem, non est aduenire, & perire entitatem aliquam, ut etiam diximus cum de modo, sed est ipsum fundamentum, modò esse relatiuum, modò non, quòd tamen non importat mutationē realē in ētitate fundamēti, sed solúmodo in modo essendi talis entitatis fundamenti, cum ex eo quòd simpliciter sit terminus, ipsum sit relatiuum, & cessante termino desinat esse relatiuum, & hac ratione patet Resp. ad secundum.

Resp. ad 3. Disting. mai. implicat &c. secundùm eamdem rationem, & conc. secundùm diuersam, & neg. mai. fundamentum autem, pro vt est substantia, dicitur stare per se, pro vt est talis substantia .f. relatiua, dicitur esse ad aliud. Relatio enim, vt optimè aduertit doctissimus Pasqual. in Metaph. tom. 1. disp. 80. sect. 1. num. 3. non dicit aliquam essentiam entitatiuam in se ipsa, sed tantùm dicit formaliter esse ad aliud alicuius essentiæ, .f. quòd talis essentia sit ad aliud, quòd non importat in tali essentia aliud nouum esse entitatiuum.

Neq. ex hoc sequitur, destrui prædicamentum relationis, vt aliqui obiciunt, ex eo quia non sit aliquid ens distinctum a substantia, vel accidente relatiuis; Nam licèt.

Responderi posset cum Hurtado. Quòd dato etiam quòd destrueretur, non per hoc destrueretur aliquod ex septem Sacramentis Ecclesiæ, aut vnum ex præceptis Decalogi negaretur; tamen dico, non destrui prædicamentum relationis, nam ipsa substantia, & accidens possunt habere duplicem modum essendi, & stando absolutè, substantia .f. per se, accidens in alio, & stando relatiuè, primo modo constituunt prædicamenta propria, secundo modo prædicamentum Relationis.

Ob. 2. Modus est ille, qui non potest stare sine subiecto modificato, ipsum verò subiectum potest esse sine ipso, sed subiectum relationis, non potest esse sine relatione, ergo dicendum est, quod relatio non sit modus, sed solummodo Complexum duorum extremorum conuenientium in aliqua ratione, min. prob. subiectum enim relationis nedùm est fundamentum, sed etiam terminus, at non possunt stare fundamentum, & terminus, quin sint relatiua, ergo dicendum est, abiq. modo relationis esse relatiua.

Res. neg. min. & ad illius probationem dico. Subiectum relationis esse solùm fundamentum, solum enim ipsum dicitur habere relationem, terminus verò solùm terminat, non verò habet relationem; quare patet, posse esse subiectum relationis absque relatione. Non potest autem relatio esse solum complexum ex duobus extremis, si pro hoc complexo intelligantur ipsa duo extrema nudè sumpta, & pro vt sunt entitates simplices, cum adhuc, præter esse simplices entitates, sint etiam relatiuæ, benè verò si pro hoc complexo intelligantur ipsæ entitates cum respectu vnius ad aliam, qui respectus nihil aliud est, quàm quidam modus, à fundamento tamen realiter entitatiuè indistinctus.

Instabis. Non est assignabilis causa productiua huiusmodi relationis, ergo dicendum est esse solùm cumplexum extremorum correlatiuorū; antecedens patet, si enim esset assignabilis causa, esset vtiq. productiua termini, ad cuius positionē sequitur relatio, sed ex dictis non potest esse, ergo, &c.

Resp. Relationis nullam peculiarem esse assignandam causam, cum peculiarem entitatem non habeat, sed causam productiuam relationis, esse productiuam fundamenti, quod ad positionem termini dicitur relatiuum .f. relatiuè existens, cum enim sit productum cum tali, & tali ratione, seu forma, sequitur quòd remanente immutato in entitate, modò sit absolutum, modò relatiuum, si non est terminus, est absolutum, si est terminus, est relatiuum; oh, dicent aduersarij, quomodo facit transitum de esse absoluto, ad esse relatiuum, si positio termini in illo nihil realiter operatur?

Resp. Facere transitum, quia taliter erat productum, vt existente termino esset vno modo, non existente, alio staret modo, & ita causa productiua fundamenti, illud posuit in potentia proxima ad relationem, & licèt quando produxit fundamētum, non produxerit relationam, hoc fuit, quia non aderant omnia requisita .f. terminus. Quòd autem hoc ita sit, clarè patet in destructione relationis, detur enim, v. g. quantitas palmaris hic Veronæ æqualis alteri quantitati palmari Venetijs existenti, augeatur postea quantitas palmaris Venetijs existens, fiatq. quadripalmaris, certò in tali casu destruetur relatio, quæ erat in quantitate palmari Veronæ existente; nunc inquiro ego, quis eam destruxit? non agens quod auxit quantitatem Venetijs existentem, neq. enim datur actio in distans, ergo solúmmodo cessauit esse talis relatio ad ablationem termini, nō per mutationem realis entitatis, sed quia talis quantitas taliter fuit producta, vt per talem suam entitatem esset æqualis quibuscumq. quantitatibus bipalmaribus existentibus, & ideo ad illarum existentiam dicitur æqualis, & relatiua, non verò ipsis ablatis; sicuti euenit etiam in actu intellectus,

qui

qui potest transire de vero in falsum, per solam mutationẽ obiecti ipsi extrinseci, quæ tamen mutatio nihil realiter potest destruere, aut ponere in intellectu; sicuti ergo actus intellectus affirmans v. g. cursum Petri est verus, currente Petro, cessante verò cursu, euadit falsus, & tamen ipse realiter non mutatur, sed solùm terminus, & obiectum, sic fundamentum dicitur modò relatiuum, modò nõ, ad positionem, vel destructionem termini, atq. adeo causa talis relationis, est causa, quæ taliter producit fundamentum.

8 Ob. 3 Si relatio esset modus, sequeretur quòd ad minimam mutationem alicuius entitatis vbiuis gentium existentis, infiniti deperirent modi, sed hoc non videtur dicendum, ergo relatio non est modus, sed solùm complexum extremorum; sequela prob. si enim destrueretur aliqua minima entitas, cum ad ipsam dicerent similitudinem infinitæ aliæ entitates, ipsa destructa, perirent etiam tot relationes illarum entitatum similium.

Resp. primò. Eidem argumento omnes aduersarios cogi, & cum maiori difficultate respondere, nam si relatio esset entitas distincta, oh quanta strages entitatum fieret ad destructionem solius entitatis, si consisteret in complexo, vel in aliqua formalitate connotante terminum, oh quanta clades, oh quanta strages complexorum, & formalitatum, sed.

Resp 2. Relationem propriè non destrui, vt etiã diximus cumde modo, sed cessare relationem, hoc autem nihil aliud est, quàm cessare rem, .s. fundamentum, tali pacto se habere quòd quidem nõ importat destructionem entitatis, sed solùm diuersum modum standi entitatis, prouenientem à positione, vel destructione termini. Non potest autem relatio stare in solis extremis absq. aliquo modo, quia hoc pacto omnes relationes essent mutuæ .s. tam vnum extremum, quàm aliud dicerent inuicem relationem, sed ex Aristotele, & cõmuni Philos. dantur relationes non mutuæ, in quibus, licet fundamentum referatur ad terminum, terminus tamen ad fundamentum non refertur, ergo &c.

9 Ob. 4. Inter Deum, & creaturam datur relatio prædicamẽtalis mutua dissimilitudinis, consurgens ex positione in tempore creaturæ, sed nequit dici, Deum acquirere aliquem modũ in tempore, est enim immutabilis, ergo relatio non est modus, sed complexum extremorum.

Resp. primò posset ex Valentia prima parte disp. 1. quæst. 16. puncto 1. § *secundo potest* quòd dissimilitudo, diuersitas, inæqualitas, & huiusmodi non sint veræ relationes, cum enim relatio sit ordo, & respectus, & inter dissimilia, inæqualia &c. nullus interueniat ordo, immo oppositio ordinis, ideo hæ propriè non sunt appellandæ relationes, quæ opinio mihi satis probabilis videtur, sed ne cum hac responsione vim argumenti effugere videamur, non reiecta hac doctrina,

Resp. 2. et meliùs. Nullam dari relationem in Deo ad creaturas prædicamẽtalẽ. Ita sẽtit D. Thomas prima parte quæst. 13. art. 7. Suarez disp. 47. in Metaph. sec. 15. numero 17. & multi alii ab ipso relati; Ratio autem est, quia licet relatio non importet mutationem intrinsecam in fundamento, tamen aliquo pacto facit illud diuersum, ac prius erat, hoc autem aliquam imperfectionem diceret in Deo, quòd implicat, tùm quia relatio per nos non est distincta a fundamento, ergo nec esset distincta à Deo, sed esset ipsemet Deus, at Deus nullo pacto ponitur in prædicamentis, vt supra probauimus, ergo &c.

10 Inst. Deus per suam entitatem est dissimilis creaturis, ergo dato quòd dissimilitudo sit relatio, Deus dicit relationem ad creaturas, non minùs ac paries albus ad parietem nigrum.

Resp. Deum dici dissimilem creaturis non per aliquam mutationem illi in tempore aduenientẽ, sed per suã infinitã, & perfectam essentiam, per quã dicit excessũ super omnem creaturã possibilẽ, & existentem, quare sicuti neq. est Creator in tẽp. per aliquã sui intrĩsecã mutationẽ .s. solũ in tẽp. creaturæ existunt, ita neq. dicitur illis in tempore dissimilis, cum semper talis sit, .s. solùm postea denominetur talis, à positione termini .s. creaturæ. quare cum talis dissimilitudo non sit illi accidentalis, neq. potest dici relatio prædicamentalis, de cuius ratione est, ut diximus, quòd sit accidentalis.

Ob. 5. Si relatio non esset distincta entitatiuè ab extremis relatiuis, sequeretur nõ dari relationẽ prædicamẽtalem, sed omnem esse trãscẽdẽta-lẽ. sed hoc est contra omnes Philos. ergo &c. sequela prob. relatio trãscẽdẽtalis est illa, quæ transcendit per õnia prædicamenta, sed huiusmodi etiam esset prædicamentalis, ut potè non distincta ab extremis, quæ modò sunt sub vno prædicamento, modò sub alio, ergo &c.

Resp Neg. sequelam, cuius negationis apparebit ratio, in sequenti sectione, in qua inquiremus, per quid distinguatur relatio Trãscendentalis, à Prædicamentali.

11 Coll. primò. Quando diximus relationem non distingui à fundamento; intelligere de fundamento proximo, non remoto, .s. de ratione fundandi, qua posita habetur relatio, quare si ipsa ratio fundandi à fundamento remoto, ab illo neq. distinguetur relatio, secùs verò si erit accidens distinctum.

Coll. 2. Relationem à fundamento solùm distingui modaliter, quòd nihil aliud importat, vt diximus cum de modo, nisi posse existere fundamentum absq. relatione, & modo.

Coll. 3. relationem prædicamentalem consistere in fundamento, non simpliciter, sed vt est relpiciens, & connotans terminum, per se ipsum tamen, non per aliquam formam realem superadditam, vt volebat Suarez disp. 47. in Metaph. sec. 2. num. 22. Ratio autem est, quia fundamentũ est illud, quod refertur, ergo in ipso est relatio. Tum quia relatio non dicitur esse in termino, sed ad termin. um, ergo terminus est extrinsecus relationi, atq. adeo relatio est in fundamento solo.

Neq. valet dicere, ex hoc sequi, posse esse fundamentum relatiuum sine termino, cùm enim tota relatio sit in fundamento, ergo ablato termino adhuc fundamentũ esset relatiuum. Item vel quãdo adue-

do aduenit fundamento extrinſecè terminus, ponitur aliquid in fundamento, vel nihil, ſi nihil, ergo remanet ſicuti priùs, ſi aliquid, ergo aliqua entitas, ſuperaddita contra ſupradicta.

Reſp. Neg. ſequelam, nàm cum relatio non ſit in fundamento nudè ſumpto, ſed pro vt connotat terminum, ideo deficiente termino, deficit ipſa cõnotatio, quia non eſt illi aliquid ſuperadditum; valeret autẽ argumentum cõtra Suarez, nõ verò cõtra nos; Ad ſecundùm dico, nihil de nouo aduenire fundamento entitatiuè, ſed ſolummodò relatiuè, quòd nihil aliud eſt, niſi poſito termino, fundamẽtum illi dicere relationem per eamdem ſuam entitem, quam priùs habebat taliter diſpoſitam, & productam à ſua cauſa, vt adueniente termino, eſſet relatiua.

Neq. valet dicere ſecundò. In quibuſdam re-
12 lationibus non eſſe maiorem rationem, cur fundamentũ potiùs, quàm terminus cõnotatiuè importetur, vt in relatione ſimilitudinis, tã enim v.g. vnus paries eſt ſimilis alii, quam hic alter primo, ergo, &c.

Reſp. enim. In ſimilibus relationibus, mutuam interuenire relationem, vnam .ſ. in vno extremo, aliam verò in alio.

Neq. valet dicere tertiò. Terminum eſſe eſſentialem relationi, ergo debere eſſe partem intrinſecè, & non ſolum extrinſecè conſtitutiuam relationis; antecedens prob. cum enim id ſit eſſentiale alicui rei, ſine quo res nec eſſe, nec intelligi poteſt, & quo primo poſito, res ponitur formaliter, & ſublato tollitur, & terminus ſit huiuſmodi reſpectu relationis, ergo eſſe illi eſſentialem dicendum eſt.

Reſp. enim. Terminum requiri eſſentialiter ad relationem, non vt conſtitutiuum, ſed vt rationem requiſitam ſine qua non; ſicuti ergo ſine approximatione nunquam ignis comburit, & primò ponitur in actuali combuſtione per illam, & tamen non ingreditur illius eſſentiam, ita, licet fundamẽtum non dicatur relatiuum abſq. termino, quem connotet, tamen non eſt neceſſe, quòd ingrediatur vt pars conſtitutiua relationis, ſed ſolòm vt ratio ſine qua non.

13 Neq. valet dicere 4. Si relatio eſſet ſolùm in fundamento connotante terminum, ſequeretur vnitatem vniuerſalis non conſiſtere in vnitate ſimilitudinis, hoc eſt contra vos, ergo &c. ſequela prob. in tantùm ſimilitudo conſtitueret vnitatem vniuerſalis, in quantùm eſſet vna ſola ſimilitudo in omnibus indiuiduis, ſed admiſſo quòd relatio ſit ſolùm in fundamento, tot erunt ſimilitudines, quot indiuidua ſimilia, ergo non vna ſimilitudo, contra rationem Vniuerſalis.

Reſp. Neg. ſeq. & ad illius probationem dico, nõ in tantùm plura indiuidua conſtituere vniuerſale, in quantùm in ipſis eſt vna ſimilitudo, hoc enim pacto in vna ratione eſſet vnum .ſ. in ſimilitudine, in alia verò plura .ſ. in eſſentia, ſeu in ratione communi ab omnibus participata, quòd eſt contra naturam vniuerſalis exigentis vnitatem, & multiplicitatem in eadem ratione, ſed dico conſtituere vniuerſale, quia eorum eſſẽtia, ſeu ratio per quam conſtituunt vniuerſale, eſt vna ſimilitudinariè, .ſ. illa ratio, quæ eſt in vno indiuiduo, eſt omnimodè ſimilis alteri, quæ reperitur in alio indiuiduo; quare licet multiplicentur ſimilitudines, cum tamen ratio ab omnibus participata, ſimilitudinariè remaneat eadem, ideo conſtituunt vniuerſale, & ideo diximus in Vniuerſalibus ex Ariſtotele, quòd ea, quæ ſunt ſimilia, ſunt aliquo pacto vnum, non verò quòd ſimilitudo ſit vna.

SECTIO II.

Quotuplex ſit relatio realis.

DIuiditur 1. relatio ab Ariſtotele, & communi-
ter in relationem ſecundùm eſſe, & ſecun- 14
dum dici; hæc autem diuiſio ſecundùm communem doctrinam Recentiorum, & etiam Fonſecæ 5. Metaph. cap. 15. quæſt. 1. Fabri 5. Met. diſp. 20. quæſt. 2. Vaſquez prima parte diſp. 173. num. 13. Conimbricenſium in Prædic. ad Aliquid, quæſt. prima, eſt eadem ac diuiſio relationis in realem, ac rationis, ita vt pro relatione ſecundùm eſſe, intelligatur omnis relatio, ſiuè tranſcẽdentalis, ſiuè prædicamentalis, quæ re vera eſt in rebus, pro relatione verò ſecundùm dici, omnis relatio, quæ de facto non eſt, ſed ab intellectu concipitur, vt Creatoris ad Creaturas &c. Quòd autem hoc ita ſit, patet ex exemplis adductis ab ipſo Ariſtotele, vocat enim relationem ſecundum dici alæ ad alatum, capitis ad capitatum, qui reſpectus ſunt propriè rationis. Alii alia dicunt, nobis hoc videtur probabiliùs. Videãtur Auerſa in logica quæſt. 1 . ſec. 3. Amic. trac. 15. quæſt. prima dub. 2. Maſtrius diſp. 8. in logica, quæſt. prima.

Diuiditur 2. Relatio in extrinſecùs aduenientẽ, & intrinſecus aduenientem, relatio intrinſecus adueniens eſt, quę exiſtẽtibus extremis neceſſariò reſultat, vt relatio ſimilitudinis, poſitis enim extremis ſimilibus, abſq. alio reſultat; Relatio verò extrinſecùs adueniens eſt, quæ nedùm exigit exiſtentiam extremorum, ſed etiam aliquid aliud, ratione cuius dicantur relatiua, vt v.g. licet exiſtat Petrus, non dicitur habere Vbi in ſchola, niſi ab extrinſeco illi adueniat talis vbicatio .ſ. à motu locali &c. & licet talis diſtinctio non ſumatur à Thomiſtis, dicentibus, ideo Petrum non habere vbi in ſchola (quod intellige de ſimilibus relationibus) quia ſchola non eſt terminus proportionatus tali fundamento, niſi quando fundamentum eſt illi approximatum, tamen exiſtimo admittendam eſſe, quia ex hoc, quòd terminus nõ ſit fundamento approximatus, non euenit quòd terminus non ſit productus, immo clarè deducitur fundamento talem relationem extrinſecùs aduenire, quòd ſic non euenit exiſtentibus duobus ſimilibus; Per relationem autem intrinſecùs aduenientem dicunt Scotiſtæ conſtitui peculiare Prędicamentum relationis, per extrinſecùs verò aduenientem, alia 6 vltima prædicamenta, Videatur de hoc ſuſe Maſ-

ſtrius

trius, in logica disp. 8. quæst. 8. nobis sufficit illorum notitia.

Alia celeberrima diuisio relationis est, in Prædicamentalem, & Transcendentalem, in qua diuisione cum maximè laborent Auctores propter assignandam illarum differentiam essentialem, ideo, & nos in illa diutiùs immorabimur. Pro quo.

Not. est. Quatuor à diuersis Doctoribus assignati discrimina, propter quæ differunt, relatio Prædicamentalis, & Transcendentalis; primum est, quòd relatio prædicamentalis non sit de essentia fundamenti, ita vt tale fundamentum possit esse sine relatione; relatio verò transcendentalis sit de essentia, ita quòd dato fundamento, necessariò, & essentialiter in ipso sit relatio transcendentalis; secundum, quòd prædicamentalis relatio necessariò exigit terminum actu existentem, secùs verò transcendentalis; tertium, quòd relationis prædicamentalis extrema, debeant esse, saltem formaliter, inter se distincta, non sic verò transcendentalis; quartum est, quòd relatio prædicamentalis necessariò respiciat terminum sub sola ratione termini; transcendentalis verò non respiciat terminum, vt purè terminum, sed sub aliqua determinata ratione, vel subiecti, vel obiecti, vel efficientis, vel finis. Hoc notato, sit.

16 Prima Conclusio. Relatio prædicamentalis propriè, & formaliter, non differt à transcendentali per tres vltimas rationes, seù discrimina supra posita in Not.

Prob. de singulis, & primò quidem de secunda. Essentiæ non consistunt in actu, ergo essentia relationis prædicamentalis non potest consistere in habere terminum actualiter existentem; at secùdùm essentiam, vna relatio debet distingui ab alia, ergo non per hoc, quòd prædicamentalis relatio exigat terminum existentem, secùs verò transcendentalis, inter se essentialiter distinguũtur. Tùm quia sunt relationes transcendentales necessariò exigentes terminos existentes, vt v. g. vnio, quæ per omnia est relatio transcendentalis, & exigit extrema vnita, cognitio quæ exigit actualẽ existentiã obiecti in intellectu, ergo, non per hoc inuicem differunt, relatio prædicamentalis, & transcendentalis, hæc conseq. prob. non enim potest conuenire speciebus id, quod generi disconuenit.

Neq. valet. Omnes relationes prædicamentales semper necessariò exigere extrema existentia, trãscendentales verò, aliquando existentia, aliquando non, atq. adeo per hoc etiam posse dici inter se distingui.

Resp. Quòd ex hoc non posset dignosci, quænam esset transcendentalis, quænam prædicamentalis, cum aliqua species relationis transcendentalis exigeret extrema eodem modo existentia, ac prædicamentalis.

Prob. de tertio. Quæcumq. relatio, debet esse *ad aliud*, sed aliud importat aliquid distinctum, ergo tam relatio prædicamentalis, quàm transcendentalis sunt ad aliquid distinctum, ergo differentia inter ipsas, non potest esse, quòd vna exigat terminum distinctum, secus verò alia.

Prob. de quarto. Respicere terminum sub alia ratione quam termini, non pertinet formaliter ad relationes, ergo per hoc formaliter inter se relationes non possunt distingui, conseq. patet, per hoc enim formaliter debent distingui, per quod formaliter constituuntur; antecedens prob. nam relationis essentia consistit in purè referri, ergo quòd ad terminum referatur sub ratione subiecti, obiecti, &c. hoc non prouenit ex ui formaliter relationis, sed ex ui talis entitatis relatiuæ, quæ est talis, vel talis naturæ; Tum quia, etiam hoc pacto relatio prædicamentalis dicitur respicere terminum, non vt purè terminum, sed vt terminum similem, ergo sub aliqua alia ratione, quàm termini; quare ex his omnibus deducitur, aliud discrimen esse assignandum, ratione cuius differant inter se, relatio prædicamentalis, & transcendentalis, & sit.

Secunda Conclusio. Relatio transcendentalis essentialiter differt à prædicamentali, quia relatio transcendentalis est dependentia essentialis, & necessaria inter extrema transcendentaliter relatiua, ita vt fundamentum nequeat in suo esse perfecto existere sine termino, etiam de potentia absoluta; prædicamentalis verò, est solus ordo accidentalis, accidentaliter adueniens rebus. Ita multi recentiores, præcipuè Spinula in Met. disp. 2. sec. prima, Guarinus disp. 17. de Relatione ex p. 3. & alij. 17

Prob. Relationes debent inter se essentialiter distingui per differentias essentiales, sed essentialis dependentia, & accidentalis ordo, sunt differentiæ essẽtiales, ergo per ipsas essentialiter distinguuntur inter se relationes prædicamentales, & transcendentales, mai. & min. sunt certæ, ergo consequen. Quòd autem relatio transcendentalis consistat in necessaria, & essentiali dependentia, patet consideranti omnes relationes communiter taliter appellatas, sic causæ dicunt relationes transcendentales ad effectus, quia nec de potẽtia absoluta potest aliqua entitas esse causa, si non sit effectus saltẽ possibilis, vnio non potest esse, quin sint extrema vnita, & sic de cæteris, ergo necessaria, & essentialis dependẽtia inter relationes transcẽdẽtiales semper reperitur.

Ob. 1. Vnus paries nõ potest dici relatiuus, seu similis alteri, nisi depẽdẽter ab illo, ergo etiã relatio prædicamentalis est dependentia necessaria, ergo per hoc inuicem non distinguũtur relatio prædicamentalis, & transcendentalis.

Resp. distin. antecedens, nõ potest dici similis nisi dependenter ab illo, ita vt ille sit sui constitutiuus vel perfectiuus, & nego antecedẽs, ita vt ad constituendam relationem necessariò requiratur vnus, & alter paries, & cõc. antecedẽs, cũ eni relatio, & similitudo nequeant stare in vno solũ, ideo necessariò, requiruntur duo, non ita tamen, vt vnum perficiat aliud in suo esse, neq. eni vnus paries albus dicitur albus, seù perficitur ĩ albedine, quia adest alius paries albus, sed solũmodo dicitur similis seu relatiuus; quòd sic nõ euenit ĩ extremis relationis transcendentalis, in quibus terminus ne dũ ĩportat relationẽ in fũdamẽto, sed etiam illud cõstituit, seù perficit necessariò ĩ suo esse, ita quòd fũdamẽtũ ad perfectionẽ sui esse, necessariò exigat, & depẽdeat

à termino, sic effectus possibilis constituit entitatem, quæ alioquin esset absoluta, causam relatiuam.

Neq. ex hoc sequitur. Distingui vnam relationem ab alia, quia vna purè respiciat terminum; alia verò sub alia ratione quàm termini, quia, licet hoc verum sit, tamen hoc prouenit a necessaria dependentia vnius extremi ab alio, & ideo in hoc ponenda est essentialis distinctio inter illas, a quo postea proueniant ceteræ aliæ differentiæ.

18 Ob. 2. Creaturę per suam essentiam essentialiter, & necessariò sunt diuersæ à Deo, sed talis relatio diuersitatis est prædicamentalis, non transcendentalis, ergo etiam relatio prædicamentalis consistit in necessaria, & essentiali connexione, & dependentia, ergo per hoc inuicem non distinguntur.

Resp. Aliud esse, aliquod dicere relationem ad aliud secundùm suam essentiam; aliud verò realem relationem, esse illius essentiam, seù perfectionem essentiæ; primum conuenit etiam relationibus prædicamentalibus, duo enim parietes, aut homines possunt esse similes secundum essentiam; secundum verò solius relationis transcendentalis est proprium; ita vt relatio transcendentalis, sit vel perfectiua, vel constitutiua essentiæ, relatio enim transcendentalis est, vt differentia essentialis, & veluti ens incompletum actuans in illo genere, in quo res illa, quæ refertur, reperitur, & collocatur. Quare, licet Creaturæ respectu Dei sint dissimiles secundùm essentiam, attamen in dissimilitudine, non consistit necessaria dependentia in suo esse creaturarum à Deo, benè verò consistit in eo, quod sint ab eo tamquam à causa creatrice & hæc est relatio transcendentalis, non prædicamentalis.

Ob. 3. Ex tali differentia non apparet quomodo relatio transcendentalis, excludenda sit à prædicamento *ad aliquid*, sed ex supradictis excluditur, ergo &c.

Resp. Ideo relationem transcendentalem non reduci ad peculiare prædicamentum relationis, sed transcendere per omnia prædicamenta, quia cum sit necessaria dependentia, ratione cuius constituitur, vel perficitur ens relatiuum transcentaliter in suo esse, ideo est velut essētia talis entis atq. adeo in eodem prędicamento ponenda est, in quo ponitur illud ens, cum tale ens numquam possit considerari, nisi cum tali essentia, & relatione; è contra verò, relatio prædicamentalis cum accidentibus, vt potè quia in propria essentia illam non includunt, ideo peculiare ab ipsis prædicamentum constituit.

Quæres. An assignatæ relationes subdiuidantur

19 in alias.

Resp. Relationes præscindendo à transcendentali, & prædicamentali, ad 3, capita à Paripateticis communiter reduci, aliæ enim fundantur in Vnitate seu Numero, aliæ in Actione, & Passione, aliæ denique in Mensura, & Mensurabili; quæ fundantur in vnitate seu numero subdiuiduntur in alia tria capita, vel enim fundantur in vnitate naturæ specificæ, quæ scilicet resultet ex vnitate essentię, quo pacto disimus plura constituere vniuersale, & hęc vocatur relatio identitatis; identitas enim seù vnitas, hic sumitur, non pro vnitate, seu identitate numerica, sed vniuersali, nullùm enim simile, seu relatiuum est idem omnimodè; vel fundatur in vnitate qualitatis, & hæc vocatur relatio similitudinis, vt quæ reperitur inter duas albedines; vel deniq. in vnitate quantitatis, & vocatur relatio æqualitatis, vt quæ est inter palmum, & palmum.

Ad has autem relationes fundatas in vnitate reducuntur relationes Oppositorum (si tamen eas vellimus vocare veras relationes) ad relationem siquidem identitatis, reducuntur relationes oppositorum quoad essentiam, vt relatio oppositionis rationalis, & irrationalis; ad relationes similitudinis, reducuntur relationes dissimilitudinis, vt relatio inter album, & nigrum; ad relationes æqualitatis, reducuntur relationes inæqualitatis, vt relatio, qua quantitas palmaris dicit relationem oppositionis ad bipalmarem.

Relationes, quæ fundantur in actione, & passione, sunt quæ resultant à principio actiuo, & passiuo, qualis est relatio paternitatis respectu filij, quæ licet non sit actio, sicuti nec filiatio sit propriè passio, tamen resultat ex potentia generatiua, quæ est actiua, tamquam ex fundamento proximo, sicuti, & filiatio resultat ex termino producto à potentia generatiua. Ad hoc etiam genus relationum reducuntur omnes relationes, quæ per Physicam efficientiam, seu passionem procedūt, vt relatio causæ ad effectum creaturæ ad Creatorem, &c. 20

Relationes denique, quæ fundantur in Mensura, & Mensurabili sunt, quæ reperiuntur inter ea, quæ inuicem commensurantur; non per quantitatem, huiusmodi enim relationes, vt supradiximus, reducuntur ad primum genus, sed per formam intentionalem, vt est relatio scientiæ ad scibile, cognitionis ad obiectum, potentiæ visiuæ ad visibile, vnico verbo, omnes relationes transcendentales, quæ non sunt ad terminum per Physicam efficientiam, sed per intentionalem efficientiam, aut dependentiam, reducuntur ad hoc genus.

Respond. 2. Vnamquamque relationem insuper communiter diuidi, in Mutuam, & non Mutuam; Mutua est, qua nedum fundamentum refertur ad terminum, sed insuper terminus ad fundamentum, quæ insuper duplex est, alia Æquiparantiæ, alia Disquiparantiæ. Relatio mutua Æquiparantiæ est, qua extrema inuicem referuntur secundùm eamdem rationem, vt euenit in relatione similitudinis, duo enim parietes albi, v. g. ad inuicem referuntur per eamdem albedinem; relatio mutua disquiparantiæ est, qua vnum extremum sub vna ratione, aliud verò sub alia diuersa, referuntur, vt Pater, qui refertur ad filium per paternitatem, filius verò ad Patrem per filiationem. Vbi aduertite, quòd extremum, quod refertur, licèt

in prima relatione fuerit terminus, euadit fundamentum in secunda, quod verò erat fundamentum euadit terminus: Relatio verò non mutua est, qua terminus non refertur ad fundamentum, vt relatio, qua creaturæ referũtur ad Deũ, cum ipse ad ipsas non referatur relatio mensuræ, & Mensurabilis, Mensurabile enim ad Mensuram refertur, licèt Mensura ad Mensurabile non referatur.

SECTIO III.

De Termino relationis prædicamentalis.

21 TErminus relationis est cõplementũ eiusdẽ, absq. enĩ ipso nulla datur relatio, quare de ipso in particulari multa sunt inquirenda, & primò quidem, an sit relatiuus, vel absolutus, ita quòd relatio sit ad absolutũ, vel ad relatiuũ; secũdò qualis existentia termini ad relationem sit necessaria, tertiò an ab ipso specificetur relatio; quartò, quænam distinctio inter ipsum, & fundamẽtum requiratur; quintò deniq. an ad multiplicationem terminorũ multiplicentur relationes: vt autem à primo incipiamus.

Not. est. Hìc non quæri, vtrum quando datur relatio inter duas relationes. (Quòd posse esse probabile existimo) ipsa relatio sit ad relatiuum, certum est enim, esse ad relatiuum, cum totum esse talis relationis, sit esse relatiuum, sed sensus quæstionis est, an cœteræ relationes respiciant suos terminos, vt absolutos, vel vt relatiuos.

22 Prima Conclusio. Quæcumq. relatio siuè mutua, siuè non mutua respicit terminum, vt absolutum; Ita Scotus in primo dis. 30. quæst. 1. quem sequuntur omnes Scotistæ, & multi recentiores, vt Ouiedo contr. 9. in Met. punc. 6. Serbellonus disp. 2. in Met. quæst. 4. art. 6. Compton. disp. 11. in Met. sect. 14. Tellez in Met. disput. 6a sect. 6. Morandus tract. de Prædic. quæst. 11., & alij.

Prob. autem de relationibus non mutuis. In huiusmodi relationibus nulla est relatio in termino, ergo terminus est absolutus, ergo relatio est ad absolutum: antecedens patet in relatione mensuræ, & mensurabilis, cum enim mensura ad mensurabile non referatur, dum ad illam mensurabile refertur, remanet absoluta.

Prob. 2. pars. in qua est maior difficultas. Propria ratio termini terminandi relationem, est illa, per quam terminus formaliter terminat respectũ alterius, sed hæc non est relatio, ergo neque terminus est relatiuus, atque adeo neque relatio mutua terminat ad relatiuum, maior est certa, in relatione enim similitudinis duorum parietum alborum, albedo in termino est ratio terminatiua relationis, min. prob., albedo enim non est relatio, ergo cum terminus terminet, per albedinem, non terminat vt relatiuus, sed vt absolutus.

Prob. 2. Relatiua sunt simul natura, cognitione, & tempore ex Aristotele, sed hoc non esset, si relatio terminaretur ad relatiuum, ergo &c. min. prob. si ratio terminandi relationem esset relatio in termino, priùs deberet intelligi terminus relatiuus, quàm relatio, si quidem vt illius causa, aliqua prioritate debet præcedere, ergo non esset simul natura cognitione, & tempore, sed priùs, ergo, &c.

Pro. 3. Positio fundamenti, & termini est veluti causa, à qua resultat relatio, sed causa in aliquo priori debet antecedere effectum, ergo, & positio fundamenti, & termini aliquo pacto debet antecedere relationem, sed quidquid ãtecedit relationem est absolutum, non relatiuum, ergo nedum fundamentum, sed, & terminus est absolutus, atque adeo ad ipsum, vt ad absolutum terminatur relatio.

Prob. 4. In relationibus mutuis ratio terminandi vnam relationem, est ratio fundandi aliam, albedo enim v.g. per quam hic paries terminat alterius parietis albi relationem, est eadem, per quam constituitur in esse fundamenti ad illum respiciendum per mutuam relationem, sed ratio fundandi debet esse quid absolutum, non relatio (quotiescunque tamen relatio non est inter relationes) ergo, & ratio terminandi debet esse quid absolutum, non relatiuũ, ergo relatio est ad terminum, vt absolutum.

Conf. Filius v.g. ideo terminat relationem paternitatis; quia fuit productus à Patre, sed fuit productus, vt absolutus, ergo vt absolutus terminat. Sic dic de coeteris relationibus.

Ob. primò. Relatiua quatenus formaliter talia exercent oppositionem relatiuam, sed oppositio relatiua formaliter includit rationes referendi, & terminandi, ergo vtrumq. munus exercent relatiua per relationes, ergo terminus est terminus, vt relatiuus. 23

Resp. Duplicem esse oppositionem, formalem, & terminatiuam; formalis est, quæ reperitur inter extrema, quæ mutuò, per mutuam .s. relationem referuntur, terminatiua verò est, qua vnum extremum se habet, vt terminus ad relationem, qua aliud extremum refertur. Quando autem dicitur relatiua exercere oppositionẽ, intelligitur de oppositione terminatiua, per quam .s. cùm vnum extremum non sit aliud, illi dicitur opponi, terminando .s. illius relationem, quòd cum possit facere, vt absolutum, ad absolutum terminare relationem dicimus.

Ob. 2. Relatiua ex Aristotele debent esse simul natura, cognitione, &c. sed hoc non esset si relatio terminaretur ad absolutum, ergo, &c. min. prob. si Paternitas v.g. terminaretur ad substantiam absolutam filij, & non ad filiationem, filiatio esset quid posterius paternitate, si quidem ad substantiam filij prius terminaretur paternitas, quàm ad filiationem, ergo paternitas, & filiatio non essent simul natura cognitione, &c.

Resp. neg. min. & ad illius probationem dico. In eodem instanti reali naturæ, & rationis, simul esse paternitatem, & filiationem. quòd, vt percipiatur, sciendum est, in eodem instanti reali tria reperiri instantia, seu signa rationis in quacumq. relatione causæ ad effectum, primum, si consideretur causa in actu primo .s. ante causationem, & in hoc instanti rationis semper intelligitur causa prior effectu, secundum est, quando actu causat, seu est causa in actu, & in hoc signo, & instanti, sunt simul causa, & effectus, neq. enim potest concipi causa causans, quin concipiatur effectus causatus, tertium est, quando ad positionem causæ, & effectus emergit duplex relatio, vna in causa, alia in effectu. Dico igitur, quòd cum in duobus primis instantibus rationis non resultet relatio inter Patrem, & filium, ideo Pater, & filius, vt tales, sunt simul natura, cognitione, &c. nam licèt Pater concipiatur priùs filio, concipitur, vt homo generans .s. vt causa producens effectum, quo producto, in illo instanti resultat relatio, & & paternitatis, & filiationis.

24 Ob. 3 Diuinæ relationes terminant ad relatiuum, ergo etiam creatæ.

Resp. Non currere paritatem, ex eo quia relationes diuinæ constituuntur in suo esse per referri, atq. adeo, vt tales formaliter, non habent aliquid absolutum, ideoq. terminant ad aliquod correlatiuum formaliter, hoc autem non euenit in creatis, non enim, v.g. producitur filius, vt filius, sed vt genitus, filiatio verò aduenit ipsi filio, vt genito.

Colligitur. Hæc omnia, quæ dicta sunt de relatione prædicamẽtali, debere etiam dici de transcẽdentali, cum in hac militent eædem rationes.

25 Secunda Conclusio. Terminus relationis prædicamentalis debet esse realis, & existens. Ita ferè communiter.

Prob. Relatio prædicamentalis, non intenditur à natura, sed emanat ex positione extremorum, ergo ad hoc, vt emanet, requiritur realitas, & existentia extremorum.

Neq. ualet. Stare relationẽ transcendentalem cum termino possibili, ergo etiam prædicamentalem.

Resp. Esse disparem rationem, quia transcendentalis est ipsa entitas rei, necessariò dependens in suo esse à termino, atq. adeo sufficit illius possibilitas.

Tertia Conclus. Relatio specificatur intrinsecè à differẽtia intrinseca, ratione cuius constituitur sub hac, vel illa specie. Ita Tellez in Met. disp 42. sect.6. & alij.

Prob. Specificatiuum debet esse intrinsecum, sed sola differentia est intrinseca relationi, ergo per differentiam specificatur. A quo autem desumat suum esse specificatiuum velut extrinsecum, mihi videtur probabile, quod ait Morandus quæst. 55. de Relatione num. 295. desumere ab illa ratione formali, ratione cuius vnum extremum refertur ad aliud, quòd idem est, ac dicere à fundamento proximo relationis, quidquid dicant Alij. Videatur fuse Amicus quæst.7. dub.7.

Quarta Conclus. Terminus relationis prædicamentalis debet esse distinctus à fundamento. Est ferè communis.

Prob. Relatio est ad aliud, sed ad aliud importat aliquid distinctum, ergo, &c. tùm quia relatio non potest esse ad se ipsum, ergo ad aliquid distinctum à se ipso, ergo, &c. Aduerte tamen, quòd per hoc non dico, terminum importare diuersum reale, & entitatiuè subiectum, cum in eodem subiecto ẽtitatiuè possit esse relatio, vt relatio manus ad manum, &c. sed quòd inter fundamentum, & terminum, aliqua debet interuenire distinctio, per quam vnum non possit dici aliud, quare melius dicendum est, relationem debere esse *ad alium* non *ad aliud*, aliud enim, præcipuè apud Theologos, importat entitatem distinctam, quare damnatur illa propositio, Filius Dei est aliud à Patre. 26

Quinta Conclusio. Ad multiplicationem terminorum eiusdem rationis, non multiplicatur relatio in fundamento. Ita Diuus Thomas 3. parte quæst. 35. & omnes Thomistæ fusè citati à Complutensibus in Logica disputat. 14. de Relatione quæst. 7. §. 4.

Prob. 1. Terminus est extrinsecus relationi, sed quod est extrinsecum non potest multiplicare id, cui est extrinsecum, ergo terminus non potest multiplicare relationem, ergo ad multiplicationem terminorum eiusdem rationis, nõ multiplicatur relatio in fundamento.

Neq. ualet. Licèt extrinsecum, terminare relationem, ergo, & ipsam multiplicari, ipso multiplicato.

Resp. enim. Terminum terminare relationem in nostra sententia non esse ponere aliquid in fundamento, fundamentum enim post relationem remanet intrinsecè entitatiuè immutatum, vt ait Aristoteles, dicendo ad relationem non dari motum, cuius rei rationem reddit dicendo secundò Physicorum textu 10. *quia me immutato, per solam extrinsecam positionem alterius, sum illi similis, cui antea similis non eram*, cum ergo per relationem fundamentum non mutetur intrinsecè, sed solùm ea entitas, quæ priùs ex defectu correlatiui erat absoluta, euadat relatiua ad illius positionem, ideò cùm iam sit relatiua ex positione primi termini, nõ est cur de nouo euadat relatiua, sed solùm ad summum potest dici, quòd illa relatio extendatur ad nouum terminum.

Prob. 2. Vbi est vnica ratio fundandi, ibi debet esse vna sola relatio, sed in fundamento ad multiplicationem terminorum non multiplicantur rationes fundandi, sed eadem vnica remanet, ergo, & eadem relatio; minor patet, neq enim terminus causat nouam rationem fundandi in fundamento, mai. prob. sicuti enim nõ est relatio, nisi sit ratio fũdandi seu fundamentum proximum, quod idem est, ita neq. debet esse noua relatio, nisi sit noua ratio fundandi, ergo cum non sit noua ratio fundandi, neq. erit noua relatio.

Confirmatur. Eadem visio potest ferri ad plures terminos numero distinctos, ergo, & eadem relatio ad plures terminos eiusdem rationis, ergo ad multiplicationem terminorum, &c. conseq. probatur sicuti enim illa visio est repræsentatiua, non

vnius

vnius tantùm albedinis, vel coloris, sed plurium qui reperiuntur in plurificatis obiectis, sic relatio potest esse eadem ad plures terminos numero distinctos.

27 Obijcies tamen. Pater habens filium, superueniente altero incipit referri realiter ad illum, illo verò moriente, cessat referri ad illum, & tamen perseuerat in referri ad primum, ergo quia vna relatio perseuerat, alia destruitur, ergo ad multiplicationem terminorum, &c. quòd dicito de cæteris causis, & relationibus.

Respondetur. Relationem ad secundùm filium non esse nouam relationem, sed vt ita dicam extensionem primæ relationis, ex parte termini materialis; ratio autem est, quia paternitas, quæ est in Patre, non respicit per se primò hunc, vel illum filium in particulari, sed communem rationem filii à se geniti, non enim in tantùm est hæc numero relatio, in quantùm est ad hunc numero filium, sed quia est in hoc numero subiecto. Quare cum in subiecto non multiplicetur ratio fundandi, licèt multiplicetur terminus, non multiplicatur relatio, sed solùm extrinsecè extendi dicitur, ex eo quia addatur nouus terminus materialis, ex positione cuius, si non esset relatio, resultaret, non resultat tamen, quia est. Hac autem responsione patet, hanc etiam conclusionem verificari in relationibus transcendentalibus.

SECTIO IV.

De Proprietatibus Relationis.

28 Quæres. Quænam sint proprietates relationis.

Resp. Quatuor hic ab Aristotele, & communiter assignari.

Prima est. Relatiua habere contrarietatem, quæ tamen proprietas de aliquibus solis relationibus verificatur, ut de relatione uitij ad uirtutem, non autem de omnibus, unus enim paries albus non dicitur contrarius alij, nisi sumatur contrarietas pro oppositione relatiua, qua .s. unum extremum non est aliud, hæc enim reperitur in omnibus relationibus.

Secunda est. Quòd relatiua suscipiant magis, & minus, quæ proprietas intelligenda, est non respectu relationis formaliter sumptæ, cum enim sit purus respectus, non potest magis, & minus intendi ad modum qualitatum, sed respectu extremorum, quæ cum possint, intendi, in ratione fundandi, &c, ut u. g. paries in albedine, ideo possunt dici magis, & minus similia.

Tertia est. Quòd relatiua sint simul natura, quòd scilicèt unum relatiuum non sit causa alterius, sed ad positionem amborum resultet relatio.

Quarta deniq. est. Quòd sint simul cognitione, hæc sequitur ex ãtecedenti, si enim sunt simul natura, debent etiam simul agnosci.

29 Quæres. An relationes dicant perfectionem.

Respond. Affirmatiuè cum probabiliori opinione, quam sequuntur multi Doctores relati à Tellez in Metaphysica disputatione 42. s. 2. Ratio autem est, quia per ipsas aliquo pacto perficitur subiectum, in quo reperiuntur, ergo, &c. An autem dicant perfectionem absolutam, an relatiuam, probabilius existimo, dicere relatiuam, ex eo quòd perficiunt subiectum eo modo quo sunt, sed sunt relationes, ergo relatiuè perficiunt. Et hæc dicta sint de Relatione Prædicamentali.

SECTIO V.

De Relatione Transcendentali, & de ad ipsam spectantibus.

Quæ ad relationem prædicamentalem spectant hucusq. examinauimus, incidenter aliqua etiã de prædicamentali tangentes, modò omnia, quæ solius trãscẽdẽtalis sunt propria in præsẽti sectione videnda sunt; est autem relatio trãscendẽtalis, vt supra dicebamus, quæ transcendit per omnia prædicamenta, & in omnibus reperitur, quid autem in suo conceptu formali importet, videndũ est. Quare sit. 30

Prima Conclusio. Relatio transcendentalis est *dependentia necessaria duorum inter se*. Ita qui supra.

Patet Conclusio ex dictis. Nam cum supra diximus, per hoc distingui trãscẽdẽntalem à prædicamentali, & distinctiuum sit etiam constitutiuũ, ideo nihil aliud erit cõnstitutiuum, seu essentia relationis transcendentalis, quàm dependentia necessaria duorum inter se.

Secunda Conclusio. Hæc dependentia non est entitas superaddita rebus, quæ dicunt relationem, sed sunt ipsæmet entitates habentes potentiam ad aliquid agendum, vel recipiendum.

Prob. 1. pars. Quòd .s. non sit entitas superaddita, ijsdem rationibus, quibus probauimus de relatione prædicamentali.

Prob. 2. pars. quòd .s. sit potentia, &c. vnum necessariò dependet ab alio, quia habet potentiam ad recipiendũ aliquid ab illo alio, vel ad aliquid agẽdũ, ergo huiusmodi relatio est potẽtia ad aliquid agendum, vel recipiendum, prob. antecedens, nam quòd lapis, v. g. dependeat à centro, nihil aliud est, quàm lapidem habere potentiam, & exigentiam ad centrum, sic effectum dependere à causa, nihil aliud importat, quàm effectum habere potẽtiam, seu exigentiam ad recipiendum influxum à causa, & huiusmodi, ergo, &c.

Aduertendum hic. Quòd talis potentia non est aliquid distinctum ab ipsis entitatibus, vt sunt in animali potentiæ sensitiuæ in aliquorum sententia, sed sunt ipsæmet entitates, quæ exigunt tales effectus.

Aduertendum 2. Dupliei modo posse intelligi potentiam, & pro potentialitate, & pro potentia vera: potentialitas est, non esse actum, quare quãdo ponitur actus amouetur potentialitas, & ideò

poten-

potentialitas dicit solùm remotionem actualitatis; potentia verò est illa, quæ conseruatur etiã quando est actus, licet non sit ipsemet actus formalis, vt v. g. quando oculus actualiter videt licet actualis visio non sit potentia formaliter, in oculo tamen est potentia ad talem actualem visionem, si enim non conseruaretur potentia, destrueretur, & actus; quando ergo dicimus dependentiam hanc esse potentiam, intelligimus de potentia vera, non de potentialitate, nam, vt sit necessaria dependentia inter duo correlatiua, requiritur, quòd semper conseruetur ea potentia, quæ est relatio.

31 Tertia conclusio. Relatio transcendentalis requirit terminũ saltem possibilem, ita vt ad terminum impossibilem, non possit dari relatio. Ita ferè communiter.

Prob. prima pars ex dictis. Nam cum relatio sit dependentia duorum, hæc duo saltem possibilia debent esse,

Prob. 2. pars. Relatio est dependentia duorum, ergo si vnum est impossibile, non poterit esse dependentia, patet consequentia, nam quomodo vnum poterit dici dependere ab alio, si hoc aliud est impossibile?

Prob. 2. Visio v. g. est relatio transcendentalis ad suum obiectum .s. ad colorem, vel lumen, sed supposito impossibili colore, seu lumine non datetur visio, ad quid enim terminaret talis visio? ergo ad impossibilem terminum non potest dari relatio transcendentalis,

Ob. Datur cognitio impossibilis, & entis rationis, sed talis cognitio est relatio transcendentalis, cuius terminus est impossibile cognitum, seu ens rationis, ergo relatio transcendentalis potest habere terminum impossibilem.

Resp. negando min. Quòd .s. terminus sit impossibilis, nam terminus relationis transcendentalis, solùm necesse est, quòd sit possibilis in ea ratione, in qua est terminus, licet non sit in alia ratione, & sic, licet ens rationis, & impossibile tale sit à parte rei, non est tamen impossibile, vt est terminus cognitionis, est enim tale ens rationis obiectum cognoscibile, eo modo quo est, ab intellectu, & per hoc esse cognoscibile terminat cognitionem, & causat relationem transcendentalem, & ideo talis relatio non terminat ad impossibilem terminum, cum terminet ad aliquid cognoscibile, quæ cognoscibilitas est possibilis.

32 Quarta Conclusio. Non datur relatio transcẽdentalis in Deo ad creaturas, quæ vt factibiles possint esse terminus omnipotentiæ diuinæ, vt cognoscibiles, scientiæ diuinæ. Est Suarez, Vasquez, Hurtadi, & aliorum, quos citat Ouiedus Cont. 10. metaphisicæ puncto 4. & 6.

Prob. primò. Relatio, ex supradictis, est dependentia, sed Deus non potest habere dependentiã à creaturis, hoc enim diceret imperfectionem, ergo non potest esse relatio in Deo ad creaturas.

Prob. 2. Si omnes creaturæ essent impossibiles, adhuc Deus existeret, ergo adhuc esset omnipotens, ergo non est dicendum, quòd omnipotentia diuina dependeat à creaturis, antecedens prob. nam positis multis impossibilibus, adhuc Deus dicitur omnipotens, non enim vocatur Deus impotens, quia non potest facere hircoceruum, dicit enim D. Thomas, non posse dici, Deum non posse facere chimeram, seu hircoceruum, sed chimerã, & hircoceruum non posse fieri à Deo, ergo si Deus conseruat suam omnipotentiam, licet sint multa impossibilia, etiam conseruaret, licet omnia essẽt impossibilia, & sic omnipotentia diuina non dicit dependentiam, neq. relationem transcendentalem ad creaturas factibiles, sicuti neq. scientia diuina ad creaturas cognoscibiles.

Ob. primò. Si creaturæ essent impossibiles, Deus non haberet omnipotentiam respectu ipsarum, ergo omnipotentia diuina dicit essentialem ordinẽ ad creaturas, prob. antecedens, quia omnipotentia est virtus productiua, ergo deficiente producibili, deficiet etiam ipsa virtus productiua.

Resp. Distinguendo antecedens, Deus non haberet omnipotentiam entitatiuè, & intrinsecè, nego, denominatiuè .s. ea omnipotentia non denominaretur omnipotentia respectu creaturatũ, & concedo; quare nego consequentiam, & ad probationem dico, quòd, licet omnipotentia sit virtus productiua, non tamen dicit essentialem, & realem ordinem ad producibilia, nisi solùm per intellectum, quatenus .s. intellectus concipiendo virtutem productiuam, semper concipit aliquid producibile per talem virtutem, cum tamen entitatiuè, & intrinsecè possit stare sine tali producibili; quare remanet probatum, entitatiuè, & intrinsecè posse esse omnipotentiam d u nam, impossibilibus creaturis, nullamq. reperiri in ipsa, ad creaturas, realem relationem transcendentalem, sed solùm denominatiuam, & per intellectum.

Ob. 2. Deus non potest de facto se comprehendere sine cognitione creaturarum, item Beati Deum intuitiuè videndo, vident etiam, secundùm sententiam Diui Thomæ, aliqua possibilia, ergo signũ est, quòd omnipotentia Dei dicit ordinem essentialem ad creaturas, & ad possibilia. 33

Resp. concesso antecedenti, negando consequentiam. & ratio est, quia, Deus necessariò cognoscit creaturas cognoscẽdo se ipsum, sicuti etiã Beati illum intuitiuè videndo, aliqua possibilia vident, quia cum de facto creaturæ sint possibiles continentur virtualiter, vel eminentialiter in ipsa omnipotentia Dei tanquam in causa, & ratione illius connexionis necessariò videntur, hoc autem non eueniret, si creaturæ essent impossibiles, quia tunc ipsæ non continerentur nec virtualiter, nec eminentialiter in causa.

Coll. Inter Deum, & creaturas posse esse relationem transcendentalem denominatiuè .s. respectu nostri intellectus, cum enim ipse non possit concipere, quomodo Deus sit omnipotens, nisi cõcipiat respectum huius omnipotentiæ ad creaturas, ideo concipit aliquam connexionem, seu ordinem Dei ad creaturas, qui quidem, vt supra probauimus, non est realis, sed purè denominatiuus, arguitq. imperfectionem in nostro intellectu, non autem in Deo. Et hæc sint de relatione transcendentali.

SEC-

SECTIO VI.

De Postprędicamentis.

34 POst disputationem de prædicamentis, quædam alia tractat Aristoteles, quæ quia aliquo modo pertinent ad cognitionem perfectam prædicamentorum, vtpotè illorum membra, ideo Post prędicamenta appellat. Hæc autem sunt Oppositio, Prioritas, Simultas rerum, Motus, & Habitus. Hęc ergo, & nos philosophum sequętes in hac pręsenti sectione videbimus.

Oppositio ergo est. Repugnantia duarum rerũ inter se; hæc autem oppositio differt ab oppositione visa in sũmulis, quia illa est oppositio complexa .s. propositionũ, seu actuum intellectus, hæc autem incomplexa, & physica, scilicèt rerum prout sunt à parte rei; quadruplex autem, secundùm philosophũ, est oppositio .s. contraria, contradictoria, relatiua, & priuatiua.

Oppos. Contraria est, quæ reperitur inter duo, quæ inter se maximè distant, & physicè ab eodem subiecto se inuicem expellunt, vt calor, & frigus; quinque autē assignat philosophus conditiones huius oppositionis cōtrariæ, si sumatur stricto modo; prima est, quòd sit inter accidentia, & qualitates positiuas, vera enim contrarietas est solum in accidentibus, & qualitatibus, non substantijs, quæ solùm largo modo possunt dici contrariæ; secunda est, quòd contraria differant plusquam numero .s. specie, aliter non opponerētur cōtrariè; tertia est, quòd sint sub eodem genere, vt calor, & frigus, quæ ad hoc vt opponātur debēt esse sub eodem genere accidentis; quarta est, vt sint duo extrema, quæ dicantur maximè, & in summo contraria, vt album, & nigrum; quinta denique, vt contraria ab eodem subiecto se inuicem expellant.

Oppositio Contradictoria, est oppositio, quædam negatiua, estq. inter ea, quorum vnum est negatio alterius circa idem subiectum, vt v.g. esse Petrum in aliquo loco, & non esse.

Oppositio Relatiua est, quæ reperitur inter res, quæ inter se dicunt relationem, extrema enim relationis dicuntur opposita, eo quòd idem ad idē relationem dicere omninò non potest.

Oppositio Priuatiua est, quæ reperitur inter habitum, vel formam, & priuationem illorum, vt inter lucem, & tenebras, visionem, & cæcitatem.

Prioritates hic assignatæ ab Aristotele sunt quidam modi, quibus aliquid dicitur prius alio, sūt autem sex; prima prioritas est temporis, quando vnum fuit in tempore prius productum alio; secunda est, secundùm subsistendi consequentiam .s. quando ab existentia vnius, infertur existētia alterius, ut ex eo quòd homo sit risibilis, infertur, quòd etiam sit rationalis; tertia prioritas est, secundùm ordinem .s. quando natura postulat, quòd vnum in ordine sit prius alio, u.g. prius esse cælum stellatum, quàm alios; quarta est, secundùm dignitatem, quando .s. vnum est dignius alio, vt homo est nobilior Leone; quinta est, secundùm causalitatem .s. quando vnum est causa alterius, licèt non sit prior tempore, vt ignis est prior luce, quia causat lucem, licèt existat in eodem tempore; sexta est originis, cum scilicèt vnum, est prius alio exclusis omnibus alijs prioritatibus, quia tantùm ducit originem ab alio, quę prioritas solùm reperitur in personis diuinis. 35

Simultates rerum hic assignatæ à philosopho sūt etiam quidam modi, quibus aliqua possunt esse simul; sunt autem in triplici differentia; alia enim sunt simul tempore, quia scilicet eodem tempore sunt, & existunt; alia sunt simul conuertentia, quia vnum infertur ab alio, vt sunt relatiua, quorum vno posito, etiam aliud est ponendum, alia sunt simul diuisione, quia .s. eamdem rem æqualiter diuidunt, vt sunt differentiæ, vel partes æquales.

Motus 6. species enumerātur à Philosopho. Generatio, qua producitur substantia. Corruptio, qua eadem corrumpitur. Augumentum, quo augetur quantitas. Decretio, qua minuitur quantitas. Alteratio, qua qualitas intenditur, vel remittitur. Motus localis, qui ad locum terminat.

Modi deniq. habendi variè hic enumerantur, vel enim aliquis dicitur habere qualitatem, vt scientiam logicalem, vel quantitatem, vt duos palmos, vel aliquid toti corpori adiacens; vt vestem, vel adiacens alicui soli parti, vt calceamenta in pedibus, vel aliquam partem sui ipsius, vt caput, brachium, vel aliquid contentum, vt aquam in phiala, possessionem, & domum, vel vxorem, & alia huiusmodi, quæ enumerat Aristoteles 5. metaph. capite 23. & hæc sufficiant.



DISPV-

DISPVTATIO SEPTIMA

In Libris ΠΕΡΙ ΕΡΜΗΝΕΙΑΣ Aristotelis,

Hoc est,

De Interpretatione.

IN duobus libris Περὶ Ἑρμηνείας hoc est de Interpretatione, agit philosophus de Signo, Nomine, Verbo, Oratione, & Enunciatione, quæ omnia iam vidimus in summulis. vt potè necessaria ad cognitionem eorum, quæ usq. adhuc pertractauimus, sed quia de propositione multa reliquimus, & propositionis præcipuum munus sit interpretare tam conceptus mentis, quàm rerum, ideo de ea hìc plenam instituimus disputationem. Quare sit.

SECTIO I.

An Veritas, vel falsitas

Sint aliquid essentiale propositioni.

DIximus in summulis, veritatem, & falsitatem esse qualitates accidentales propositionis, sed quia ibi solummodo asseruimus, nullo pacto probãtes, ideo hoc in præsenti sectione diffusiùs erit inuestigandum; pro quo.

Supp. primò. Triplicem dari veritatem, alia enim dicitur veritas transcendentalis, & est propria cuiuscumq. entis, quo pacto omne ens dicitur verum, bonum, &c. & hæc, pertinet ad metaphysicam: alia est moralis, quæ consistit in significando vocibus, signis, & nutibus ea, quæ sunt in corde, huius autem oppositum dicitur mendacium, de illoq. tractare spectat ad Theologos Morales: alia tandem dicitur veritas formalis cognitionis, seu logica, & consistit in cognitione, seu iudicio rerum prout sunt in se, & huius oppositum propriè dicitur falsitas, hicq. de vtraq. hoc tertio modo erit sermo.

Supp. 2. Non posse cognosci, an veritas, & falsitas sint essentiales propositioni, nisi priùs videatur, in quo consistat formaliter talis veritas, & falsitas, nisi enim percipiatur quid sit, nec quomodo, seu quales sint, potest cognosci; pro quo.

Not. Veritatem in communi acceptione consistere in cõformitate, seu adæquatione intellectus cognoscentis cum re cognita, sed quia res cognita potest sumi, & intentionaliter, prout est in intellectu, & realiter, prout est à parte rei, ideo maxima est difficultas, in qua conformitate consistat veritas, vel .s. in conformitate ipsius conceptus formalis intellectus, qui est ipsamet cognitio, cum conceptu obiectiuo, qui est res cognita, seu intentionaliter, & obiectiue in intellectu; vel in conformitate conceptus obiectiui cum re, vt est à parte rei, vel deniq. in conformitate conceptus formalis intellectus cum re, quæ est à parte rei.

Prima Conclusio. Veritas consistit in conformitate conceptus formalis & obiectiui, cum re, quæ est à parte rei. Est Auersæ in logica, quæstione 3. de cognitione intellectiua, Sectione 4. & aliorum.

Prob. primò. Veritas debet consistere in conformitate obiecti cum illius imagine, sed tàm conceptus formalis, quàm obiectiuus sunt imago obiecti, ergo in conformitate vtriusq. conceptus ad re, quæ est à parte rei consistit, veritas. prob. min. conceptus enim obiectiuus passiuè est imago obiecti, si quidem in ipso repræsentatur obiectum, conceptus verò formalis actiuè est eadem imago, quæ exprimit ipsum obiectum, & se habet ad modum formæ, per quam conceptus obiectiuus denominatur conformis, ergo &c.

Prob. 2. Conceptus obiectiuus includit conceptum formalem, ergo veritas debet consistere in conformitate vtriusq. conceptus cũ re &c. prob. antecedens, nam conceptus obiectiuus nihil est quàm res quatenus cognita, vnde duo dicit, & esse rei, & esse cogniti, quatenus ergo res est, non illi conuenit conformitas, quia est potius idẽ cum re, quæ est à parte rei, ergo illi conuenit, vt cognita, sed talis denominatio cogniti prouenit illi à conceptu formali, qui tanquam forma illi tribuit talem denominationem cogniti, ergo in conformitate vtriusq. conceptus cum re à parte

rei

rei consistit veritas. Et ita e contrario, in disconformitate cum re à parte rei vtriusque conceptus, falsitas.

Prob. 4. Si veritas non cõsisteret in conformitate vtriusq. cõceptus cũ obiecto à parte rei, posset dari propositio, quæ circa idem indiuisibile obiectum, & eodem tempore, esset partim uera, & partim falsa; at hoc est impossibile, ergo, &c. minor est certissima; ueritas enim consistit in indiuisibili; sequela ergo prob. si enim daretur, u. g. propositio affirmans cursum Petri, & Petrus de facto curreret; uel huiusmodi propositio esset uera, quia tali cursui Petri esset conformis secundum, quòd est conceptus formalis, uel secundùm, quòd importat conceptum obiectiuum; si quatenùs utrumque, habemus intentum; si quatenus importat, aut unum, aut alium conceptum, ergo secundùm conceptum, quem non importaret esset disformis, ergo partim uera, partìm falsa; quòd est absurdum, quod sequeretur.

3 Obijcies 1. ex sententia asserentium consistere veritatem in conformitate conceptus formalis cum obiectiuo. Intellectus cognoscit entia rationis, & negationes, sed in tali cognitione, veritas non potest consistere in conformitate rei, quæ est à parte rei cum conceptu obiectiuo, vel formali, cum de facto non sit à parte rei, ergo veritas cognitionis debet consistere in conformitate conceptus formalis cum obiectiuo, seu actus intellectus, cum re cognita intentionaliter, ergo.

Resp. data mai. neg. min. Nam licèt entia rationis, & negationes non habeant esse positiuum, habent tamen esse negatiuum, .s. illud non esse, quod quidem est à parte rei; nam realiter homo dicitur non esse lapidem, tenebræ dicuntur non esse ens positiuum; secundùm ergo hoc non esse rei, quod suo modo datur à parte rei, sumenda est veritas cognitionis, & conformitas cognitionis circa negationem, & sic quándo dicimus, quòd veritas consistit in conformitate conceptus cum re, non intelligimus cũ re positiua, sed cum obiecto, quod cognoscitur, quodcunq. illud sit, quod appellatur res cognita.

Deinde. Negatur consequentia, quòd .s. veritas cognitionis consistat in conformitate conceptus formalis cum obiectiuo; nam hoc pacto omnis cognitio esset vera, & nulla falsa, cum in quacumq. cognitione, siuè vera, siuè falsa, detur conformitas conceptus formalis cum obiectiuo, quòd sic probatur: conceptus formalis, est forma conceptus obiectiui, siquidem conceptus formalis repræsentat rem sicuti in conceptu obiectiuo repræsentatur, sed hoc pacto inter utrumq. non potest dari difformitas, ergo semper quæcumq. cognitio tali pacto esset vera; quare, posito, quòd quis iudicet hominem esse irrationalem (quòd est falsum) conceptus formalis repræsentabit hominem irrationalem, qui homo irrationalis repræsentatur etiam in conceptu obiectiuo, nam conceptus obiectiuus est quasi speculũ, in quo recipit, & repræsentatur conceptus formalis, cum ergo inter hos duos conceptus, non possit dari difformitas, neque in conformitate eorum, dicendum est consistere veritatem cognitionis.

Obiicies 2. ex sententia asserentium veritatem consistere in conformitate solius conceptus obiectiui cum obiecto à parte rei. Veritas debet consistere in conformitate cognitionis cũ obiecto, nõ in essendo, sed in repræsentando, scilicet cognitio non quatenus est cognitio, sed quatenus est cognitio repræsentans obiectum, cum illo debet conformari, sed talis conformitas in repræsentando se tenet ex parte conceptus obiectiui, ergo veritas consistit in conformitate conceptus obiectiui cum obiecto à parte rei. 4

Resp. neg. min. Nam veritas in repræsentando se tenet tam ex parte conceptus obiectiui, quàm conceptus formalis, ex eo quia talis veritas, & consistit in eo quòd, obiectũ intellectui obiiciatur sicuti est, in quo consistit conceptus obiectiuus, & in eo quòd cognitio formaliter obiectum obiiciat intellectui, sicuti est, in quo consistit conceptus formalis, nullo enim pacto obiectum esset in intellectu obiectiuè, nisi intellectus obiectum formaliter cognosceret; ex quo deducitur, in conformitate vtriusq. conceptus cum obiecto à parte rei consistere veritatem.

Obiicies 3. Ex sententia asserentium veritatem consistere in conformitate conceptus formalis, cum obiecto à parte rei. Ex dictis in vniuersali, intellectus potest concipere naturam vnam conceptu formali, sed in hac præcisione est veritas, ergo veritas consistit in conformitate conceptus formalis cum re, prout est à parte rei. 5

Resp. 1. conc. mai. disting. min. Veritas materialis transeat minor, veritas formalis, nego min. nam quando intellectus concipit naturam, non conceptis differentijs, vel affirmat esse vnam abstractam à differentiis, vel non affirmat, si affirmat, fallitur, & decipitur cum non sit abstracta à differentijs à parte rei, si non affirmat, ergo solùmmodo est in illo veritas materialis, non formalis.

Resp. 2. Aliud esse præcisionem obiectiuam, & formalem, aliud verò conceptum obiectiuum, & formalem; Conceptus siquidem obiectiuus nihil aliud est, quàm obiectum intentionaliter existens in intellectu, seu imago obiecti in actu intellectus; formalis verò, est actus intellectus exprimens tale obiectum intellectui. At præcisio obiectiua, ne dum est obiectum existens intentionaliter in intellectu, sed insuper est obiectum præcisum .s. non totum, sed pars obiecti, quod est a parte rei; præcisio verò formalis est actus intellectus exprimens totum obiectum, quod est à parte rei, licèt clariùs attingens unam illius partem, in confuso aliã. Quare l. præcisio obiectiua, ut obiectiua, excludat præcisionẽ formalem, tamen talis præcisio ut conceptus intellectus, ne dum est conceptus formalis, sed & obiectiuus, sicuti etiam huiusmodi est præcisio formalis, vt est conceptus intellectus, & ideo si in conformitate illius cum obiecto à parte rei reperitur veritas, saltem mate-

rialis, hoc est quia importat cõformitatem vtriusq. conceptus, & obiectiui, & formalis cum re à parte rei.

Colli. Quòd quando diximus veritatem consistere in conformitate tum conceptus formalis tum obiectiui intellectus cum obiecto, intelleximus de actu secundæ, & tertiæ operationis intellectus, tum quia cum locuti fimus de veritate propositionis, & propositio sit solummodo in talibus operationibus, per hoc de his solummodo sermonem habuimus, excludẽtes primã apprehensionem; tum etiam quia, veritas, vel falsitas formaliter tales non sũt, quia simpliciter duo sunt similia, vel diuersa, alioquin reperirẽtur etiam extra intellectũ, sed quia affirmatur esse similia, vel dissimilia, affirmare autem, est solũmodo proprium, secũdæ, & tertiæ operationis, non primæ, ergo in secũda, & tertia reperitur solũmodo veritas, vel falsitas formalis: quibus rationibus, & aliis suprà visis in tractatu de ente rationis, satisfit illi quæstioni, quæ hic solet agitari, an in prima apprehensione reperiantur veritas, vel falsitas formalis.

6 Secunda Conclusio. Veritas hoc pacto explicata, sicuti etiam falsitas, non sũt essentiales propositioni, & ita propositio vera differt à falsa solùm accidentaliter. Est Aristotelis in prædicamentis cap. de substantia, D. Thomæ parte prima quæstione 14. num. 15. ad tertium, & ferè communiter omnium philosophorum.

Prob. primò. Veritas, vel falsitas propositionis dependent ab existentia, vel non existentia obiecti extrinseci, sed quòd dependet ab extrinseco non est essentia, ergo veritas, vel falsitas nõ sũt essentiales propositioni, min. est certa, prob. mai. nam ex eo quòd obiectum existat, propositio affirmatiua dicitur vera, ex eo quòd non existat, dicitur falsa, ergo &c.

Prob. 2. Id, quod præsupponit aliquid in re, non est essentia rei, sed ueritas, uel falsitas in propositione præsupponũt affirmationem, vel negationem, ergo non sũt essentiales propositioni, ma. est certa, nam essentia est prima ratio in quacumque re; min. prob. nam affirmatio & negatio sũt causa ueritatis, vel falsitatis, causa autem saltem natura est prior suo effectu.

Prob. 3. Si veritas, & falsitas essent essentiales propositioni, sequeretur, quòd Deus determinaret ad errorem, sed hoc non potest dici, ergo neq. quòd veritas sit essentialis; sequela prob. Deus concurrit physicè ad quascumq. operationes intellectus, ergo dato quòd intellectus efformaret aliquam propositionem de futuro, falsam, Deus concurreret ad talem falsitatem, ergo Deus determinaret ad errorem; cõsequẽtia est certa, siquidẽ p adversarios propositio est intrinsecè, & physicè vera, vel falsa.

7 Obijcies primo. Essentiale est propositioni repræsentare v. g. cursum Petri, qui de facto datur, sed hoc est, propositionem esse veram, ergo erit veritas essentialis propositioni.

Resp. neg. min. Nam veritas non consistit in sola repræsentatione, sed etiam in existentia rei repræsentatæ, consistit enim in conformitate conceptus intellectus repræsentantis cum re repræsentata, repræsentatio enim se habet velut fundamentum, cuius terminus est existentia rei repræsentatæ, & quia talis terminus potest deficere, s. potest Petrus non currere, illo deficiente, deficit etiam relatio, & veritas, & per hoc non est essentialis propositioni.

Obijcies 2. In propositione necessaria, seù de præterito nunquam terminus potest deficere, ergo in his propositionibus veritas, vel falsitas erũt essentiales, consequentia patet; Prob. Antecedens, nam hæ propositiones Adam peccauit, homo non est lapis, non est viuens, &c. semper erunt veræ, uel falsæ, si quidem obiectum, seu terminus non potest aliter esse, ac affirmatur uel negatur.

Resp. Concesso antecedenti, negando consequentiam, & ratio est, quia, licet tales propositiones non possint mutari, tamen hoc illis non prouenit ab intrinseco sui, sed ab extrinseco, quia scilicet obiecta sunt talis rationis, quòd non possunt mutari, quod autem ab extrinseco prouenit, non est de essentia, & sic ueritas, uel falsitas non sunt essentiales propositioni.

Obiicies 3. Propositiones de futuro sunt actualiter, & determinatè ueræ, uel falsæ, sed obiectum futurum non adest, ergo independenter ab obiecto, intrinsecè, & essentialiter sunt ueræ, uel falsæ, ergo &c.

Resp. distig. minor. Obiectum futurum non adest realiter, & physicè, & concedo minor. non adest possibiliter, & neg. minor; propositiones autem de futuro non sunt ueræ, uel falsæ, nisi quia correspondent obiecto in tali, uel tali differentia temporis futuro, quare ab illo tali pacto dependent, quod cum illis sit extrinsecum, ideo, &c. 8

Obiicies 4. Actus intellectus uel assimilatur per suam essentiam obiecto, vel non assimilatur, si assimilatur, ergo essentialiter erit verus, si non assimilatur, ergo essentialiter falsus, & sic eodem modo propositio, quæ est actus intellectus.

Resp. Actum intellectus assimilari quidem, vel non assimilari per suam essentiam obiecto, quod est à parte rei, sed non per hoc essentialem esse actui veritatem, vel falsitatem; nam assimilatio, vel dissimilatio non sunt essentiales actui, benè quidem id, per quod dicitur similis, vel dissimilis, sicuti in duabus substantiis similibus, similitudo non est illis essentialis, siquidem sine ipsa possunt stare, benè verò ratio, per quam sunt similes est illis essentialis s. ratio substantiæ; Ratio ergo, per quam actus intellectus dicitur similis, vel dissimilis obiecto, est repræsentatio, quæ si correspondet obiecto à parte rei, facit actum similem, facit verò si non, & ideò repræsentatio semper est essentialis actui, non assimilatio, seo conformitas talis repræsentationis, cum aliquando possit esse, aliquando non, ex quo infertur, assimilationem, seu conformitatem actus cum obiecto, vel è contra, non esse de essentia actus, nec per consequens propositionis.

Ob. 5. Propositiones diuinæ ita sũt veræ, vt nõ possit esse falsæ, sed hoc prouenit ex essẽtia taliũ propositionum,

tionum, ergo veritas potest esse essentialis propositioni.

Resp. neg. min. Nam quòd propositiones diuinæ non possint esse falsæ, prouenit radicaliter ex ipso Deo, qui cum sit infinitum cognoscens, nunquam efformat propositionem, quæ non sit vera, quare propositioni reduplicatiuè, vt propositioni, nõ est essentialis veritas, cũ in propositionibus diuinis hoc illis proueniat, non ex intrinseco sui, sed ex Deo incapaci erroris, & falsitatis.

9 Tertia Conclusio. Veritas propositionis non est quid absolutum, sed relatiuum, estque relatio prædicamentalis. Est communis contra Soncina, 7. metaphysicæ quæstione 15.

Prob. 1. pars. Veritas formaliter est conformitas, sed conformitas dicit conuenientiam, proportionem, & similitudinem, quæ omnia dicunt esse relatiuum, ergo veritas est quid relatiuum, non absolutum.

Prob. 2. pars. Veritas consistit in coexistentia propositionis, & obiecti, cui conformis est talis propositio, sed coexistentia duorum, ex dictis, importat relationem prædicamentalem, ergo veritas est relatio prædicamentalis.

Prob. 2. Veritas est conformitas extrinseca, & non essentialis propositioni, sed huiusmodi conformitas est relatio prædicamentalis, ergo veritas est relatio prædicamentalis.

Obijcies. Veritas propositionis per vos consistit in eo, quòd obiectũ talis propositionis sit, vel non sit à parte rei, sed hoc pacto actus intellectus dependet ab obiecto, ergo veritas est relatio transcendentalis, quæ consistit in dependentia.

Resp. distinguendo min. Dependet ab obiecto in suo intrinseco, & nego, in aliquo extrinseco, scil. in esse verum, & transeat; nam etiam in relatione prædicamentali vnum extremum dependet ab alio in ratione similitudinis, quæ illis est extrinseca, nam paries, v. g. similis alteri parieti, in ratione talis similitudinis dependet ab illo, non enim esset similis, si non esset alter; at per hoc, ex tali extrinseca dependentia, non arguitur relatio transcendentalis.

10 Quæres. An veritas, vel falsitas formaliter sumptæ suscipiant magis, & minus.

Resp. Veritatem posse esse altera perfectionem, altera magis necessariam, non verò maiorem altera in ratione formali veritatis; potest esse perfectior, quia potest habere perfectius obiectum, seu perfectiorem actum, potest esse magis necessaria, quia magis necesse est, Deum existere, quam Petrum currere, at non potest esse vna maior altera in ratione formali veritatis, quia ad hoc, vt esset maior veritas, requireretur maior existentia, cui magis esset conformis propositio, sed vna res non magis existit, quàm alia, ergo non potest esse una veritas maior alio.

Respondetur 2. Neq. falsitatem in ratione formali falsitatis suscipere magis, & minus, si versetur circa idem indiuisibile obiectum, secùs verò si versetur circa obiectũ diuisibile, nã si versetur circa idem indiuisibile obiectum, ratione talis indiuisibilitatis, non potest vna esse maior altera, quòd non euenit, quando obiectum est diuisibile, nam propositio affirmans, v. g. duos homines currere dum nullus currit, erit minus falsa, alia propositione asserente, decem homines currere, cum in illa sit minor disconformitas cum obiecto à parte rei.

SECTIO II.

An propositio possit transire

De vera in falsam, & è contra.

SVpponendum 1. Propositionem diuidi in necessariam, & contingentem, necessaria est, quæ affirmat de subiecto prædicata essentialia, aut passiones naturaliter ab essentia emanantes, vel etiam, quæ affirmat quidquid essentialiter repugnat rei, ut *hominẽ non esse lapidem*; contingens est, quæ affirmat de subiecto illa prædicata, quæ ei contingenter conueniunt, & quæ contingenter non eueniunt; propositio ergo necessaria nullo pacto potest transire de uera in falsam, uel è contra, & hoc prouenit ex necessitate, & immutabilitate obiecti, quod aliter se habere non potest, cum essentiæ sint inuariabiles, huiusmodi autem propositiones dicuntur æternæ ueritatis, quia quocumque tempore semper fuerunt, sunt, & erunt ueræ, ideò hic solùm quæstio est agitanda de propositionibus contingentibus. 11

Supponendum 2. Duplex dari contingens, aliud liberum, aliud naturale; contingens liberum est, quod dependet à causa libera, ut Petrum currere, vel nõ currere; cõtigẽs verò naturale est, quod dependet à causa naturali, de se quidẽ determinata ad operandum, sed quæ ab alia naturali causa impediri potest, vt Sol, qui de sua natura illuminat, contingenter potest non illuminare, obtenebratus à nubibus; Supposito ergo hoc duplici contingenti, duplex, secundùm illud, datur propositio, & de contingenti libero, & de contingenti naturali.

Supponendum 3. Hoc duplex contingens posse considerari, & præteritum, & præsens, & futurum, secundum quam distinctionem aliqua propositio dicitur de contingenti præterito, vt Petrus peccauit, alia de contingenti præsenti, vt Petrus peccat, alia de contingenti futuro, vt Petrus peccabit. Inquirendum est ergo, quid sit dicendum de his omnibus propositionibus.

Prima Conclusio. Propositio de contingenti præterito, & de præsenti determinato, est semper vera, vel falsa, nec potest mutari de vera in falsam. Est conclusio ferè communis cum Auersa quæstione 24. de iudicio Sectione 7. de enunciatione contingenti. 12

Probatur de præterito. Verissimum est dicere Adamus peccauit, Verbum incarnatum est, &c. falsissimum est hoc negare, ergo propositio de præterito sẽper est vera, vel falsa, nec potest mutari.

Prob. de contingenti præsenti, & determinato. Imposibile est eodem tempore duo contradictoria de eodem verificari, sed hoc esset si propositio de contingenti præsenti, & determinato posset transire de vera in falsam, ergo &c. prob. min. nam eodem tempore posset esse verum, Petrum sedere, & non sedere.

Secunda Conclusio. Propositio de contingenti præsenti non determinato, & diuersam mensuram temporis connotante, licèt sit determinatè vera, vel falsa, potest tamen mutari de vera in falsam, & è contra.

Prob. Propositio de præsenti contingenti nõ determinato potest perseuerare in intellectu, non perseuerante existentia obiecti, sed hoc pacto transiret de vera in falsam, ergo talis propositio potest mutari de vera, &c. ma. est certa. nam existente, v. g. hac propositione in intellectu *Petrus currit*, potest Petrus, qui prius currebat, amplius non currere; min. prob. quia iam diximus veritatem consistere in conformitate conceptus intellectus cum obiecto à parte rei.

Tertia Conclusio. Propositiones de contingenti futuro, tàm libero, quàm naturali sunt determinatè veræ, vel falsæ, & ideo non possunt mutari, est conclusio ferè omnium Theologorum, & Philosophorum Catholicorum, contra Aristotelem, qui hoc negauit errando, vt aliqui volunt, contra principia nostræ fidei, negando tacitè Deo præscientiam futurorum. 13

Prob. 1. Detur propositio de futuro euentu v. g. Petrus peccabit; uel Petrus peccabit, uel non peccabit, si primum, propositio est uera, si secundum, propositio est falsa, ergo determinatè est uera, uel falsa.

Prob. 2. De duobus contradictorijs unum est semper uerum, aliud falsum, ergo quæcumq. propositio detur de futuro, vel est contradictoria contingenti futuro, uel non, si non est contradictoria, ergo est conformis, & sic uera, si est contradictoria, ergo est difformis, & sic falsa, cum de duobus contradictorijs unum sit semper uerum, aliud falsum, ergo determinate est uera, uel falsa.

Prob. 3. Deus, ut ex fide, ab æterno prænouit distinctè, & determinatè omnia futura, etiam libere, ergo quæcumq. propositio circa talia futura, est determinatè uera, uel falsa, prob. cons. uel talis propositio est cõformis præscientiæ diuinæ, enuncians de obiecto, sicut Deus nouit, uel difformis; si est cõformis præscientiæ, est pariter cõformis obiecto præuiso, & sic determinatè uera, si difformis præscientiæ, est difformis obiecto, & sic determinatè falsa, ergo semper est determinatè uera, uel falsa.

Prob. 4. De fide tenendæ sunt omnes prophetiæ diuinitùs prophetis reuelatæ de futuro, sed hoc non esset, si tales propositiones, seu prophetiæ non essent determinatè veræ, ergo sunt determinatè veræ, prob. min. nam teneremur credere, quod posset esse falsum, hoc autem implicat, ergo, &c. 14

Obijcies. Hæc propositio de futuro *Petrus peccabit* dependet a voluntate Petri peccaturi, vel non peccaturi, sed Petrus potest peccare, & non peccare, ergo hæc propositio potest esse vera, vel falsa, & & sic non est determinatè vera, vel falsa.

Resp. Disting. min. Petrus potest peccare, & non peccare, ex suppositione, quòd sit peccaturus, & nego min. ante suppositionẽ, & concedo, quòd autem Petrus necessariò peccabit ex suppositione quòd sit peccaturus, nihil aliud importat, quàm quòd Petrus in tali differentia temporis, ex sua libertate liberè eligat peccatum, qua voluntate ita determinata, postea necessariò peccat, necessitate tamen cõsequentis, & ex suppositione, quæ non lædit libertatem, fundatur enim in ipsa libertate quatenus, se determinante, sicuti quando quis sedet, ante sessionem liber est ad sessionem, at dum sedet ex suo libito, & ex sua voluntate, necessariò necessitate consequentis sedet; quia ergo talis determinatio peccati Petri, in tempore futura, ab æterno præuisa fuit à Deo, ideo propositio de tali peccato futuro Petri, si est conformis præuisioni diuinæ, est vera, secùs verò si difformis.

Alia argumenta hic possent fieri, sed quia hæc quæstio diffusiùs agitanda est in Theologia cum de præscientia Dei, ideo sufficiat hic tetigisse, quæ ad Philosophos pertinent.

Colligitur. Quod licet propositiones de futuro contingenti sint determinatè veræ, vel falsæ, tamen ab intellectu eas efformante non potest cognosci talis veritas, vel falsitas, cum sit finitus, & limitatus, nec præuidens futura, & hoc pacto interpretanda est mens Aristotelis, & eum ab errore liberemus, nam ut ait Gregorius in primo distinct. 38. quæst. 2. art. 1. ad 13. beneuolentia lectoris est in bonum sensum interpretari authorem. Et hæc sufficiant de hac disputatione.



DISPV-

DISPVTATIO OCTAVA

In Libris ΑΝΑΛΥΤΙΚΩΝ ΠΡΟΤΕΡΩΝ ΤΕ ΥΣΤΕΡΩΝ Aristotelis,

In quibus

De Discursu, & de Demonstratione.

1 AD hos Libros spectantia, ferè omnia explicauimus in summulis, cum ageremus de directione tertiæ operationis intellectus, licèt enim horum librorum sint propria, attamen, quia admodùm difficilis euasisset, ad quæstiones logicales progressus, illis non explicatis, cum communi, ea ibi dillucidauimus, dillucidauimus inquam, dum egimus de Materia, Forma, Essentia, Natura, & Structura Syllogismi, deq. illius affectionibus, de his enim agit Aristoteles in his libris. Quare solùm remanent inquirenda aliqua, quæ ibi reliquimus, & quia sicut syllogismus est præcipua species discursus, ita inter syllogismos, primas occupat sedes Demonstratio, seu syllogismus demonstratiuus, ideo etiam, quæ ad demonstrationem spectant, examinabimus. Primò ergo sit.

SECTIO I.

Quid, & Quotuplex sit Discursus.

DIscursus intellectus, vt ex ipso nomine patet, nihil aliud est, nisi cursus, & progressio, quam facit intellectus, de cognitione vnius rei, ad cognitionem alterius per vim inductiuam, vt quando, ex eo quòd cognoscit hominem esse animal, progrediẽdo ad aliam cognitionem, seu discurrendo, infert, ergo est viuens; quare discursus sumptus pro vt est modus sciendi, dirigens tertiam operationem intellectus (quæ pariter est discursus, sed non modus sciendi dirigens, sed operatio directa) idem est ac argumentatio, cujus 5. assignauimus species in summulis syllogismum .s. Entimema, Dilemma, Exemplum, & Inductionem. At quia omnes species argumentationis ad syllogismum reduci diximus, vt potè quia virtualiter sunt syllogismi, ideo Discursus propriè nihil aliud est, quam syllogismus, de quo definitionem, & multa ad ipsum spectantia iam traddidimus in summulis, atq. adeo cum ex ipsis summulis optimè innotescat, quid, & quotuplex sit discursus, ideo hic solùm aduertendum remanet, discursum posse esse, & formalem, & virtualem; Discursus formalis est, quando est progressio ab vna cognitione ad aliam realiter distinctam; discursus verò uirtualis est, quando licèt intellectus unico actu realiter indiuisibili plura cognoscat, attamen unum cognoscit ex alio, & ad illud cognoscendum mouetur ex alio priùs cognito, hæc enim dicitur progressio uirtualis, quia se habet ut si realiter progrederetur, nam sicuti cum realiter progreditur intellectus, progreditur ab una cognitione in aliam, ita dum uirtualiter progreditur, progreditur de uno obiecto in aliud, unum .s. ex alio cognoscendo. Hæc ergo omnia ita clara, & aperta, & ex summulis euidentia sunt, ut de his amplius non sit dicendum. Quare remanent solùm inquirenda aliqua, quæ ad perfectam cognitionem discursus reducuntur, & primò quidem, an quando intellectus in discursu primò cognoscit præmissas, per alium actum debeat deducere conclusionem, an verò per eumdem, quo assentitur præmissis, & conclusioni assentiatur; pro quo sit.

SECTIO II.

An idem sit actus,

Quo intellectus assentitur conclusioni, et

Ac, quo assentitur, Præmissis.

NOtandum est primò. Dupliciter aliquid posse cognosci, explicitè, .s. & tale, & implicitè, 2

citè, & in alio; cognoscitur aliquid explicitè, & in se, quando, ad ipsum immediatè terminatur cognitio; sic v. g. cognoscitur effectus aliquis iam productus à causa, non considerata causa; implicitè verò, & in alio, cognoscitur aliquid, quando ad ipsum non immediatè, sed alio mediante terminatur cognitio, & sic v. g. cognoscitur idem effectus nondum productus à causa, per cognitionem causæ, in qua, vel virtualiter, vel eminenter continetur, in qua secunda cognitione, cognitio terminatur priùs ad id, quòd continet, quam ad id quòd continetur, & licet vnus sit formaliter actus, virtualiter tamen est duplex, vt potè ad duplex obiectum, vnum explicitum, implicitum aliud; huiusmodi ergo cognitio implicita potest interuenire in cognitione explicita præmissarum, cum enim in præmissis contineatur ipsa Conclusio; ideo quando intellectus cognoscit explicitè, & assentitur præmissis, implicitè etiam cognoscit, & assentitur conclusioni, in ipsis contentæ, huiusmodi què assensus est realiter vnus, virtualiter tamen est duplex. Quæstio ergo de tali assensu non loquitur, certum est enim per eumdem assensum explicitum præmissarum, & conclusioni implicitè assentiri intellectum, solùm ergo inquiritur, an assensus explicitus conclusionis, qui explicitè à præmissis procedit, sit distinctus ab assensu præmissarum.

Not. 2. Diuersum esse obiectum Præmissarum, ab obiecto conclusionis (quidquid dicant aliqui) Ratio autèm est, quia præmissæ attingunt formaliter connexionem, & vnionem duorum extremorum cum vno tertio, vt dicebamus in summulis; Conclusio autem attingit vnionem extremorum inter se, quare cum diuersa sit vnio extremorum cum vno tertio, ac vnio extremorum inter se, ideo, & diuersum est obiectum præmissarum, ab obiecto conclusionis.

Not. 3. Conclusionē formaliter sumptā non esse simpliciter cognitionem obiecti, sed talem cognitionem obiecti. s. cognitionem deductam, quæ deductio explicatur per particulam ergo, si enim esset sola cognitio obiecti, quando Deus vnico actu cognosceret obiectum conclusionis, & præmissarum propter connexionem, quam habent inter se, discurreret, quòd tamen falsissimum est: esse autem conclusionem cognitionem deductam, nihil aliud importat, nisi conclusionem in suo formali; dicere depēdentiam à præmissis, à quibus infertur, quare ratione huius dependentiæ, quæ est ratio cōstitutiua talis cognitionis in esse conclusionis, cōclusio præcisè differt à præmissis, quo pacto quilibet effectus differt à sua causa, à qua dependet. His notatis. Sit.

3 Prima Conclusio. Actus, quo intellectus assentitur conclusioni, est omnino distinctus ab actu, quo assentitur præmissis. Ita D. Tho. prima parte quæst. 58. art. 3. & quæst. 14. art. 7. & quæst. 2 de Verit. art. 3. ad 3. & quæst. 8. art. 15. & primò contra Gentes cap. 58. & alibi. Auersa quæst. 25. in logica sec. 2. Spinula disp. 11. in logica sec. 6. Serb. disp. 4. in logica quæst. prima art. 6. & Alij Multi.

Prob primò. Diuersum obiectum diuerso modo repræsentatum, non potest vnico actu explicito attingi; at obiectum præmissarum, & conclusionis, est diuersum, & diuerso modo est repræsentatum, ergo non potest vnico actu explicito attingi, ergo actus, quo intellectus assentitur præmissis, est omnino distinctus ab actu, quo assentitur conclusioni, min. ex notab. est certa, mai. prob. cum enim actus induat rationē obiecti, seu sit repræsentatiuus obiecti, si obiectum est diuersum, & diuerso modo repræsentatur intellectui, & actus repræsentans tale obiectum, debet esse diuersus, atq. adeo, & distinctus actus, quo intellectus assentitur præmissis, ac quo Conclusioni.

Prob. 2. De ratione discursus est, quòd vna cognitio formaliter dependeat, & inferatur ex alia, sed si non esset distinctus actus, quo assentitur intellectus conclusioni, ab illo, quo assentitur præmissis, vna cognitio formaliter non dependeret, nec inferretur ex alia ergo &c. min. patet, per vnicum enim actum haberetur vna cognitio, ergo non vna ex alia, mai. prob. discursus enim formaliter, & explicitè sumptus, est cursus, quem facit intellectus ex vna cognitione ad aliam; quare si aliquis intellectus cognosceret vnum ex alio per vnicum solum actum, propriè, & explicitè non diceretur discurrere; sicuti licet Angeli ex Creaturis cognoscant naturaliter Deum, & aliqua alia illis occulta, ex sibi iam notis, tamen per tales cognitiones non dicuntur discurrere; quia non per progressum cognitionis, sed per vnam solam cognitionē vtrumq. cognoscunt.

Prob. 3. Actus, quo intellectus assentitur conclusioni, necessariò in sua ratione formali importat dependentiam, secùs verò actus, quo intellectus assentitur præmissis, ergo sunt actus distincti, antecedens patet ex Notab. Tum quia, præmissæ, licet possint esse conclusiones alterius discursus, tamen reduplicatiuè, vt præmissæ, nullam debent importare dependētiam, cum sola conclusio formaliter sit, quæ, vt potè causata à præmissis, ab illis, & debet dependere, consequentia patet, idem enim non potest dependere à se ipso, ergo si conclusio, seu actus, quo intellectus assentitur conclusioni, est dependens, ab alio debet dependere, ergo ab alio actu, ergo ab alia cognitione distincta, ergo &c.

Neq. dicas. Obiectum cognitum in Conclusione debere dependere à cognito in Præmissis; item Discursum debere esse cursum de vno obiecto ad aliud. i. de vna cognitione obiectiua, ad aliam obiectiuam, non de vna formali ad aliam formalem, atq. adeo cum per eumdem actum, & assensum potuit intellectus attingere obiectum conclusionis ex obiecto præmissarum, in quo casu obiectum conclusionis dependeret ab obiecto præmissarum, ideo per eumdem actum &c.

Resp. enim. Negando antecedens, ad discursū enim formaliter sumptum, non sufficit, quod cognoscatur vnum obiectum dependenter ab alio, seu quòd fiat cursus de vno obiecto ad aliud; sed necessariò requiritur, vt per cognitionem discursiuam, inferatur per illationem talis dependentia vnius ab alio, atque adeo quòd fiat cursus de vna cognitio

gnitio

gnitione ad aliam; si enim u.g. intellectus post quam per discursum euidentem deduxit conclusionem, postea per alium actum inspiciat, & consideret, qualis conclusio ex premissis sit deducta, certè talis actus non dicetur discursus, & tamen cognoscet unum obiectum ex alio, non dicetur inquam discursus, nec intellectus discurrere, & ratiocinari dicatur, sed solummodo iudicare discursum iam factum, non alia ratione, nisi quia, unum ex alio non inferret per illationem, quare D. Tho. pr. part. quæst. 54. art. 3. ad 2. ait, Angelos cognoscere syllogismos à nobis factos, causam in effectibus, effectus in causis, non tamen dicit syllogizare, arguere, &c. ex quo deducitur, ad discursum formaliter sumptum, non sufficere cognitionem unius obiecti ex alio, neq. cognitionem connexionis, seu consecutionis unius ex alio, benè uerò esse necessariam cognitionem, & assensum illatiuum, seu assensū ex ui assensus antecedentis; assēsus enī primo modo sumptus, est potiùs simplex iudiciū, quàm discursus, & ex hoc deducitur alia probatio pro conclusione. Quæ sit.

Prob. 4. Assensus, quo intellectus assentitur in premissis connexioni duorum cum uno tertio, est actus secundæ operationis intellectus s. iudicij, sed assensus conclusionis, non est actus secundæ operationis, sed tertiæ, ergo assensus quo intellectus assentitur præmissis, non est idem, ac quo assentitur conclusioni, minor est certa, mai. prob. per hoc enim formaliter, quòd intellectus cognoscat duo esse idem cum uno tertio, non discurrit, sed affirmat, affirmatio autem spectat ad secundam operationem, ergo, &c. Quare cum assensus conclusionis necessariò debeat esse assensus ex assensu, s. deductus ex alio assensu, necessariò etiam ab illo debet distingui, atq. adeo unus est assensus præmissarum, alter conclusionis.

5 Ob. 1. Eodem actu, quo intellectus attingit obiectum, debet & attingere rationem cognoscendi obiectum, sed ratio cognoscendi conclusionem, seu obiectū cōclusionis, est antecedens, seu præmissæ, ergo eodem actu, quo intellectus attingit, & assētitur cōclusioni, attingit, & assentitur præmissis.

Respōdent communiter Auctores huius sententiæ, distin. mai. si ratio attingendi obiectū est ratio in qua, aut cum qua, aut per quam, & conc. mai. si est ratio ex qua, & negant mai.; deinde dist. min. antecedens, seu præmissæ sunt ratio in qua, aut cum qua, aut per quam, & negant min., sunt ratio ex qua, & conc. min., quare non est necesse, quòd unico actu cognoscantur, sicuti unico actu cognoscitur effectus in causa, quia causa est ratio, in qua; sicuti etiam unico actu uidetur lumen, & color quia lumen est ratio cum qua, seu per quam. Sed quia huiusmodi responsio impugnari posset ex eo quia antecedens, seu præmissæ sunt ratio, in qua, cū enim sint causa conclusionis, per consequens deberet in ipsis cognosci cōclusio, ut effectus in causa.

Resp. 2. Concesso toto, utpotè non contra conclusionem; aliud est enim dicere, quòd conclusio cognoscatur in præmissis, aliud est dicere, quod conclusio deducatur per illationem ex præmissis; cognoscere conclusionem in premissis, est actus secundæ operationis, deducere autem, est actus tertiæ operationis: quare licèt cognoscatur conclusio in præmissis, ut in illius causa, attamen formaliter, per talem cognitionem, non deducitur, atq. adeo talis cognitio non est formaliter discursus, & ad summum posset concedi esse discursum uirtualem, de quo tamen non loquimur.

Ob. 2. Voluntas eodem actu uult finem, & media, ergo & intellectus potest eodem actu, & præmissis, & conclusioni assentiri.

Resp. dist. antec. uoluntas, &c. uult explicitè, & nego, implicitè, & côc. sic u.g. uolūtas quādo uult occidere inimicum, per talem actum explicitè tendit solum in mortem inimici, quia tamen ad talem finem consequendum necessariò requiritur ensis, implicitè uult etiam ensem, sic & intellectus, eodem actu, quo assentitur præmissis, & implicitè conclusioni assentitur, sed de tali assensu implicito non est quæstio, sed de explicito, per quem discursus formaliter habetur.

Deinde. Media sunt necessaria ad consecutionem finis, quare uoluntas uolens finem, necessariò eodem actu, licèt implicitè, uult media necessaria ad illum cōsequendum: at sic non se habet conclusio respectu præmissarum, ita quòd assentiri præmissis, sit formaliter assentiri conclusioni. Deniq. in tantum uoluntas uno actu uult, & finem, & media, quia sunt idem obiectum, saltem formale, utpotè quia habent eandem bonitatem, at sic non est in præmissis, & in conclusione, obiectum enim præmissarum formaliter est diuersum, ut dicebamus, ab obiecto conclusionis, ergo, &c.

Ob. 3. Ex Suar. disp. 3 in Logica exp. 3. intellectus cognito euidēter obiecto, eodē actu cognoscit illud omne, sine quo illud obiectum obiectiuè stare non potest, prout est in intellectu, sed positis præmissis, quæ ponunt duo cum uno tertio identificata, non potest stare in intellectu, quin etiam sint idem inter se; ergo cognitis euidenter præmissis, quæ pōnunt duo cum uno tertio identificata, cognoscit, eodem actu etiam esse identificata inter se. 6

Resp. distinguo mai.: Intellectus cognito, &c. cognoscit, &c. explicitè, & nego maiorem, implicitè, & concedo mai.: quare etiam distinguo min. positis præmissis, &c. non potest stare in intellectu, quin etiam sint idem inter se, implicitè, & conc. explicitè, & nego. & sic pariter, distinguo consequens, ergo cognitis præmissis, &c. cognoscit intellectus eodē actu, explicitè, & nego, implicitè, & transeat; per actū enim explicitū, quo intellectus attingit unionem extremorum cum uno tertio, nullo modo formaliter, & explicitè attingit unionem eorundem inter se, benè uerò solummodo implicitè & uirtualiter, sicuti cognoscit etiam finem, cognoscit effectum, non tamen in se; & explicitè; sed huiusmodi est solum discursus uirtualis, de quo nullum est dubiū, nec in controuersia ponendus, non uerò discursus formalis, de quo loquuntur communiter.

Ob. 4. ex eodem. Intellectus positis premissis euidentibus, non potest dissentire conclusioni; sed si necessarius esset alius actus intellectus, posset dissentire, ergo non est necessarius alius actus, min. prob. uel in præmissis cognouit conclusionem, uel

non

non cognouit; si cognouit, ergo ad eius cognitionem non est necesse, quòd amplius procedat mens nostra, si non cognouit, ergo tamquã de obiecto non cognito potest conclosionem negare, non enim tenetur captus humanus assentiri obiecto, quod non cognolcit.

Resp. neg. min. non enim nequit dissentiri intellectos, ex eo quià alius actus non requiratur, sed ex alio capite, vt infrà dicemus, quare ad probationem minoris Respondeo, cognoscere intellectum in præmissis conclusionem deducendam, non tamen per talem cognitionem, deducere conclusionem, cognoscit enim in præmissis conclusionem tamquam in causa, quo pacto non est conclusionem deducere, conclusio enim deducenda est per cognitionem ex præmissis, non in præmissis, discursus enim formaliter importat cognitionem vnius ex alio, non in alio, quarè licet cognoscatur conclosio in præmissis, attamen alius actus requiritur, quo talis conclusio deducatur.

7 Ob. 5. ex eodem. Intellectus non potest dissentire ab obiecto, quod euidenter proponitur, vt verum, sed per præmissas obiectum conclusionis proponitur, vt verum euidenter, ergo intellectus non potest illi dissentiri, quando præmissis assentitur; mai. patet, quia possem iudicare me modo non scribere, vel lucem non existere, quam uideo, min. prob. per præmissas proponuntur extrema conclusionis vnita vni tertio; ergo per illas proponitur euidens connexio inter extrema conclusionis; est enim euidens, esse eadem inter se, quæ sunt vni tertio identificata, &

Conf. Quando vniuntur duo semiquadrata similia, si iam, vt semiquadrata innotescunt, & eorum percipiatur vnio, per cognitionem vnionis, & ipsarum partium, totum esse quadratum absq; alio actu euidenter innotescit tum oculo, tum intellectui, ergo sic, quando cognoscuntur extrema præmissarum & eorum identificatio cum vno tertio, totum ab:q: alio actu apparet identificatum.

Resp. Argumentum solùm probare necessitari intellectum ad assentiendum conclusioni post assensum datum præmissis, ratione cognitionis, qua in præmissis euidenter cognouit extrema vnita cum vno tertio, debere importare, & vnioné inter se; non verò probare, nouum actum necessarium non esse ad assentiendum conclusioni; quare vltrò concedo & ego, intellectum non posse dissentiri obiecto euidenter proposito in præmissis, vt vero, at licet non possit dissentiri, potest tamen assentiri, imo si intellectus cognoscere debet per discursum, debet de nouo illi assentiri, sed diuerso modo, cum diuerso modo proponatur in conclusione. Quare solùm probat argumentum, in præmissis elucere conclusionem. vel etiam intellectum assentiri conclusioni, sed implicitè, & quatenus virtualiter inest in præmissis, nõ autẽ formaliter deduci ab intellectu conclusionem, tamquam ex præmissis, in quo formaliter consistit ratio quidditatiua, & essentialis discursus.

8 Neq. dicas ex eodem. Nõ posse saluari hanc cognitionem implicitam respectu conclusionis, cum non simus in prima apprehensione, sed in iudicio, per quod intellectus clarè cognoscit.

Resp. enim. Nos non dicere intellectum per iudicium, implicitè, quà iudicium est, cognoscere, sed dicere, in actu iudicii, implicitè reperiri actum tertiæ operationis .s. discursum, cum enim intellectus per secundã operationẽ formaliter non discurrat, ideo implicitè solummodo, & virtualiter dicimus discurrere, quando in præmissis videt conclusionem, quare vltrò concedimus cognosci per iudicium in præmissis conclusionem deducendam, seu obiectum conclusionis deducendæ, at per talem cognitionem, seu per iudicium non habetur formaliter discursus, nec deducitur conclusio, & per consequens, dato quòd etiam in præmissis intellectui clarè innotescat conclusio, illi innotescet ratione secundæ operationis, & iudicii, atq. adeo talis cognitio non est formaliter, explicitè, & per se discursiua, sed solùm virtualiter, & implicitè; quòd si dicat, esse formaliter, & explicitè discursiuã; ergo necessariò negare debet tertiã operationẽ intellectus, cum in solo iudicio, & cognitione conclusionis saluet discursum formalem, & illationẽ consequentis ex antecedẽti, quòd omnino concedi non potest.

Ad Conf. dico. Quòd sicut quando vniuntur duo semiquadrata, cognoscitur eodem actu, quo cognoscitur vnio, etiam quadratum ab ipsis semiquadratis resultatum, sic etiam in præmissis cognóscitur, & vnio extremorum cum vno tertio, & eorumdem inter se, at non per hoc talis vnio extremorum inter se deducitur, & infertur per illationem, quæ importat actum illatiuum, seu tertiam operationem intellectus, sed solùm iudicatur, & affirmatur per actum secundæ operationis intellectus, quare, vel est neganda tertia operatio intellectus, & tota ratio discursus saluanda in solo iudicio, vel est dicendum, assensum distinctum, ab assensu præmissarum necessarium esse, ad hoc, vt per vim illatiuam vna cognitio inferatur ex alia, in quo formaliter consistit ratio quidditatiua, & essentialis discursus formalis, de quo est sermo; &

Conf. Tota responsio, ex eo quia, Deus certò vnico indiuisibili actu cognoscit, quòd quæ sunt eadem vni tertio, sunt & eadem inter se, & tamen certissimum est non discurrere, quia secundum non cognoscit ex primo per illationem, ergo eodem pacto, licet intellectus in præmissis cognoscat, quòd quæ sunt eadem vni tertio, sunt eadem inter se, attamen quia secundum non cognolcit ex primo per illationem, non dicitur discurrere formaliter, sed alius actus requiritur, per quem dicatur discurrere formaliter, & inferre conclusionem, atq. adeo, vt etiam ipse Guarinus innuit in prima expensione ex Doctrina D. Tho. prima parte quæst. 14. art. 7. & quæst. 56. art. 3. Discursus virtualis, quo .s. gemina propositio vnico actu cognoscitur, minus propriè dicitur Discursus, immo ab aliquibus neq. virtualis appellatur discursus, cum non sit cursus ab vna cognitione ad aliam. Quare cum duplex modus cognoscendi possit dari, vt docet D. Tho. loco supracit. &

clariùs

clarius quęst. 5. de Verit. art. 15. vnus, quo vnum cognoscatur in alio, & alter, quo vnum cognoscatur ex alio, per primum modum cognoscendi p quē. s. vnico actu cognoscitur vtrumq. nullo pacto habetur discursus formalis, benè verò per secundū, per quem distinctis actibus priùs vnum cognoscitur, & deinde ex illo aliud, hic enim est formalis, & essentialis discursus.

Collig. ergo ex dictis, Ad discursum formalem necessariò requiri actum intellectus, quo assentiatur, seu quo per illationem inferat conclusionem, distinctum ab actu, quo assentitur præmissis, ex quibus inferenda est conclusio.

Collig. etiam. Per actum, quo intellectus assẽtitur conclusioni, nullo modo attingere formaliter, & explicitè obiectum præmissarum, cum enim talis actus formaliter solùm attingat vnionē extremorum inter se, & hæc vnio, vt talis, formaliter non sit vnio eorumdem cum uno tertio, in quo cōsistit obiectū præmissarum, ideo talis actus formaliter, & explicitè nō attingit obiectū præmissarum.

SECTIO III.

Quomodo in Discursu assensus Consequentis, seu Conclusionis, causetur ex assensu Antecedentis, seu Præmissarum.

10 Dictum est supra, assensum præmissarum quodāmodo causare assensū conclusionis, vt potè quia conclusio in præmissis, tamquam in illius causa continetur, cum ergo hoc possit facere, vel tamquam causa efficiens, vel tamquam causa finalis, vel tamquam materialis, aut formalis, ideo in præsenti inquirimus, in quo genere causæ sit assensus præmissarum, respectu assensus conclusionis.

Supp. est autem. Assensum præmissarum non posse esse causam materialem conclusionis, quidquid dicat Aristoteles secundò Physicorum tex. 31. & .5. Met. 3. Ratio autem est, quia vnus actus, intellectus non subiectatur in alio, nec assensus præmissarum se habet, vt potentia, respectu actus seu assensus conclusionis, de ratione autem causæ materialis est, esse subiectum, seu potentiam, quæ per actum formalem actuetur, ergo &c. quare ad summum præmissæ possent dici causa materialis extrisecè, quatenus ex iisdē terminis, excepto medio, ex quibus cōponuntur, componitur & conclusio; Insuper assensus præmissarum neq. potest esse causa formalis assensus conclusionis, quia assensus præmissarum non actuat assensum conclusionis, sed potius actuat ipsum intellectum; quare solùm modo potest dici causa formalis respectu intellectus, quem actuat, & determinat; non verò respectu conclusionis, quam potius efficit, quàm actuet. Item assensus præmissarum neq. potest esse causa finalis; propter ipsum enim non est conclusio, imo potius è contra, iste est propter, & gratia conclusionis; quare potius conclusio est causa finalis, cuius effectus est assensus præmissarum. Remanet ergo solùm inquirendum, vtrum sit, & concurrat talis assensus præmissarum ad conclusionem in genere causæ efficientis. Sit ergo.

11 Prima Conclusio. Assensus præmissarum cōcurrit effectiuè, seu in genere causæ efficientis ad assensum conclusionis. Ita cum D. Tho. Ferrar. Sotus, Mas. Rub. & Tho. omnes, cū multis recentioribus.

Prob. primò. Assensus præmissarum concurrit simul cum intellectu ad assensum conclusionis, tāquam causa partialis complens intellectū, sed causa partialis complens potentiam, eodem modo concurrit ad effectum, ac concurrit potentia cuius est complementum, ergo assensus præmissarū debet concurrere ad effectum, s. ad conclusionem, effectū potētiæ discursiuæ, sicuti cōcurrit potentia ipsa, cuius est cōplemētū, at intellectus cōcurrit ad assensū conclusionis effectiuè, ergo & effectiuè concurrit assensus præmissarum: mai. prob. sine enim assensu præmissarum nequit intellectus assensum præbere conclusioni; ergo assensus præmissarum complens intellectum, illumq. redden. sufficientem ad deducendam conclusionem, concurrit cum ipso tamquam causa partialis, min. etiam prob. tū ratione, quia si potentiam complet, non in ratione materiali, sed formali, & operatiua, ergo non potest cōplere, nisi simul cum ipsa concurrendo effectiuè, s. adiuuando illius operationem. Tum etiā inductione, sic species intētionales, quia cōplent potentiā visiuam in ordine ad visionem, dicūtur concurrere simul cum illa effectiuè ad producēdam visionem, sic lumen gloriæ, quia complet intellectum beatum in ordine ad visionem Dei, dicitur effectiuè simul cum intellectu concurrere ad visionem beatificam &c. ergo pariformiter, cum etiam assensus præmissarū compleat, & informet, seu illuminet intellectum in ordine ad eliciendam conclusionem, ad assensum talis conclusionis effectiuè concurrere, asserendum est.

Prob. 2. Assensus præmissarum habet omnia requisita respectu assensus conclusionis, ac debet habere causa effectiua respectu effectus, ergo debet dici causa effectiua illius; consequentia patet, prob. antecedens, nam assensus conclusionis continetur virtualiter in assensu præmissarum, sicuti effectus in causa, insuper assensus conclusionis dependet ab assensu præmissarum, ita vt nequeat esse assensus cōclusionis, formaliter vt cōclusionis, nisi ex præmissis. Itē aliq. pacto cōcl. assimilatur præmissis, ita vt si præmissæ sint physicæ, & physica sit
concl. si metaphysicæ, & metaphysica cōcl. ergo &c. 12

Ob. primò. Intellectus per solam illuminationē præmissarū est sufficiens causa ad eliciendum actum conclusionis, ergo alia concausa effectiua non est illi addenda, qua adiuuetur ad eliciendum assensum conclusionis.

Resp. disting. antecedens, intellectus per solam illuminationem præmissarum, illum solum informantem, est sufficiens &c. & nego antecedens, illum informantem, & cum illo concurrentem effectiuè ad actum conclusionis, & conc. antecedens, quare corruit consequentia. Nam assensus præmissarum duplicem habet respectum, & ad intellectū, & ad conclusionem, respectu intellectus, se habet vt causa formalis determinans indifferentiam eiusdem intellectus, respectu verò assensus cōclusionis, habetur, vt causa effectiua, informādo enī, & determinando intellectū ad talē actū eliciendū, coniun-

gitur cum illo in ratione virtutis effectiuæ, simulq. cum illo ad assensum conclusionis concurrit.

Ob. 2. Voluntas posita sola propositione obiecti per intellectum, est sufficiens causa actus amoris, absq. eo quòd intellectus ad illam concurrat effectiuè, ergo ita & intellectus, posita sola illuminatione circa obiectum per præmissas, erit sufficiens causa conclusionis, absq. eo quòd ipsæ præmissæ concurrant effectiuè.

Resp. neg. consequentiam, & ratio est, quia propositio facta voluntati ab intellectu, est solum necessaria ad illuminandam voluntatem, quæ de se est potentia cæca, nec, nisi proponatur obiectum, in illud potest tendere, at assensus præmissarum, ne dum habet illuminare intellectum ad assensum conclusionis, sed etiam simul cum illo concurrere, ex eo quia ne dum intellectus debet elicere assensum conclusionis, sed talem assensum conclusionis, ad taleitatem autem nequit intellectus se solo concurrere, sed indiget alia concausa, à qua, & determinetur, & effectiuè adiuuetur, sicuti, licet potentia vitalis de se sit potens ad producendum actum vitalem, v. g. potentia visiua actum visionis, attamen quia de se est indifferens ad producendam hanc, vel illam visionem, circa hoc, vel illud obiectum, ideo indiget specie, à qua, & informetur, & adiuuetur effectiuè ad producendum talem actum visionis; sic ergo, & intellectus, licet de se sit indifferens ad producendum assensum, ad taleitatem tamen assensus, debet determinari ab assensu præmissarum, qui simul cum ipso effectiuè concurrat ad assensum conclusionis, quòd sic non euenit respectu voluntatis, ipsa enim facta propositione obiecti, se ipsam determinat, & quoad specificationem, & quoad exercitium actus, quod non potest facere intellectus, dato enim assensu præmissis, necessitatur ad assensum conclusionis, nec alia de causa, nisi quia propositio, & illuminatio facta ab intellectu in voluntate, cum ipsa nullo pacto operatur, nec affectiuè concurrit ad actum voluntatis, secùs verò assensus præmissarum, seu illuminatio circa obiectum per præmisas facta in intellectu.

13 Ob. 3. Causa debet esse quando producitur effectus, sed quando producitur assensus conclusionis non est assensus præmissarum, ergo assensus præmissarum non potest esse causa assensus conclusionis; mai. conc. ab omnibus, & patebit in physicis, min. prob. neq. enim eodem tempore in eodem intellectu possunt esse duo actus circa duo obiecta, qualia sunt obiectum conclusionis, & præmissarum.

Resp. neg. min. ad cuius probationem dico, non posse esse in intellectu simul duos actus, quando sunt circa duo obiecta disparata, secùs verò, quando sunt circa duo obiecta subordinata, obiectum autem conclusionis subordinatur obiecto præmissarum, & sic etiam assensus conclusionis subordinatur, tamquam causæ, assensui præmissarum, & licet in signo rationis, prius intellectus assentiatur præmissis, quàm conclusioni, in eodē tamen instanti reali potest esse simul in intellectu, & assensus præmissarum, & assensus conclusionis, vt illi subordinatus.

Ob. 4. Vnus actus intellectus non potest causare effectiuè alium, ergo assensus præmissarum non potest concurrere effectiuè ad assensum conclusionis.

Resp. disting. antecedens; vnus actus intellectus non potest causare effectiuè alium, eiusdem rationis, & conc. antecedens, diuersæ rationis, & nego antecedens, maximè quia non est solus actus intellectus, qui causat alium sed intellectus adiutus à suo primo actu, intellectus enim est causa principalis respectu assensus conclusionis, assensus verò præmissarum est concausa effectiua, minus tamen principalis.

SECTIO IV.

An, & quomodo necessitetur intellectus Per assensum Præmissarum, Ad assensum conclusionis.

Maximè procedit hæc quæstio in nostra sententia admittente nouum actum, & distinctum assensum conclusionis, ab assensu præmissarum, in sententia enim non admittente nouum actum cōclusionis distinctum ab actu assensus præmissarum, nullum locum potest habere, cum enī in tali sententia assensus præmissarum sit assensus conclusionis, posito assensu præmissarum, necessariò, & habetur assensus conclusionis; ad hoc, ergo stabiliendum. 14

Supp. est. Necessitatem in intellectu secundùm duplicem rationem posse considerari, & quoad specificationem, & quoad exercitium; necessitas quoad specificationem consistit in hoc, quòd ita necessitatur intellectus ad eliciendum talem actū, vt contrarium elicere non possit; necessitas verò quoad exercitium importat talem necessitatem in intellectu, vt necessariò debeat exercere, & producere actum; quando ergo inquirimus, an, & quomodo necessitetur intellectus per assensum præmissarum ad assensum conclusionis, inquirimus, & an per assensum præmissarum ita necessitetur intellectus ad talem eliciendam conclusionē, vt contrariam elicere non possit, quòd est dicere, an necessitetur quoad specificationem, seu speciē conclusionis, & etiam, an per assensum præmissarum ita necessitetur ad assensum conclusionis, vt non solùm non possit dissentiri, sed necessariò teneatur assētiri, nec possit omittere assensum, quod est dicere, an necessitetur quoad exercitium.

Prima conclusio. Posito assensu præmissarū necessitatur intellectus ad assensum conclusionis, & quoad specificationē, & quoad exercitium. Ita cū Aristotele, D. Thoma, Scoto, ferè communiter omnes, Complut. Conimb., Fonseca, Hurt. Spin. serb. Lusit. 15

Prob. prima pars. Intellectus nequit non assentiri obiecto euidenter cognito, vt vero, at per præmissas intellectus euidenter cognoscit obiectū conclusionis, virtualiter in ipsis inclusum, vt verū, ergo illi nequit non assentiri, ergo supposito assēsu præmissarū, & cognita bonitate illationis, necessitatur

intelle

intellectus ad producendum assensum conclusionis, atque adeo necessitatur quoad specificationem, cum actum dissensus non possit elicere; min. supponitur si præmissæ sunt benè connexæ, mai. prob. cum enim obiectum intellectus sit verum, ideo obiecto, vt vero euidenter illi proposito, nequit illi non assentiri, alioquin, si dissentiri posset, posset tendere in falsum, vt falsum, quòd implicat.

Prob. 2. Si intellectus posset dissentiri in conclusione, posito assensu præmissarum, destrueret assensum præmissarum, ergo dicendum est, quòd non possit dissentiri, atq. adeo, quòd necessitetur quoad specificationem assensus, antecedens est certum, si enim dissentiretur vnioni extremorum inter se, dissentiretur vnioni eorumdem cum vno tertio.

Adu. autem, quòd hoc etiam dicendum est de dissensu, seu de conclusionibus negatiuis, est enim eadem ratio; ita quòd, si in præmissis dissentiatur intellectus, seu cognoscatur ab intellectu non vnio extremorum cum vno tertio, necessitatur etiam ad dissentiendum illorum vnioni in conclusione, quæst. enim communiter loquitur de assensu, quia assensus latiori modo sumptus, comprehendit etiã, & dissensum, quatenus dum intellectus negat, veluti assentitur propositioni negatiuæ, illam, vt negatiuam acceptando. Hæ etiam rationes probant ne dum de præmissis euidentibus, sed & de probabilibus, eo enim ipso, quòd intellectus illis præbuit assensum, iudicauit esse veras, atq. adeo obiecto per illas proposito, vt vero, nequit dissentiri, & per consequens necessitatur quoad specificationem ad assensum.

Prob. secunda pars. Intellectus est potentia necessaria, sed qualibet potentia necessaria positis necessariò requisitis ad agendum, necessariò debet agere, ergo & intellectus positis necessariò requisitis, necessariò debet agere; at posito assensu præmissarum, sunt posita omnia necessaria requisita ad agendum, ergo necessariò debet agere, ergo ex assensu præmissarum necessitatur quoad exercitium ad producendum assensum conclusionis, sed.

16 Ob. primò. Posito assensu præmissarum, deficit vnum ex requisitis necessarijs ad agendum, .s. imperium voluntatis, cum enim quælibet potentia sit subdita imperio voluntatis, ideo saltem per imperium voluntatis, etiam post assensum præmissarum, posset impediri intellectus, ne assensum tribueret conclusioni.

Resp. voluntatem non posse impedire potentias necessarias, facta propositione obiecti; sicuti proposito ante oculum obiecto visibili, non potest voluntas impedire visionem, quia potentia visiua est potentia necessaria; sic ergo dicendum est de intellectu, cum enim illi proponitur obiectum, non potest cogi à voluntate ad illud obiectum non cognoscendum: deinde sicuti voluntas, licet libera, non potest, non amare obiectum summè bonum illi propositum, vt in patria, & in via, quando vult efficaciter aliquem finem, non potest non velle medium ad illum, ita tantò minus poterit impedire intellectum potentiam necessariam ad assentiendum vero, illi per præmissas proposito euidenter, vt vero.

Ob. 2. Intellectus est indifferens, ergo necessarium est imperium voluntatis ad tollendam illius indifferentiam.

Resp. Intellectum posse dici indifferentem ad cogitandum de præmissis, at supposito assensu præmissarum, non amplius esse indifferentem, sed necessitati ad assensum conclusionis, quando enim vnus actus ex se sequitur ab alio, requiritur solùm determinatio ad primum, per quam auferatur indifferentia, quare intellectus potest dici indifferens, & dependere à voluntate in ordine ad cogitandum de præmissis, at supposito assensu ipsarum præmissarum, nullo pacto potest esse amplius indifferens, sed necessitatur; ergo &c.

Ob. 3. In intellectu dantur habitus ad deducendas conclusiones, ergo non est necessitatus, consequentia prob. quia in tantùm in oculo v. g. non datur habitus ad videndum, quia est potentia necessaria, ergo si in intellectu dantur habitus ad conclusionem deducendam, est quia non est necessitatus &c. 17

Resp. neg. antecedens, habitus enim solùmmodo dantur in intellectu in ordine ad applicationem extremorum, seu in ordine ad connexionem extremorum pro deducenda conclusione, non verò in ordine ad deducendas conclusiones, quare corruit tota vis argumenti, hoc autem maximè patebit in tractatu de Habitibus.

Ob. 4. Ex iisdẽ præmissis potest deduci cõclusio directa, & indirecta, ergo requiritur imperium voluntatis, à quo determinetur intellectus ad deducendam, vel conclusionem directam, vel indirectam; antecedens patet in argumentis factis in *Barbara*, & *Baralipton*, in prima enim figura conclusio deducitur directa, indirecta verò in secunda figura.

Resp. Conclusionem directam, & indirectam non esse duas conclusiones realiter distinctas, sed vnam quoad substantiam, indirecta enim conclusio inuoluitur in directa, quare solummodo duplex potest dici quoad modum, quia diuerso modo deducitur, quoad substantiam tamen est vna realiter, cum realiter illud extremum, seu terminus h[ab]eat rationem prædicati in conclusione, qui est vniuersalior, non verò, qui tantùm vltimo loco ponitur, quare siuè directa, siue indirecta deducatur Conclusio, semper ad illam necessitabitur intellectus.

Collig. tamen. Quòd aliquando intellectus post assensum præmissarum potest dissentiri conclusioni, per accidens tamen, quia non perfectè aduerterit in præmissis connexionem extremorum cum tertio. 18



SECTIO V.

Quid, & Quotuplex ſit Demonſtratio,

Et

Quæ ſint præcognoſcenda

Ante Demonſtrationem.

19 DIximus in Summulis, Syllogiſmum principalem ſpeciem diſcurſus, principaliter diuidi in Demonſtratiuum, Probabilem, & Sophiſticum, nunc ergo inquirimus de ſyllogiſmo demonſtratiuo, hoc eſt, de Demonſtratione.

Demonſtratio igitur definita fuit ab Ariſtotele primò Poſt. tex. 5. quòd ſit *ſyllogiſmus faciens ſcire*, ait enim ibi *dicimus autem ſcire, & per demonſtrationem intelligere, Demonſtrationem autem dico ſyllogiſmum epiſtemonicon, id eſt facientem ſcire*, ad hoc autem, vt ſyllogiſmus ſit demonſtratiuus, ſeu faciēs ſcire, ait idē Phyloſophus debere eſſe ex præmiſſis euidentibus, ſubdit enim in eodem textu; *ſi igitur eſt ſcire, vt poſuimus, neceſſe eſt demonſtratiuam ſcientiam ex veris eſſe, & primis, & immediatis, & notioribus, & prioribus, cauſisq. concluſionis*, quare communiſsima definitio demonſtrationis deducta ex verbis Ariſtotelicis eſt, quòd demonſtratio ſit *ſyllogiſmus conſtans ex præmiſſis veris, & euidentibus*, cùm enim per demonſtrationem gignatur in intellectu ſcientia, ideo ex euidentibus præmiſſis debet conſtare, ſcientia enī eſt cognitio euidens &c. quare ſyllogiſmus ex præmiſſis reuelatis, licet ſit certiſsimus, tamen non erit demonſtratiuus, vt pote non conſtans ex præmiſsis euidentibus.

2 Demonſtratio autem, ſeu ſyllogiſmus demonſtratiuus eſt in duplici differentia; alia dicitur demonſtratio *propter quid*, ſeu à priori, & per cauſam; alia verò *quia* ſeu à poſteriori, & per effectum, in prima; per cauſam demonſtratur effectus, in ſecunda verò per effectum probatur cauſa. Aduer. tamen, quòd non quæcumq. cauſa, nec quicumq. effectus ſufficiens eſt ad demonſtrationem, ſed requiritur cauſa conuertibilis cum effectu, & effectus conuertibilis cum cauſa: eſſe autem cauſam, & effectum inuicem conuertibiles, nihil aliud importat, nisi quòd quando eſt cauſa, eſt ſem-
22 per effectus, vel quando eſt effectus, ſemper pendet à tali cauſa, ſic riſibilitas dicitur effectus conuertibilis cum rationalitate, quæ eſt illius cauſa, quia ſemper ab ipſa pendet, & rationalitas ſemper cauſat riſibilitatem, & ſic euidentiſsima demonſtratio à poſteriori erit, ſi dicatur *omne riſibile eſt rationale, Petrus eſt riſibilis, ergo eſt rationalis* ab effectu enim riſibilitatis arguitur in Petro illius cauſa. s. rationalitas: erit verò demonſtratio propter quid, & à priori ſi dicatur *omne rationale eſt riſibile, Petrus eſt rationalis, ergo riſibilis* arguitur enim effectus riſibilitatis ab illius cauſa, cum qua eſt conuertibilis. ſ. à rationalitate. Non eſſet autem euidentiſſima demonſtratio ſi diceretur *vbi eſt calor, eſt ignis, in hoc cubiculo eſt calor, ergo eſt ignis*, ex eo quia effectus caloris non eſt cōuertibilis cum igne, cum poſsit haberi ab alia cauſa, quam ab ipſo igne. Alias ſpecies demonſtrationis tradunt aliqui, aliam vocant *potiſſimam* per quā demonſtratur tum exiſtētia rei, tum illius cauſa, aliam vocant *ab æquali*, per quam vnus effectus per alium æqualem demonſtratur, ſed quia ad iam aſsignatas ſunt reducibiles, ideo,

Bona autem, & perfectiſsima demonſtratio debet habere conditiones, quas innuit Ariſtoteles in tex. ſupra allato. 20

Prima ergo conditio eſt, quòd ſit ex præmiſsis veris, cum enim ex ipſis debeat ſequi veritas concluſionis, in ſe ipſis debent eſſe veræ, ex falſo enim nequit ſequi verum.

Sec. cōd. eſt, quòd ſit ex præmiſsis primis, & immediatis, ſeu vt alij dicunt, indemonſtrabilibus, & per ſe notis (hi enim termini ferè idem ſignificant) propoſitio prima eſt, quæ nullam habet cauſam, per quam probetur, immediata eſt, quæ nō eſt demōſtrabilis, ſed à ſe ipſa ex proprijs terminis eſt cognoſcibilis, & eadem eſt omnino propoſitio per ſe nota, vt v. g. *totum eſt maius ſua parte*. Aduer. quòd propoſitiones immediatæ, & per ſe notæ in triplici poſſunt eſſe differentia, aliæ ſunt immediatæ, & per ſe notæ quoad ſe, & ſūt, quæ non habent cauſā per quam demonſtrentur à priori, quia tamen ſunt nobis cognoſcibiles ex ipſorū terminis, per aliquod mediū in illius cauſæ cognitionem venimus, aliæ ſunt immediatæ, & per ſe notæ quoad nos, & ſunt, quæ licet habeant cauſam priorem ſuæ exiſtentiæ, & cognoſcibilitatis, ab intellectu tamen ſumuntur tamquam per ſe notæ, nec ad illas probandas quæritur medium, aut cauſam, aliæ tandem ſunt immediatæ, & per ſe notæ, & quoad ſe, & quoad nos, & ſunt, quæ ſuis terminis ſūt īmediatè cognoſcibiles, nec habēt ꝑ quid demōſtrētur, nec à priori, nec à poſteriori, & ſūt prima principia, vt *totum eſt maius ſua parte quodlibet eſt, vel non eſt quæ ſunt eadem vni tertio ſunt eadem inter ſe &c.* Omnis demonſtratio autem debet cōſtare ex præmiſsis, immediatis, & per ſe notis quoad ſe, & quoad nos, ſi non formaliter, ſaltem virtualiter, ita quòd, ſi præmiſſæ non ſunt prima principia formaliter, ſaltem debent eſſe virtualiter; ita vt poſsint reſolui in prima principia, quòd eſt, eſſe talia virtualiter.

Quòd autem non debeat conſtare ex præmiſsis primis immediatis, & per ſe notis formaliter, patet, ex eo quia concluſio vnius demonſtrationis poteſt eſſe præmiſſa alterius, ſed quæcumq. propoſitio, quæ demonſtratur non eſt prima, immediata, & per ſe nota, ergo præmiſſæ non debent eſſe primæ, immediatæ, & per ſe notæ formaliter, Tum quia hæc demonſtratio *omne riſibile eſt animal, omnis homo eſt riſibilis, ergo omnis homo eſt animal* eſt rigoroſa demonſtratio, & tamen præmiſſæ non ſunt per ſe notæ, quia riſibilitas poteſt demonſtrari per rationalitatem, ergo &c. 21

Quòd

Quòd verò debeat constare ex præmissis primis, immediatis, & per se notis virtualiter; prob. ex eo quia omnes præmissæ debent posse resolui in sua prima principia, ne detur processus in infinitũ, sed prima principia sunt propositiones primæ, immediatæ, & per se notæ, ergo omnes præmissæ virtualiter, prout resolubiles in sua prima principia, debent esse primæ, immediatæ, & per se notæ. Demonstratio, quæ constabit ex præmissis immediatis, & per se notis quoad se, & quoad nos formaliter, erit demõstratio perfectissima, minor verò perfecta, quæ ex præmissis solũ talibus virtualiter, erit.

Tertia Conditio est, quòd sit ex præmissis prio-
22 ribus; prioritas autem præmissarum ad conclusionem, licèt possit esse aliquando prioritas temporis, attamen est sola necessaria prioritas naturæ, cum in eodem instanti simul elici possint, & præmissæ, & conclusio; est inquam necessaria prioritas naturæ, nam cum hæc consistat in dependentia, qua effectus pendet à causa, vt habetur ex Arist. 5. Metaph. cap. 11. vbi explicans prioritatem naturæ ait. *Quædam verò secundum naturam, & substantiam priora, & posteriora dicuntur, quæcunq. contingunt absq. alys esse, ista verò minimè*, ideò cum conclusio sequatur à præmissis tamquam ab illius causa, prioritatem naturæ ad conclusionem debent habere.

Quarta Conditio est, quòd demonstratio sit ex præmissis tamquam ex causis per se; modus autem, per quem propositiones dicuntur per se, est in quadruplici differentia; primus modus dicitur per se, quidditatiuè, quando .s. in propositione prædicatum est de essentia, seu explicat quidditatiuam rationem subiecti, & sic esset propositio per se quidditatiua. *Petrus est animal rationale*; secundùs modus dicitur per se inhærendi, estq. quando prædicatum, est passio seu proprietas essentialiter inhærens subiecto, vt si diceretur *homo est risibilis*; tertius modus est per se existendi, quando .s. prædicatum est tota substantia per se stans, vt si dicatur *Petrus est animal rationale*, quartus deniq. modus est per se causandi, estq. quando prædicatum est actualis operatio causæ, seu subiecti, vt si dicatur *aqua est humectiua*. Demonstratio ergo perfectissima debet constare ex præmissis per se, primo & secundo modo; demonstrationes verò minùs perfectæ, non est necesse, quòd constent ex præmissis per se primo, & secundo modo, sed sufficit quòd aliquo pacto sint per se.

Hæ sunt præcipuæ conditiones ad perfectam demonstrationem requisitæ, aliæ si sunt, ad assignatas reducuntur. Et hæc sint quoad priorem partem Tituli Sectionis.

23 Quoad verò secundam partem tituli, remanet inquirendum, quæ sint præcognoscenda ante demonstrationem, .s. quæ priùs sunt cognoscenda antequam de aliquo obiecto demonstratio aliqua, seu syllogismus demonstratiuus deducatur, ex Aristot. enim 1. Poster. cap. 1. habetur *omnis doctrina, & disciplina discursiua ex præexistente fit cognitione*.

Supponendum est autem. Cuiuscumque rei duo posse cognosci, & *quid nominis*, & *quid rei*; cognitio *quid nominis* est cognitio saltem confusa significationis nominis; cognitio verò *quid rei* est cognitio saltem in confuso attingens quidditatem rei; nequit autem haberi cognitio *quid nominis rei*, nisi saltem habeatur in confuso cognitio *quid rei*, vt patet; cognitio autem *quid rei* duplex est, alia est cognitio *quoad quid rei*, & est cognitio, qua cognoscitur *quid*, essentia .s. & quidditas rei, non verò cogitatur de illius existentia, aut possibilitate, alia est cognitio *quoad an rei*, & est, qua dignoscitur *an rei* .s. existentia, aut possibilitas rei.

Supp. 2. Ad demonstrationem efformandam de aliquo obiecto, necessariò tria præcognoscenda esse, prædicatum scilicet conclusionis, subiectum, & medium, ex cuius connexione cum extremis, deducenda est euidenter per demonstrationem conclusio, & connexio prædicati cum subiecto; de his ergo inquirendum est, quæ præcognosci debeant ante demonstrationem .s. an tam de subiecto, prædicato, & medio debeat præcognosci, & quid nominis, & quid rei. Sit ergo.

Prima Conclusio. De Subiecto, Prædicato, & 24
Medio, debet præcognosci, & quid nominis, & quid rei, saltem in confuso. Ita ferè communiter.

Prob. 1. pars. De omnino ignoto nequit aliquid dici, quod est omnino ignotum, nequit de aliquo dici, rei omnino ignotæ nequit aliquid applicari, ergo ut de aliquo subiecto aliquid prædicetur, ut aliquid prædicatum de aliquo subiecto dicatur, ut alicui medio, prædicatum, & subiectum applicentur, saltem quoad nomen debent præcognosci, antecedens est certum, si enim quis dicat *Anthropos*, & nesciat, quòd significet hominem, non poterit ex tali termino efformare propositionem, est rationalis, est risibilis.

Prob. 2. pars. Si de obiecto, & subiecto omnino ignoretur quidditas, & essentia, nulla de tali obiecto poterit efformari demonstratio, ergo saltem in confuso debet præcognosci de illo, quid rei. Item neq. de illo aliquid affirmari potest, nisi præcognoscatur, quæ ad illius quidditatem spectant, ergo, & de prædicato applicabili obiecto, & subiecto debet præcognosci, quid rei, & tantò magis de medio, cum ratione connexionis, quam cum illo habent, & prædicatum, & subiectum, demonstretur extremorum unio inter se.

Colligitur autem: De subiecto, prædicato, & medio probabiliùs præcognosci debere, & *quid rei*, & *an rei*, .s. nedum essentiã, & quidditatem, sed & existentiã, & possibilitatem, saltem in confuso, quidquid dicant aliqui negantes circa prædicatum præcognitionem *quoad an rei*. Ratio autem est, quia antequam habeatur demonstratio in conclusione, debet prædicatum in præmissis applicari medio, at non potest applicari medio id, de quo nõ cognoscatur saltem in confuso possibilitas, aut existentia, ergo, & de illo debet præcognosci *an sit*.

Neq. valet. Quòd in multis demonstrationibus demonstretur *an sit* aut de subiecto, aut de prædicato, aut de medio, atque adeo ante demonstrationem non esse præcognoscendum illorum *an sit*.

Resp. enim. Quòd in demonstrationibus demonstratur eorũ *an sit* euidenter, non verò ex hoc arguitur, illorum existentiã, aut possibilitatem, saltem in confuso, priùs non innotuisse, non enim demonstrati posset euidenter vnio extremorum, nisi in premisis, saltem in confuso, præcognoscerentur, cum non possint applicari medio extrema, quorum *an sit* omnino ignoretur.

SECTIO V.

An Præmissæ debeant esse veriores, Certiores, atq. Euidentiores Conclusione.

25 FAcit hanc difficultatem commune axioma Aristotelicum *propter quod vnumquodq. tale, & illud magis*, quod explicatum significat, causam, propter quam habetur effectus, debere esse magis perfectam, quàm sit effectus ab ipsa dimanans. cum enim præmissæ sint causa conclusionis, & per ipsas conclusio sit uera, certa, & euidens, uidetur dicẽdum, Præmissas, propter quas est conclusio, debere esse ipsa ueriores, certiores, atque euidentiores.

Ad primam autem partem quæsiti, an .s. præmissæ sint ueriores conclusione, patet Responsio ex dictis in lib. Perhyer. de ueritate propositionis, cum enim ibi dixerimus, Veritatem secundum propriam rationem formalem non suscipere magis, & minus, sed cõsistere in indiuisibili, hoc est in indiuisibili conformitate conceptus intellectus cũ obiecto existente, quod non potest magis, aut minus existere, ideo pręmissæ non possunt habere maiorem veritatem, ac habet conclusio, licèt ex ipsis habita, neq hoc est contra Axioma Aristotelicum, quia tale axioma non est intelligendum ita absolutè, sed cum triplici limitatione, vt desumitur ex D. Tho. prima est, quòd causa sit vniuoca respectu effectus quoad illud prædicatum, quod effectui communicat; secunda est, quòd effectus habeat tale prædicatum vi talis virtutis in causa vniuocè existentis; tertia est, quòd prædicatum quod causatur, possit suscipere magis, & minus; quare cum hæc tertia conditio non possit verificari in præmissis respectu conclusionis, cum prædicatum veritatis, quod causant in conclusione, non possit suscipere magis, & minus, ideo tale axioma hic non habet locum, sicuti neque valet dicere, ex eo quia Pater homo, producit filium hominem, Patrem esse magis hominem, quàm filium, quia prædicatum hominis, quod communicat filio nequit inę qualiter participari, nec suscipere magis, & minus, quare remanet probatum præmissas, non posse esse formaliter veriores conclusione, licèt tamen possent esse tales fundamentaliter, sumpta veritate fundamentaliter, & penès circũstãtias, quibus mouetur itellectus ad assensũ.

Quoad 2. partem quæsiti. Certum est, præmissas debere esse veras, & infallibiles, si enim ex ipsis debet haberi certitudo conclusionis, tantò magis ipsæ debent esse certæ, & infallibiles; quare solùm dubitatur, an, ne dum debeant esse certæ, sed & certiores conclusione, & hoc propter Axioma supra allatum *propter quod vnumquodq. tale, &c.* ad hæc autem stabilienda.

Supp. est primò. Certitudinem esse firmam adhæsionem intellectus obiecto proposito absq. vlla hæsitatione, aut formidine de opposito; distinguitur autem ab euidentia, quia euidentia supra certitudinem addit claritatem de obiecto, quare si quis, v.g. crederet adesse Leones, eo quia ex libris didicerit, & ab aliis audiuerit, licèt tamen numquã viderit, diceretur habere certitudinem existentiæ Leonum; si verò eos vidisset, & euidentiam de eorum existentia habere diceretur. Huiusmodi autem certitudo potest suscipere magis, & minus, cũ quis magis possit esse certus de existentia, v.g. Leonis, quàm de cursu eiusdem, cum vnum obiectum possit esse magis infallibile, quàm aliud, &c.

Triplex autem est certitudo. Moralis nempè, Physica, & Metaphysica; certitudo moralis est quando illius motiuum solùm moraliter est infallibile, physicè verò est fallibile, sic dicetur certitudo moralis, quam quis habet adesse Byzantium, quod numquam vidit, quia talis certitudo esset ex motiuo communis authoritatis omnium Cosmographorum, quæ licèt moraliter loquendo sit infallibilis, physicè tamen est fallibilis, quia physicè loquẽdo omnes homines possunt mentiri. Physica certitudo est, quando illius motiuum Physice est infallibile, licèt tamen metaphysicè, seu supernaturaliter sit fallibile; esset autem certitudo Physica, quam quis haberet de existentia Petri, quem videt, licèt enim naturaliter, & physicè loquendo non possit non existere, posset tamen supernaturaliter. Deniq. certitudo metaphysica est ea, quæ innititur motiuo etiam supernaturaliter infallibili, estq. quam quis habet de primis principiis, quæ etiam supernaturaliter sunt infallibilia vt *totum est maius sua parte, &c.* His supp. sit.

Prima Conc. Præmissæ sunt certiores conclusione, ne dum seorsim, & disiunctiuè sumptæ, sed & simul, & copulatiuè. Ita quoad primam partem Arriaga disp. 16. sect. 4. sub. 2. Ouiedo controu. 10. punct. 3. Spinula disp. 12. in Log. sect. 4. Serb. dis. 4. in Logica quæst. 3. art. 6. Quoad secundam verò partem, est contra Arriagã, & Ouiedo, est tamen Spinulæ, Serbell. & aliorum, &c. 26

Prob. 1. pars. Illud est magis certum, quod est magis infallibile, sed sunt magis infallibiles præmissæ, quàm conclusio, ergo pręmissæ sunt certiores conclusione, mai. est euidens, ex eo enim quòd obiectum, quod creditur sit infallibile, est certitudo, ergo ille actus erit magis certus, qui magis afficietur ab infallibilitate, min. prob. quia infallibilitas primariò, & per se afficit præmissas, secundariò verò, & ex consequenti, conclusionem.

Probatur 2. Tunc adest maior certitudo de obiecto, quando obiectum est magis proportionatum lumini naturali intellectus, sed per præmissas obiectum est magis proportionatum lumini natu-

gali

ſi intellectus, ergo &c. maior eſt euidens, magis enī quis certus eſt, aliquos homines per paucos dies vixiſſe abſq. cibo, quàm diù ieiunos perſeueraſſe, quia primum magis conformatur lumini naturali, per quod cognoſcitur naturaliter homines egere cibo, min. etiam prob. quia præmiſſæ minus diſtant à primis principijs, quàm concluſio, obiectum autem primorum principiorum eſt magis proportionatum lumini naturali, cum ex ſe ipſo innoteſcat intellectui, ergo &c.

Prob. 3. Mai. eſt certitudo, quę minori indiget probatione, ſed minori indiget probatione certitudo præmiſſarum, quàm concluſionis, ergo maior eſt certitudo præmiſſarum, quàm concluſionis, mai. patet, min. prob. quia ea minori indigent probatione, quæ minùs diſtant à primis principijs, ſed minùs diſtant à primis principijs præmiſſæ, quā concluſio, ſiquidem inter concluſionem, & prima principia, ſaltem mediant ipſæ prçmiſſæ, ergo &c. Quod dictum eſt autem de certitudine, dici & debet de euidentia, cum militent eædem rationes, quare præmiſſæ nedum ſunt certiores, ſed & euidentiores concluſione.

27 Prob. ſecunda pars. quòd .ſ. ſint tales, nedum ſeorſim ſumptę, ſed & ſimul, & copulatiuè. In præmiſſis eſt certitudo, & euidentia vnionis extremorum cum vno tertio, ex qua deducitur in concluſione vnio eorumdem inter ſe, ſed maior eſt certitudo vnionis extremorum cum vno tertio, quàm eorundem inter ſe, ergo maior eſt certitudo in præmiſſis, quàm in concluſione; in maiori nulla eſt difficultas; prob. min. Tum quia ſi vnio extremorum inter ſe, probatur ex vnione eorumdem cum vno tertio, ergo magis illæ innoteſcunt, quam hæc. Tū quia illa vnio extremorum cum vno tertio vel eſt primum principium, & ſic magis innoteſcit, vel minori proceſſu reduci poteſt ad primum principium, ergo.

Hæc autem omnia intelligimus de concluſione formaliter deducta ex præmiſſis, nam concluſio nō formaliter, vt concluſio, ſed vt propoſitio poſſet habere eamdem certitudinem, & euidentiam, ac præmiſſæ.

Conf. tota Con. ex aucto. Ariſtotelis deſumpta ex axiomate ſupra allato *propter quodvnum quodq. tale, & illud magis*; cum enim certitudo, & euidentia poſſit ſuſcipere magis, & minus, ideo præmiſſæ, propter quas eſt concluſio, poſsunt eſſe certiores, & euidentiores concluſione.

Ob. primò. Idem eſt obiectum præmiſſarum, & concluſionis, ſed de eodem obiecto non poteſt eſſe maior, & minor certitudo, & euidentia, ergo &c.

Reſp. primò. Quòd dato etiam, quòd eſſet vnū, & idem obiectum & præmiſſarum, & concluſionis, attamen de eodem poſſet haberi maior, & minor euidentia, & certitudo reſpectu diuerſæ propoſitionis, vel diuerſi motiui, ſub quo poſſet conſiderari, ſic licet ſit idem obiectum huius propoſitionis *Æthiopes ſunt nigri* attamen magis quis poteſt eſſe certus de hoc obiecto ſi illi proponatur a veridicis, qui oculis eos viderint, quàm ſi ex ſolis Hiſtoriographis didicerit, deinde

Reſp. 2. non eſſe idem obiectum, & præmiſſarū, & concluſionis; obiectum enim præmiſſarum, vt ſupra dicebamus, eſt connexio extremorum cum vno tertio, obiectum verò concluſionis eſt vnio ſeu connexio eorumdem inter ſe, quare corruit tota vis argumenti.

Ob. 2. Maior certitudo vnius actus præ alio, non poteſt conſiſtere niſi in hoc, quòd ſi alter eſſet negandus, potiùs intellectus negaret vnum, quàm alium, ſed intellectus non magis negaret concluſionem, quàm præmiſſas, quia cognoſceret eſſe idē obiectum præmiſſarum, & concluſionis, ergo non poſſunt eſſe certiores præmiſſæ ipſa concluſione. 28

Reſp. neg. min. ex falſitate ſuppoſiti, ſupponitur enim, idem eſſe obiectum, & præmiſſarum, & concluſionis, quòd tamen eſt falſum, quare cum obiectum præmiſſarum magis innoteſcat intellectui, ideo præmiſſæ ſunt certiores, & etiam euidentiores ipſa concluſione.

Ob. 3. Eodem modo intellectus eſt certus, quòd quæ ſunt eadem vni tertio, ſint etiam eadem inter ſe, ſed in præmiſſis intellectus eſt certus, duo eſſe eadem vni tertio, & in concluſione, eſſe eadem inter ſe; ergo eodem modo eſt certus de obiecto in præmiſſis, ac in concluſione, ergo præmiſsæ non ſunt certiores concluſione.

Reſp. neg. mai. magis enim eſt certus intellectus, duo eſse eadem vni tertio, quàm eſse eadem inter ſe, ex eo quia, quòd duo ſint eadem vni tertio, eſt minùs demonſtrabile, atq. adeo magis accedit ad rationē primi principii, de cuius ratione eſt, eſse certiſſimum, & euidentiſſimum, & indemonſtrabile; quare, & per hoc ſupra diximus, duplicem actum requiri ad demonſtrationem, vnum, quo intellectus præmiſſis primò aſsentiatur, alium verò, quo deinde concluſioni aſsenſum præbeat.

Ob. 4. Ex vna propoſitione neceſsaria, & altera probabili, ſequitur concluſio neceſsaria, ergo concluſio eſt certior, quàm præmiſsæ ſimul ſumptæ; conſequentia patet, quia concluſio neceſsaria, eſt certior talibus præmiſſis. 29

Reſp. diſting. antecedens, ſequitur concluſio neceſsaria ratione formæ, & conc. ratione materiæ, & nego, quare ſicuti in præmiſſis non eſt perfecta certitudo, ſed ſtat cum formidine, ſic, & pariter erit aſsenſus concluſionis, neq. enim erit aſſenſus euidens, aut certus, ſed ſolummodo probabilis.

Collig. tamen. Aliquando concluſionem poſse eſse certiorem ipſis præmiſſis, per accidens tamē, & ex affectione voluntatis, ſeu per motiuum ex parte voluntatis, poteſt enim eſse, quòd voluntas circa aliquam propoſitionem ita ſit affecta, vt imperet intellectui, vt illi magis adhæreat, quàm alijs, independenter à præmiſsis, vt v. g. ſi alicui fieret hoc argumentum *Quilibet Lector eſt ſapiens. Petrus eſt tuus lector, ergo eſt ſapiens*, magis poſſit hic adhærere concluſioni, quàm præmiſsis, ex affectione voluntatis. Verum tamen eſt, quòd hæc maior adhæſio, aut certitudo non prouenirет formaliter ex prçmiſsis, ſed, vt ſupra dicebam, ex affectione voluntatis, & per motiuum voluntatis.

Quæres. Quid ſit in Demonſtratione Circulus, & an ſit admittendus. 30

Reſp.

Resp. primò. Circulum esse cognitionem circularem, quia probamus vnam cognitionem per aliam, quæ priùs per illam probabatur; dicitur autem circulus, desumpta metaphora à circulo mathematico, in quo ab vno puncto, ad idem punctum per gyrum fit regressus.

Duplex autem communiter in demonstratione agnoscitur circulus, formalis, & vniformis vnus, materialis, & diformis alter: formalis, & vniformis est quādo ad probandam vnam propositionē vtimur alia propositione, per hoc solùm & præcisè, quòd per illam fuit cognita, vt si diceretur *hoc animal est leo, ergo rugibile* deinde probaretur antecedens per consequens, præcisè cognitum ex vi antecedentis, sic dicendo *est rugibile, ergo est Leo*.

Circulus materialis, et diformis est ille, in quo licet vtamur conclusione ad probandum antecedens, seu præmissas, tamen talem conclusionem cognoscimus ratione alterius medii, diuersi à præmissis, vt si diceretur *homo est rationalis, ergo risibilis*, deinde probaretur antecedens per cōsequens cognitum per aliud medium, sic dicendo *est risibilis, risus enim, ergo est homo* per risibilitatem enim cognitam per actum risus prob. antecedens.

Resp. 2. Primum circulum esse omnino vitiosum vocariq. petitionem principij, quare nihil concluderet demonstratio per talem circulum facta; alium verò circulum alim tti communiter tā quam utilem. Verum tamen est, quod hæ omnes demonstrationes per circulum, quoad fieri potest, uitandæ sunt, quia in ipsis tam euidenter non apparet ueritas conclusionis. Et Hæc sint dicta de Demonstratione.

DISPVTATIO NONA

De Habitibus

POst disputationem de demonstratione, quæstio esset instituenda de Scientia, quæ est perfectissima demonstratio; at quia secundùm multos definitur scientia, quòd sit habitus, ideo hic priùs disputationem de Habitibus efformamus, vt, postquam visum fuerit quid sit habitus, faciliùs etiam intelligatur, quid sit ipsa scientia. Quare sit.

SECTIO I.

Quid sit Habitus.

1 SVpponendum primò. Hic nos solùmodo loqui de habitibus naturalibus, qui facilitant potentias ad operandum, non autem de supernaturalibus, de quibus suo loco erit sermo.

Supponendum 2. Neq. hic nos sumere habitum pro decimo prædicamento, .f. *Habere*, ibi enim sumitur habitus pro quadam denominatione extrinseca, qua quis dicitur vestitus, armatus &c. hic verò pro quodam facilitate potentias ad operandum.

Prima Conclusio. Habitus *est qualitas aquisita, & permanens, per se primò ordinata ad operationem, nō tribuens primam facultatem operandi sed adiuuans, & facilitans potentiam*. Ita Tellez in Metaphysica disp. 70. Sectione prima, P. Morandus in sua logica, quæstione prima de habitibus, & ferè communiter omnes, contra Guarinum.

Explicatur Conclusio. Dicitur *qualitas*, per habitum enim reddimur quales, & perfecti ad operandum, quòd præstatur à qualitate, vt suo loco diximus, dicitur *acquisita*, non enim est propria naturæ, sed acquiritur studio, & frequētatione actuum; dicitur *permanens* seu, vt alii dicunt *difficile mobilis*, vt excludantur actus, qui transeunt, nec permanent, & etiam dispositiones, quæ faciliter amouentur; dicitur *per se primò ordinata ad operationem* ad differentiam aliarum qualitatum, quæ ad operationem non ordinantur, dicitur tamen *non tribuens primam facultatem, sed adiuuans &c.* ad explicandum, quòd habitus non sūt potentiæ, nec tribuūt principiū radicale operandi, quod est anima, nec principiū proximum, quod est potentiæ sed so ūmodo adiuuant, & facilitant potentias &c. hęc ergo conclusio sic explicata.

Probatur. Habitus acquiruntur, & producūtur, item augentur, & etiam aliquando corrumpuntur, item reddunt potentias quales .f. perfectas in aliquibus operationibus, sed huiusmodi effectus sunt qualitatis, seu circa solam qualitatem possunt esse, ergo habitus est qualitas acquisita &c. consequentia patet, antecedens experientia comprobatur, ergo &c. Pro secunda Concl.

Notandum. Maximam esse controuersiam in disputatione de Anima, vtrum species operationum cuiuscumq. potentiæ possint perseuerare in potentia, vel statim post operationem corrumpantur pro nunc sit, posse perseuerare in aliqua potentia & ratio est, quia quælibet potentia dum operatur, dummodo faciat operationes immanentes,

sicuti est principium suarum operationum, ita etiam est illarum subiectum; subiectando ergo illas operationes quodammodo recipit illarum species, quæ postea perseuerant in potentia, licet non perseueret operatio, sicuti quando imprimitur sigillum in cera, etiam post ablationem sigilli, remanet eiusdem impressio, & species in cera; hoc supposito sit.

3 Secunda Conclusio. Talis qualitas nihil aliud est, quàm species operationis radicatæ in aliqua potentia, per multiplicationem actuum. Est Guarini disp. 20. de Habitibus exp. 1. alios pro sua sententia, referentis.

Prob. primò. Potentia indeterminata, quò frequentiùs, & expressiùs suos actus exercet, eò faciliùs eos facit, sed talis facilitas est habitus, ergo talis habitus est aliquid productum in potentia per frequentationem actuum; at actus non possunt imprimere in potentia nisi sui species, ergo species operationis, seu actus, impressæ, & radicatæ in potentia, sunt habitus.

Prob. 2. Habitus, vt infra videbimus, producitur ab actibus, estq. illorum effectus, sed quilibet effectus est aliquid causæ, ergo Habitus est aliquid actuum, sed non potest esse nisi species, ergo habitus sunt species actuum radicatæ in potentia; mai. est certa ex sequentibus, min. prob. nam effectus non diceretur productus à causa, nisi esset aliquid causæ, in qua priùs continebatur, & sic patet deductæ consequentiæ, cum enim actus non remaneant, & relinquant solùm sui species, ideò tales species actuum sæpè impressæ in potentia, in ipsa radicantur, efformantq. qualitatem, quæ eamdem potentiam ad operandum facilitat, & hæc vocatur habitus.

Prob. 3. Habitus producitur per multiplices actus, ergo non est nisi qualitas constans ex speciebus talium actuum; Probatur consequentia, nam quilibet actus suam solam speciem producit, non aptam ex se sola ad facilitandam potentiam, & actus destruitur, nec perseuerat, ergo ad hoc vt efformetur habitus, debent plurium actuum remanere species in potentia, quarum multiplicatione, & firma radicatione in potentia, efformatur in eadem facilitas ad operandum, ergo habitus est qualitas constans ex speciebus operationis radicatis in potentia.

Obiicies primò contra primam conclusionem.
6 Cuiuscumq rei debet assignari aliqua causa, sed huius qualitatis accidentalis, quæ per vos est habitus, nulla potest assignari causa, ergo neq. datur hæc qualitas distincta à potentia; probatur min. nam actus frequentati, qui per vos dicuntur causa habitus, nullo pacto possunt esse, non quidem formalis, nam quando vltimò producitur habitus, iam amplius non sunt ipsi actus; non efficiens, alioquin sequeretur, quòd causa produceret effectum se nobiliorem, & intensiorem, si quidem habitus est nobilior, & intensior actu, ergo &c.

Resp. neg. min. Actus enim sunt causa talis qualitatis accidentalis; neq. valet quòd dicitur in probatione; non posse esse causam formalem, nec efficientem, licet enim, non sint causa formalis rigorosè, cum ipsi transeant, sunt tamen causa effectiua, quatenus quilibet producit suam speciem, ex qua specie addita alteri speciei, iam conseruatæ in potentia, & huic altera, &c. efformatur ipsa qualitas, & habitus; neq. per hoc sequitur, causam producere effectum se nobiliorem, nam hoc esset, si vnus tantùmmodo actus produceret habitum, non verò in casu nostro, in quo producitur habitus à pluribus actibus æquiualentibus intensione, & nobilitate, ratione multiplicitatis, habitui producto, sicuti eueniret si plures habentes virtutem, vt duo, applicarentur ad mouendum saxum exigens ad sui motionem virtutem vt quatuor, .l. enim quilibet solùm virtutem, vt duo haberet, imprimeretur, tamen in mobili impulsus vt quatuor.

Obiicies 2. Ista qualitas accidentalis, vel debet effectiuè concurrere cum ipsa potentia ad actum, vel mouere potentiam Physicè in actu primo, sed neutrum ex his potest operari, ergo nō est admittenda; min. probatur, nam ad actus vitales solùmmodo concurrit effectiuè causa vitalis; item in aliqua potentia, vt v. g. in voluntate non datur determinatio physica, & tamen ab omnibus conceduntur in voluntate habitus, ergo &c.

Resp. neg. min. Nam habitus habet solùmmodo facilitare potentiam .s. eam reddere facilem ad operationem, ad quam ipse non effectiuè cum potentia, nec physicè determinando ipsam potentiam, concurrit, quòd si esset, etiam Aduersarius teneretur Respondere, siquidem neq. species operationis possunt effectiuè concurrere, neq. determinare ipsam potentiam; & miror quomodo postquam admiserit habitum esse species operationis radicatas in potentia, neget postea, esse qualitatem, cum hæ species operationis non possint constituere nisi qualitatem accidentalem.

Neq. Instes. Constituere quemdam modum, atq. adeo habitum esse modum &c. cum enim ille sit modus, qui, nec mēte concipi potest sine re cuius est modus, & huiusmodi sit habitus, qui nec concipi potest sine potentia, cuius est, ideo &c.

Resp. enim. Nullo pacto habitum esse modum, cum modus sit aliquid entitatiuè indistinctum, à re cuius est modus, secus verò habitus; Quòd patet, tùm respectu habituum supernaturalium qualis est v. g. gratia, quæ certè est entitas distincta ab anima, tùm quia habitus, ex dictis, sunt species actuum, sed species non sunt modi sed accidentia, ergo, &c. Quòd autem habitus non possit concipi absq. potentia cuius est, hoc non arguit esse modum, cum etiam aliquis actus non possit concipi quin concipiatur ab aliqua causa prouenients, & tamen non est modus, sed accidens, quare &c.

Obiicies 3. contra secundam conclusionem. Habitus excitat potentias, in quibus reperitur ad operā-

operandum, sed species operationis non possunt excitare potentias ad operandum, ergo species operationis non sunt habitus; minor probatur, illud enim solummodo potest excitare ad operandum, quod se habet, vel per modum impellentis, quale est obiectum, vel per modum vltimò disponentis, vt sunt vltimæ dispositiones, species autem operationis non sunt obiectum, neq. vltimæ dispositiones, ergo &c.

Respondetur neg. absolutè mai. de ratione enim habitus formaliter est facilitare potentiam ad operandum, non illam excitare .s. quando, vel per vltimas dispositiones, vel per obiectum impellens, vel per aliquod extrinsecum impetans, determinata est potentia ad operandum, tunc in tali operatione desumit facilitatem ab habitu, neq. per hoc quòd aliquando quis videatur excitari ad operandum ab habitu, dicendum est talem excitationem prouenire ab habitu simpliciter, benè quidem ab habitu quatenus, aliquo modo includit obiectum, & sic hoc modo operationes intellectus, quæ exprimunt obiectum à parte rei, excitant etiam potentiam, ad operandum, quia se habent, vt vltimæ dispositiones, hoc autem non est de ratione habitus simpliciter.

Deinde, etiam Aduersarii huic argumento tenentur respondere, nam vel debent negare habitum in potentiis, vel si admittant, in quocumq. præ ... camento illum constituant, erit tempus in quo non excitabit potentias ad operandum, vt patet in eo, qui habet habitum sonandi, qui tamen non semper excitatur per talem habitum ad sonandum: ex quo patet, de ratione formali habitus non esse excitare, sed solummodo facilitare potentias ad operandum.

SECTIO II.

Quodnam sit Subiectum Habitus.

6 Notandum primò. De pluribus posse inquiri, vtrum possint recipere habitus, & primò, de subiecto rationali, aut irrationali, utrum .s. tàm homines, quàm bruta possint suscipere habitus; secundò, de potentia loco motiua, quæ membra externa mouet ad propria exercitia naturalia, vel artificiosa; tertiò, de potentiis sensitiuis, quarum, quinque sunt extrinsecæ. scilicet visus, auditus, olfactus, gustus, & tactus, quatuor internæ cognoscitiuæ .s. Imaginatio, Phantasia, Æstimatio, & Memoria, & duæ interiores appetitiuæ, scilicet Irascibilis, & Concupiscibilis; quartò, de potentiis rationalibus .s. de Intellectu, & Voluntate.

Notandum secundò. In omni subiecto, in quo potest recipi species operationis ab ipso producta, posse etiam reperiri habitus, cum enim per nos habitus sint species operationis radicatæ in subiecto, à quo producitur operatio, per hoc, omne subiectum capax talis receptionis, erit etiam capax habitus.

Prima Conclusio. Omnis potentia, quæ varias exercet operationes, & diuersos habet earum operationum modos, est capax habituum. Est Scoti, Gabrielis, Ochan, Valii, & ferè omnium Scotistarum, quos sequitur Guarinus disp. 20. de Habitibus exp. secunda, contra Suarez, Ouiedum, Tellez, Morandum, & ferè omnes recentiores. 7

Probatur primò. Auctoritate Aristotelis. qui pluribus in locis hoc attestatur; & præcipuè secundò Moralium cap. secundo, vbi clarè demonstrat, habitus prouenire ex differentiis operationum, ex quo deducitur, eas potentias, quæ differentes habent operationes, nec ad aliquas solùm sunt determinatæ, posse suscipere habitus.

Probatur 2. ratione. Habitus est qualitas facilitans potentias ad operandū, sed omnis, potētia quæ diuersas habet operationes potest facilitari, ergo tales potentiæ sunt capaces habituum. mai. probata est, probatur min. nam cum diuersas habeant operationes, si frequentiùs exercebunt aliquas, & non alias, maiorem facilitatem, & consequenter habitum in primis exercendis habebunt, quàm in aliis.

Probatur 3. Illæ potentiæ sunt capaces habituum, quę possunt recipere species suarum operationum, sed omnes potentiæ, quæ diuersas habent operationes, vel diuersum modum operandi, possunt recipere talium operationum species, ergo illæ omnes sunt capaces habituum, min. probabitur sequētibus conclusionibus, ex hac vniuersali deductis.

Secunda Conclusio. Potentia loco motiua est capax habituum. Hæc conclusio defenditur ab authoribus supra relatis, quibus etiam associandus videtur D. Thomas, qui prima secundæ quæstione quinqua art. primò ait, corpus disponi, & habilitati ad promptè deseruiendum animæ; est tamen contra recentiores. 8

Probatur primò. Potentia loco motiua diuersum modum habet operandi, & diuersas exercet operationes, sed ex supradictis, potentia diuersas exercens operationes est capax habituum, ergo potentia loco motiua potest recipere habitus.

Prob. 2. Potentia loco motiua habet operationes immanentes, & per consequens talium operationum, illarumq. specierum est receptiua, sed omnis potentia receptiua specierum suarum operationum est capax habituum, ergo potentia loco motiua potest recipere habitus.

Prob. 3 Ipsa experientia, quæ est rerum magistra, videmus enim ab aliquibus acquiri quandam facilitatem in membris ad artificiosos quosdā motus exercendos, ad scribendum, ad saltandum, ad pulsanda Musica instrumenta, & ad alios similes actus, sed talis facilitas ad similes actus,

non

non est nisi habitus acquisitus, per multiplices actus, ergo talis potentia motiua membrorum est capax habituum.

Obiicies primò. Motus est ab anima mouente corpus, ergo nullus habitus reperitur in corpore. probatur consequentia, habitus agit cum potentia, in qua reperitur, sed membra non agunt immò potiùs aguntur, ergo in illis non datur habitus.

Resp. Argumentum non esse contra nos, nam diximus eam potentiam animæ, loco motiuam, quæ se mouendo, corpus mouet de vno loco ad alium, habitum admittere, non enim contendimus corpus habitum habere, sed potentiam loco motiuam cuiuscumq. sit, siuè corporis siuè animæ.

9 Ob. 2. Potest saluari facilitas in membris ad aliquem artificiosum motum, per hoc solùm, quòd per exercitium remoueatur omne impedimentũ, à quo detinebantur, nè tàm facilè, &c. ergo non est necessarius habitus.

Resp. Dato quòd per exercitium remoueatur impedimentum, &c. attamen insuper esse necessarium habitum, si quis enim v. g. per hoc quòd ex frequentatione actuum didicerit faciliter percutere cytharam, habeat manus, & digitos enodatos, attamen adhuc indiget exercitio, ad hoc, vt aliud musicale instrumentum faciliter percutere possit, ergo quia est necessarius nouus habitus; quare, &c.

Inst. potest dici, quòd talis ordinatus, & regulatus motus habeatur ab imperio rationis; ergo non est necessarius habitus.

Resp. primò. Quòd voluntas .l. per suum imperium cogat potentiam, non tamen facit naturalem potentiæ illam operationem, quæ de se naturalis non est, idest non exigitur à potentia naturaliter, sed ad illam est tantum indifferens, atq. adeo ad eam facilitandam est necessarius habitus.

Resp. 2. Negando antecedens, nam etiam non aduertente ratione exercentur actus ratione habitus impressi in potentia loco motiua, quòd experientia patet. Multi enim habentes habitus saltandi v. g. sonandi, vel alicuius alterius motus artificiosi, tales motus etiam in somnijs optimè fecerunt, & tamen voluntas tunc non imperat, nec edocet intellectus, ergo ex his omnibus clarè arguitur, in potentia loco motiua reperiri habitum.

Ob. potentia capax recipiendi habitum debet esse operans immanenter, at huiusmodi non est
21 potentia loco motiua, ergo &c. mai. ex vestris principijs patet, min. probatur, nam actio, quæ egreditur à potentia motiua recipitur in corpore, ergo &c.

Resp. negando minorem. Nam, licet verum sit, actionem potentiæ loco motiuæ subiectari in corpore, per hoc tamen non est negandum, subiectari etiã in ipsa potẽtia loco motiua, quatenus est vnum solum ens per se constituit cum corpore, ferè communiter enim concedunt, motum esse actionem immanentem, & tamen non producitur effectiuè ab ipso corpore, ergo est immanens, quia nedum recipitur in corpore, sed, & in principio, seu potentia à qua est. Quare, &c.

Tertia Conclusio. In potentiis sensitiuis determinatis ad modum operationis, non possunt dari habitus. Ita ferè communiter. 10

Prob. Habitus facilitant potentias ad operandum, sed potentiæ determinatæ ad vnam solam operationem posito obiecto, & imperio rationis, non facilitantur, sed semper eadem facilitate operantur, ergo in his potentiis non dantur habitus; prob. min. experientia, & ipsa authoritate Aristotelis, qui secundò Ethicorum cap. primò ait *non enim ex eo quod sępè, vel vidimus, vel audiuimus, sensus, & audiendi, & videndi accepimus.*

Ob. primò. Gustus v. g. potest assuefieri ad gustandũ amarũ, auris ad audiẽdos vehementes strepitus, ergo dantur habitus in potentiis sensitiuis.

Resp. neg. consequentiam. Repugnantia enim potest tolli per continuam applicationem eiusdẽ, sed hoc non est habitus, sed potiùs dispositio, qua organa disponuntur ad recipiendum magis hoc, quàm illud obiectum, & sic quando quis per continuam comestionem amari assuefit ad gustandum amarum, talis assuefactio prouenit ex dispositione organi ad gustandum tale amarum, quæ tamen non est habitus, sicuti enim oculus non dicitur habere habitum ad videndum colorem nigrum, qui tamen est illi magis conformis, quàm albus, cum hoc proueniat ex dispositione organi visiui, sic à pari, nec dicendum est, gustum acquirere habitum ad gustandum amarum, sed ita materialiter disponi organum gustus, vt etiam amarum gustet, & sic similiter auditus. Sed.

Inst. Etiam in potentia motiua posset dici, organa membrorum disponi ad tales, & tales actus per dispositionem, & non per habitum, ergo vel in potentia loco motiua debent negari habitus, vel etiam concedi in potentiis sensitiuis determinatis. 11

Resp. neg. vltimam consequentiam, & disparitas est, quia potẽtia loco motiua potest facere diuersas operationes, & diuerso modo, & per hoc potest per habitus magis facilitari ad vnam, quàm ad aliam; at potentiæ sensitiuæ determinatæ vnum solum modum habent operandi, & licet varietur obiectum, operatio tamen semper eadem perseuerat, sit enim color albus, aut niger, semper operatio visiua erit eadem, sit cibus amarus, vel dulcis, semper attingitur à potentia gustatiua eodem modu operationis; Quòd postea dulce magis delectet, quàm amarum, prouenit ex maiori conformitate dulcedinis cum mollitudine organi gustatiui, quòd si per continuam commestionem amari assuefit aliquando gustus amaro, huius postea est causa, illa continua cõmestio, quæ reddit tale organum minùs molle, & ideo gustus Rusticorum ad grossiora comedenda assuetus, minus est mollis, quàm ciuium, ex quibus omnibus patet, hoc non prouenire ex habitu, sed ex dispositione organi.

Quarta Concl. Intellectus potest habere habitus circa modum operationis. Ita D. Tho. loco supracit. Suarez disp. 44. in Met. sec. 4. Guar. disp. 20. de habitu exp. 1. Tellez disp. 70. in met. sec. 12

prima num. 18. Auers. Motandus, & alij multi ab ipsis citati, licèt tamen non omnes loquantur in ordine ad modum operationis, sed simpliciter in ordine ad operationem; est tamen contra ferè recentiores omnes, præcipuè Spinulam, Ouied. Arriag. Comptonum, nullum admittentes habitum in intellectu præter species obiecti.

Prob. 1. Intellectus habet diuersas operationes, sed quæcumq. potentia habens diuersas operationes est capax habituum, ergo intellectus est capax habituum.

Prob. 2. Aliquis intellectus perfectiori, & faciliori modo operatur per frequentationē actuū eiusdē rationis, quā antea operaretur, at hoc non potest prouenire, nisi ex habitu acquisito, ergo in intellectu potest dari habitus quoad modū operationis; min. patet, neque enim talis intellectus intrinsecè perficitur, ergo solummodo extrinsecè per habitū acquisitum; mai. prob. experitur enim quis maiorem facilitatem ad arguendum post frequentationem actuum arguendi, quàm antea, ergo, &c.

Neq. dicas. Hoc prouenire à speciebus obiecti, atq. adeo præter ipsas nullū esse necessariū habitū.

Resp. enim. Ad hoc non esse sufficientes species obiecti, eodem enim modo semper, & in quocumq. tempore obiiciuntur intellectui; quare solum potest concedi, non dari habitum in intellectu quoad cognitionem obiectorum, cum enim sit potentia necessaria, proposito obiecto, necessariò intellectus cognoscit, vel clarè, si est propositum clarè, vel obscurè, si obscurè obiiciatur, & in hoc sensu optimè negant DD. supracitati dari habitum in intellectu, præter species obiecti, in ordine ad cognitionem, & in hoc etiam nos cum illis sumus; at per hoc non est negandus aliquis habitus in ipso intellectu ad modum operationis, cum enim diuersimodè possit operari, attingēdo. s. obiectum, vel ratione huius medii, vel ratione alterius medii, vel deducendo vnum ex alio, &c. ideo ad talem modum operationis facilitandum necessariò est admittendus habitus, qui quidem consistit, non in speciebus obiecti, sed in speciebus operationis sæpè iteratæ, quæ per nos sunt habitus.

13 Ob. 1. Intellectus est potentia omninò necessaria, sed potentia omninò necessaria nequit habere habitum, ergo neq. intellectus, mai. conc. ab omnibus min. prob. sic oculus, quia necessariò videt, non indiget habitu ad videndum, &c.

Resp. disting. mai. Est potentia necessaria quoad operationem simpliciter, conc., quoad modum operationis, & nego, licet enim intellectus, proposito illi obiecto, nequeat illud non attingere, attamen potest illud attingere hoc, vel illo modo, s. vel ratione huius medii, vel ratione alterius, illius essentiam deducendo, vel ex connexione cum præmissis, vel non considerando de connexione. ad hoc ergo modo faciliter operandum, necessarius est habitus facilitans. Ad probationem autem min. Respondeo, oculum esse potentiam necessariā non dum quoad operationem, sed etiam quoad modum operationis, semper enim suas producit operationes producendo species expressas ad similitudinem specierum impressarū, quæ ab obiectis immittuntur, quare cum nullo pacto diuersum modum operandi habeat, ideo illi non est necessarius habitus facilitans; intellectus autem diuerso modo operatur circa obiectum, illud definiendo, diuidendo, per præmissas demonstrando illius essentiam, & passiones, ad quæ omnia peragenda, cum naturaliter æqualem facilitatem non habeat, illi est necessarius habitus facilitans, qui acquiritur per frequentationem actuū, quòd ipsa experientia ita apparet euidens, vt frustra sit in hoc amplius laborare.

Quinta Conclusio. Quilibet sensus internus potest esse subiectum habitus, siuè sit appetitiuus, siue cognoscitiuus. Est Auer. Guarini, & Aliorū deducitur etiam ex Aristotele 1. met. cap. 1.

Prob. 1. In illis potentiis potest dari habitus, quæ possunt facilitari ad suas operationes, at huiusmodi sunt potentiæ sensitiuæ internæ, ergo, &c. mai. patet, habitus enim datur ad facilitandum potentias, min. prob. Tùm quia, v.g. imaginatio potest in Geometria magis assuefieri ad efformandas figuras quadratas, quàm triangulares, in Aritmetica ad disponendos numeros in hoc ordine, quam in alio, per hoc solùm, quòd frequentiùs tales figuras, vel dispositiones numerorum efformet, quàm alias, ergo, &c. Tum quia potest appetitus sensitiuus assuefieri temperantiæ ex actibus frequentatis temperantiæ; neque enim potest dici, hoc prouenire ex sola immutatione specierum, quia nulla est ratio admittendi talem immutationem specierum, cū obiecta talibus potentiis eodem modo ferè semper obiiciantur; deinde, quia talis immutatio non est sufficiens ad causandam talem facilitatem.

Prob. 2. Experientia constat, quæ est rerum magistra, per frequentationem, & consuetudinem actuum apprehensionis, cogitationis, & recordationis internæ, acquiri facilitatem ad apprehendendum, cogitandum, &c. sed hic est habitus ergo, &c.

Ob. Sensus internus est potentia necessaria ad agendum, ergo non potest habere habitum.

Res. dist. antecedens. Est potentia necessaria ad agendum, con. ad modum agendi, & nego; diuerso enim modo operatur circa vnum obiectum, ac circa aliud, vt patet; deinde neg. consequentiam, non enim datur habitus ad determinādam potentiam, sed ad eam facilitandam in his operationibus, in quibus sua natura est determinata.

Sexta Conc. In potentijs internis, & indeterminatis Brutorum, dātur habitus, secùs verò in potentijs determinatis. Est Scoti, Durandi, Mayronis, Auersæ, & aliorum Scotistarum, & etiam aliqua in parte D. Thomæ 1. 2. quæstione 50. Art. 3. ad secundum. 14

Prob. 1. Authoritate Aristotelis lib. 1 metaphysicorū cap. 1. vbi tribuit Brutis aliquo pacto Prudentiam, disciplinabilitatem, & experiētiam, quòd intelligandum est ratione habituū in eorū sensu interno. Item authoritate D. August. qui lib. 3. q.q. sect. 36. tribuit bestiis consuetudinem, qua domitæ, & mansuetæ fiunt.

Prob.

Probatur 2. Iisdem rationibus, ac supra probauimus de hominibus, eadem enim etiam in brutis, quoad habitus, omnino militant.

Prob. 3. Experientia; videntur enim Bruta ad quædam assuefieri, quatenus humana arte, & industria quibusdam saltibus, seu motibus artificiosis, multiplicatione actuum, assuefiunt, ergo ex hoc est arguendum, in ipsis dari habitus.

Ob. potentiæ quæcumq; brutorum non sunt indifferentes ad operandum; sed vbi non adest indifferentia, non possunt admitti habitus, ergo potentiæ brutorum, non possunt recipere habitus. prob. mai. indifferentia enim prouenit à voluntate, quæ non reperitur in Brutis.

Resp. distinguendo mai. non sunt indifferentes indifferentia, quæ importat libertatem, con. mai. indifferentia, quæ importat varietatem operationum, & multiformem operandi modum, & neg. mai. & sic pariter distinguo min. vbi non adest indifferentia, &c. proueniens à voluntate solum, nego, quæcumq. indifferentia, & con. min. & sic negatur consequentia, cum enim in Brutis habeatur secunda indifferentia, quatenus .s. diuersum, & multiformem modum operandi habent in suis potentiis indeterminatis, ideo in ipsis possunt admitti habitus. Deinde habitus non dantur ad determinandas potentias, sed ad eas facilitandas.

35 Vltima conclusio. Voluntas potest habere habitum. Est D. Thomæ, Vallii, Morandi, & aliorum communiter.

Prob. Voluntas est indeterminata quoad modum operationis, sed quæcumq. potentia indeterminata quoad modum operationis est capax habitu um, ergo voluntas est capax habituum, ma. prob. nam voluntas potest velle, & nolle obiectum propositum, ergo potest facilitari ad volendum, quãdo est bonum, ad odio habendum, quando est malum.

Ob. primò. Voluntas est determinata ad bonum, ergo non indiget habitu, qui eam faciliter.

Resp. Voluntatem esse determinatam ad bonum, vt sic, & ideò cum duplex bonum possit illi repræsentari, honestum v.g. & delectabile, & vtrũq. ex suo libito possit eligere, ideò ab habitu potest facilitari ad magis eligendum vnum, quàm aliud.

Ob. 2. Quando proponitur voluntati bonum vltimum euidens, voluntas non potest illud nolle, ergo non indiget habitu.

Resp. Verum esse, quòd circa summum bonũ appetendum, habitu non indiget, sed tamen indiget habitu ad appetanda alia bona.

Colligitur. Habitum intellectus, & voluntatis posse etiam reperiri in Angelis; de hoc tamen dic. fusius in eorum tractatu.

SECTIO III.

De augmento Habituum.

36 Supponendum. Duplici modo posse augeri habitus, & quoad intensionem, & quoad extensionem. Augmentũ quoad intensionem, est intrisecũ, & est quãdo augetur facilitas, & promptitudo ad eliciẽdos actus eiusdem omnino speciei, & circa idem obiectum; augmentum quoad extensionem est extrinsecum; & est quando habitus acquisitus circa aliquod obiectum, se extendit ad plures partes eiusdem obiecti; modo ergo inquiritur præcipuè de primò augmento, an .s. augeatur habitus quoad intensionem per actus se intensiores. vel remissiores, aut æquè intensos.

Supp. 2. Tanquam certum, dari tale augmentum quoad intensionem, quòd ab omnibus cum ipso Aristotele conceditur, & experientia comprobatur, per maiorem enim, vel minorem iterationem, & frequentationem actuum potentia acquirit maiorem, vel minorem facilitatem; neq. enim valet ratio adducta ab Aliquibus, quòd .s. actus non possint acquirere intensionem, & per consequens neq. habitus; falsum est enim, aliquos actus non posse esse intensiores aliis, cum possint esse perfectiores, & in tali maiori perfectione intẽsiores, sed hoc per transitum sit dictum, cum sit commune apud omnes, dari habitus intensiores aliis. His suppositis, Sit

Prima Conclusio. Habitus augentur per omnes actus eiusdem speciei, etiam remissiores. Est Scoti in primò distinctione 17. quæstione 3. Durandi, Riccardi, Gabrielis, Henrici, Valquez, Salas, & aliorum contra omnes Thomistas, Auersam, Suarez, & ferè recentiores omnes. 17

Prob. primò Habitus producuntur per actus se remissiores, ergo etiam per tales possunt augeri; antecedens est certum, primus enim actus licet ex se solo nunquam producat habitum, est tamen illius causa .s. illo remissior prob. consequentia, eodem enim modo producuntur, & augentur habitus, ergo si ad productionem sufficiunt actus etiam remissiores, sufficient etiam ad augmentum.

Prob. 2. Habitus sunt species plurium actuum radicatæ in potentia, sed quilibet actus producit suam speciem in potentia, ergo quilibet actus est sufficiens ad augendas, & intendendas tales species, sed in augmento specierum consistit augmẽtum habitus, ergo quilibet actus, etiam remissior potest augere habitum.

Prob. 3. Species actuum remissiorum debent operari aliquid in potentia, sed non possunt nisi augere facilitatem in potentia, ergo & habitum, qui causat facilitatem.

Prob. 4. Experientia, videmus enim, quò magis multiplicantur actus, licet remissiores, habitu, eò tamen magis augeri facilitatẽ in potentia ad tales actus ergo signum est, actus licet remissiores augere habitum causantem facilitatem.

Conf. Nam sicuti quando duobus gradibus caloris v.g. adiunguntur alii duo, augentur illi duo primi, vt quatuor; sic à pari, quãdo pluribus speciebus actuum cõstituentibus habitum, adduntur aliæ species, licet sint eiusdem rationis, aut etiam remissiores, tamen augent, & magis intendunt primas species, & sic etiam habitum, sed.

Ob. primò. Non potest vna qualitas producere aliam supra suam intẽsionem, ergo si actus est in- 18

tensus

tensus v. g. vt duo non potest intendere habitum, vt quatuor; antecedens est certum, nam lux v.g vt duo, non potest producere lucem, vt quatuor.

Resp. distinguendo antecedens Vna qualitas non potest producere aliam supra suam intensionem, primariò, & per se, con: secundariò, & accidentaliter, & nego antecedens, & similiter consequentiam; verum est enim, quòd quælibet causa producit effectum secundùm virtutem, quam habet, & sic nulla qualitas supra suam intensionem aliam potest producere primariò, & per se, nemo enim dat quod non habet; at quia aliquando talis effectus, seu qualitas producitur in subiecto habente qualitates, seu effectus eiusdem rationis, hinc fit, quod qualitas existens in tali subiecto, per accidens, & secundariò augeatur, & intendatur ab aliis qualitate superueniente; luci enim v.g. vt duo si addatur alia lux vt duo, eueniet lux, vt quatuor, sic ergo in casu nostro, actus remissior producit speciem remissiorem in potentia, sed quia talis species inuenit alias species actuum eiusdem rationis, hinc est, quòd illas intendat, & augeat, & sic actus remissior potest augere intensiuè habitum.

Ob. 2. Si actus remissior posset augere habitum vltra suam intensionem, posset augere in infinitum, sed hoc non est dicendum, ergo neq. quòd actus remissior augeat habitum. ma. prob. nullus enim posset assignari terminus, vbi sistere deberet, nam si posset, non esset commodiùs assignandus, quàm vsq. ad intensionem ipsius actus.

Resp. neg. mai. & ad probationem dico, posse assignari terminum augmenti habitus supra intensionem ipsius actus, & tale augmentum esse illud amplius, quod addidit actus remissior habitui iam introducto in potentia, & sic, si v. g. habitui intenso vt sex addatur species actus intensi, vt duo, augetur habitus, vt octo .s. vsq. ad id quod additum illi fuit à specie actus remissioris, vt patet in cæteris aliis qualitatibus.

19 Colligitur. Hoc maximè dicendum esse de actibus æqualibus in intensione, si enim probatum est per actus remissiores posse augeri habitus, multò magis deducitur per actus æquales in intẽsione, tale augmentum præstari posse in habitibus.

20 Secunda Cõclusio. Habitus intellectuales, & aliarum potentiarum, præter habitus voluntatis, & appetitus sensitiui, non extenduntur ad plura obiecta, sed multiplicantur materialiter, iuxta distinctionem, & varietatem singulorum obiectorum licet partialium, ad quæ determinatè ipsi habitus inclinant. Est Scoti in prologo sententiarum, quæstione secunda laterali, Durandi, Tolatani, Ochami, Gabrielis, & aliorum, quos citat, & sequitur Auarsa in Philosof. quæstione 49. de habitibus animæ, sectione septima.

Probatur prima pars. Habitus producuntur ab actibus, sed actus distinguuntur, & multiplicantur material. ratione diuersorũ obiectorũ, quæ attigũt, ergo etiã habitus ratione diuersorũ obiectorũ distinguentur & multiplicabũtur, ergo vnus habitus non potest se extendere ad diuersa obiecta. ma. est certa, min. prob. nam actus v. g. quo quis cognoscit hominem esse animal, non est idem ac ille, quo cognoscit, esse quantitatiuum, licet sit idem omnino actus quoad modum, quia diuersimode, & sub diuersa formalitate attingit obiectum.

Prob. 2. Quando quis exercet actum alicuius scientiæ per demonstrationem veræ conclusionis, val actum opinionis, circa aliquam probabilem conclusionem, non per hoc acquirit habitum, & promptitudinem ad alias varias eliciendas conclusiones, ergo quia non extenditur habitus per varios actus circa diuersa obiecta, ergo ad multiplicationem obiectorũ non extenduntur, sed materialiter multiplicantur etiam habitus; antecedens patet experientia, nam qui studuit v. g. logicæ, non per hoc acquisiuit facilitatem ad inueniendos medios terminos, & præmissas pro deducendis conclusionibus physicis, vel metaphysicis, consequẽtia prob. nã nõ potest prouenire à diuerso modo operandi, cum sit idem, ergo dicendum est prouenire ex eo quia non extendatur habitus ad positionem diuersorum obiectorum.

Neq. dicas. Ex nostra doctrina specificari actus à diuerso modo operandi, ergo etiam habitus, ergo habitũ inclinantem ad eumdem modum operandi, posse extendi ad diuersa obiecta. & non multiplicari ratione diuersitatis obiectorum.

Resp. enim, distinguendo mai. actus specificantur à diuerso modo operandi secundùm suam formalitatem, & con. specificantur, & multiplicantur secundùm materialitatem, & nego mai. 22
duo enim habet actus, & esse materiale, & esse formale, formale desumit à modo tendendi, materiale ab obiecto, vnde actus v. g. quo quis deducit conclusionem logicam, licet sit idem quoad formalitatem, ac ille quo deducit conclusionem physicam, non est tamen quoad materialitatem, vnus enim secundùm materialitatem dicetur actus physicus, alter logicus; quòd cùm ita sit, etiam habitus producti à talibus actibus debent materialiter diuersificari ratione diuersitatis obiectorum. sed.

Instabis, ergo saltem quoad formalitatem habitus poterunt extendi ad diuersa obiecta. 21

Resp. neg. consequentiam. Talis enim non est extensio, sed intensio, cum enim esset secundùm rationem intrinsecam, & formalem habitus .s. secundùm modum operandi, licet essent diuersa obiecta, intenderentur, & non extenderentur habitus; & hoc pacto diximus in disp. de logica sectio. 4 eumdem esse habitum logicum, & aliarum scientiarum quoad formalitatem, & modum tendendi, cum enim eodem pacto arguatur, & deducantur conclusiones ex præmissis in omnibus scientiis, ideò quoad modum, seu formalitatem, est idẽ omnino habitus, & logicus, & aliarũ sciẽtiarũ .i. intensior per multiplicationem actuum, materialiter tamen est diuersus, quia, & media, & obiecta sunt diuersa, vt ibi diffusiùs demonstrauimus; quare concludendum est, distinctos, & diuersos esse habitus materialiter, quando diuersa sunt obiecta, licet formaliter sint idem; formaliter 21
autem esse idem nihil aliud est, quàm diuersos habitus

bitus materialiter facilitare potentias ad producendos actus eiusdem rationis quoad modum, licet diuersæ, quoad terminum, & materiam.

Vnde propriè non datur augmentum extensiuum habituum, cum hoc proprium sit quantitatis continuæ, sed potiùs quando plures adsunt habitus in aliqua potentia, vel circa obiecta diuersa totalia, vel circa diuersa partialia, hoc potest vocari augmentum discretum multitudinis, quòd fit per additionem vnitatum, vt in hoc casu per additionem plurium habituum.

Ad probandam secundam partem conclusionis, sit.

22 Tertia Conclusio. Habitus appetitiui neq. extenduntur ad diuersa obiecta materialia, neq. multiplicantur ratione diuersorum obiectorum, sed solummodo ratione diuersi motiui, ita vt idē omnino habitus æquè primò īclinet potētiā ad ōnia obiecta materialia, communicantia in vna formali ratione motiua voluntatis, & appetitus. Est Caietani, & aliorum Thomistarum cum D. Thoma prima secundæ quæstione 66. Art. primo, vt apud Auersam quæstione 49. de habitibus animæ sectione 7.

Prob Idem omnino habitus potest facilitare potentias appetitiuas ad diuersa obiecta materialis, ergo non est necesse quòd extendatur per additionem alterius qualitatis productæ ab alio obiecto, antecedens prob. eodem enim habitu v.g. abstinentiæ facilitatur quis ad abstinendum tàm à potu, quàm ab alio cibo, cum tàm in vno, quàm in alio, idem reperiatur motiuum .s. mortificatio gulæ.

Confirmatur primò. Dum quis assuefit abstinere à cibis, & potibus sibi oblatis, mouetur ad hoc formaliter à ratione honestatis in tali moderamine inuenta, ergo vbicumq. reperietur talis ratio honestatis, eodem prorsus habitu facilitabitur voluntas ad producendos actus abstinentiæ, ergo signum est, non extendi priorem habitum, aut alium de nouo acquiri, sed potiùs intendi, & per consequens solummodo ad variationem motiuorum variari habitus.

Confirmatur 2. Licet per fidem diuersa obiecta credibilia credantur, est tamen vnus simplex habitus, quia vnum est solum motiuum, & ratio formalis .s. reuelatio diuina, ergo etiam habitus acquisitus, solùm multiplicabitur ratione multiplicationis motiui, non obiectorum.

23 Obiicies primò. Habitus intellectuales distinguuntur per diuersa obiecta, ergo etiam habitus potentiæ appetitiuæ.

Resp. neg. consequentiam, & disparitas est, quia diuersa obiecta materialia possunt esse sub eodem motiuo, vt patet in assignato exemplo de abstinētia, at verò non possunt habere eamdem omnino veritatem, cum quodlibet habeat suam peculiarem rationem veritatis, qua mouetur intellectus ad assensum, neq. enim datur aliqua ratio communis veritatis, quæ æquè mouere possit intellectum ad varias propositiones, & conclusiones.

Obiicies 2. Potest contingere, vt aliquis habeat facilitatem ad vnum, & non ad aliud obiectum materiale, licet ambo habeant idem motiuum, & sint sub eadem ratione formali, vt v. g. ad abstinendum ab vno genere cibi, & potus, & non ab alio, ergo distinguendi sunt habitus appetitiui respectu diuersitatis obiectorum materialium.

Resp. Hoc prouenire ex maiori conformitate talis, vel talis obiecti cum potentia gustatiua, ex quo fit, quòd licet ratione voluntatis æquè sit abstinentia ab vno, quàm ab alio, ob idem motiuum tàm in vno, quàm in alio repertum, tamen videatur potentia maiorem habere facilitatem ad vnum, quā ad aliud, ratione maioris, vel minoris cōformitatis talis obiecti cū potentia, à qua primariò attingitur, vt in exemplo allato de gustu.

Colligitur ex dictis. Tamdiù conseruari habitus in potentiis, quamdiù conseruantur species actuū in ipsis potentiis, tunc verò destrui habitus, quando, vel per non continuationem actuum fiunt remissiores species eorumdem in potētiis, vel per actus illis contrarios paulatim destruuntur, cum enī habitus per nos consistat in speciebus, eius conseruatio, & destructio pariter à speciebus desumenda est.

SECTIO IV.

Quonam pacto se habeant habitus respectu potentiæ, & actus.

NOtandum est. Supra dixisse, habitus à natura institutos fuisse ad facilitandas potentias in ordine ad actus similes illis, à quibus producti fuerunt, modo ergo inquirendum est, quonam pacto causetur hæc facilitas in potentiis, & quomodo, ad actus producendos ipsimet habitus concurrant. 24

Alii enim dixerunt, habitus iuuare potentiam, & concurrere ad actum in genere causæ subiectiuæ, & passiuæ, ita vt habitus sit dispositio potentiæ ad recipiendum in se actum. Ita multi relati à Scoto in primo disputatione 17. quæstione 2. §. *concedo igitur*.

Alii habitus iuuare potentiam, & concurrere ad actum in genere causæ effectiuæ, vel directè efficientes ipsum actum, secundùm totam eius entitatem, & substantiam, quasi.s. concausa partialis, potentiæ adiuncta, vt defendunt Medina, Valentia, Salas, Fonseca; vel efficientes solùm quemdam modum in actu, non verò actum quoad substantiam, vt tenent Guffredus, Vasquez, & alii.

Alii tandem affirmarunt, habitus non per se, & directè efficere quidquam in actu, sed tantùm esse rationem quamdam agendi, qua potentia ipsa promptè, & faciliter operetur. Ita Durandus in 3. distin. 23. quæstione 4. Paludanus quæstione 2. Gulielmus de Rubione, Baconus, Capreolus, & hoc idem videtur voluisse D. Thomas in 3. disp. 23. quæstione prima Art. primò; videndum est ergo, quænam ex his sententiis magis consonet veritati. Quare sit.

Prima

25 Prima Conclusio. Habitus iuuat potentiam, & concurrit ad actum, non in genere causæ subiectiuę disponendo potētiā ad recipiendū actum, sed propriè iuuat, & concurrit in genere causæ actiuę ad eliciendum actum. Ita D. Thomas prima secundæ quæstione 49. Arti. 3. Aristoteles secundò Ethic. cap. primò, & multi alii.

Prob. Nulla potentia habet difficultatem ad recipiendum, bene quidem ad producendos actus, sed habitus dantur ad auferendam difficultatem, & facilitandam potentiam, ergo in ordine ad productionem actus, ad quam habet difficultatē, non ad receptionem, ad quam nullam experitur difficultatem; prob. mai. nam eo ipso, quòd potentia producit actum, ipsum recipit, si est immanens absq. vlla difficultate, quòd illi non euenit in productione eiusdem, ergo &c.

26 Secunda Conclusio. Habitus non concurrit ad actum propriè, & directè illum efficiendo quoad eius substantiam, & entitatem. Ita Auersa in philosop. quæstione 49. de habitibus animæ, sectione octaua, & alii.

Prob. Quælibet potentia adæquatè habet sufficientem, & totalem vim producendi actum, ergo non est illi necessarius habitus, tanquam concausa, & principium ad actum; antecedens patet, nam etiam ante habitum poterat operari; consequentia prob. nam cum ipsa potentia ex se sit causa integra, & sufficiens ad producendum actum, non indiget alio conprincipio partiali, ratione cuius euadat ipsa causa partialis.

Confirmatur. Actus, quo intellectus assentitur antecedenti, est necessarius ad actum assensus consequentis; Item actus intellectus est necessarius ad actum Voluntatis, & tamen, neq. actus assensus antecedentis dicitur cōcausa assensus cōsequentis, neq. actus intellectus, concausa actus voluntatis, quia potentia est per se sufficiens causa, & adæquatum principium sui actus, ergo multò magis habitus, qui nō est simpliciter necessarius ad actū, non debet dici directe efficere simul cum potentia actum.

Tertia Conclusio. Habitus non concurrit ad actum efficiendo in actu modum aliquem, prętet substantiam actus. Ita Auersa loco citato, Ouiedo Con. 16. de Habitibus animæ Puncto 4. & alii multi.

Prob. Modus, qui efficeretur, vel esset intensio vel facilitas, sed nullus ex his potest ab habitu effici, ergo, &c. prob. min. quoad intensionem, hæc enim vel sit distincta ab actu, vel non, semper debet produci à causa efficiente actum, sed habitus, vt supra probauimus, non concurrit effectiuè ad actū eum propriè efficiendo, cum potentia sit de se sufficiens, ergo neq. ad intensionem, quæ illi potest tribui à causa principali .s. à potentia, prob. min. quoad facilitatem, nam hæc non reperitur in actu, sed in potentia, actus enim non est ille, qui dicitur facilis, sed agens, & potentia illa, quæ habet facilitatem ad operandum.

27 Quarta Conclusio. Habitus iuuat potentiam, & concurrit ad actum tanquam ratio quædam agendi. Ita Auersa loco supracitato cum Durando, & aliis supra citatis.

Explicatur Conclusio. Dicitur quòd habitus se habet, vt ratio agendi, ea enim est ratio agendi, quæ non directè influit in effectum, actionemq. producit, sed quæ est solum ratio, qua, vera causa exeat in actum, & operetur; cum ergo potentia qualiber habeat totam vim ad producendum actum, habitus se habet solùm, vt ratio, qua potentia faciliùs talem actum faciat.

Prob. autem primò. Authoritate Aristotelis secundò Ethicorum 6. vbi habet *virtus etiam ipsius hominis erit habitus, a quo bonus efficitur homo, & quo benè suum opus ipse reddet, efficietq.* in quo loco ex particula ly, *& quo benè* &c. colligitur, Aristotelē voluisse, habitū, ad actus solūmodo cōcurrere tāquam rationem, qua agat potentia, ergo &c.

Prob. 2. ratione. Datur huiusmodi ratio qua, simpliciter necessaria ad agendum, ergo potest etiam dari, qua solummodo faciliretur potentia ad operandum; antecedens patet in quibusdam actibus, sine quibus non possunt esse alii, vt in actibus cognitionis respectu actuum volitionis, qui non causant effectiuè actus subsequentes volitionis, sed se habent vt rationes, sine quibus necessariò tales actus subsequentes esse non possunt, consequentia prob. nam sub tali ratione cōsiderato habitu, habetur totum quod desideratur in potentia ab habitu .s. facilitas, potentia enim affecta tali qualitate, fit magis propensa, & procliuis ad operandum, vnde dicitur faciliùs, & prōptiùs operari, & hoc pacto habitus concurrit tanquam ratio promptiùs, & faciliùs operandi.

Prob. 3. Voluntas alacriùs, & faciliùs fertur in obiectum, quando vehementior, & efficatior est talis obiecti apprehensio, sed talis vehemens apprehensio non efficit actum voluntatis, sed solùm se habet, vt ratio, qua faciliùs voluntas feratur in obiectum, ergo ratio agendi est sufficiens ad facilitandam simpliciter potentiam, ergo habitus, vt ratio qua, potest facilitare potentiam.

28 Obiicies primò cōtra secundam conclusionem Habitus facilitat potentiam ad actum, ergo ad ipsum effectiuè concurrit: prob. consequentia, non enim ex supradictis concurrit disponendo potentiam passiuè ad recipiendos actus, ergo effectiuè concurrit simul cum potentia ad actus.

Resp. neg. consequentiam, & ad probationem dico, neq. disponere passiuè potentiam neq. cum ipsa concurrere effectiuè ad actus, nam cum potentia de se habeat totam vim effectiuam substātiæ actus, non indiget aliqua con causa, & comprincipio ad productionem eiusdem actus, benè quidē, vt faciliùs tales actus proniat, multùm illi prodest quòd sit affecta habitu, ratione cuius faciliùs operatur, sicq. habitus solum se habet, vt ratio faciliùs operandi.

Obiicies 2. Si alicui motori, qui sit sufficiens se solo eleuare lapidem, sed cum difficultate, accedat alius motor, cum minori difficultate primus eleuabit lapidem, & hoc vtiq. per concursum actiuum alterius motoris, ergo a pari, licet potentia sit sufficiens ad producendum se sola actum, ad faciliùs tamen producendum adiuuatur a concursu actiuo habitus.

Resp.

Resp. primò. Esse disparitatem; nam virtus vnius motoris non adiuuat, perficit, aut inclinat virtutem alterius motoris, sed ambo effectiuè, & directè operantur in lapidem, habitus verò, solùm perficit, & facilitat potentiam, quæ cum ex se habeat totam vim productiuã, solùm recipit perfectionem, & facilitatem ab habitu, non autem virtutem effectiuam, hæc autem perfectio, & facilitas est ratio qua faciliùs operetur.

Resp. 2. Argumentum potiùs probare nostram conclusionem .s. non concurrere habitum effectiuè ad substantiam actus, nam in tantùm primus motor subleuatur à labore à secundo motore, quia etiam secundus ex se habet virtutem mouendi lapidem; at habitus ex se sine potentia non habet virtutẽ ad producẽdum actum, ergo dicendum est, totam vim effectiuam esse in potentia, quæ postea ratione habitus, quo est affecta, faciliùs, & propensius operatur.

29 Ob. 3. Habitus inclinat potentiam ad actus similes illis, à quibus productus est, sed productus est quoad substantiã ab actibus, ergo etiã concurrit cũ potentia ad producendos actus quoad substãtiã.

Resp. neg. consequentiã vt non benè deductam ex premissis; non enim ex eo quia habitus inclinet potentiam ad actus similes illis, à quibus productus est, arguitur, eodẽ modo ipsum operari, ac fecerunt actus ipsum efformando, actus enim habent vim producendi habitum, quia verè introducunt suam speciem in potentia, qua potentia facilitatur, at habitus nullam habent vim producendi actus, cum tota habeatur à potentia, quare vt optimè aduertit Salas disp. prima sect. 2. potentia potest de se eumdem actum intensiorem elicere, etiã sine habitu, quem producit cum habitu, licet non cum tanta facilitate, & ideo habitus est solùmmodo ratio qua potentia affecta, vehementiùs, & faciliùs operatur.

Et hæc dicta sint de habitibus.

DISPVTATIO VLTIMA

De Scientia

TAndem vltimam disputationem aggredimur, quæ est de Scientia, hoc est de effectu emanante à tribus operationibus intellectus; cum ergo per præcedentes Disputationes, directionem earumdem operationum docuerimus, si etiam effectum à talibus benè directis emanantem in hac vltima demonstrabimus, tota logica docens breuiter erit expensa. Quare sit.

SECTIO I.

Quid sit Scientia, & quale eius obiectum.

1 SVpponendum primò. Dari scientiam, contra quosdam antiquos relatos ab Amico, qui de nullo obiecto dari sciẽtiã affirmabant, ex eo enĩ quia omnia continuè fluendo mutantur, de ipsis nihil certum, & euidens affirmari posse dicebant. Falsum est tamen, cum quilibet possit habere certam, & euidentem cognitionẽ se esse hominem, animal, sensitiuum, vnum &c. quæ omnes sunt cognitiones scientificæ.

Supponendum 2. Scientiam esse acquisitam de nouo, & non esse reminiscentiam, vt volebat Plato, tum quia opinio Platonis importat errorem in fide, dicebat enim, animas omnes creatas esse ante infusionem in corpora, & scientias omnium rerum tunc fuisse illis infusas, quas amittebant dum corporibus iungebantur, reminiscebantur verò postea, vel per studium proprium, vel per edoctionem præceptoris, qui error damnatus fuit sub Leone X. in Concilio Lateranensi; tum quia, multa de nouo cognoscimus, quæ nunquam sciuisse reminiscimur; tum quia, si reminisceremur obiecti, etiam reminisceremur actus, quo tale obiectum cognouissemus, cum tàm species obiecti, quã actus, æquè remaneant in memoria; at quando aliquid de nouo cognoscimus, non recordamur aliàs didicisse, ergo non est dicẽdum dari solam reminiscentiam, sed de nouo acquiri scientiam.

Supp. 3. Aliam esse scientiam actualem, aliam habitualem. Scientia actualis est cognitio actualis proueniens ab actuali demõstratione; habitualis non talis dicitur, quia sit habitus, sed est aggregatum diuersarum conclusionum scientificarum, quæ conseruantur in intellectu per suas species, in ordine ad vnum aliquod obiectum vniuersale, hic ergo definiemus scientiam actualem, ex ipsa enim definita, faciliùs erit deducere quid sit habitualis.

Prima Conclusio. Scientia *est cognitio intellectiua rei per causam, per quam ita res est, vt non possit aliter se habere*. Ita Aristoteles primò Posteriorum textu 5. & ferè communiter omnes. 2

Explicatur Conclusio, non enim indiget probatione. Dicitur *cognitio intellectiua* ad hoc vt excludantur aliæ cognitiones sensitiuæ; dicitur *per causam* quia scientia ita debet esse euidens, vt habeat causã talis euidẽtiæ, quòd euenit, quã do intellectus ex eo quia videt connexionem duorũ cum vno tertio, arguit connexionem inter se; dicitur *per quã ita res se habet &c* quia scientia debet esse necessaria, quæ necessitas se debet tenere tã ex parte obiecti cogniti, quod aliter se habere nõ potest quã ex parte act' ĩtellect', qui aliter cognoscere nõ potest; nec dubitare, ã res aliter se habere possit; si eñi dubitaret,

bitatet, nullo pacto haberet scientiam, & per hoc explicatur necessitas eius euidentiæ; hoc ergo pacto explicata scientia, diuersa possunt dari, circa quæ dari potest talis scientia, & hæc dicuntur obiecta scientiæ, quæ autem possint esse, ex sequentibus patebit conclusionibus.

Secunda Conclusio. Obiectum scientiæ potest esse ens reale, & etiam ens rationis; ita tamen vt ens rationis, neq. possit esse obiectum primarium, sed solùm secundarium, & si primarium, non scientiæ totalis, sed partialis, .s. conclusionis scientificæ. Est communis, quoad primã partem, quoad secundam, aliquorum recentiorum præcipuè Serbell. disp. 4. in Logica. 4. art6.

Prob. de ente rationis, de ente enim reali ab omnibus conceditur; Ens rationis est demonstrabile, per suam causam, sed quodcumq. est demonstrabile per causam potest esse obiectum scientiæ, ergo ens rationis potest esse obiectum scientiæ; ma. prob. de ipso enim potest probari existentia obiectiua, & passiones suo modo, ergo, &c. Aduerte tamen, quòd non est tàm perfecta scientia de ente rationis, quàm de ente reali, cum imperfectiùs sit obiectum, hoc tamen non facit, quin vtrobique sit cognitio euidens per causam, quæ est scientia.

Tertia Concl. Obiectum scientiæ potest esse tàm Substantia, quàm Accidens. Est ferè cõmunis.

Prob. Quia tàm de Accidenti, quàm de Substantia possunt demonstrari passiones, ergo, &c. tum quia de facto aliquæ dantur scientiæ, quæ habent pro obiecto Accidens, vt Mathematica, quæ habet pro obiecto Quantitatem.

3 Quarta Conclus. Obiectum scientiæ potest esse singulare, & corruptibile Physicè. Est quoad primam partem ferè contra communem.

Prob. Scientia datur de Deo, sed Deus est singularis, immò singularissimus, ergo scientia potest dari de singulari, & singulare potest esse eius obiectum, tum etiam, de Christo multa demonstrantur in Theologia, qui est singularis, ergo, &c.

Prob. 2. Syllogismus expositorius est per omnes syllogismus scientificus, & habet obiectum singulare, ergo obiectum scientiæ potest esse singulare.

Neq. valet dicere. Aristotelem hoc sæpe negasse. Negauit enim, vel de scientia naturali, & ideo non intellexit de suprema Theologia, vel de scientia totali; hæc enim, cum sit vniuersalis debet habere obiectum vniuersale, & nõ singulare, quòd & nos concedimus, ex quo tamen non sequitur, dari non posse demonstrationem euidentem per causam, quæ sit scientia, habeatq. obiectum singulare.

Prob. 2. pars. Scientia est cognitio euidens per causam, sed etiã de corruptibilibus potest dari cognitio euidens, &c. ergo corruptibilia possunt esse obiectum scientiæ; tum quia scientia est de rebus, quæ se habere aliter non possunt, sed corruptibilia, et talia secundùm sua prædicata essentialia aliter se habere non possunt, ergo de illis potest dari scientia tanquam de obiecto corruptibili: quando verò Aristoteles ait, de corruptibilibus non dari scientiam, intelligendus est, quòd obiectũ scientiæ debet esse incorruptibile metaphysicè, .s. quoad essentiam, & passiones, quæ necessariò, & ab æterno debent de ipso posse prædicari, non autem locutus est de corruptibilitate physica; corruptibilia enim physicè, quatenus talia, habent suam essentiam, saltem quoad existentiam, & contingentiam, quæ potest demonstrari, ergo, &c.

Quinta Concl. Obiectum scientiæ debet esse vnum per se, & de aggregato per accidens propriè non datur scientia. Ita ferè communiter, vt apud Morand. Tract. de scientia, quæ. secunda. 4

Prob. Quia scibile debet habere vnam essentiam, de qua demonstrentur passiones, sed aggregatum per accidens non habet vnam essentiam, ergo non potest esse scibile, & obiectum scientiæ; tum quia obiectum scientiæ debet posse vnica definitione definiri, quòd non potest fieri de ente aggregato per Accidens; potest tamen esse impropriè, si sumatur sub aliqua ratione communi, & vniuersali, secundùm quam possit esse cognoscibile, sic aliqua demonstrari possunt de aceruo lapidum, v. g. quatenus omnes lapides conueniunt in aliqua ratione cõmuni, & vniuersali, s. in esse lapidis; & sic de facto datur Arithmetica, & Musica, quæ cõsiderant obiecta aggregata per accidens sub vna tantùm vniuersali ratione.

Sexta Conclusio. Obiectum scientiæ non potest esse æquiuocum, benè quidem analogum, aut vniuocum. Ita ferè communiter.

Prob. Obiectum debet habere naturam aliquo modo vnam, vt possit tradere vnitatem scientiæ (de totali loquendo), sed æquiuoca quidditatem, & naturam habent diuersam, non vnam, ergo non possunt esse obiectum scientiæ. Analoga autem possunt esse, quia licèt non habeant omninò eamdem naturam, tamen non habent omnino diuersam; vniuoca verò possunt esse, quia habent omnino eamdem naturam, immò tantò perfectior erit scientia, quantò obiectum magis erit vniuocũ.

Quæres. Verũ de ratione scientiæ sit solùm euidentia, vel etiam sufficiat sola certitudo. 5

Notandum pro solutione quæsiti, nos supra dixisse, certitudinem esse firmam adhæsionem intellectus obiecto sine vlla formidine, quæ tamen prouenit ab aliquo extrinseco, scil. a testimonio infallibili dicentis; euidentia verò est firma adhæsio obiecto propter claritatem ipsius obiecti intellectui se se obijcientis, vt si quis, v.g. scit Pontificem esse Romæ, eo quia hoc illi dictum fuit à veridicis, hęc vocatur certitudo, si ipse postea de facto vidit ipsum Pontificem Romæ, vocatur euidentia; hoc supposito, sicq. accepta certitudine, quidquid dicant alij dari certitudinem intrinsecam, ex euidentia obiecti, quæ est potius euidentia, quàm certitudo.

Resp. quæsito. Esse solùm euidentiam de ratione scientiæ perfectissimæ, non verò certitudinem.

Prob. 1. Authoritate Aristotelis, pluribus locis in libris posteriorum demonstrantis, conclusiones debere esse ex præmissis immediatis, & per se notis ergo, & euidentibus.

Prob. 2. ratione. Scientia, est cognitio obiecti, ita ut aliter se habere non possit, sed cognitio quòd tale obiectum se aliter habere non possit, dari non potest, nisi euidẽter cognoscatur illud obiectũ,

ergo

ergo talis cognitio debet esse euidens, & non sufficit, quod sit certa; Consequentia prob. nam certitudo non facit, quòd intrinsecè cognoscatur obiectum, nec per consequens quòd cognoscatur aliter se habere non posse, hoc enim prouenit ab intrinseco obiecti.

6 Neq. valet. Theologiam esse veram scientiam, & tamen non habere euidentiam, cum innitatur principiis, vt reuelatis, solùm certis.

Resp. enim pro nunc, concedendo non esse scientiam tam perfectam, sed hoc diffusiùs tractabitur in prooemialibus Sacræ Theologiæ.

Colligitur primò. Quòd cum euidentia possit esse, & immediata .s. principiorum, & mediata .s. conclusionum, ad rationem scientiæ solùm requiritur cognitio mediata, scientia enim est conclusionum, non principiorũ, cum enim debeat esse cognitio per causã, & principia non habeant causam per quam demonstrentur, ideo solùm requirit euidentiam mediatam, cognitio verò principiorũ est potiùs cognitio naturalis ipsius intellectus, non scientia.

Colligitur. 2. ab Aristotele dici primò metaphysicorũ cap. secundo, scientiã esse, gratia sui, ex eo quia secundùm suum esse formale, est solùm cognitio in ordine ad obiectum, nec vt talis cognitio, ad aliud ordinatur, sed in se ipsa sistit.

SECTIO II.

De specificatione Scientiæ.

7 SVpponendum primò. Dari scientiam partialem, & scientiam totalem; scientia partialis est quælibet conclusio de quocumq. obiecto, totalis verò, est quę complectitur collectiuè plures conclusiones, & demonstrationes habentes inter se aliquam connexionem, talis est Logica, Physica, &c. modo inquirendum est, quonam pacto hæ scientiæ totales distinguantur, cũ hæ totales ex ipsis partialibus constituantur, easq. contineant.

Supponendum 2. Vt ex prooemialibus, dari obiectum materiale, & formale; materiale est circa quod versatur scientia tanquàm circa materiam, formale est illud, sub quo obiectũ materiale attingitur à scientia, sic obiectum materiale medicinæ v. g. est corpus, sanabile verò, est obiectum formale, quia à medicina attingitur corpus sub ratione sanabilis.

Supponendum 3. Antiquorum fuisse opinionẽ nullo pacto distingui scientias, sed vnicam solùm scientiam totalem dari, quæ pro obiecto haberet omne cognoscibile, & solùm ex hominum placito inuentas fuisse distinctiones inter hanc, & illam scientiam; hancq. sententiam sectatus etiam fuit Mirãdulanus lib. tertio de uersione singularis certaminis, sectione sexta, & septima, contra tamen cõmunem, asserentem distinctionem scientiarum factam fuisse, non ex mero hominum arbitrio, sed spectata distinctione, & cõuenientia rerum, & distincta ratione obiectorum, quòd etiam deducitur ex Aristotele 1. posteriorum cap. 23. modo inquirendum est, à quo debeat desumi talis distinctio.

Alij enim dixerunt, desumendam esse à diuersa abstractione à materia, quæ vt à Thomistis huius sententiæ sequacibus explicatur, est ratio sub qua quælibet res consideratur, quę ratio non est nisi conditio, quæ conuenit rei, non prout est in se, sed prout intellectui obijcitur; cum enim intellectus, vt spiritualis, semper intelligat per abstractionem à materia, ad differentiam sensus, qui attingit res sensibiles prout concretas in materia, ideo quidquid est intelligibile, dicunt ipsi, distinguitur per diuersam abstractionem à materia, quæ abstractio cum triplici modo possit esse, ideò solùm triplicẽ distiguũt sciẽtiã; vel enĩ abstractio est à materia signata, & singulari, non verò à sensibili, & intelligibili, vt quando abstrahitur homo à Petro, & Paulo, & hac abstractione constituunt scientiam Physicam, quæ considerat materiam, & sensibilem & intelligibilẽ, sed sub rationibus vniuersalibus; vel abstractio est nedum à materia signata, sed etiam sensibili, non verò ab intelligibili, vt quando cognoscitur quantitas abstracta ab omnibus qualitatibus, quæ sensibus percipi possunt, & hac abstractione constituunt scientiam Mathematicã, quæ considerat materiam, & quantitatem prout est intelligibilis, & vniuersalis, non autem prout est alba, calida, &c. vel abstractio est ab omni materia tum signata, sensibili, & intelligibili, vt ens vt sic, Deus, Angeli & hac abstractione constituunt scientiam Metaphysicam, quæ considerat omnia abstracta à qualibet materia.

Alij affirmant, distinctionem scientiarum sumendam esse ex diuersitate obiectorũ, tũ materialium tum formalium, ita vt quotiescumq. vna scientia totalis habet diuersum obiectum, & materiale, & formale, ab obiecto alterius, ab illa distinguatur.

Alij dixerunt, distingui, & specificari scientias ex distinctione principiorum, ita vt illæ scientiæ sint distinctæ, quæ habent diuersa principia, per quæ probantur, & in ipsis continentur omnes veritates illius scientiæ.

Alij tandem affirmarunt, ex diuerso modo tendendi in obiectum, diuersificari scientias. Quænam verò ex assignatis rationibus sit vera causa specificationis scientiarum, hic successiuè est videndum.

Prima Conclusio. Distinctio, & specificatio scientiarum non prouenit ab abstractione à materia. Est contra Thomistas omnes. 8

Prob. 1. Intellectus attingit quodcumq. obiectum per abstractionem à materia, non obiecti terminãtis cognitionẽ, sed speciem talis obiecti, sed hæ species sunt semper spirituales, & summam abstractionem habent à materia, sint de quocumq. obiecto, ergo per talem abstractionem non possunt diuersificari scientiæ; maior est certa, intellectus enim non abstrahit obiectum, sed species obiecti, & obiectum est intentionaliter in intellectu solùm per species, min. con. ab omnibus in Physicis, ergo ualet consequentia; nam cũ semper sit eadem summa abstractio, per talem nõ possunt diuersificari scientiæ.

Prob. 2. Theologia per aduersarios est vera scientia, sed in aliquibus conclusionibus non abstrahit à materia singulari, ergo assignata distinctio scientiarum non est sufficiens, min. prob. nam demonstrat conclusiones de hoc numero Christo, de hac numero carne, &c.

Prob. 3. Arithmetica etiam per Aduersarios est vera scientia partialis, integrans vnam totalem .s. Mathematicam, sed hæc aliquando abstrahit ab omni materia; ergo per abstractionem diuersam à materia non specificantur scientiæ, min. prob. quia numerus ternarius, senarius Angelorum spectat ad Arithmeticam, & tamen abstrahit ab omni materia; tùm Metaphysica non perfectè abstrahit ab omni materia, cum agat de ente materiali, & spirituali; tum etiam Mathematica non abstrahit semper à materia sensibili, cum agat de numeris, qui, vt diximus, sunt ipsa indiuidua; tum etiam, quia potest dici, Physicam abstrahere obiectum à materia sensibili, vt consideret materiam denudatam omni sensibili accidente, ergo à primo vsq. ad vltimum clarè deducitur, non à diuersa abstractione à materia desumendam esse specificationem scientiarum.

9 Secunda Conc. Neque prouenit distinctio specifica scientiarum à diuersitate principiorum. Videtur esse contra Aueroem, Themistoclem Philoponum, & alios plures primò posteriorum cap 23., & etiam contra aliquos Thomistas, & etiam Scotum in prologo quæst. 1. ad secundum, Durandum, & alios.

Prob. Si ratione diuersorum principiorum distinguerentur scientiæ totales, sequeretur vnam scientiam esse distinctam ab alia, & non esse distinctam, sed hoc non est dicendum, ergo neq. &c. Sequela probatur, nam eadem scientia immò cóclusio particularis potest demonstrari, & per propria prícipia, & per prícipia alterius scientiæ, vt patet ex sequenti demonstratione physica deducta ex principijs proprijs. & ex mathematicis, *materia se habet per modum determinabilis, compositum per modum determinati. sed quod se habet per modum determinabilis minus est, quam quod se habet per modum determinati. ergo materia minor est composito*. & per principia Mathematica hoc pacto *pars est minor toto, sed materia est pars compositi, ergo est minor composito*. Ecce ergo quomodo ex diuersis principijs deducitur eadem conclusio; dicédum est ergo non à diuersitate principiorum desumendam esse diuersitatem scientiarum.

10 Neque valet dicere. Ea prícipia specificare vnam scientiam, quæ, licet sint materialiter diuersa, concurrunt tamen in aliqua ratione respectu vnius scientiæ.

Resp. enim. Ex hoc argui non principia esse causam distinctionis scientiarum, sed eam rationem in qua concurrunt, quæ erit obiectum formale, qua. re &c.

11 Tertia Conclusio. Obiecta tàm materialia, quàm formalia distinguunt scientias, per accidens tamen, & materialiter, non intrinsecè, & essentialiter. Est aliquorum, contra multos.

Prob. 1. Actus eo modo distinguuntur, quo potentiæ, sed potentia intellectiua non distinguitur nisi materialiter, & per accidens ab hoc, vel ab illo obiecto, ergo actus scientifici potentiæ intellectiuæ non distinguuntur nisi materialiter, & per accidens ab hoc, vel ab illo obiecto, mai. est certa, nam dicitur talis actus, putà visiuus, quia à tali potentia .s. visiua producitur, min. patet, non enim distinguitur potentia intellectiua, quia respicit corpus mobile, sanabile, ens, Deum, &c. ergo, &c.

Prob. 2. Specificatiuum, & distinctiuum debet esse intrinsecum, sed obiecta sunt extrinseca actibus scientificis, ergo non possunt esse illorum specificatiuú essentiale, ergo si distinguũt sciétias, hoc solùm per accidens faciunt, mai. prob. nam pertinet ad essentiã rei specificatæ, hoc autem non possunt præstare obiecta extrinseca, ergo, &c.

Confirmatur. Actus non dicuntur sani, quia versentur circa sanabilitatẽ, mobiles quia circa mobilitatem, &c. ergo euidens signum est, obiectum extrinsecum non specificare, seu distinguere actus, ergo neq. scientias.

Neq. valet dicere. Obiectum concurrere ad constituendum actum, ergo posse, & ipsum specificare.

Resp. enim. Obiectum concurrere ad constituendum actum materialiter, non formaliter .s. præbendo materiã, circa quam actus produci possit; esse autem formale tribuitur actui, & à potentia, & à modo tendendi in obiectum; quod clarè probabitur, & diffusiùs suo loco in Physica.

Quarta Conclusio. Scientiæ specificantur formaliter à modo tendendi. Ita Auersa in sua Logica quæst. 27. sect. 9 de specificatione scientiæ, & multi alij. 12

Prob. 1. Actus formaliter specificantur à modo tendendi in obiectum, sed scientia est actus scientificus, ergo, &c. mai. pr. prima enim apprehensio, v.g. distinguitur formaliter à iudicio, & discursu, non quia obiectum sit diuersum, sed quia in illud diuerso modo tendit, ergo, &c.

Prob. 2. Formaliter constitutiuum est etiam distinctiuum, sed scientia formaliter constituitur ex hoc. quod sit cognitio euidẽs per causam, ergo cognitio euidens per causam debet esse distinctiuum, ergo à diuerso, vel eodem modo cognoscendi, arguenda est distinctio, & specificatio scientiarum.

Quare, cùm eodem modo omnes scientiæ tendant in sua obiecta, illa .s. cognoscendo per causam, & demonstrationem, ideo formaliter, & intrinsecè non multiplicantur scientiæ, sed solùm materialiter, & extrinsecè, respectu obiecti extrinseci, & hoc dicitur. ne cum defitientijs actualibus, sed de totalibus.

Collig. 1. scientias solummodo inter se distingui materialiter ratione diuersitatis obiectorum materialium, & formalium, ad quæ dicunt ordinem, formalitas enim, sub qua consideratur ab aliqua scientia obiectum materiale, est causa solius distinctionis inter obiecta, & sic per mobilitatem distinguitur corpus obiectum Physicè, à corpore obiecto Mathematicæ ab ipsa considerato, vt mensurabili, nam sicut diuersa, & distincta obiecta materialia

rialia non specificant, & distinguunt diuersos actus in vna materiali potentia, quia talis potentia æquè eodemq. modo in omnia tendit, ita nec diuersa obiecta formalia debent distinguere, & specificare actus in vna potentia intelligibili, quando eodem modo in illa tendit, eodem enim pacto, quo se habent diuersa obiecta materialia respectu potentiæ materialis, se habent & formalitates respectu intellectiuæ.

13 Collig. 2. Scientiam totalem non esse simplicem qualitatem; tum quia quælibet conclusio scientifica, habet suum speciale obiectum, quod se habet tanquam materia respectu actus intellectus, sed vbi est multiplex materia, ibi etiam est multiplicitas vnitatum, ergo quælibet conclusio est distincta ab alia, & sic non potest efformare simplicem qualitatem; tum quia vna conclusio scientifica non auget neque perficit aliam conclusionem scientificam, sed quælibet qualitas per suos gradus augetur, vt v.g. quantò magis ignis calorem producit, tantò magis calor augetur, ergo scientia non est simplex qualitas, tum denique quia vltimus gradus vnius qualitatis non potest esse sine primo, v.g. vltimus gradus caloris vt octo, non potest esse sine primo, at vltima conclusio scientifica potest esse sine prima, ergo à primo ad vltimum scientia totalis non est vna simplex qualitas.

Colligit. 3. Neq. scientiam totalem esse habitū, habitus enim facilitat potentias ad operandū, sed scientia non facilitat intellectum ad operandum, ergo non est habitus, min. prob. nam intellectus necessitatur ad assentiendum cuilibet conclusioni scientificæ; tum quia, quò magis multiplicantur actus, eò magis augentur habitus, sed quò magis multiplicantur præmissę, non augetur conclusio, cum semper habeat omnem euidentiam, ergo scientia non est habitus; tum quia habitus adiuuat operationem potentiæ, sed scientia est post ipsam operationem, si quidem est effectus operationis intellectiuæ, ergo à primo, vsq. ad vltimum scientia totalis non est habitus.

Colligitur. 4. Scientiam totalem nihil aliud esse, quàm aggregatum diuersarum conclusionum scientificarum, quæ conseruantur in intellectu per suas species in ordine ad vnum aliquod obiectum vniuersale.

Deducitur ex dictis, cum enim vna conclusio non ordinetur ad aliam, neq. augeat aliam, remanet dicendum, omnes conclusiones esse in intellectu tanquam vnum aggregatum per accidens, in ordine tamen ad vnum obiectum vniuersale, ratione cuius vnum aggregatum distinguitur materialiter, & per accidens ab alio aggregato, vt supra diximus.

Neq. per hoc sequitur, scientiam totalem esse habitum, cum sint species conseruatæ in potentia, sicuti habitus, est enim responsio, habitus esse species operationum, quæ remanent in potentia habente habitus, scientia verò importat species obiectū, per operationes intellectus repræsentati, quare est differentia inter scientiam, & habitum, vt consideranti patebit.

SECTIO III.

Vtrum scientia sit nedum speculatiua, sed etiam practica.

LIcet Communiter cum Arist. 2. metaphysicorum tex 3. diuidatur scientia in speculatiuā, & practicam, cum tamen aliquæ difficultates in assignanda scientia practica insurgant, ideò hoc melius discutiendum, nec communi subscribendum sententiæ, existimaui, quare. 14

Notandum est primò. Secundum Aristotelem loco citato, & ferè communem Peripateticum sequentem, eam esse scientiam speculatiuam, quæ non tendit ad operationem, sed in se ipsa sistit, & non habet alium finem, quàm ipsum scire, & cognoscere veritatem, illam verò scientiam esse practicam, quæ ordinatur ad operandum, seu ad exercendam aliquam operationem præter ipsam scientiam, v. g. cognoscere hoc vel illo modo, hanc vel illam medicinam applicandam esse tali corpori infirmo, dicitur scientia practica, quia ordinatur ad operationem, cognoscere vero causam quare talis medicina sit applicāda, dicitur scientia speculatiua, quæ in se sistit, nec ordinatur ad opus quantum est in se.

Notandum 2. Ab aliis eam appellari scientiam speculatiuā, ad quam nulla consequitur operatio, nec eius obiectum est operabile; illam verò practicam, quæ versatur circa obiectum operabile, & operabili modo, considerando .s. regulas, præcepta, modum operandi, & sic v. g. scientia considerans regulas, & præcepta ædificandi domum vocatur practica, considerans verò causam talis ædificationis, vocatur speculatiua. Hoc notato sit.

Prima Conclusio. Cognitio considerans obiectum operabile, non debet dici practica, benè verò talis dicitur, considerans illud operabili modo. Est D. Thomæ prima parte, quæstione 14. Art. 16. Auersæ in sua logica quæstione 27. lectione prima de scientia. 15

Prob. prima pars. Specificatiuum debet esse intrinsecum rei specificatæ, sed obiectum est extrinsecū cognitioni, ergo nō potest esse eius specificatiuum, ergo quod sit operabile non facit cognitionem practicam, ma. & min. sunt certæ, ergo, & consequentia.

Prob. Si operabilitas obiecti specificaret scientiam practicam, nulla daretur scientia speculatiua, sed hoc est contra omnes, ergo, &c. sequela prob. nam omne obiectum est operabile, saltem ab intellectu .s. intelligibile.

Prob. secunda pars. Modus operandi, ex dictis & ex probandis in physica, specificat operationes, ergo cognitio obiecti operabilis operabili modo specificat ipsam cognitionem, & practicam facit.

Secunda Conclusio. Scientia rigorosè loquendo est solùm speculatiua, & non practica, ita vt quælibet praxis excludatur à ratione scientiæ. Videtur 16

detur esse Sanchez in sua logica pat. 3. quæstione 4. Valli secundò posteriorum disp. 4. parte 3. quæstione 4. contra communem.

Prob. primò. Scientia est cognitio rei per causam &c. sed tendētia intellectus in rē operabili modo, seu cognitio practica, non est cognitio rei per causā, ergo tendētia intellectus in rē operabili modo, seu cognitio practica, non est rigorosè scientia, maior ex Aristotele, & communis est certa; prob. min. tum quia ipsa actualis, & operatiua demonstratio non est scientia, vt supra diximus; sed quod resultat ab ipsa, cum scientia sit effectus demonstrationis, tum quia tendentia in obiectum operabili modo est traditio regularum, & præceptorum, quibus tale obiectum est operabile, ergo patet consequentia, nam scientia de suo formali nullo pacto tendit in operationem;

Prob. 2 sciētia est cognitio obiecti per causā .f. per demonstrationem passionum essentialium, sed huiusmodi non est scientia, quàm vocant practicam, ergo non datur scientia, quæ possit dici practica; ma. ex definitione patet; min. prob. nam v. g. scientia domifactiua non demonstrat passiones de subiecto, sed solùm habet docere quomodo construatur domus. ergo &c.

Prob. 3. Scientia se habet circa obiectum resolutiuo modo .f. illud resoluendo vsq. ad prima principia indemonstrabilia, sed practica versatur circa obiectum compositiuo modo, vel docendo quomodo forma sit introducenda in materia, vel quomodo aliqua operatio sit facienda, ergo nullo modo scientia potest esse practica, consequentia patet, nam differunt in essentialibus .f. in modo operandi.

17 Obicies. Cognitio practica etiam ipsa demonstrat suum obiectum per demonstrationes practicas; sed quotiescumq. habetur demonstratio, habetur scientia, ergo etiam practica cognitio est scientia.

Resp. distinguendo mai. Demonstrat passiones & essentiam obiecti, & nego, operationes, & con. de ratione autem scientiæ est demonstrare passiones, & essentiam. quare definitur cognitio rei, ita vt aliter se habere non possit, demonstrare autem operationē obiecti, nihil aliud significat nisi tradere præcepta, & regulas, quibus tale obiectum possit operari, & sic, licet ars domifactoria doceat hoc vel illo modo ædificandam esse domum, non per hoc tamen demonstrat passiones, & essentiā domus, quòd est proprium scientiæ.

Colligitur ex dictis. Omnem scientiam esse speculatiuam, licet enim aliqua speculetur obiectum operabile, non per hoc ipsa euenit practica, cum obiectum sit extrinsecum, nec habeat vim specificandi ipsam scientiam, quo posito, multæ aliæ euacuutur quæstiones, quas innixi contrario fundamento variè, & inutiliter defatigantes ingenia, texunt authores.

SECTIO IV.

De Diuisione Scientiæ In subalternantem, & subalternatam.

NOtandum primò. Communiter cum Aristotele diuidi scientias in subalternantes, & subalternatas; scientia subalternans ea appellatur, quæ habet sub se aliam scientiam; subalternata verò, quæ subalternanti scientiæ subiicitur, vt v. g. medicina dicitur subalternata physicæ, physica verò est subalternans respectù medicinæ; modo quærendum est, vtrum danda sit talis subalternatio. 18

Notandum 2. Ad veram subalternationem communiter 4. conditiones requiri: prima est, vt obiectū scientiæ subalternatæ cōtineatur sub subalternāte, non solùm materialiter, sed etiam formaliter; secūda est, vt principia subalternatæ probētur à subalternante, tertia, vt scientia subalternata addat aliquam differentiam accidentalem super obiectum subalternantis; quarta deniq. est, vt obiectū subalternantis, & subalternantæ aliquo modo sit idem, & aliquo modo non sit idem.

Vnica Conclusio. Datur subalternatio, saltem materialis, inter scientias, ita vt aliquæ sint subalternantes, aliquæ subalternatæ. Est communis cum Aristotele.

Prob. Dantur cognitiones scientificæ dependentes ab aliis conclusionibus scientificis, sed hoc importat subalternationem in scientiis, ergo dantur scientiæ subalternatæ, & subalternantes; maior prob. nam medicina v. g. considerat corpus sanabile, quod etiam est mobile, quod consideratur à physica, cui subalternatur, sic Chirurgia definit vulnus circulare v. g. difficiliùs esse sanabile propter principiū probatum in Geometria, cui in hac ratione subalternatur, quòd .f. cum latera circuli magis distent, difficiliùs coniunguntur, ergo &c.

Aduerte tamen, dixisse in conclusione, dari talem subalternationem materialiter, nam cum detur, vel ratione principiorum, vel obiectorum, & ratione istorum scientiæ inter se solùm distinguantur materialiter, ita etiam solùm materialiter possunt dicere subalternationem.

Quæres. Quænam sint scientię subalternantes, & subalernatæ. 19

Resp. cum Vallio quæst 9. part. 4. disp. 4. de scientia, Logicam, Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam propriè, & rigorosè loquendo inuicem non subalternari, eo quia habeant, & principia, & obiecta omninò diuersa, esse tamen subalternantes omnes alias scientias; sic Medicina subalternatur Physicæ, Geometria Mathematicæ, &c. Hæ autem scientiæ subalternatæ possunt etiā ipsæ esse subalternantes respectu aliarum, sic Arithmetica quæ subalternatur Mathematicæ, subalternat, Musicam; Geometria quæ pariter subalternatur Mathematicæ subalternat chirurgiam, quæ omnia consideranti clara, & aperta sunt, nec prolixa indigent explicatione.

SEC-

SECTIO V.

Vtrum scientia, opinio, & fides possint esse simul.

20 SVpponendum primò. Opinionem esse assensum intellectus cum quadam formidine de opposito, quem tamē probabili impulsus ratione exhibet, quare à ratione opinionis excluduntur errores omnes, & etiam cognitiones certæ & euidentes; definitur autem ab Aristotele, quòd sit *assensus propositionis non necessariæ*, ly autem *non necessaria* non intelligendum est ex parte obiecti, sed ex parte cognitionis, ita vt intellectus cognoscat obiectum, tanquam non necessariò, quia etiā de obiecto necessario potest dari opinio, cum ab intellectu non cognoscitur necessitas.

Supponendum 2. Fidem esse assensum alicuius propositionis ob solam authoritatem dicentis; duplex autem est, alia naturalis, quæ innititur authoritate humana, alia supernaturalis, quæ diuina; fides naturalis semper fallibilis est, quia physicè quilibet homo potest mentiri, supernaturalis verò non est fallibilis, sed certa, quia Deus nullo pacto potest mentiri. His suppositis. sit.

Prima Concl. De eodem obiecto, eodem modo sumpto, siue per idem, siue per diuersum medium nō possunt simul esse actualiter opinio, & scientia, neq. fides, & sciētia. Est D. Thomæ in fine posteriorum, & prima. 2. quæst. 67. Art. 2. Scoti primò posteriorum quæst. vltima. & aliorum, quos citat, & sequitur Morandus in sua logica. tractatu de scientia quæstione vltima. contra Vallium. & alios.

Prob. Scientia est cognitio essentialiter certa, & euidens, & ideò de obiecto necessario, opinio verò, & fides (loquendo de humana, de diuina videant Theologi) sunt cognitiones incertæ, & ineuidentes, ergo in eodem intellectu de eodem obiecto, simul esse non possunt scientia, & fides, scientia, & opinio; conseq. pr. quia de eodē subiecto non possunt duo contradictoria verificari, sed hoc esset in hoc casu, siquidem opinio, & fides reddunt scientem formidolosum, ineuidentem, & incertum. scientia verò certum, & immobiliter adhærentem obiecto, ergo &c.

Cofirmatur; quia cognitio scientifica est talis, vt res cognita aliter se habere non possit, ergo de illa non potest esse formido, ergo neq. fallibilis esse debet, ergo adueniente tali cognitione scientifica, nullo pacto potest esse opinio, & fides, quæ important formidinem; & fallibilitatem.

21 Obiicies primò. Possunt duæ qualitates contrariæ, saltem in gradu remisso, manere in eodem subiecto, v.g. calor, & frigus in aqua, ergo etiam opinio, & scientia, fides, & scientia in eodem intellectu; consequentia prob. nam si aliqua esset ratio cur simul esse non possent, esset, quia important actus oppositos .s. cognitionem incertam, & certam, sed hę diuersæ cognitiones possunt conseruari, sicut qualitates, ergo &c.

Resp. neg. consequentiam, & ad probationem dico, Calorem, & frigus posse reperiri in gradu remisso in eodem subiecto, quia cum sint in gradu remisso, non habent vim se inuicem expellendi, hoc autem non euenit in casu nostro, nam cum scientia excludat omnem formidinem, & incertitudinem, posita scientia in vno intellectu de vno obiecto, nullo pacto potest in illo reperiri formido, ineuidentia, & incertitudo, neq. per conseq. quenis opinio, & fides,

Obijcies 2. Potest quis præbere assensum alicui propositioni, ex eo, quia a sapiente fide digno illi sit proposita vt certa, & ex eo quia de ipsa habeat euidentiam, sed in hoc casu, circa eamdem propositionem habebit fidem, & scientiam, ergo, &c.

Resp. neg. min. Nam cum intellectus videt clarè, & euidenter obiectum propter necessariam connexionem prædicati cum subiecto, non amplius mouetur ad illi assentiendum propter authoritatem dicentis, sed necessariò cogitur in assensum ratione euidentiæ, ergo nullo pacto habet tunc fidem de illo obiecto, nam fides importat aliquam ineuidentiam, quæ tunc in tali intellectu nullo pacto reperitur.

Secunda Conclusio. Possūt conseruari in eodem intellectu de eodem obiecto, scientia, fides, & opinio, sed non eodem tempore exerceri actus, scientiæ, fidei, & opinionis. Est D. Thomæ pluribus in locis, & præcipuè tertia parte quæst. 9. artic. 3 ad secundum, contra Scotum in tertio, distinctione 25 quæst. vltima. 22

Prob. 1. Tota contrarietas, & repugnantia se tenet ex parte actuum, ergo quotiescunq. non erunt actus, poterunt conseruari in eodem intellectu, & de eodem obiecto, scientia, opinio, & fides: consequentia pt. ipsa experientia, nam licèt quis habeat scientiam impressam, & radicatam in potentia per species de aliquo obiecto, potest tamen aliquando de tali obiecto habere solùm aut opinionem, aut fidem.

Prob. 2. In intellectu conseruatur vis, & potentia ad oppositum, ergo possunt etiam conseruari scientia, opinio, & fides, quæ producunt actus oppositos, antecedens pr. nam potest assentiri, & dissentiri eidem obiecto, licèt non eodem tempore, conseq. pr. nam omnis implicantia tollitur ratione diuersitatis temporis.

Obijcies 1. Habitus fidei, & habitus luminis gloriæ non possunt esse simul in intellectu Beati, quia vnus est clarus, alter obscurus, ergo ita dicendum de opinione, & scientia, de fide, & scientia. 23

Resp. neg. causalem antecedentis. Non enim non possunt esse simul ratione claritatis, & obscuritatis, sed quia cum status Beatitudinis sit perfectissimus, excludit omnem imperfectionem, tum propter alias rationes à Theologis suo loco allatas.

Obijcies 2. Opinio, & scientia opponuntur tanquam perfectum, & imperfectum, ergo non possunt esse simul in eodem subiecto.

Resp. neg. conseq. Quia perfectum, & imperfectum possunt esse in eodem subiecto habitualiter, quia sunt per modum potentiæ, non repugnat

autem

autem in eodem subiecto potentia ad actum perfectum, & ad actum imperfectum, vt patet in voluntate, & in alijs potentijs vitalibus, ergo, &c.

Colligitur. Quòd possunt etiam stare in eodem subiecto, & de eodem obiecto, actus scientiæ cum habitu opinionis, & fidei, vel actus opinionis cum habitu (vt cum communi loquar) scientiæ, & ratio est, quia actus solummodo opponuntur, ergo quotiescumque non datur simultas actuum, potest stare actus vnius, cum habitu alterius.

Et hæc dicta sint de hac disputatione, & de vniuersa Aristotelis Logica, ad laudem Dei Omnipotentis, Beatæ Mariæ Virginis, B. Caietani, &c.

LAVS DEO.





IO. BONIFACII BAGATTA VERONENSIS,

CLER. REG.

DISPVTATIONES IN Octo Libros Physicorum ARISTOTELIS

PROOEMIVM.

IAM tamdem Philoſophiam naturalẽ ingredimur, vſq. adhuc, Logicam expendentes, per difficiles, & moroſas deſudauimus diſputationes, nunc rerum omnium naturalium eſſentias, & paſsiones, facili, & curioſo rimabimur greſſu; ad intellectum ſpectantia, ſubtilibus, implicatiſq. fuerunt elucidata quæſtionibus, modò res ipſæ clarè, ipſiſq. ferè, vt ita dicam, patebunt oculis. Philoſophiã appellauit Plato aſsimilationem hominis cum Deo, quia per ipſam homo aliquo pacto ſicuti Deus, congoſcit res omnes, illarumq. eſsentias, Hanc Ariſtoteles cognitionem rerum, quà res ſunt in ſe, vocauit, quia res vt ſunt in ſe, facilis ſtudij eſt cognoſcere.

Per hanc igitur non tàm Studiorum causa, quàm animum leuandi ergo, excurremus; & quia Physica, prima illius pars à Philosophis assignatur, hanc & nos primò trademus, quasdam præmittentes Prologomenas quæstiones, clarè, & apertè demonstrantes, Quid nomine Philosophiæ intelligatur, Quomodo diuidatur, Quid sit Physica, Quid sit eius obiectum.



PROLOGOMENON PRIMVM.

PROLOGOMENON I.

De nomine Philosophiæ, eiusque Diuisione.

1 PHilosophia Græcum est nomen ex duobus pariter græcis nominibus compositum φίλος nempè, & σοφία idemq. significat ac amor sapientiæ, hoc autem vocabulũ primò à Pythagora fuit inuentum, cum enim aliquando apud Leontium Regem rectè. & sapienter disputasset, essetq. interrogatus cuiusnam scientiæ, aut artis esset sectator magna modestia Respondit, se non esse σοφὸν id est sapientem, benè quidem φιλόσοφον id est amatorem sapientiæ ; Hinc talis vocabuli inuentio tam omnibus placuit, vt deinceps sapiẽtes non σοφοὶ, sed φιλόσοφοι id est amatores sapientiæ vocarentur : quare φιλοσοφία idem est, ac amor sapientiæ.

Licet autem tale nomen inuentum fuerit à Pythagora, ante ipsum tamen philosophicæ scientiæ homines incumbebant, quæq. in in ea tractantur ab ipsis demonstrationibus scientificis perquirebantur, & licèt illius inuentores crediderit Aristoteles, fuisse Græcos, & præcipuè Taletem, vnum ex septem Sapientibus, falsum ab omnibus comprobatur, cum etiam ante Græcos, & Taletem fuerint homines omni Sapientia, & Philosophia ornati, quare dicendum est, Philosophiam primis parentibus fuisse inditam, & ex illis, in cœteros propagatam, qui eam verò publicè docuerunt, certaq. disposuerunt methodo, hi fuerunt Philosophi Græci Tales. s. & Pythagoras, deinde Plato, postea Aristoteles.

2 Huius antè philosophiæ varias tradiderũt diuisiones antiqui Philosophi, quas videre est apud doctissimum, & subtilissimum nostrum Pasqualigum tom. 1. Metaphysicæ disput. 3. sect. prima, & sequẽtibus. Vera tamen, & immediata diuisio, ea est quam refert, licet non amplectatur, idem Pasqualigus eodem loco, sectione tamen 3. estq. Stoicorum, Platonicorum, & aliorum tam veterum, quàm recentiorũ, & præcipuè Conimbricensiũ in proœmio ad libros Physicorũ, qui omnes trimembrem philosophiæ tradunt diuisionem, eam. s. diuidendo in Naturalem, Moralem, atq. Logicam, seu Rationalem; cum enĩ Philosophia ordinata sit ad speculationem omnium rerum prout sunt secundùm propriam naturam, ad ciuilem vitam moresq. instituendos, & ad verum à falso discernendum; ideò Naturalem, ad res omnes intra ordinẽ naturæ speculãdas, Moralem, ad vitam ciuilem instituendam, Rationalem tandem, seu Logicam, ad intellectum illustrandum, ordinatas esse dixerunt. Et quamuis aliqui ex recentioribus, inter quos Pasqualigus loco citato Peripateticos sequẽtes, Logicam affirment non posse esse membrum diuidens, cum includatur sub alio membro. s. sub Philosophia naturali, cum in logica naturæ rerum cognoscantur, falsum tamen patet esse, nam licèt logica speculetur naturas rerum, non tamen eas speculatur vt naturæ sunt, sed vt scibiles, sed vt ex ipsis sunt generabiles conclusiones, ex quo deducitur, diuersam esse logicam (ea tamen diuersitate, qua diximus in disp. de scientia) à philosophia naturali, cum sit diuersum obiectum formale logicæ, ab obiecto formali philosophiæ naturalis.

Diuisa est insuper ab Antiquis, & recentioribus Philosophis tota Philosophia in Speculatiuam, & 3
Practicam; Naturalis enĩ, & speculatur naturas rerum, vt facit Physica, & etiam dirigit ad opus, vt Medicina; Logica, & speculatur essentiam obiecti scibilis, vt facit Logica Scientia, & tradit modum quomodo deducendæ sunt conclusiones demonstratiuæ, vt Logica docens, Moralis tandem. s. ferè semper sit practica, vtpotè ordinata ad opus, ad instituendos. s. mores, vitam ciuilem componendam, vt fit per Ethicam, Politicam, Oeconomicam, mẽbra in quæ subdiuiditur, huiusmodi pars Philosophiæ, tamen aliquo etiam pacto potest dici speculatiua, quatenus speculatur rationem taliter, vel taliter instituendi mores; ex quo clarè patet benè totam Philosophiam diuisam esse in practicam, & speculatiuam.

Iam ergo explicata Logica, & Philosophia morali, Philosophis moralibus relicta, sola naturalis, & hæc Speculatiua à nobis erit explicanda, quæ etiam ipsa secundùm communiorem doctrinã ferè omnium Philosophorum, & præcipuè Aristotelis 6. Metaphisicæ tex. 2. Platonis, Boetij, & aliorum, quos refert, & sequitur Pasqualigus tom. 1. Metaph. disp. 7. sectione 1. tripliciter diuiditur. s. in Physiologiam, seu Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam. Huius autem diuisionis ratio assignatur optima ab Alberto Magno primò Physicorum tractatu 1. cap. 1. quia res omnes naturales speculatiuo modo cognoscibiles in triplici versantur differentia; in prima sunt res per se secundùm propriam naturam intelligibiles, & circa has versatur Metaphysica; in secunda res intelligibiles, & simul imaginabiles, qualis est quantitas, & circa has versatur Mathematica; in tertia deniq. res intelligibiles, & simul sensibiles, & circa has versatur Physica. Quare cum omnes res naturales hoc triplici modo possint cognosci, & sub hac triplici formalitate attingi à Philosophia naturali, ideò benè tripliciter diuiditur ratione obiectorum formalium, in Physicam, Metaphysicam, & Mathematicam (ea tamen diuisione, quam diximus in tractatu de scientia) hisq. tribus scientiis speculatiuis subalternantur cœteræ aliæ speculatiuæ, quæ dantur, & etiam artes practicæ, vt consideranti patebit.

Relicta ergo pro nunc Metaphyſica, ſuo tempore explicanda, & Mathematica Mathematicis, modò Phyſiologia, ſeu Phyſica, prima pars Philoſophiæ naturalis nobis eſt exponenda. Quid autè ſit ipſa Phyſica, an.ſ.ſit ſcientia rigoroſè, quodnam ſit eius obiectum, qualis diuiſio, in ſequentibus Prologomenis explicabimus.

PROLOGOMENON. II.

Quid ſit Phyſica, & an ſit Scientia.

4 SVppon. primò. Hanc partem Philoſophiæ, quam modo explicaturi ſumus, appellari Phyſicam, ex eo quia agit de rebus naturalibus, *φύσις* enim græcè, latinè eſt natura, nam Phyſica, vt in progreſſu viſuri ſumus, agit de rebus prout ſunt, & generabiles, & ſenſibiles, ſecundùm illarum naturã, Quare ut diximus eſt pars Philoſophiæ naturalis, cum ſemper verſetur circa rerum naturaa.

Supponendum 2. Phyſicam procedere circa ſuum obiectum demonſtrando illius eſſentiam, & paſſiones, ſicuti facit Logica, cœteræq. ſcientiæ, vt erit in progreſſu videre.

Vnica Concluſio. Phyſica eſt verè, & rigoroſè ſcientia. Ita communiter omnes cum Ariſtotele 6. Metaphyſicæ cap. 1. & alibi, contra quoſdam Antiquos, qui, ex eo quia de corruptibilibus tractat, negabant eſſe ſcientiam.

Prob. 1. Authoritate Ariſtotelis loco ſupracitato, vbi clarè Phyſicam ſcientiam appellat.

Prob. ratione. Scientia eſt cognitio euidens per cauſas &c. ſed talis eſt Phyſica, ergo eſt ſcientia; ma. probata eſt in diſput. de ſcientia, min. prob. nam in phyſica demonſtratur mobilitas de corpore, quia habet naturam, diuiſibilitas, quia habet quãtitatem, & multæ aliæ paſſiones, &c. ergo dicendum eſt, phyſicam eſſe ſcientiam.

5 Aduerte. Eſſe ſcientiam ſolùm ſpeculatiuam etiam in ſententia illorum, qui admittunt ſcientias practicas, & ratio eſt, quia nullo pacto obiectum phyſicæ eſt operabile, nec circa illud operabili modo verſatur Phyſica, corpus enim naturale, quod inferiùs aſſignabimus pro obiecto phyſicæ, non poteſt fieri ab intellectu, neq. phyſica tradit regulas ad corpus naturaliter componendum.

Obiicies. Metaphyſica conſiderat eſſentias rerum, ergo non conſiderantur à Phyſica, ſed ea non eſt ſcientia, quæ non conſiderat eſſentias rerum, ergo phyſica non eſt ſcientia.

Reſp. Metaphyſicam conſiderare eſſentias rerum ſecundùm principia vniuerſalia .ſ. entis, ſubſtantiæ, &c. phyſicã verò eas conſiderare ſecundũ propria principia, & eſſentiam corporis naturalis, ſeu ſubſtantiæ contractæ ad eſſe corporis naturalis, quare propriè, & rigoroſè, & ipſa poteſt appellari ſcientia.

Non reſpondetur obiectionibus antiquorum negantium phyſicam eſſe ſcientiam, vtpotè de rebus corruptibilibus tractantem, ſatis enim reſponſum fuit in diſp. de ſcientia.

PROLOGOMENON. III.

Quodnam ſit obiectum Phyſicæ.

SVpponendum 1. Ex dictis in logica, vnam ſcientiam diſtingui ab alia, ſaltem materialiter, ratione diuerſitatis obiectorum materialium, & formalium, circa quæ, hæc, vel illa ſcientia totalis verſatur, modò ergo videndum eſt, quodnam ſit obiectum materiale, & formale Phyſicæ. 6

Supponendum 2. Varia aſſignari obiecta phyſicæ à Philoſophis.

Alii enim dicunt eſſe Ens mobile, pro ly mobile intelligendo quamcumq. mobilitatem, ſeu mutabilitatem prouenientem, vel à generatione, & corruptione, vel à corporis extenſione modo quãtitatiuo, vel à mutatione, & alio ſimili modo.

Alii aſſignant pro obiecto Corpus mobile, excludentes hoc pacto mobilia incorporea.

Alii, Subſtantiam mobilem, includentes hoc pacto etiam ſubſtantias ſpirituales.

Alii, Subſtantiam naturalẽ, intelligentes pro naturali ſubſtantiam ſenſibilem, excludentes ſubſtantias ſpirituales.

Alii tandem. Corpus naturale pro adæquato phyſicæ obiecto acceperunt; quodnam autem ex his ſit verum obiectum eſt videndum. Quare ſit.

Prima Concluſio. Verum, & adæquatum obiectum Phyſicæ eſt Corpus naturale, ita vt corpus ſit obiectum materiale, naturale verò, ſeu quatenus habens naturam, obiectum formale, ita Albertus Magnus, Ægidius, Toletus, Conimbricenſes, Rubius, & infiniti alii relati ab Auerſa prima parte ſuæ philoſph. quæſt. 2. ſectione 3. de obiecto Phyſicæ. 7

Explicatur Concluſio. Dicitur *corpus* pro quo intelligitur quælibet ſubſtantia corporea completa, dicitur *naturale*, ſeu prout habens naturam, intelligendo quòd ſit compoſitum ex materia, & forma, quare ſubſtantia corporea conſtans ex materia, & forma erit obiectum totale phyſicæ.

Prob. 1. Illud eſt obiectum totale alicuius ſcientiæ, quod cõprehendit ea omnia, quæ tractantur in tali ſcientia, ſeu cuius principia, ſpecies, & paſſiones tractantur in tali ſcientia, ſed huiuſmodi eſt *corpus naturale*, ergo eſt adæquatum obiectum phyſicæ; mai. eſt certa, pr. min. phyſica enim agit de materia, & forma, quæ ſunt principia corporis naturalis, agit de elementis, de mixtis, de cœlo, quæ ſunt eiuſdem corporis naturalis ſpecies, agit tandem de quantitate, motu, loco, &c. quæ ſunt eiuſdem paſſiones, ergo, &c.

Prob. 2. Radix paſſionum obiecti alicuius ſcientiæ eſt ratio formalis obiecti talis ſcientiæ, ſed naturalitas corporis eſt radix paſſionum corporis obiecti phyſicæ, ergo eſt ratio formalis talis obiecti ma. prob. ſi quidem ea eſt ratio formalis, quæ eſt prima, & à qua depẽdent cœteræ aliæ rationes vnde

de illarum est radix, & principium, sic scibilitas v. g. entis, quæ est ratio formalis obiecti logici, est radix demonstrabilitatis, & aliarum passionum talis obiecti, si enim non esset scibile, neq. esset demonstrabile, &c. min. prob. natura enim est principium motus, mutationum, &c. quæ omnes sunt passiones obiecti physici, ergo corpus vt naturale erit obiectum adæquatum. & totale physicæ.

Prob. 3. Impugnatione cœterarum sententiarum; & primò quidem quòd sit Ens mobile, videtur improbabile, ex eo quia, primò ens est genus nimis remotum ab obiecto physicæ, quod debet esse sensibile, vt ex supradictis, ens autem sic latè acceptum non sumitur necessariò pro sensibili, cum etiam ens possit sumi pro intelligibili, & spirituali, quare non benè diceretur, homo est ens, aut substantia rationalis, benè verò est animal rationale; secundò, quia mobilitas est passio proueniens à natura, ex eo enim quia datur natura, datur mobilitas, & mutatio, ergo mobilitas est demonstrabilis à priori in physica per naturam, sed ratio formalis non debet esse demonstrabilis ab eadem scientia, cuius est ratio formalis, cum scientiæ non probent, sed supponant suum obiectum, ergo mobilitas nullo pacto potest esse ratio formalis obiecti physicæ. Et hac secunda ratione impugnatur etiã sententia asserentiũ, obiectum physicæ esse corpus mobile, sicuti prima ratione potest impugnari sententia tribuens physicæ pro obiecto ens naturale, ens enim est genus nimis remotum, & in se includit etiam entia supernaturalia, vt sunt Angeli, de quibus tamen Physica non agit.

Impugnatur etiam sententia asserentium, obiectum Physicæ esse substantiam mobilem, seu naturalem, nam tali pacto includerentur in obiecto Physicę etiam substantiæ spirituales, & Angeli, qui sunt mobiles, & naturales, de quibus tamen nullo pacto agit Physica, cum agat de natura pro vt est sensibilis, vel medio sensibili cognoscibilis. Quare, reiectis, & impugnatis omnibus contrarijs sententijs, remanet asserendum, corpus vt naturale esse obiectum adæquatum Physicæ.

8 Ob. primò. Illud debet assignari pro obiecto Physicæ, quod ponitur in definitione præcipuæ passionis Physicæ, sed ponitur ens, & non corpus, ergo ens, & non corpus erit obiectum Physicæ, mai. est certa, quia in definitione passionis ponitur substantia immediata talis passionis, min. prob. definitur enim motus ab Aristotele, qui est prima passio obiecti physici, motus est actus entis in potentia &c.

Resp. Ens dupliciter sumi posse, & vt quoddã trãscendens, & vt participium verbi substãtiui *sum, es, est*: in definitione autem allata, non sumitur tamquã aliquod trãscendens, nam omne quod est ens, non mouetur, sed tamquam participium verbi substantiui, idemq. sonat, motus est actus entis in potentia, ac si diceretur, motus est actus eius, quod existit in potentia; quòd cum sit corpus, ideo in tali definitione intelligitur corpus, participialiter sumendo ens, non autem transcendentaliter. Quare autem dixerit Aristoteles potius ens, quàm corpus, fuit forsan quia nundum clarum erat; omne corpus esse mobile, quòd postea erat demonstraturus.

Ob. 2. Physica agit de accidentibus, item de materia, & forma, quæ per communem, nõ sunt corpora, ergo in obiecto assignato non includuntur ea omnia, quæ tractantur in scientia.

Resp. con. antecedenti, neg. conseq. nam de accidentibus, de materia forma, & similibus agit physica non tanquam de obiecto, sed tanquã de affectionibus, seu partibus ipsius obiecti .s. corporis naturalis, quatenus enim ipsorũ prĩcipia, cõtinentur in corpore, & ideo demonstrantur, & de his agit Physica.

Ob. 3. Physica agit de anima rationali, sed anima rationalis non est corpus, ergo corpus non est obiectum physicæ; vt potè non includens omnia quæ tractantur in scientia.

Resp. A Physica cõsiderari animã, quatenus dicit ordinem ad corpus tanquam illius forma, quatenus est terminus generationis humanæ, quatenus eius creatio fit certo quodam tempore naturaliter cõstituto, aliter ac fit productio cæterarum formarũ naturalium, quatenus facit vnionem naturalem cum corpore & propter alias rationes, quibus dicit ordinem ad corpus; cœterum perfecta cognitio animæ, vt aduertit Pererius libro primò de Physica cap. 9. partim pertinet ad Physicam, partim ad Metaphysicã, & partim ad Theologiam.

Ob. 4. Qualibet pars Philosophiæ naturalis versatur circa naturalitatem, ergo naturalitas nõ potest esse ratio formalis obiecti physici; prob. conseq. proprium enim munus obiecti formalis, est vnam scientiam ab alia distinguere.

Resp. dist. antecedens, circa naturalitatem simpliciter, & nego antecedens, circa naturalitatem affectam alia ratione formali, & con. antecedens, Metaphysica enim, licet considerer naturam, eam tamen considerat. vt transcendentalem per omnia entia; Mathematica considerat naturam, sed vt quantam. Physica verò considerat solùm corpus, vt naturale .s. vt principium passionum, & affectionum physicarum, relinquendo alijs scientijs, illud sub alijs formalitatibus considerare. Quare à primo ad vltimum remanet probatum, & confirmatum, corpus vt naturale, seu vt principium passionum, & proprietatum physicarum, esse obiectum adæquatum physicæ, illamq. distinguens ab alijs scientijs, eo tamen modo, quo probauimus distingui scientias ab obiectis.

PROLOGOMENON VLTIMVM.

De Diuisione Physica.

PHysica, vt deducitur ex diuisione Simplicii, & Themistii, quas refert Toletus in sua Philosophia, vel agit de principijs, & affectionibus omnium rerum naturalium .s. materia, forma, quantitate &c. motu, loco &c. & instituuntur primi 9
octo libri physicorum; vel agit de his, quæ ex principijs componuntur, quorum aliqua sunt simplicia

alia compoſita; Simplicia, aut ſunt incorruptibilia, aut corruptibilia, propter incorruptibilia instituuntur, duo primi libri de Cœlo, propter corruptibilia, duo poſteriores de Cœlo; quia autem compoſita important generationem, & corruptionem, instituuntur libri de Generatione, & Corruptione, & quia talia compoſita, quædam ſnot animata, quædam inanimata, pro inanimatis quæ ſunt ſupra nos, vt pluuiæ, grandines, &c. ſunt libri Meteororum, pro inanimatis, quæ ſubtus nos ſunt, vt metalla omnia, ſunt libri Mineralium, pro animatis autem instituuntur libri de Anima, & etiam de paruis naturalibus ſ. de quibuſdam affectionibus procedentibus ab anima; quia tandem animata ſunt, & animalia, & plantæ, ideo libri de Plantis, & de animalibus vltimò ſunt instituti, ſicq. diuiditur tota Philoſophia naturalis.

10 Sed quia priùs nobis eſt agendum de octo libris Phyſicorum, ideo quid in ipſis contineatur eſt dicendum; in primo ergo agit Ariſtoteles de principijs rerũ naturaliũ, Materia, Forma, & Priuatione; in Secundo, de Natura, & Cauſis rerum naturalium; in Tertio, de Motu, & Infinito, in Quarto, de Loco, Vacuo, & Tempore; in Quinto, de ſpeciebus, vnitate, contrarietate Motus; in Sexto de diuiſione Motus in partes, & principia ex quibus conſtat, in Septimo, & Octauo, de primo Motore, eiuſq. attributis, & proprietatibus. Et ecce quomodo tota phyſica in ſuas partes diuiſa ſit ab Ariſt. quẽ tamem ordinem Ariſtotelicum non ſemper ſequemur, ſed pro vt neceſſitas, aut opportunitas quęſtionum poſtulabit, imutabimus in progreſſu Phyſicæ, quam, terminatis prologomenis quæſtionibus, modò ſumus explicaturi,



DISPVTATIO PRIMA.

In Primum Librum Physicorum Aristotelis De Principijs Corporis Naturalis, & De Materia Prima.

CVIuscumq. rei perfectam cognitionem attingere nemo potest, nisi illius causam, & principia optimè nouerit: quare cum Corporis Naturalis quidditas, & essentia hic nobis sit perscrutanda, priùs illius principia sunt inuestiganda, vt autem intelligatur quid importet nomen principij. Sit,

SECTIO PRIMA.

Quid sit Principium.

1 NOt. primò. Quòd nomine principij hic non sumitur quodcumque initium, seu inceptio, multa enim sunt principia, quæ tamen non sunt initia, neq. inceptiones, sic Pater in diuinis dicitur principium Filij, non autem initium, quia Filius nunquam cœpit esse; neq. hic sumitur principium pro causa, eam sumendo stricto modo, nam causa stricto modo sumpta, semper dicit influxum in effectum, & dependentiam effectus ab ipsa, sunt autem aliqua principia, quæ non important dependentiam, neq. dicunt influxum, vt priuatio, quæ per communem est principium, & tamen non influit, & item Pater æternus, qui licèt sit principium, non est tamē causa Filij, nec ipse ab illo dependet, neq. hic sumitur principium pro eo, quod est simpliciter primum in omni genere, nec aliud habet supra se, hoc enim pacto solus Deus esset principiū; sed sumitur pro eo, quod est primum in aliquo genere, ita vt in illo aliud primum non habeat, & sic Materia prima dicitur principium, quia supra se non habet aliam materiam.

Notandum 2. Dupliciter distingui principium, aliud est complexum, aliud incomplexum; complexum est principium cognoscendi, & suntquædā propositiones, quæ in aliqua scientia reperiuntur, & dicuntur prima principia; incomplexum verò est illud, ex quo aliquid est, aut fit secundùm suū esse.

Notandum 3. Aliud esse principium in fieri, aliud in facto esse; principium in fieri est illud, quod interuenit in aliqua productione, seu generatione naturali; principium in facto esse, est, quod perseuerat semper in composito, vt anima, corpus respectu compositi animati.

Notandum 4. Ad quodlibet principium duo requiri, & prioritatem, & connexionem; hæc prioritas quæcumq. sit seu ordinis seu originis, seu naturæ est sufficiens, similiter & connexio non enim debet esse connexio strictè sumpta, sed qualibet connexio; Prioritas autem debet esse positiua, & negatiua; positiua, ita vt in re principiata importet positiuè principium; negatiua verò, ita vt non habeat aliud principium supra se, quæ tamen secunda conditio, non est secundùm communem de essentia principii.

Prima Concl. Principium vniuersaliter sumptum *est primum vnde aliquid est, aut fit, aut cognoscitur.* Ita Aristot. 5. Metaph. cap. 1. & D. Thomas prima parte quæst. 33.

Explicatur Conclusio. Dicitur *primum* ad explicandam prioritatem, quam debet habere in re pricipiata modo supra explicato, dicitur *vnde* ad explicandam connexionem, quam diximus esse illi necessariā cum re principiata, dicitur tandē *aliquid est aut fit, aut cognoscitur* ad explicāda omnia principia, tā in fieri, quā in facto esse, quā in cognosci.

Secunda Conclusio. Principia corporis naturalis sunt *quæ non fiunt ex alterutris, neq. ex alijs, sed ex ipsis fiunt omnia.* Ita Aristot. primò Physicorum tex. 42.

Explicatur Conclus. Dicitur *non fiunt ex alterutris*, neq. enim materia, neq. forma, quæ vt infra videbimus sunt principia corporis naturalis, inui-

cem

cem fiunt in eodem genere, dicitur *neq. ex alijs* si enim fierent ex aliis, non essent principia, dicitur tandem, *sed ex ipsis fiunt omnia* .i. ex iis principiis omnes res physicæ componuntur, ex materia enim, & forma omnes res physicæ fiunt.

Aduertendum est, quòd particulam ly, *ex* tripliciter in definitione positam, diuersimodè intelligendam esse, contendunt quidam; primo enim, & secundo loco positam, volunt intelligendam esse cõstitutiuè, ita vt principia verè nõ constituantur neq. ex se ipsis inuicem, neq. ex aliis tertio verò, & vltimò loco positam, non solùm constitutiuè, sed etiam terminatiuè accipiẽdam esse affirmant ita vt sensus sit, ut ex ipsis omnia componi, quòd explicatur per ly constitutiuè, vel ex ipsis omnia dependere, tamquam à termino à quo, quòd explicatur per ly terminatiuè, & per hoc intendunt, priuationem quæ solùm se habet vt terminus à quo, esse principium; quod an sit dicendum, inferiùs dicemus.

Quæres, Quænam, & quot sint principia corporis naturalis.

Resp. Varias fuisse apud antiquos sententias in assignandis corporis naturalis principiis, quas omnes refert Aristoteles primò Physicorum cap. secundo, apudq. ipsum eas videre remitto, cum potiùs ad curiositatem, quàm ad scientiam spectent; per recentiores autem, & secundum Aristotelem tria communiter assignantur principia corporis naturalis .s. Materia, Forma, & Priuatio. Vtrum vero hæc tria possint, sintq. appellanda vera principia corporis naturalis; non potest intelligi nisi prius demonstretur quid sint, frustra enim quæritur qualis res sit, si ignoretur an sit, & quid sit; quare prius videbimus quid sint, postea an principia corporis naturalis sint rigorosè appellanda concludetur; sit ergo

SECTIO II.

An detur, & Quid sit Materia Prima.

NOmine Materiæ primæ communiter à Philosophis intelligitur aliquod primum subiectum, quod insit in quacumque re naturali, & sensibili, quod numquam pereat, licet ipsa res destruatur, sed perseueret ad constituendam, & cõponendam aliam rem, seu compositum; uocatur autẽ materia prima, ad differentiam ipsius rei naturalis compositæ, & perfectè completæ, quæ Materia secunda appellatur: hic ergo inquirimus, an detur tale primum subiectum, & materia prima rerum naturalium, seu corporis naturalis; licèt enim, ferè omnes Philosophi antiqui, teste Aristotele 2. Physicorum tex. 22. & primo de partibus Animalium cap. 1. hoc primum subiectum admiserint, immò, aliqui nullam aliam substantiam naturalem agnouerint, quam materiam primam, asserentes omnes res naturales solis accidentibus ad inuicem differre, fuerunt tamen Quidam recentiores Galli, relati à Camerario parte 2. quæst. 1. hanc negantes, & propter hoc, vt testatur idem auctor, à Parlamento Parisiensi meritò proscripti, Quare non incongruum erit huius rei veritatem, non solùm Philosophorum auctoritate, sed firmissimis rationibus comprobare.

Suppono autem, Nomine materiæ primæ nos non intelligere quattuor communiter assignata elementa, vt facit supracitatus Camerarius sequens Empedoclem, & hoc pacto negans, & ipse materiam primam, sed dicimus esse aliquod aliud primum subiectum; ex eo quo etiam ipsa elementa componantur, nomine enim materiæ primæ intelligitur, quoddam rem incompletum, & indeterminatũ quod non fiat ex alio, cum sit primũ subiectum, qualia nõ sunt elementa, ignis enim de nouo producitur, ergo ex alio, neq. enim creatur, aut annihilatur; tùm, vnum elementum trasmutatur in aliud, vt aqua in aerem, aer in ignem, &c. vt experientia patet, ergo, &c. his ergo suppositis, sit.

Prima Concl. Datur Materia prima, seu primum subiectum rerum naturalium. Ita cum Philosopho hic cap 6. communiter omnes Philos. & Theologi diffusè relati à Masio hic cap. 9. sect. 2. quæst. 1.

Prob. 1. Dantur continuò generationes, & corruptiones, seu mutationes vnius substãtiæ in aliã, ergo datur materia prima, antecedens ipsa experientia est euidens, lignum enim transmutatur in ignem, ex aere fit aqua, viuens fit mortuum, &c. con eq. prob. quando producitur substantia ignis ex ligno, vel corrumpitur totum lignum, & totus ignis producitur, vel pars ligni corrũpitur, & pars ignis producitur; si primum, hæc non esset generatio, sed creatio, ad quam vires non habet agens creatum, cum enim totum lignum destrueretur, non ex illo, sed ex nihilo ignis produceretur, dicendum est ergo, secundùm scilicet partem ligni corrumpi, & partem ignis produci, sed hæc pars ligni quæ prius erat in composito ligneo, & perseuerat in igneo, est, quam dicimus materiam primam, ergo datur materia prima.

Prob. 2. Nullum agens potest producere aliquam substantiam de nouo, nisi destructa alia substantia, nec corrumpere vnam, nisi producendo aliam, v.g. non producitur ignis, nisi destructo ligno, sed hujus nulla ratio reddi potest, nisi quia agens non potest producere substantiam de nouo secundum omnes suas partes, sed exigit concursum alicuius partis substantiæ corruptæ, quæ remaneat in genito, ergo dicẽdũ est, partẽ substantiæ corruptæ remanere in substantia producta, hæc autem est materia, ergo &c. min. prob. si enim non egeret ad productionem nouæ substantiæ, partis substantiæ corruptæ, posset talem nouam substantiam de nouo generare absque vlla corruptione alterius, ergo cum hoc naturaliter nuuquam possit esse, dicendum est, ideo corrumpi vnam substantiam ad generationem alterius, quia substantia genita exigit ad sui esse, partem substantiæ corruptæ, quæ pars est materia prima, ergo, &c.

Neq. enim valet. Ideo corrumpi vnam substantiam, quia non est compatibilis cum alia.

Resp. enim. Vel hæc incompatibilitas se tenet

ex

ex parte loci, vel ex parte subiecti, si ex parte loci, ergo non esset necessaria destructio prioris substãtiæ, sed solùm expulsio ab illo loco, si ex parte subiecti, hoc nequit dici, substãtia enim quæ de nouo tota produceretur, vt potè substãtia completa, staret per se, nec exigeret subiectum; quare dicẽdum est, corrumpi substantiam antecedentem quoad esse talis substantiæ completæ, vt præbeat sui partem, s. materiam substantiæ de nouo genitæ.

Prob. 3. Animal exigit alimentum ad sui augmentũ, & ad reparationem partium deperditarum à calore naturali, vel ergo destruitur tota substantia alimenti, quo animal nutritur, vel non; si non, ergo datur commune, & primum subiectum, quod conuertitur in substantiam aliti, estque materia prima, si destruitur, ergo ad quid indiget cibo; cum enim tota illius substantia destrueretur, non posset conducere aliquid ad augmentum, & reparationem partium deperditarum à calore naturali.

6 Prob. 4. Nulla producitur substantia, nisi præuiis dispositionibus, v.g. non producitur ignis, nisi prius producatur in ligno calor, &c. sed hoc non fieret, nisi daretur materia prima commune subiectum ligno corruptibili, & igni producibili, ergo datur, mai. ipsa euidentia est certa, min. probatur ad quid enim producerentur tales dispositiones si deberent cum tota illa substantia anihilari?

Neq. enim valet, produci solùm ad destruendam præcedentem substantiam.

Resp. enim. Quòd si hoc esset, non remanerent in substantia genita (vt ipsis oculis testibus, hoc negare rationabiliter non possumus). neq. enim vt aliqui contendunt, in instanti, quo producitur, v.g. ignis, destruitur totus calor, & cætera accidentia, quæ priùs fuerunt introducta in ligno, & noua producuntur; si ergo remanent, ergo in aliquo subiectantur, nequeunt enim sine subiecto esse, ergo hoc aliquid est materia prima, & commune subiectum substantiæ corruptæ, & genitæ.

Prob. 5. Illis rationibus, quibus prob. agens naturale naturaliter non posse creare, quarum præcipua est, quia si posset, aliquando crearet, frustatoria enim esset potentia, quæ numquam reduceretur ad actum, sed nũquam videmus aliquid producere nisi ex præsupposito subiecto, ergo quia non potest ex nihilo creare, quare cum productio nouæ substantiæ, si tota produceretur, esset creatio, siquidem produceretur ex nihilo sui, & subiecti, & hæc creatio in naturalibus implicet, dicendum est dari materiam primam iam creatam à Deo, quæ operatione agentis naturalis modò constituat vnum compositum, modò aliud.

Conf. Conclusio. Ex eo quia Ecclesia veneratur cineres, & reliquias Sanctorum, malè enim adorarentur, si in ipsis nihil esset Sanctorum, ergo in ipsis dicendum est perseuerare materiam primam, ex qua Sancti priùs fuerunt compositi; hoc ergo ita certum est vt illud negare, sit ipsam euidentiam in dubium reuocare; remanet ergo videndum, quid sit hæc materia prima.

7 Secunda Concl. Materia prima *est primum subiectũ cuiuscumq. ex quo aliquid fit cum insit, non secundum accidens. & si quid corrumpitur, in hoc abibit vltimum*. Est definitio, seu potiùs descriptio materiæ secundùm suum esse physicum, tradita ipsissimis verbis ab Aristotele hic cap. 4. tex. 82. quem communiter sequuntur omnes.

Explicatur. Dicitur *subiectum*, quia materia recipit in se formam, quæ est alia pars compositi naturalis, dicitur *primum*, quia aliud subiectum, ipsa primùm non datur, implicat enim processus in infinitum; Tum quia ex cæteris principiis ipsa est prima; Tum ad differentiam materiæ secundæ, quæ est compositum; dicitur *ex quo aliquid fit*, quia ex materia prima, tamquam ex parte Physica simul cum sui comparte, fit verum compositum substantiale, & additur ly *insit* vt explicetur illius inexistentia in composito; dicitur *non secundum accidens*, vt explicetur, materiam, per se, & essentialiter, non accidentaliter constituere compositum; dicitur deniq. *& si quid corrumpitur in hoc abibit vltimum*, non quòd compositum dum corrumpitur transeat in materiam, sed quòd corrupto composito, ipsa remaneat.

Ex qua definitione deducitur contra Auicennam, ipsam materiam primam esse ingenerabilem, & incorruptibilem, per hoc enim quòd dicatur *primum subiectum* arguitur illius ingenerabilitas, agens enim naturale semper exigit aliquid, circa quod sua actione operetur; si ergo materia est primum subiectum, ergo illam agens naturale, non potest producere generando, cum non habeat aliud subiectum, ipsa primum, circa quod operetur ipsam producendo; quare solùm creatione producitur à Deo; per vltimas etiam particulas, *si quid corrumpitur in hoc abibit vltimum* deducitur ipsius incorruptibilitas, si enim quocumq. composito corrupto, remanet materia, & subiectum, in quo substentatur actio agentis naturalis, ergo est incorruptibilis. Tum quia termino producto per creationem, solùm correspondet potentia passiua ad anihilationem, ergo cum materia prima solùm creetur, solùm etiam erit anihilabilis, non verò corruptibilis. 8

Colligitur etiam. Esse vnam solam materiam specificè in omnibus rebus naturalibus, saltem sublunaribus (de cœlestibus enim suo loco videbimus) cum enim sit primum subiectum omnium formarum, ergo vna, & eadem debet esse, ad hoc, vt in ipsam omnes formæ recipi valeant.

Colligitur etiam. Esse ens simplex, non compositum, cum enim sit primum subiectum, ergo aliud primum, ex quo componatur excludit.

Collig deniq. Hanc materiam variis nominibus appellatam fuisse, dicta enim fuit *Chaos* ex eo quia omnium formarum in confuso sit susceptiua, *Matrix*, quia suo gremio omnes formas complectitur, & fouet. *Turpis*, seu *Incomposita*, quia de se nullam habet pulchritudinem, & decorem; *per se Ignota*, quia clarè cognoscitur solùm ratione formæ, & huiusmodi, quæ apud alios Auctores facilè est videre, nulliusq. momenti est illorum cognitio.

Descripta fuit etiam illius natura ab Aristotele 7. Met. text. 8. dicendo, materiam esse, *quæ per se ipsam, neq; quid, neq; quantum, neq; aliquid aliud quippiam dicitur, quibus ens determinatur* sed, *est quid, de quo singula horum prædicantur*, quibus verbis cum potiùs innotescat, quid non sit materia, quàm quid sit, ideò ipsis, materia in ænigmate potiùs describi, quàm definitione definiri, videtur.

SECTIO III.

An Materia Prima habeat propriam Existentiam.

9 Celeberrima est hæc quæstio inter Philosophos, cum enim Aristotelesa pluribus in locis appellet materiam *potentiam*, ideò quidam, ex Thomistis præcipuè, desumpserunt fundamentum asserendi, materiam primam, solam, & puram potentiam esse, nullamq; de se existentiam, aut actum entitatiuum habentem, ita quòd, licèt propriam, & à forma distinctam essentiam habeat, de quo nemo sanus mente Philosophus dubitauit, tamen non per propriam, sed per existentiam formæ ipsa existat, habeatq; actum entitatiuum, quòd vtrum verum sit, in præsenti inquirimus; pro quo.

Supp. 1. Existentiam in ferè communi omnium acceptione, vt videre est apud Pasqual. disput. 81. in Metaph. sect. 2. punct. 10. esse rationem formalem, per quam res habet in se ipsa illud esse, quod illi à causa communicari potest, seu esse actualitatem, qua res formaliter constituitur extra causas, quæ ratio, vt probabimus in Metaph. nullo pacto realiter distinguitur ab ipsa essentia rei, sed est ipsa entitas, & essentia existens.

Supp. 2. Triplicem dari potentiam cui triplex correspondet actus, cum enim per actum tollatur potentia, quot sunt potentiæ, tot debent esse actus; alia ergo dicitur potentia obiectiua, qua scilicet est solùm possibilis, seu qua res est obiectum causæ eam potentis producere, non verò pro vt est in potentia causæ, talis enim potentia causæ est actiua; huic autem potentiæ obiectiuæ correspondet actus entitatiuus, quo s. res, quæ prius erat in causa, est extra ipsam, qui actus non est aliquid distinctum ab ipsa re extra causas producta, sed est ipsamet res actu existens extra potentiam obiectiuam; alia dicitur potentia passiua, seu subiectiua, siuè formalis, qua potest res ab alijs pati, & aliud in se recipere, & huic correspondet actus formalis, seu actus tradens vltimum complementum rei, qualis est forma Physica; alia tandem est potentia actiua, qua res aliquid producere potest, & huic correspondet actualis operatio, qua aliquid producitur: Primus actus est Metaphysicus primò constituens prædicata Metaphysica extra causas; secundus, & tertius sunt Physici, secundus quidem dans primum complementum, & substantiale composito, tertius verò, in actuali operatione illud constituens. His ergo suppositis, inquirendum est, an materia habeat aliquem, ex his actibus, aut verò sit potentia.

Supp. 3. A nemine sani iudicii posse affirmari, materiam esse solùm potentiam obiectiuam, cum enim ab omnibus concedatur creata, ergo etiam extracta à statu possibilitatis asseri debet; neq; etiã potest dici esse potentiam actiuam, siquidem vt incompleta nullo pacto potest agere. Quare solùm potest dici potentia passiua, & formalis, quòd & nos vltrò concedimus, neq; enim negari potest, cum enim sit primum subiectum ad omnes formas, ergo debet importare potentiam ad illas recipiendas, si enim ad illas potentiam non haberet, neq; posset recipere. Quare tota difficultas consistit in examinando vtrum, ex eo quia materia sit in potentia ad formas, ita debeat dici pura, & nuda potentia, vt nullam existentiam, seu actum entitatiuum secundùm se habeat; quare sit.

Prima Conclusio. Materia prima habet actum entitatiuum, & existentiam independenter à forma. Est cõtra quosdã Thomistas, quos citat Ouiedo hic contr. 2. punct. 5. est tamen Scotistarum omnium cum Scoto in sec. distin. 12. quæst. 1. & 2. & ferè omnium recentiorum, Vasquez, Suarez, Toleti, Ruuii, Hurtadi, Arriagæ, Morandi, Guarini, Ouiedo, Tellez, Spinulæ, Auersæ, Lalemandet, & etiam D. Thomæ, & aliquorum Thomistarum Sanctum Doctorem meliùs intelligentium, vt ostendit noster Ayossa tom. 1. Physicæ disp. 4. quæst. 5. cuius Sancti Doctoris testimonia, & auctoritates multas adducit Serbellonus dis. 1. in Physica, quæst. 2. art. 2. §. 24. 10

Prob. 1. Materia habet suam essentiam independenter à forma, ergo & existentiam; antecedens conceditur ab omnibus; conseq. prob: existentia non distinguitur ab essentia extra causas, ergo cuius est essentia extra causas, est etiam existentia, sed materia prima habet essentiam extra causam independenter à forma, est enim creata, ergo & existentiam, ergo, &c. At quia hæc probatio, licèt validissima, dependet à probandis in Metaphysica, cũ de indistinctione inter essentiam, & existentiam ideò.

Prob. 2. Materia independenter à forma est extracta à statu possibilitatis, est enim creata, ergo independenter à forma est existens & habet actum entitatiuum; conseq. prob. quia existere formalissimè, est esse extra causas. Tum quia, nulla potentia tollitur formaliter, nisi per actum illi oppositum, sed potentia obiectiua materiæ dum est creata, & extracta à statu possibilitatis, iam ablata est, ergo per actum entitatiuum formaliter, qui est oppositus potentiæ obiectiuæ, ergo materia habet actum entitatiuum, & existentiam, per hoc solum, quòd sit extra causas, & creata, ergo independenter à forma dependenter à qua non producitur.

Prob.

Prob. 3. Omnis terminus realis productus, vel est actus, vel habet actualitatem, sed materia est terminus realis creationis, ergo vel est actus, vel habet actualitatem, & existentiam; min. est certa, mai. prob. quia productio realis non potest terminare in nihil, neq. in essentiam vt potentialem, ergo in illam vt existentem, ergo existentia seu actus, quo ponitur essentia materiæ formaliter extra causas, est terminus realis illius creationis, vnde patet conseq.

Conf. quia creatio ex Thomistis est rerum existentium, cum ergo materia creetur, debet esse existens. Conf. secundò, quando materia creatur vel acquirit aliquid amplius, quod nō habebat in statu potentialitatis, & in potentia obiectiua, vel non; si non, ergo non potest dici creata, sed adhuc potentialis; si aliquid, hoc non potest esse, nisi actus entitatiuus, & existentia, qua formaliter sit extra causam, & extra potentiam obiectiuam, ergo, &c.

Prob. 4. Forma non potest dare materiæ existentiam, ergo eam habet à se, conseq. patet supposito antecedenti, quod prob. nulla potentia tollitur nisi per actum illi oppositum, sed forma, & actus formalis non est oppositus potentiæ obiectiuæ materiæ, sed solùm subiectiuæ, ergo ab ipso non potest tolli potentia obiectiua materiæ, at tollere alicuius potentiam obiectiuam, est illi tradere existentiam, ergo forma aut actus formalis non potest tradere materiæ existentiā, ergo habet à se.

Prob. 5. Formę producuntur à materia, seu vt cū
11 communi loquar, educuntur de potentia materiæ, sed hoc nequiret esse, nisi materia propriam existentiam haberet, ergo &c. min. prob. produci enim formam dependēter à materia importat, materiam esse subiectum receptiuum actionis agentis producentis formam, sed non posset esse tale subiectum, nisi existeret, actio enim sicuti exigit existentiam agentis à qua fit, sic etiam exigit existentiam subiecti in quo recipiatur &c. ergo &c. Tū quia materia est causa materialis existētiæ formæ, sed qualibet causa est prior saltem natura suo effectu, ergo materia debet esse prior forma, At non debet esse prior secundùm solam essentiam, ergo secundùm existentiam, min. prob. nam prioritas, quam causa habet ad effectum debet esse talis, vt possit suo modo influere in effectum, sed influxus, nequit esse à causa, solùm secundùm essentiam sumpta, essentiæ enim in abstracto non sūt operatiuæ, ergo secundùm existentiam, ergo &c.

Prob. 6. Si materia propriam existentiam non haberet sed tantū existeret existētia formæ, sequeretur in quacumq. generatione compositi, materiam creari denouo, at hoc implicat; ergo & id ex quo sequitur, sequela prob. si materia existeret existentia formæ, destructa existentia formæ destrueretur existentia materiæ, ergo redigeretur ad statum potentialitatis, sed non posset extrahi à statu potentialitatis dependenter ab alio, cum nullum aliud sit subiectum, ex quo, ergo independēter, ergo per creationem, quòd implicat.

Neq. valet. Non reduci ad statum potentialita-
12 tis, seu annihilari, quia in instanti, quo vna expoliatur existentia, alia induitur.

Resp. enim. Nullum esse effugium, nam dato etiam, quòd in eodem instanti succederet existentiæ formæ corruptæ, existentia formæ genitæ, attamen sēper asserendum est, totam existentiam antecedentem destrui, vtpotè, quia destruitur forma, cuius est existentia, quare sicuti tota forma dicitur produci de nouo, quia ipsius existentia de nouo producitur, sic necessariò asserendum, esset & totam materiam de nouo produci, quia quoad existentiam produceretur, sed hæc esset creatio, vtpotè productio ex non subiecto, ergo, &c.

Ob. 1. Ex Complutensibus hic disp. 3. quæst. 2. ex Arist. 9. Metaph. tex. 1. & 6. Met. tex. 4. diuiditur ens reale in actum, & potentiam, sed membra diuidentia debent commune diuisum includere, & inter se opponi, ergo debet dari ens reale, quod sit actus purus, & ens reale, quod sit pura potentia, inuicemq. opponantur, ergo licèt materia sit ens extra causas, potest esse pura potentia, aliud est enim esse realē entitatem, aliud esse realē entitatē actu.

Conf. Quia potentia obiectiua cum non sit vera potentia, sed potiùs potentia Logica, & indifferentia, qua res potentialis dicitur posse esse, non semper explenda est per actum, sed aliquando per realem potentiam, tollitur enim talis potētia obiectiua, quando ponitur extra causas res potentialis, si ergo res potētialis est pura potētia, qualis est materia, illius tollitur potentia obiectiua per realem potentiam, non per actum.

Resp. Aristotelem diuidere ens reale in actum, & potentiam, sumendo ens secundùm diuersū statum, potentialitatis .s. & actualitatis, non autem sumendo ens, prout extractum à statu potentialitatis, in quo statu aliqua actualitas illi negari nō potest; vel dicendum est, si Aristoteles diuisit ens extra causam, intellexisse pro actu, actum subsistētem, & informantem, pro potentia verò subiectū potentiale capax informationis, actu tamen metaphysico, & entitatiuo existens, solumq. potentiale ad actū physicum. Quòd autem talis fuerit mens Aristotelis, comprobatur ex alio illius textu 9. Met. tex 11. vbi sic ait, *est autem actus, ex se tere rem, non ita sicuti dicimus potentia*, ex quo textu colligitur, Aristotelē voluisse, rem extra causam existentem, aliquem habere actum. Et ex hoc patet ad confirmationem, falsum esse, potentiæ obiectiuæ non correspondere actum entitatiuum, nam licet non sit propriè, & rigorosè potentia, tamen eo modo quo est, tollitur quando res producitur, sed non tollitur nisi per actum entitatiuum, ergo &c. non potest inquam tolli nisi per actum entitatiuum, quia licet sit potentia obiectiua rei potentialis, tamen cum res dupliciter possit esse potētialis, & obiectiuè .s. potentialiter, & subiectiuè .s. in potentia susceptiua alterius, ideo quando res producitur .l. perseueret cum potentialitate subiectiua, tollitur tamen potentia obiectiua, a qua extrahitur res, sed non potest tolli, nec ab illa res extrahi per potentialitatem subiectiuam, quia nō est opposita potētialitati obiectiuæ, ergo per actū entitatiuum, quo talis res potentialis subiectiua formaliter est extracta extra causas, & à potentia obiectiua, Quare quando Aristoteles

pluribus in locis vocat materiam primam potentiam, non est intelligendum, omnem actum negasse materiæ, sed solùmmodo actum physicũ, & completum, non verò entitatiuum, & Metaphysicum, illamq. potentiam appellasse subiectiuam, & vt ita dicam, in secunda notione, non in ordine ad formam, quòd & nos concedimus.

13 Ob. 2. Forma dat esse rei ex Aristotele pluribus in locis, ergo dat entitatem, & existentiam materiæ, ergo materia non habet à se.

Resp. dist. antecedens; dat esse specificum, physicum, & completum, con. antecedens, dat esse existentiale, entitatiuum, & metaphysicum, & nego antecedens simul cum conseq. sed.

Instabis. Forma accidentalis dat omne esse accidẽtale i genere causæ formalis materiæ, ergo & forma substantialis debet dare omne esse substantiale ipsi materiæ, ergo & actum substantialẽ entitatiuum, conseq. prob. quia sicuti se habet esse accidẽtale ad formam accidentalem, ita se habet esse substantiale ad formam substantialem.

Resp. neg. cõseq. & ad illius probationẽ dico, nõ valere paritatem, in tantùm enim totum esse accidentale prouenit à forma accidentali, quia cum ipsa conuertitur, nec amplius patet, sic autem nõ est respectu esse substantialis, ne dum enim forma, sed & materia, & compositum, sunt subctantialia.

14 Ob. 3. Materia est ens simplex, & incompletum, sed hoc pacto non esset, si haberet actum entitatiuum, ergo, &c. min. prob. actus enim compositionem facit cum re actuata, quòd si cum materia compositionem non facit, ergo materia est simplex actus, quòd nequit dici, ergo potentia pura solùm.

Resp. distin. mai. Est ens simplex, & incompletum Physicè conc. Metaph. & nego mai. distinguo etiam min. materia habendo actum entitatiuum non esset simplex ens, metaphysicum, & conc. min. Physicum, & nego min. quare ad probationem dico, actum entitatiuum materiæ facere compositionem metaphysicam, substantia enim, quæ est genus ad materiam, & compositum, contrahitur ad esse materiæ, ab actu entitatiuo importante determinabilitatem, seu potẽtialitatẽ subiectiuam: tam enim materia, quàm forma metaphysicè loquendo sunt completæ, & ideo solùm physicè materia est ens simplex, & vt tale potest esse actus, & potentia, actus quidem in ordine ad potentiam obiectiuam, seu ad suum statum potentialitatis; potentia verò, respectu formæ, in quo nulla est implicantia, nihil enim aliud importat, nisi hanc rem potentialem subiectiuè, esse actu extra causas, est enim eadem omninò res physicè potẽtia subiectiua, & actualitas, actualitas siquidem per quam tolitur potentia obiectiua.

Ob. 4. In composito datur vna simplex existentia, ergo materia non habet propriam existentiam, conseq. prob. existẽtia enim compositi habetur à formis, antecedens prob. nam in composito datur vna simplex essentia, ergo & existentia.

Resp. dato antecedenti, quod tamen, & negari posset in sẽtentia admittentium, formam propriã existentiam habentem, neq. enim implicat, vt optimè probat Pontius disp. 3. in Physica quæst. 4. num. 31. vnum per se completè existere per duplicem existentiam partialem, dato inquam antecedenti, Resp. neg. conseq. nam licet forma det esse rei specificum, & completum, non tamen deducitur dare omne esse, etiam entitatiuum; Quòd autem dicitur in probatione antecedentis, essentiam compositi esse simplicem, dico essẽtiã metaphysicam extrinsecè quidem esse simplicem, compositam verò intrinsecè; ratio autem est quia essentia saltem metaphysica compositi resultat ex genere, & differentia, quæ rationes metaphysicæ cũ non se teneant vna. s. genus, ex parte materiæ, alia s. differentia, ex parte formæ, sed permixtæ, & quodãmodo cõfusæ sint in vtraq. ideò tã genus habetur à toto composito, quàm à toto composito habetur differentia, vt patet v. g. in composito humano, in quo animalitas, ratio generica, non desumitur à solo corpore, sed à toto homine, sicuti rationalitas non à sola anima, sed à toto homine, ita vt totus homo sit, qui habet genus, & differentiam; quare cum in composito, materia, & forma quodammodo indiuisibiliter sumantur, & per modũ vnius ad constituendum genus, & differentiam. s. essentiam metaphysicam: ideo talis essentia dicitur vna, & simplex explicitè, quia in ipsa non apparet explicitè materia, & forma, apparentes solũ sub ratione vnius totius compositi, quia verò intrinsecè ex vtriusq. partis vnione resultat, cõposita dicitur; Quòd si aduersarii loquuntur de essentia physica, negandum est, essentiam compositi esse simplicem, cùm resultet ex quidditate tam materiæ, quàm formæ.

Ob. 5. Ex duobus entibus in actu, non fit vnum per se ex Philosopho pluribus in locis, sed ex materia, & forma fit vnum per se, ergo materia, & forma non debent esse duo entia actu, at forma necessariò est ens actu, est enim actus, ergo materia nullum debet dicere actum. 15

Resp. primò. Quòd etiamsi materia existeret per existentiam formæ, adhuc tamen in composito essent duo in actu, siquidem licet per eamdem existentiam, tam entitas materiæ, quam formæ essent actu, quare, quòd eorum existentia sit vna, aut duplex quoad hoc impertinens est, & ideo illud dictum Aristotelicum intelligendum est vt in sequenti Responsione.

Resp. 2. disting. mai. Ex duobus entibus in actu physico, & conc. ex duobus entibus in actu entitatiuo, & nego; materia autem non habet actum physicum, sed solùm entitatiuum, & incompletum. sed.

Instabis. Talis actus materiæ esset completus, ergo nulla Responsio; antecedens patet, cum enim existentia, seu actus entitatiuus materiæ non sit nisi ipsamet essentia materiæ producta, & essentia materiæ sit completa, pariter & esset completa existentia.

Resp. distinguendo antecedens, esset completus in ordine ad se, conc. in ordine ad formam seu cõpositum, & nego, quando autem dicitur, ex duobus entibus in actu non fit vnum per se, sed solùm

per

per accidens, intelligitur de duobus entibus in actu completis absolutè, & relatiuè, non verò de completis absolutè, incompletis verò relatiuè, qualis est materia; nam licet materia sit in suo esse completa secundùm sua prædicata essentialia, essentiam, & existentiam, tamen quia insuper dicit ordinem ad formam, seu ad compositum dum illam non habet, nec illud constituit, dicitur incõpleta relatiuè, quia .f. non habet terminũ, ad quem dicat relationem, ex duobus autem entibus incompletis relatiuè benè fit vnum per se,

Cuius rei alia ratio reddi potest, quia forma dum dicitur complere materiam, non illam complet in illius prædicatis essentialibus, hoc enim pacto materia fieret ex forma, & sic non esset principium, de cuius ratione est, quòd non fiant ad inuicem, sed illam complet in ordine ad compositũ, .f. in esse incompleto relatiuè, vniendo enim se materiæ, complet illam, secundùm quòd relatiuè erat incompleta, in ordine scilicet ad totum compositum.

16 Obiic.6. Omne quod existit est in determinata specie, ergo si materia existit, est in aliqua determinata specie, sed hoc est falsum, quia omnis species habetur à forma, ergo, &c.

Resp. cum P. Morando in Physica tract.2. quæst. 5. nu.45. dist. antec. quod existit complete, & conced. antec. quod existit incomplete, & nego antec. materia ergo cum existat incõplete, per se non est in aliqua determinata specie propriè, sed solùmmodo in ordine ad compositum, in quo complete existit. Vel dato antecedenti, dist. conseq. materia est in determinata specie Physica, & neg. conseq. est in determinata specie Metaphysica, & conc. est enim secundũ sua prædicata essentialia, substantia in specie materiæ. Quando autem dicitur, specificationem haberi à forma, verum est, si intelligatur tàm de forma Physica, quàm de Metaphysica, secus verò, si de sola forma Physica, hoc autem patet in Angelis, qui licèt formam Physicam non habeant, specificè tamen sunt diuersi, neq. enim forma Metaphysica .f. differentia essentialis fundatur in forma Physica, sed in entitate reali. & Physica, quæ sua natura est diuersa ab alia entitate Physica, quare cum in materia sola possit considerari forma Metaphysica .f. talis actus entitatiuus, per quem genus substantiæ contrahitur ad esse materiæ, ideò ens Metaphysicè completum potest dici.

SECTIO IV.

An Materia Prima habeat propriam subsistentiam.

17 Suppon. est pro nunc, diffusiùs enim in Metaphysica. Subsistentiam esse modum substantialẽ, quo natura substantialis, in suo esse per se existit, ad differentiam accidentis, quod inhæret in alio, & licèt acriter contendat Vasquez, tertia parte dis. 32 cap. 4. subsistentiam de suo formali etiam importare, vt res subsistens sit independens ab alio tamquam à subiecto, & incommunicabilis alteri, non solùm per modum naturæ respectu alterius suppositi, sed etiã per modum partis respectu totius, aut alterius partis, attamen in cõmunioti sentẽtia hoc solùm verificatur de subsistentia completa, & perfecta, qualis est illa, quæ vnita naturæ constituit suppositum, aut personam, de qua in Metaphys. neq. enim negari potest, substantiam per se existentem, licèt alteri communicabilem per modum partis, non posse dici habere modum diuersum essendi ab accidenti, hic autem modus non potest esse nisi subsistentia, &c. hoc autem maximè patet in anima rationali, quæ licèt communicetur materiæ per modũ partis ad constituendum compositum, propriã tamen habere subsistentiam communiter asseritur, tum quia in ipsa materia, non inheret, tum quia separata existere de fide est: hoc supposito, tota difficultas consistit potiùs in nomine, si enim subsistẽtia accipiatur vt à Vasquez, certum est, materiam non habere propriam subsistentiam, si verò sumatur per modum standi per se substantiæ, non videtur illi deneganda, vt probabimus.

Supp.2. Materiam esse substantiam, vt habetur ex Aristotele hic tex.52. & 7. Met. tex. 8. & alibi, & conceditur ab omnibus, ratio autem præcipua est, quia materia prima est primum subiectum, ergo substantia, conseq. patet, si enim primum subiectum esset accidens, ergo non esset primum, cum aliquid supponeret, in quo inhæreret, hoc clarum, & certum est, quo supposito. fit.

Prima Concl. Materia prima propriam habet subsistẽtiam. Ita ferè communiter recentiores, Mastrius disput. 2. in Physica quæst. 2 art.2. Suarez disp.34 sect.5. Serbell. disp.1. in Phys. quæst.2. art. 8. Ouiedo, Hurtadus, Guatinus, & alii. 18

Prob.1. Materia in suo esse existit independenter à forma, ergo habet subsistentiam, conseq. patet, subsistentia enim ex dictis, importat existere per se absq. dependentia in essendo.

Prob.2. Materia creatur, sed creatio est rerum subsistentium, ergo, &c. maior est certa, min. prob ex D.Thoma, & communi sensu Philosophorum, hoc asserentium. Tum quia creatio est productio rei ex nihilo sui, & subiecti, ergo cum non sit subiectum in quo producatur res, debet ipsa esse talis, vt non sit in subiecto, ergo subsistens.

Prob. 3. Materia supponitur ad formam, ergo debet habere propriam subsistentiam, conf. prob. ad hoc vt materia recipiat formam, debere perfectè existere, sed subsistentia pertinet ad perfectam existentiam, ergo, &c. mai. patet, si enim perfectè non existeret, quomodo aliud reciperet?

Obi.1. Subsistentia reddit rem subsistentem incommunicabilem, sed materia communicatur formæ ad constituendum compositum, ergo non est de se subsistens.

Res. distin. mai. Subsistentia reddit rem incommunicabilem per modum naturæ .f. facit, quòd illa essentia, & natura, quæ est subsistens, sit in tali ratione incommunicabilis, & conc. mai. reddit incommunicabilem, per modum partis, & neg. mai.

materia

materia autem communicatur formæ per modum partis ad constituendum compositum.

Obijcitur 2. Vel hæc subsistentia materiæ esset subsistentia totalis totius compositi, vel solùm partialis, neutrum dici potest, ergo, &c. min. quoad primam partem prob. quia compositum habet subsistentiam perfectam, & completam, per quam constituitur, & suppositũ, at per vos, hæc subsistentia materiæ, non est completa, ergo, &c. prob. etiam min. quoad secundam partem, quia si daretur subsistentia partialis, vel vniretur alteri partiali subsistentiæ per modum subiecti suo actui, aut per modum partis integrantis ad alteram. at vniri vtroq. modo repugnat, ergo non datur subsistentia partialis.

Res. Quomodocumq. sit talis subsistentia aut totalis, aut partialis, nihil implicare dari in materia. Quare si dicatur, formam habere propriam existẽtiam, dico, subsistentiam materiæ esse partialem, vniri autem cum subsistentia formæ, eo modo, quo vniuntur materia, & forma inter se, neq. ex hoc sequitur vllum inconueniens, quia licèt de sua ratione non exigat talis subsistentia alteri vniri, vniuntur tamen ambæ, per accidens, & secundariò, ad vnionem naturarum, quarum sunt subsistentiæ, sicuti etiam quando duæ partes integrantes, & subsistentes inuicem vniuntur, vt v.g. plures guttæ aquæ, & earũ subsistẽtiæ vniũtur, in quo nulla apparet implicãtia. Quòd si dicatur, formã non habere propriã subsistentiã, dico subsistentiã materiæ esse totalem, non tamen completam, cum adhuc ad sui complementum exigat incommunicabilitatem, qua compositum alteri, vt supposito sit incommunicabile, quod complementum haberetur à forma, licèt non esset subsistens, cum non subsistentiam, sed solùm eiusdem complementum tribuere deberet.

19 Collig. ex dictis. Quòd si forma habet propriam existentiam, nulla apparet implicantia, materiam posse supernaturaliter expoliari quacumq forma substantiali, cum enim materia secundùm suum esse sit existens, & subsistens independenter à forma, ideo sine forma a Deo poterit conseruari. Quòd si sustineatur, non habere propriam existentiam, sed esse terminum substantialem eiusdem materiæ, vt infrà, pariter erit sustinendum materiam, neq. diuinitus absq. omni forma conseruari posse, cum enim nulla res nequeat esse sine suo termino intrinseco, vt Quantitas sine figura, linea, sine vltimo puncto, &c. ita hoc pacto neque materia esse poterit absq. omni forma substantiali tamquam illius termino substantiali intrinseco.

SECTIO V.

Vtrum Materia prima sit Corpus.

20 SVpp. est. Hoc nomen *corpus* multipliciter sumi posse, vel pro composito ex materia, & forma, & dicitur corpus perfectum, & completum, estq. quod diximus esse obiectum Physicæ, licèt etiam corpus metaphysicum appelletur, quatenus habet omnia essentialia metaphysica requisita ad esse corpus completum; vel sumitur pro corpore habente omnes dispositiones, & organa ad recipiendam animam, quæ ideo definitur ab Aristotele *actus corporis organici, &c.* & hoc dicitur corpus Physicũ; vel pro trina dimensione, lõgitudine s. latitudine, & profũditate, & hoc dicitur corpus Mathematicũ; vel denìq. pro ente substantiali per se subsistente habente partes, ratione quarum contradistinguatur à spiritu, & hoc est corpus Physicum, simplex tamen, hæcq. est prima, & propria ratio corporis substantialis, cætera enim sunt potiùs talia corpora, quam simpliciter corpora.

Modò ergo inquirimus, vtrum materia prima sit de se corpus, sumendo corpus in hac vltima, & proprijssima acceptione, certum est enim, neq. esse corpus metaphysicum, neq. physicum organicum, neq. mathematicum, s. trinam dimensionem, cum sit accidens, materia verò sit substantia.

Prima Conclusio. Materia prima est Corpus substantiale simplex. Ita cum Stoicis Pericle, Lydio apud Simplicium primò Physicorum com. 65. & aliis multis antiquis, Zabarella lib. 2. de Mat. cap. 12. & 17. Serb. disp. 1. in Phys. quæst 2. art. 3. Guarinus disp. 2. in Phys. expen. 4. contra communem, hoc etiam concedit Pontius disp. 3. de Mat. prima quæst. 5. conc. 3. in Respons. ad sextum n. 80.

Prob. 1. Id, per quod differunt materialia ab immaterialibus est materia, sed per molem, & per esse corporis, differunt materialia ab immaterialibus, ergo materia prima est corpus, mai. & min. sunt euidentes, ergo & conseq.

Neq. dicas. Materialia ab immaterialibus differre, per corporeitatem, quæ tamquam differentia ponitur à latere in Prædicamento, cum dicitur, substantia, alia est corporea, alia incorporea, atq. adeo cum materia non se habeat, vt differentia, neq. posse dici corpus.

Resp. enim. Verum esse corporeitatem esse differentiam, qua contrahitur genus substantiæ, at nos non dicimus materiam esse corporeitatem, atq. adeo differentiam, benè verò corpus, s. substantiam contractam per differentiam corporeitatis; nam licèt admittamus materiam ens simplex physicè, illã tamen non admittimus talẽ metaphysicè; quomodo autem vt talis possit collocari in linea recta prædicamentali, patebit in Responsione argumentorum.

Prob. 2. Composita physica sunt corpora de categoria substantiæ, ergo debet in ipsis dari id, per quod sint corpora, sed hoc non potest esse forma, non nexus formæ cum materia, ergo ipsa materia, ergo materia est corpus, min. quòd non possit esse forma prob. vel enim hæc esset forma generalis corporis, vel specifica, non generalis coeua materiæ, implicat enim, vt inferiùs probabimus, neque etiam specifica, talis enim facit tale corpus, non verò absolutè corpus, sic animal a sensu habet quòd sit tale corpus, quod animal dicitur, non autem, vt sit absolutè corpus. Tum quia ab vna forma vnũ solum habetur esse, ergo si a forma specifica, v.g. ignis habetur, quòd illud compositum sit ignis, ab eadem nequit haberi, quòd sit corpus,

Tum

Tum deniq. quia, corpus debet esse genus vniuocum omnibus participantibus rationem corporis, sed non esset, si ratio corporis modò haberetur à forma lapidis, modò à forma ignis &c. cum hæ formæ non sint vniuocæ, ergo à primo ad vltimum ratio corporeitatis nequit haberi à forma.

21 Prob. etiam eadem min. quòd ratio corporis nequeat haberi à nexu formæ cum materia. Si materia non est corpus, cum neq. etiam forma sit corpus, ergo ex ipsis non potest haberi corpus, ex non corporibus enim, nequit fieri corpus. Tum quia, ratio à qua desumitur vniuocatio cuiuscumq. generis, & speciei, debet esse vna simplex, quæ illi correspondeat extra intellectum, sic ratio viuentis est simplex forma, anima s. vegetatiua, ratio animalis, est anima sensitiua, ratio hominis anima rationalis, ergo etiam ratio, qua corpus est genus respectu cæterorum corporum, debet esse simplex, ergo non potest esse nexus formæ cum materia.

Prob. 3. Corpus de suo formali non potest importare compositionem physicam, ergo ens simplex, ergo materia, quæ est ens simplex, & subiectiuum corporeorum, debet dici corpus; antecedens patet, esse enim corpus, est esse ens substantiale, per se subsistens, cum habitudine partium integralium diuisibilium, quæ nequeant existere in puncto, sed hoc non importat compositionem physicam, ergo &c. Tum quia in multorum sententia, corpora cœlestia sunt simplicia, & tamen sunt corpora, ergo esse corpus, non importat esse compositum. Quare cum ratio generica corporis possit participari, tam ab ente simplici, quàm à composito, materiam esse corpus asserendum est, vt potè subiectum substantiale perseuerans cum habitudine partium integralium diuisibilium &c. immo priùs materiam esse corpus, & ratione ipsius totum compositum videtur dicendum corpus, si enim attendatur modus, quo ratio generica corporis descendit ad inferiora, priùs participatur à corpore simplici, deinde à composito, compositum enim substantiale corporeum, corpus vocatur, propter subiectum, quòd est primum in illo, estq. corpus.

Prob. 4. Datur corpus de categoria Quantitatis, s. trina dimensio, quæ est accidens, ergo etiã debet dari corpus de categoria substantiæ, in quo tale accidens subiectetur, conseq. prob. accidens enim corporeum nequit dici subiectari nisi in corpore.

22 Neq. dicas. Dimensiones, seu corpus de categoria quantitatis subiectari in toto composito.

Resp. enim. Dato quòd subiectentur in toto cõposito; debere tamen subiectari, aut ratione materiæ, aut ratione formæ, non ratione formæ, quæ, cũ possit esse spiritualis, non potest esse subiectum accidentis corporei, ergo ratione materiæ; deinde.

Resp. 2. Aliquando destruitur compositum, & tamen remanent eædem dimensiones, vt patet in ligno igne facto, sed hæ dimensiones, cum sint accidentia corporea, nequeunt stare sine subiecto corporeo, ergo dicendum est inhærere in materia, quæ sola perseuerat, ergo illam esse corpus, vt potè subiectum accidentis corporei.

Prob. 5. Agens naturale producit formam introducendo priùs in materia accidentia, & dispositiones corporeas, sed si materia nõ esset corpus, talia accidentia nequiret recipere, ergo dicendum quòd sit corpus, mai. est certa, min. prob. nam ideo Angelus accidentia corporea recipere nequit, quia incorporea substãtia est, ergo ad accidentia corporea recipienda, corporea substantia requiritur.

Neq. dicas. Accidentia subiectari in toto composito.

Resp. enim. Quòd hoc pacto etiam subiectarentur in forma destruenda. at hoc nequit dici, ergo &c. subiectarentur inquam in forma destruenda, quia est pars talis compositi, hoc autem implicat. Tum quia, ad nihil prorsus deseruirent, destructa enim forma, destruerentur etiam ipsa accidentia, vt potè etiam in ipsa inhærentia, quare frustra agens naturale disponeret subiectum. Tum quia videmus remanere in genito accidentia, & dispositiones priùs introductas, ergo in materia, non in composito fuerunt introductæ, compositum enĩ corrumpitur, materia verò perseuerat.

Prob. 6. Paruus ignis magnam molem, & corpus ignis producit, & tamen esse molis, & corporis nequit haberi ab igne paruo producente, nemo enim dat, quod non habet, ergo habetur à materia; quæ est in genito igne, ergo materia est corpus.

Prob. vltimò. Nihil constituitur existens per suum contradictorium, vel contrarium; vel ergo materia secundùm se habet partes, vel est indiuisibilis: si secundum, ergo constituitur existens per contrarium, seu contradictorium, s. per habitudinem partium, & sic semper stat in statu violento cum semper sit extensa in partes; si primum, ergo habemus intentum, quòd sit corpus, pro corpore enim intelligimus substantiam per se subsistentem, contradistinctam à spiritu, & habentem partes.

Conf. ex dicendis cum de Quantitate. Datur Quãtitatas de categoria substantiæ, estq. ipsa materia, sed quod est quantum habet partes, ergo materia habet partes, sed per habitudinem partium constituitur corpus contradistinctum à spiritu, ergo materia est corpus.

Ob. primò. Ideo in quacumq. generatione 23
substantiali durat, & perseuerat corpus, quia materia semper remanet cum aliqua forma, cum qua constituitur tale corpus, ergo non est dicendum quòd materia se sola sit corpus.

Resp. Dato quòd materia in aliqua generatione conseruet aliquam formam, quòd tamen à multis negatur, & præcipuè à Thomistis affirmantibus in generationibus substantialibus dari corruptionem vsq. ad materiam primam, attamen de suo essentiali hoc non exigere, quare tale agens naturale posset reperiri destruens quamcumq. formã, quo supposito, cum materia remaneret corporea absq. forma, ipsa debet dici corpus. Quòd autem

tem

tem dari possit tale agens destruens quamcumq. formam nulla apparet implicantia, cum quælibet forma ab aliquo agente possit destrui, formæ enim non sunt ingenerabiles, & incorruptibiles sicuti materia.

Ob. 2. Posset dici, materiam habere formam corporeitatis coæuam, æternam, & inseparabilem, sed hoc pacto saluarentur omnia absurda, quæ sequerentur non admittendo materiam esse corpus, ergo tali pacto est dicendum, & non asserendũ absolutè materiam esse corpus: est Auicenæ in primo sufficientiæ cap. 2.

Resp. neg. mai. Tum quia forma de suo conceptu est generabilis, & corruptibilis, ergo nequit dari forma, quæ sit æterna, ingenerabilis, & incorruptibilis. Tum quia, hæc forma non esset specifica, vt ipse asserit, sed generalis, & communis, at forma generalis, & communis implicat, ergo &c. min. probatur, forma enim ex Aristotele dat esse specificum, ergo non potest dare esse genericum. Item vel hæc forma generalis faceret vnum per se cum materia, vel non; si non, ergo non est forma de cuius ratione est facere vnum per se cum materia, si primum, ergo posset dari materia cum hac sola forma, quòd nequit dici; omne enim quod existit completè, in aliqua specie debet existere; nõ existeret autem per hanc formam generalem in aliqua specie, ergo &c.

Tum quia, ideo admittit hanc formam coæuam materiæ Auicenna, vt esset principium, & inchoatio cæterarum formarum, & hoc pacto saluaret, formas ex hac forma fieri, non verò ex nihilo sui, quòd putabat esse creationem, sed non esse necessariam talem inchoationem ad hoc vt formæ non creentur, licet ex nihilo sui producatur, inferiùs probabimus, ergo neq. esse necessariam talem formam coæuam, asserendum est.

Tum quia, vel hæc forma esset extranea materiæ, sicuti sunt coeteræ aliæ, vel esset essentialis, & de conceptu essentiali materiæ; si essentialis, ergo ipsa materia esset essentialiter composita, ergo non ens simplex, quare meliùs est dicendum esse corpus, quàm habens formam corporeitatis, cum qua componatur; si verò talis forma esset illi extranea, ergo ad hanc materia se haberet sicuti ad alias formas, vt potentia passiua, sed potentia passiua ex Aristotele 9. Met. est potentia contradictionis, & æquè respiciens opposita, ergo ad hanc formam materia esset potentia contradictionis s. potentia ad illam habendam, & non habendam, qualis est respectu coeterarum formam, ergo aliquando posset illam non habere, (frustratoria enim esset talis potentia ad illam non habendam, si aliquando nõ posset reduci ad actum, illam .s. non habendo) ergo cum illam posset non habere, neq. illi coæua, neq. æterna est dicenda. Quare cum nullo pacto sit necesse admittere hanc formã corporeitatis, cũ absq. illa optimè saluetur omnis generatio substantialis, & productio formæ, & ex alio capite multa absurda, & inconuenientia oriantur, meliùs est dicendum, materiam de se esse corpus simplex de categoria substantiæ.

24 Ob. 3. Optimè saluatur ratio corporis in composito, si dicatur, materiam esse substantiam corpoream, non corpus, sicuti est forma corporea, ergo non est dicendum, materiam esse corpus, sed solùm esse corpoream, & ex duabus substantiis corporeis componi corpus.

Resp. neg. antecedens; & ratio est, quia diuersimodè se habet materia in composito ac forma, materia enim se habet, vt subiectum per se subsistẽs; forma verò vt inhærens, quare subiectum tale debet esse, vt possit recipere inhærens corporeum, quòd aliud non potest esse nisi corpus, si enim materia habet esse corporeum, habet iuxta suum naturale esse .s. esse corporeum substantiale, per se subsistens, subiectiuum, habens partes integrales diuisibiles, non potens existere in puncto, &c. hoc autem nihil aliud importat, nisi corpus de categoria substantiæ, cuius præcipua ratio est, per se stare, & subsistere; forma autem non potest dici corpus, sed solùm corporea, quia non est subiectũ per se stans, sed solùm actus corporeus ipsius materiæ .s. complementum materiæ in esse talis corporis; quare cum forma careat complemento requisito ad veram rationem corporis .s. per se subsistendi, vt sit subiectum aliorum, quæ ab extrinseco sunt, ideo ab illa neq. vt vnita materiæ ratio corporis potest haberi, atq. adeo à materia desumenda est.

Ob. 4. Ex materia, & forma, licet non sint composita, fit compositum, ergo pariter potest fieri corpus licet materia, nec forma sint corpora, ergo non est dicendum, materiam esse corpus.

Resp. neg. conseq. & disparitas est, quia compositum nihil aliud est, quàm duo simul vnita, quare licet partes vnitæ sint simplices, ex ipsis potest fieri compositum, quia solùm requirit partes, sicuti ad componendum lignum bipalmare, non est necesse quòd partes sint bipalmares, sed palmares, cum ex duabus palmaribus fiat lignum bipalmare. At sic non euenit in compositione talis compositi, ad hoc enim, vt sit tale compositum, tales debent esse partes, & ideo sicuti non fieret lignum bipalmare ex parte palmari lignea, & ex parte palmari ferrea, ita neq. fieret compositum corporeum nisi aliqua ex partibus esset corpus. Quare cum forma corpus non sit, dicendum est, quòd sit materia, & ad summum, rationem specificam talis coporis .s. physici, & completi, haberi à forma, non verò rationem corporis simpliciter, cùm enim corpus physicum constet ex partibus nè dum integrantibus, sed essentialibus, ideò, ne dum à materia, sed & à forma, quæ sunt partes essentiales, haberi dicendum est, non sic verò corpus simplex, quod solùm ex partibus integrantibus componitur, quæ partes integrantes habentur à materia.

Ob. 5. Si materia esset corpus, sequeretur semper easdem remanere dimensiones in quacumq. generatione, sed hoc apparet falsum, vt in ligno ignefacto, quod diminuitur, ergo &c.

Resp. neg. sequelam, hoc enim solùm deberet sequi si materia esset trina dimensio; at materia est corpus substantiale, in quo tanquam in subiecto recipitur trina dimensio vt potè, accidens, quòd vt tale aliquando perseuerat, & aliquan

do

26 do destruitur, ergo, &c.

Ob. 6. Si materia esset corpus, poneretur directè in prædicamento substantiæ, sed ex communi omnium philosophorum, materia solùm indirectè ponitur in prædicamento substantiæ, ergo non est corpus, mai. prob. quia corpus ponitur directè in prædicamento substantiæ, dicitur enim substantia, alia est corporea, alia incorporea, deinde, corpus, &c. min. patet, quia solùm entia completa debent poni in linea recta, at materia est ens incompletum, ergo &c.

Resp. data mai. neg. min. ad cuius probationem dico, duplicitèr ens posse dici completum, & physicè, & metaphysicè; ens completum physicè est ens constans ex materia, & forma: completum verò metaphysicè, est constans ex genere, & differentia; quando autem dicitur, in prædicamento substantiæ directè solùm poni entia completa, intelligendum est de ente completo metaphysicè, nō physicè, quòd clarè patet ex eo quia prædicamentum formale nihil aliud est, nisi series generū, & specierum, ergo complementum, & incomplementū in entibus prædicamētalibus, se debet tenere respectu generum, specierum, & differentiarum, quæ sunt partes metaphysicæ, non respectu materiæ, & formæ, quæ sunt partes physicæ, quare cum materia metaphysicè sit ens completum ex genere substantiæ, & differētia corporeitatis &c. per quam contrahitur substantia vt sic, ad esse corpus, ideo non implicat etiam directè poni in prædicamento. Hoc autem ita verum est, vt contrarium, licet cōmuniter ab omnibus admissum, in terminis implicare videatur, ex eo quia, in prædicamento substantiæ reductiuè, & indirectè solùm ponuntur differentiæ, corporeum, & incorporeum, sensitiuum, & insensitiuum, rationale, & irrationale, at materia se habet veluti genus, non vt differentia, neq. enim fungitur officio differentiæ, cum, nec certam rei naturam constituat, nec apta sit rem à re distinguere, ergo non à latere, sed in linea recta ponenda est, in qua ponuntur genera: & quia, in linea recta substantiæ, corpus est ens simplicius omnibus præter generalissimum, sub illo collocanda est, atq. adeo sub genere corporis, sub quo genere, neq. implicat contineri corpora completa physicè ipsa enim sunt etiam metaphysicè completa, quòd complementum in entibus prædicamētalibus directè collocandis est obseruādum; & licet in linea recta ponantur genera, quæ metaphysicè sunt entia incompleta, attamen non vt talia, sed vt completa in recta linea collocantur, cum enim omnia genera in recta linea collocata, subalternentur alicui superiori generi, ideo ex ipso, & ex propria differentia componuntur, atq. adeo omnia sunt genera subalterna, & composita respectu generis superioris, cui subalternantur, licet sint simplicia respectu specierum inferiorum. Quare hoc pacto omnia sunt metaphysicè composita, excepto tamen genere generalissimo, quod ex necessitate debet esse simplex, ne detur processus in infinitum.

28 Coll. ex dictis. Essentiam materiæ consistere in hoc, quòd sit corpus substantiale simplex, per se subsistens, ingenerabile, & incorruptibile, incompletum, & indeterminatum, primum subiectum, in quacumq. re physica, per formam substantialem complebile, & determinabile in ordine ad compositum; patet hæc definitio ex dictis, in eaq. comprehenditur, nedum illius esse physicum, sed & metaphysicum, physicum quidem, dum explicantur omnia prædicata, quæ illi conueniunt, neq. enim vt ens simplex debet habere ea prædicata essentialia, ex quibus essentia physica compositorum cōstituitur, materiam, & formam; metaphysicum etiā, explicatur enim genus per ly corpus substantiale, genus tamen subalternum generi generalissimo substantiæ, materia enim ex dictis, est substantia primò contracta à differentia corporeitatis, atq. adeo corpus, primum genus subalternum substantiæ, explicatur etiam illius differentia per ly incompletum, &c. per hoc enim quòd materia sit incompleta in ordine ad compositum, & complebilis per formam, cuius est primum subiectum, explicatur illius differētia à cæteris substantiis corporeis, quæ consistit in susceptiuitate, quatenus enim incompleta, est susceptibilis sui complementi in ordine ad compositum, ratione cuius complementi ponitur in determinata specie physica, & etiam metaphysica, diuersa tamen ab illa, in qua est secundum suum nudum, & simplex esse; cæteræ particulæ ponuntur ad explicandas aliquas illius proprietates, & affectiones essentiales.

Hæc autem definitio materiæ concordat aliquo pacto cū obscuris definitionibus Aristotelis, in primo enim physicorum tex. 82. sic definit materiam *materia est primum subiectum vniuscuiusq. ex quo fit aliquid, cum insit, non secundum accidens, & si corrumpitur aliquid in hoc abibit vltimum* quare primam particulam ly *est primum subiectum* explicamus in nostra definitione, per ly *est corpus* demonstrantes .s. quale subiectum materia sit .s. corporeum, si enim hoc pacto non explicaretur, non distingueretur à substantiis spiritualibus, nam etiā substantiæ spirituales sunt subiecta suorum accidentium spiritualium, additur autem *substantiale* significantes, non esse corpus accidentale, quòd intelligitur ab Aristotele, per particulam ly *non secundum accidens*, dicitur *incompletum, & indeterminatum, per formam substantialem determinabile, &c.* ad explicandum, quòd materia ingreditur tāquam pars in composito, quod ex ipso, & forma constituitur, quòd intelligitur ab Aristotele per particulas *ex quo aliquid fit cum insit*, dicitur tandem *ingenerabile &c*, ad demonstrandam præcipuam illius proprietatem, quæ consistit in hoc, quòd materia semper remanet. & quæcumq. corruptio, ad ipsam terminatur, nec amplius progreditur, quòd intelligitur ab Aristotele per vltimas particulas, *& si corrumpitur aliquid .s.* compositum *in hoc abibit vltimum*.

Conf. etiā alteri definitioni, quā de materia tradit 7. Metaph. tex. 8. dicendo *materia per se ipsam neq. quid nec quantum, neq. aliquid quippiam dicitur, quibus ens determinatur*, cum enim ibi Aristoteles intellexerit, materiam non esse substantiam completam, & determinatam

dicentem secundùm se rationem quantitatis accidentalis, qualitatis, aut alterius accidentis, sed aliquid incompletum, & indeterminatum, conformatur nostræ definitioni, in qua admittimus materiam tamquam aliquid indeterminatum, & incompletum, determinabile verò, & complebile à forma in ordine ad compositum.

27 Coll.2. Potentiam, quam habet materia ad recipiendas formas substantiales in ordine ad constituendum compositum, esse illi essentialem, sic tenent communiter recentiores, inter quos Auersa quæst.20. de materia, & forma sec. 6. vbi innumeros Philoso. huius sententiæ sequaces adducit. Ratio autem est, quia materia essentialiter, & secundùm proprium conceptum est pars compositi, sed non potest esse pars compositi, nisi quia sit essentialiter subiectiua, ergo materia est essētialiter subiectiua, seu esse subiectiuum est de eius essentia, sed esse subiectiuum formæ, est dicere potentiam ad formam, ergo, &c. min. prob. auct. Aristotelis, qui secundò Physicorum tex.26. ait *materia est eorum quæ sunt ad aliquid* nempè ad formam, ergo secundùm suum conceptum essentialem importat respectum essentialem ad formas in ordine ad compositum, min. prob. alium enim conceptum efformare non possumus de materia, quæ physicis rationibus iam est demonstrata. Patet secundò idem assertum, quia susceptiuitas, ex dictis, est ratio differentialis, & metaphysica materię, at susceptiuitas idem est, ac potentia recipiendi formam, ergo potentia recipiendi formā, seu posse, recipiendo formam, constituere compositum, est illius essentialis ratio differētialis, seu illius essētia, differētia enim metaphysica pertinet ad essētiā, vt patet.

Neq. valet, si huiusmodi potentia esset essentialis materiæ, cum per positionem actus, seù formæ ipsa tollatur, tunc destructuram essentiam materiæ.

Resp. enim. Potentiam susceptiuam, & subiectiuam non destrui ad positionem actus, immo potiùs perfici, dum enim materia habet formā, valet dicere, habet ad illam potentiam, si enim hoc non valeret, valeret eius contradictorium, non habet potentiam, quòd tamen est falsum, si tamen potentia propriè intelligatur pro aliquo positiuo essentiali .s. aptitudine essentiali ad formam, quo pacto hìc eam sumimus, non pro carentia, & priuatione formę, vt à multis impropriè sumitur potentia, hæc enim carentia, seu priuatio tollitur ab ipsa materia aduentu formæ, atq. adeo non est illi essentialis. Vtrum autem sit eadem potentia ad omnes formas substantiales, & etiam accidentales, probabiliùs mihi videtur asserendum affirmatiuè, cum respectu vtriusq. formæ, materia se habeat, vt subiectum ipsarum receptiuum .l. tamen respectu substancialium, ad constituendum vnum per se, respectu verò accidentalium, vnum per accidens. Videatur de hoc diffusè inter recentiores Serbellonus disp. prima in Physica quæst. 2. ar. 5.



SECTIO VI.

De appetitu materię primę Ad formas substantiales.

SVpp.est. Appetitum propriè loquēdo esse actū uolūtatis, quo volūtas desiderat aliquid bonū, 28
vocaturq. appetitus elicitus .s. actus elicitus à volūtate ad aliquid amandum: trahitur autē hoc nomen appetitus ad significandam quamcumq. inclinationem naturalem cuiuscumq. rei, & hic vocatur appetitus innatus, nihilq. aliud est, quàm quædam propensio indita à natura cuilibet rei ad sui perfectionem, sic lapis dicitur appetere centrum, &c.

Duplex autem potest esse hæc propensio, aut appetitus innatus, sicuti est, elicitus, vel per modum desiderii, quo natura inclinat in res absentes, vel per modum gaudii, & complacentiæ qua natura complacet in bono quomodocumq. possesso: modò ergo, cum certum sit, appetitum elicitum, vt potè proprium solius uoluntatis, non posse haberi à materia, inquirimus, an, & qualem appetitum innatum habeat ad formas, ut potè sui bonum in ordine ad compositum, & præcipuè an habeat appetitum ad formas, ut sic, uel ad formas in particulari, an .s. materia, dum appetit formas, illas appetat in genere, .s. vt aliquam rationem communem abstractam ab omnibus formis in particulari, ut communiter constituitur forma generica, uel secundum nostram doctrinam, an omnes simul, ut conueniunt in ratione communi formæ; an uerò illas appetat in particulari, hanc .s. uel illam formam secundum suum esse indiuiduale, determinatum tamen ad esse talem formam.

Suppon. 2. Appetitum materiæ ferè coīcidere cum ipsius potentia, cum enim potentia materiæ essentialiter importet exigentiam formę, per consequens etiam inuoluit appetitum ad formas .s. inclinationem ad illas, quare appetitus supra potentiam solùm dicit inclinationem ad id, ad quod est potentia, quòd nihil aliud importat, nisi ipsam rem potentialem inclinatam ad actum, à quo compleatur, et satietur.

Prima Conclusio. Materia prima nudè sum-
pta habet appetitum ad omnes formas sibi uni- 29
endas, seu ad omnia composita constituenda, non quidem ad formas, vt sic, sed ad eas determinatè, & secundùm earum indiuiduationem, non quidem collectiuè, sed disiunctiuè, aut unam .s. aut aliam; ita quoad primam partem cum Aristotele hìc tex.81. ferè communiter omnes; quoad alias uerò, Ouiedo contr. secunda de materia punc.4. § 3, Spinula disp. secunda de materia sec. 4. & alij multi recentiores.

Probatur prima pars. Appetitus innatus in entibus insensibilibus est inclinatio, ad ali-

quam

quam perfectionem habendam, ſed materia nudè ſumpta eſt inclinata ad habendam perfectionem à formis in ordine ad compoſitum, ergo ad illas habet appetitum; mai. ex ſuppoſito patet, min. prob. materia enim eſt ens incompletum, de ſe ordinatum ad totum componendum, ergo inclinata ad formam, ſimul cum qua conſtituit compoſitum.

Prob. ſecunda pars, quòd .ſ. appetat formas non vt ſic, ſed in particulari; Appetitus innatus materiæ reſpicit formas ſub illa ratione, ſub qua ſunt ſatiatiuæ, & completiuæ talis appetitus, ſed non forma vt ſic, benè verò talis, vel talis forma in indiuiduo eſt ſatiatiua appetitus materiæ, ergo &c. min. prob. materia ſolùm poteſt ſatiari per formam, quam poteſt recipere ſed non poteſt recipere formam vt ſic, benè verò talem vel talem in indiuiduo, ergo, &c. hæc min. prob. forma enim vt ſic eſt forma generica, at materia non poteſt recipere formam genericam, cum vel ſit in intellectu, vel iuxta noſtram ſententiam, ſint omnes formæ ſimul, quas ſimul omnes nequit habere, ergo neq. formam vt ſic, atq. adeo neq. illam appetere, benè verò hanc, vel illam in indiuiduo.

Prob. 2. Materia dicit appetitum ad formas in ordine ad conſtituendum compoſitum, ſed compoſitum quodcumq. cõſtituitur ex forma particulari, non generica, ergo ad formã particularem, ſeu ſecundùm illius indiuiduationem dicit appetitum, non verò ad genericam, ſeu vt ſic.

Aduer. tamen, quòd non intelligimus, materiam dicere appetitum ad formam, quatenus eſt hæc numero ẽtitas ſed quatenus eſt talis, & numero, & ſpecie ẽtitas. ſ. quatenus eſt forma, quãdo enĩ dicimus, non appetere formam vt ſic, ſolum intelligimus excludere formam genericam, quæ conſiſtit, aut in aliquo abſtracto, aut comprehendit omnes formas poſſibiles, non autem volumus excludere rationem ſpecificam, quam quælibet forma in indiuiduo habet, vt enim talis, eſt ſolùm ſatiatiua appetitus materiæ.

Prob. 3. pars, quòd .ſ. appetat formas ſub diſiunctione. Materia ſolum poteſt appetere id, quod poteſt recipere, vt ſui perfectionem in ordine ad compoſitum, ſed formas ſub diſiunctione, modò .ſ. hanc, modò illam poteſt ſolùm habere, non verò ſimul omnes, ergo illas appetit ſub diſiunctione, non verò ſimul, & collectiuè omnes; & ex hoc deducitur, appetitum materiæ ad formas eodem modo eſſe ad perfectiores, quàm ad imperfectiores, cum enim æquè ab omnibus poſſit ſatiari illius exigentia, quam habet reſpectu ipſarum in ordine ad compoſitum, ideo &c.

30 Secunda Concluſio. Materia etiam habet appetitũ ad formas corruptas. Ita ſupracit. Auctores cũ Põtio diſp. 3. de materia quæſt. 7. concl. 1. Morando, in primo Phy. Trac. 2. quæ. 8. Guarino diſp. 2. de mat. prima exp. 6. Spinula diſp. 2. in Phy. ſec. 4. conc. ſecunda, Auerſa quæſt. 20. ſec. 11. Rubio, Amico, Serb. & alijs, contra Arriag. diſp. ſecunda Phy. ſec. 4.

Prob. 1. Materia in tantùm appetit formas, in quantùm cum illis poteſt facere vnum per ſe, ſed etiam cum forma deſtructa poteſt facere vnum per ſe, ergo illam appetit. min. prob. forma enim corrupta, ſi de nouo à Deo produceretur (quòd non implicat) haberet omnia requiſita ad conſtituendum vnum per ſe cum materia, ergo, &c.

Prob. 2. Antequam forma corrumperetur, erat in materia appetitus ad illam, ergo perſeuerat etiam poſt illius corruptionem, conſeq. prob. quia appetitus materiæ, eſt ipſa eſſentia materiæ, ſeu exigentia eſſẽtialis materiæ, ſed per corruptionem formæ, non corrumpitur eſſentia materiæ, ergo neq. illius appetitus ad talem formam.

Neq dicas ex Arriaga. Appetitum naturalem materiæ eſſe ad formas naturaliter producibiles, ergo cum formæ corruptæ nequeãt naturaliter reproduci, ad ipſas non eſſe in materia appetitum naturalem, & hoc maximè, quia ſi reproducerentur nõ reciperentur in potentia ſubiectiua naturali materiæ, ſed in illius potentia obedientiali, quæ correſpondet actui ſupernaturaliter exiſtenti.

Reſp. enim, Appetitum materiæ ad formam eſſe vt ad ſui perfectionem in ordine ad compoſitum, atq. adeo abſtrahere ab illius productione, vel naturali, vel ſupernaturali, quare cum forma corrupta, & ſupernaturaliter à Deo producibilis, poſſet perficere materiam in ordine ad compoſitum, ideo ad illã habere appetitũ dicendũ eſt. & hoc præcipuè quia appetitus ſupponit eſſentialẽ potentiã in materia ad illã, quæ adhuc perſeuerat, neq. enim ſufficeret ad talem formam potẽtia obedientialis, talis enim potentia aſſignatur ſolùm pro formis ſupernaturalibus in entitate, non in modo.

Neq. dicas ſecundò ex eodem, Materiam naturaliter non poſſe appetere impoſſibile, ſed formam corruptam reproduci, eſſe impoſſibile, ergo &c.

Reſp. enim diſting. mai. materia non poteſt appetere impoſſibile abſolutè, & per ſe, & conc. impoſſibile per accidens & neg. mai., forma autem corrupta, licet per accidens .ſ. naturaliter, ſit impoſsibilis, tamen abſolutè, & per ſe non eſt impoſsibilis, quomodo eſt v. g. Chimera, quæ cum neq. à Deo poſſit produci, abſolutè dicitur impoſſibilis, non ſic verò forma, quæ à Deo poteſt reproduci, licet corrupta.

Tertia Concluſio. Materia prima, dum habet formas, habet ſolùm appetitum cõplacentiæ ad illã, nõ uerò appetitũ deſiderii ad alias. Quoad primã partẽ eſt ferè communis, quoad ſecundam verò Guarini loco ſupra citato, Spinulæ eodem loco quo ſupra Concl. 4. concedit etiam Ouiedo pro illo inſtanti in quo materia habet complacẽtiam in forma quam habet, licet neget pro inſtantibus ſubſequentibus, Et tamen contra communem, præcipuè Serbellonum diſp. 5. quæſt. ſecunda art. 6. concluſione 5. & alios ferè communiter. 31

Probatur prima pars. Appetitus complacentiæ conſiſtit in complacentia de bono poſſeſſo, ſeu in inclinatione naturali, & actuali in bonum

possessum, ergo dum materia habet formam sibi bonam, habet appetitum complacentiæ ad illam.

Prob. 2. pars. Materia prima dum habet formam substantialem, habet perfectè satiatum appetitum, etiam si semper staret sub illa forma, ergo non est cur appetat alias appetitu desiderij, conseq. prob. in tantùm enim appetit formam, vt habeat sui satiatiuum, & completiuum in ordine ad compositum, ergo dum habet, non est cur aliud appetat.

Prob. 3. Si materia dum habet formam, aliam appetitu desiderij appeteret, vel appeteret, quia esset in statu violento, vel quia non esset perfectè satiata, neutrum dici potest, ergo &c. min. pr. quis enim dicet materiam sub aliqua forma esse in statu violento? neq. etiam valet, non esse perfectè satiatam, quia quælibet forma substantialis, est perfectè satiatiua illius exigentiæ, ergo, &c.

33 Ob ex Serbel. Appetitus, seu inclinatio, & tendentia naturalis materiæ in aliquam formam, oritur, & resultat ab accidentibus disponentibus materiam ad aliquam formam, sed hæc accidentia, & dispositiones ad aliam formam possunt esse in materia, dum adhuc est informata, ergo & appetitus. mi. patet in materia enim perseuerante cum forma lignea, introducuntur dispositiones, & accidentia ad formã ignis, vt patet, mai. prob. præcisis enim accidentibus, non intelligitur in materia nisi capacitas communis & insistens, seu potentia ad omnes formas & per consequens, neque appetitus, neque inclinatio.

Resp. Neg. maio. appetitus enim materiæ in communi omnium acceptione nõ oritur ab accidentibus, sed est ipsa met materia exigens formã; quare ad probationem dico, præcisis accidentibus remansuram materiam cum sola capacitate, & indifferentia ad formas, quæ tamen capacitas, seu potentia vniuersalis, vt potè complebilis, dicit etiam exigentiam sui complementi, hæcq. præcipuè vocatur appetitus, si enim appetitus oriretur ab accidentibus, vt vult Serbell. ergo appetitus esset materiæ accidentalis, ergo tot essent appetitus, quot sunt formæ possibiles, ergo destructis accidentibus, destrueretur appetitus materiæ, quæ omnia implicant; dicendum est igitur, tendentiam, quam in formam habet materia ratione accidentium, & dispositionum, non esse propriè appellandam appetitum materiæ, benè verò impropriè, & largo modo, quatenus materia illis dispositionibus affecta, inclinatur in formam quoad illius esse specificum .s. quoad illius taleitatem, non verò quoad illius esse indiuiduale, quare cum forma non vt talis forma specificè, sed vt talis forma in indiuiduo sit satiatiua materię, ideo ille debet dici propriè appetitus materiæ ad formã, qui est ad formã vt ad suũ satiatiuũ, non ad tale satiatiuũ, atq. adeo, dũ habet formam, cum habeat suum perfectum satiatiuum, in illo solùm appetitum complacentiæ habere dicendum est, nulloq. alias appetitu proprio desiderij appetere; quòd si talem tendentiam respectu accidentium, quæ rigorose est solùm dicenda dispositio ad formam, vult appellare appetitum materiæ Serbellonus, nemo illi contradicet, sed impropriè, & contra communem sensum explicat rationem appetitus.

Ob. 2. Materia est radix corruptionis, dicitur enim adultera, & malefica, sed non posset esse huiusmodi, nisi per appetitum desiderij ad formas, quas non habet, & a quibus corrumpatur forma, quam habet, ergo, &c.

Resp. Materiam dici radicem corruptionis in sensu priuatiuo, non verò in sensu positiuo, .s. non quòd positiuè appetat aliam formam, à qua corrũpatur positiuè forma quã habet, sed quòd ex eo quia sit capax successiuè plures formas recipiendi, ideò priuari potest forma, quam habet, & sic priuatiuè est radix corruptionis, per indifferentiam, .s. quam ad omnes formas habet.

Ob. 3. Materia habet potentiam ad omnes formas successiuè, ergo & ad illas habet appetitum desiderij licèt sit sub aliqua forma, conseq. patet, appetitus enim materiæ est potentia ad formas.

Resp. Dato antecedenti, neg. conseq. & ad illius probationem dico, appetitum supra potentiã importare exigentiã rei, ad quã est potentia, l. enim realiter nõ distinguatur appetitus à potẽtia, cum sit ipsamet res potens, & exigens, tamen ipsa potentia de suo formali solùm dicit capacitatem ad recipiẽdam perfectionem, appetitus verò importat innatam inclinationem ad illam recipiendam, sic lapis dicitur habere potentiam ad centrum, ad illudq. dum ibi non reperitur, habet appetitum desiderij, qui cessat dum in centro collocatur, licet in ipso nõ cesset potentia, sicuti etiam euenit in appetitu elicito, à quo metaphoricè dicitur appetitus innatus; appetitus enim elicitus non est ipsa potentia potens tendere in obiectum, sed est ipsa actualis tendẽtia; Quare licet materia dicat semper potẽtiã subiectiuam ad omnes formas, attamen non habet appetitum ad illas, habet autem semper potentiam ad omnes formas, ex eo quia talis potentia materiæ non est nisi ipsa materia, quę vt potè essentialiter subiectiua, dicitur potentia, perseueratq. secundum se talis, etiam dum habet formã, quia etiam tunc actualiter est subiectiua illius formæ, ab illaq. tunc solùm aufertur potentialitas, seu negatio constituendi compositum, quòd sic nõ euenit respectu appetitus, qui cum sit exigentia rei debitæ, statim ac habetur res debita, non amplius est exigentia, seu appetitus ad aliam, sed solùm complacentia in illa.

Coll. 1. Hunc appetitum materiæ se extẽdere etiã ad formas accidentales, secundariò tamen, non primariò, & quatenus solùm sunt in ordine ad formas substantiales. 33

Coll. 2. Hunc appetitum materiæ ad formas, nõ esse relationem transcendẽtalem, quam habet materia ad formam, ex eo quia relatio transcendentalis solùm respicit possibilitatem termini, at appetitus materiæ, non potest esse ad formas solũ vt possibiles, sed vt actuales, vt potè enim possibiles non sunt satiatiuæ propriæ exigentiæ, ergo talis appetitus non est dicendus relatio trãscendentalis. Quare ipsius essentialis potentia ad formas, est eiusdem relatio transcendentalis, cum

enim

enim dixerimus, relationem transcendentalem, esse potentiam essentialem ad aliquid recipiendũ, & huiusmodi sit potentia materiæ, ideo in ipsa consistit relatio transcendentalis, quam habet materia ad formas.

SECTIO VLTIMA

De vnitate materiæ primæ.

34 MAteriam primam habere vnitatem genericam, nulli dubium est; est enim in genere substantiæ, entis, &c. non esse autem vnam, sola vnitate numerica, certissimum etiam est, cum tot sint distinctæ materiæ numericè, quot sunt distincta composita, solùm ergo dubitatur, an habeat vnitatem specificam, an .s. omnis materia sit eiusdem speciei; ratio autem dubitandi est, quia omnis distinctio specifica videtur esse à forma, quare cum materia secundùm se non includat formam, immò sit in suo esse independenter ab illa, ideo rationabiliter quæritur, an materia habeat secundùm se vnitatem specificam. Sit ergo.

Prima Conclusio. Materia prima, siuè omnes partes materię primę, habent vnitatem specificam. Ita cum Aristotele hic tex. 69. ferè communiter omnes.

Pr. 1. Ea dicuntur vnũ vnitate specifica, quæ cõueniunt in aliquo supremo genere contracto ab eadẽ differentia, seu quæ habent idem genus, & eãdem differentiam, sed huiusmodi est materia, ergo est vna, &c. ma. ex vniuersalibus patet, min. prob. omnes enim partes materiæ conueniunt in substantia, tamquam in ratione superiori, & generica, communi omnibus substantiis; item omnes partes materiæ habent eamdem differentiam, seu eamdem contractionem superioris generis substantiæ, quæ consistit in corporeitate, & susceptiuitate omnium formarum, ergo, &c.

Prob. 2. Effectus eiusdem rationis in causis efficientibus arguũt essentiam causæ eiusdem rationis, ergo effectus eiusdem rationis arguunt in causa materiali eamdem specie causam, sed omnis materia prima habet effectum eiusdem rationis .s. omnes formas posibiles, quæ in ratione specifica formæ omnes conueniunt, ergo & ipsa erit eiusdem rationis, & speciei.

Ob. 1. Forma tribuit speciem cuicumque rei, vt colligitur ex Arist. 7. Metaph. tex. 49. ergo materia, seclusa forma, nullam potest habere speciem, ergo neq. erit vna vnitate specifica.

Resp. Formam specificare compositum, non autem materiam, cum enim non inuoluatur in essentia materiæ, ideò materiæ specificationem tradere nequit, specificatiuum enim est essentiale rei specificatæ. Deinde forma tribuit speciem physicam, non autem metaphysicam, quæ habetur à differentia, quæ differentia potest reperiri in entibus phisicè simplicibus.

Ob. 2. Si materia esset in aliqua specie, esset completa, ergo non posset facere compositum, ex ente enim completo non potest haberi compositum, hoc enim pacto cõpositum esset in duplici specie, in propria .s. & in specie materiæ. 35

Res. Materiam posse considerari absolutã, & relatiuam, pro vt est absoluta, & secundùm se, est completa, & in propria specie determinata, pro vt verò dicit relationem ad formam, est incompleta, & determinabilis ad speciem compositi. Non implicat autem, compositum esse in duplici specie, sumendo in illo, & rationem totius, & partis, vt enim est totum, est in propria specie adequatè, reductiuè verò in alia, ratione illius partis .s. materiæ.

Ob. 3. Quod est contrahibile non habet vnitatem specificam, vnitas enim specifica, & contrahibilitas sunt rationes oppositæ, sed materia potest esse contrahibilis, ergo non habet vnitatem specificam, min. prob. materia prima potest contrahi à gradu viuentis, non viuentis.

Resp. dist. mai. Quod est contrahibile non habet vnitatem specificam, in ea ratione, in qua est contrahibile, & conc. mai. in alia ratione, nego mai. materia autem in ratione specifica, quam habet, non est amplius contrahibilis, atq. adeo vna vnitate specifica, sicuti, licèt ratio corporis respectu rationis superioris generica, scil. substantiæ, sit in specifica vnitate, tamen contrahitur per modum partis respectu viuentis. Aduertendum autem, nos dicere, materiam esse vnam vnitate specifica, quat. .s. est sub genere substantiæ, contracta à differentia corporeitatis susceptiuæ, &c. & solùm esse multiplicatam numericè, nam si comparetur respectu gradunm aliorum metaphysicorum, à quibus potest cõtrahi, debet dici, esse vnam vnitate generica, vtporè quia in vniuersalibus negamus speciem subalternam, cuius unitatem haberet materia in communi acceptione hoc pacto considerata.

Quær. An possit dari materia diuersæ speciei. 36

Resp. Nullam esse implicantiam, Deum creare materiam diuersæ speciei, immò aliqui sustinent de facto materiam cœlestem esse diuersam specie à sublunari, ut uidebimus in Tractatu de Cœlo; nulla inquam est implicantia, quia materia non est ens ita imperfectum, ut imperfectius creari non possit, ergo non implicat tale ens materiale imperfectius materia. Et hæc pro nunc sufficiant de materia prima.

DISPVTATIO SECVNDA.

In eumdem Primum Librum Physicorum Aristotelis

De Forma, &

De eius Priuatione.

1 VIsa prima parte compositi, seu Corporis naturalis, secundæ partis, quæ Forma appellatur, eo quòd formet, & poliat ruditatem, & difformitatem materiæ, perscrutanda est quidditas, at quia nomine formæ, multa à Philosophis aliquando intelliguntur, f. vel essẽtiæ rerũ, uel rationes formales, per quas res inuicem differunt metaphysicè, ut ratio rigibilis, rationalis, &c. uel uirtutes mouẽtes cœlos, sorore assistentes appellatæ, uel formæ artificiales introductę in materia ab arte, ideò præcauendũ est, uos hic appellare formam illam partem compositi naturalis, quæ complet, & perficit materiã in ordine ad cõpositum, quæ forma, cum in duplici differentia possit esse, s. & substantialis, & accidentalis, substantialis quidem, quæ substantialiter afficit subiectum, & compositum intrinsecè componit, accidentalis uerò, quæ solùm accidentaliter, & extrinsecè, ideò hic primò solùm quærimus de substantiali, postea uerò de accidentali. Sit ergo.

SECTIO I.

An sit Forma substantialis.

2 FOrmam substantialem multi ex antiquis ignorauerunt Philosophi, præcipuè tamen Parmenides, & Mellissus, asserentes, omnes res naturales esse unius speciei, & substantiæ solùmq. accidentaliter differe; alii, licèt eas agnouerint in mixtis, negauerunt in elementis, ut Empedocles relatus ab Aristotele tex. 50. & secundò Phys. tex. 22. alij tandem in rebus naturalibus præter materiam, solùm admiserunt quamdam temperiem accidentalem primarum qualitatum, quæ esset principium radicale cœterarum, sic Gallenus lib. 1. de Elem. Alex. Aphrodisæus 12. Met. com. 12. Philoponus 2. de Gen. com. 7. Dari tamen formas substantiales, compositum substantiale cõponentes, simul cum materia, communis Peripateticorum schola, omniumq. Philosophorum Accademiæ vnanimi admittunt consensu, & licèt multi, inter quos Serbell. hic disp. 1. quæst. 4. art. 1. acriter contendant, solùm affirmari posse dari formas substantiales, propter summam auctoritatem ferè omnium Doctorum, cum Aristotele, non quia rationibus euidentissimis, hoc sit demonstrabile, tamen etiam rationibus validissimis euidenter innotescere an sit forma substantialis, conabimur ostendere. Sit ergo.

Prima Conclusio. Datur forma substantialis, quæ est pars essentialis compositi physici. Ita cum Aristotele ferè communiter omnes. 3

Prob. 1. Essentiæ rerum naturalium, & Physicarum non possunt stare in sola materia, ergo in aliquo superaddito, sed hoc superadditum non est nisi forma substantialis, ergo datur forma substantialis, antecedens prob. quia si in sola materia consisterent essentiæ rerum, tolleretur omnis distinctio essẽtialis, si quidem materia est essentialiter eadẽ in omnibus, & sic equus essentialiter non differet à lapide, min. prob. hoc enim superadditum non potest esse accidens, ergo forma substantialis; non potest inquam esse accidens, quia hoc pacto nullũ daretur compositum substantiale, tum quia destructo accidente, destrueretur essentia, quòd implicat, tum denique, quia vnum compositum solum accidentaliter differret ab alio, & sic equus solũ accidentaliter differret à leone, à ligno, lapide, &c.

Neq. dicas ex Serb. ex hoc euidenter non argui dari formam substantialem, quia etiam ex accidenti cum subiecto potest dari compositio essentialis, atq. adeo ex essentiali vnione materię, cum tali accidenti, quod esset principium radicale cœterorum accidentium, posset dici, resultare compositum essentialiter diuersum ab alio resultato ab vnione essentiali materiæ cũ alio principio radicali accidentali, sicq. dari differentias essentiales in rebus, etiam non admissa forma substantiali.

Quòd

Quòd autem ex materia, & accidenti possit fieri compositio essentialis, probat ipse, ex eo, quia potentia materiæ de se essentialiter est indifferens tàm ad formas accidentales, quàm ad substantiales, cum ex intrinseca sui indigentia, in ratione suæ essentiæ à nulla compleatur, sed solùm in ordine ad compositum, ergo non minus potest componere vnum per se, & essentialiter, vnita cum forma accidentali, quàm cum substantiali; tum quia materia alicui formę accidentali se præbet immediatè absq. eo quòd præcedat in ipsa alia forma, sed in hoc casu se illi præbet, vt entitatem incompletam, & partialem, primòq. componitur in genere entis compositi à tali forma accidentali, ergo facit vnum per se, & essentialiter cum illa; consequentiam probat, quia compositio essentialis, & per se fit, quando actus aduenit enti potentiali incompleto, illudq. complet.

Resp. neg. antec. Nam etiam si posset dici (quòd hìc non contendo) dari compositionem essentialem inter materiam, & aliquam occultam qualitatem, seu accidens, principium radicale cæterorum, tamen tale compositum ex materia, & accidenti, distingueretur ab alio essentialiter accidentaliter .s. secundùm essentiam accidentis, sicuti color albus essentialiter accidentaliter distinguitur à nigro, non autem distingueretur essentialiter substantialiter; at res naturales inter se distinguuntur essentialiter substantialiter, ergo non ratione solius accidentis, sed necessariò ratione formæ substantialis, cum substantia materialis sit eadem specificè in omnibus, quòd autem res naturales inter se distinguantur essentialiter substantialiter,

4 Prob. & confir. Concl. Plus differunt inter se equus, & adamas, quā res alba, & nigra, frigida, & calida, sed hæ differunt essentialiter in aliquo accidenti, ergo illi essentialiter in aliquo substantiali, hoc autem est forma substantialis.

Neque dicas ex eodem, hoc aliquid esse accidens proprium illius rei, radicale principium omnis differentiæ, ita quòd res plusquam accidentaliter differant inter se, non ratione accidentium communiū, qualia sunt assignata, caliditas, frigiditas, &c. sed ratione alicuius accidentis proprii, quod sit principium radicale, &c.

Resp. enim primò, Hoc pacto eamdem fore substantiam specificè lignum, & leonem, solùmq. differre accidentaliter .s. ratione accidentis proprii, quòd & ipsis pueris ridiculum est.

Deinde, vel hoc accidens est sensibile, vel insensibile, non primum, quia non apparet sensibilitas; si secundum, hoc possumus dicere de forma substantiali. Tum quia sentire in homine prouenit à forma substantiali scilicet anima, ergo debet dici etiam in brutis à forma substantiali prouenire, cur enim idem effectus specie, in homine debet esse à forma substantiali, in Brutis verò ab accidenti, quod non solum differt genere à substantia, sed & prædicamento? Tum quia videmus Bruta, aliquas proprietates habere, ratione quarum aliquo pacto assimilantur in suis operationibus, operibus artificiosis ab homine directione animæ rationalis, conditis, vt apes mirabili artificio sua aluearia conficere, Araneas texere telas ad captandas muscas, &c. sed non rationabiliter potest dici, harum operationum esse principium aliquod accidens, ergo quid substantiale, ergo &c.

Deinde, vel materia est substantia in genere substantiæ Physicæ incompleta, vel completa; si primum, ergo debet dari complementum, sed hoc non potest esse accidens, ergo quid substantiale; min. prob. complementum enim cum debeat complere rem in eo genere, in quo est incompleta debet esse eiusdem generis, ergo quid substantiale; si dicit secundum, quòd .s. sit substantia completa, ergo nequiret amplius compleri per aliam substātiam, ergo quando vniretur cum substantia spirituali, anima rationali .s. ab ipsa non completetur, neq. cum ipsa faceret vnum per se, sed solùm per accidens, quod tamen est falsum, vtpotè quia definitum in Concilio Lateranensi 3. sub Leone X, sess. 8. & Clementina vnica de summa Trin. animam rationalem esse formam substantialem hominis, atq. adeo facientem vnum per se cum materia: & ex hoc deducitur alia probatio conclusionis, quæ est.

Prob. 2. Datur forma substantialis hominis, quę est anima, ergo debet dari forma substātialis in cæteris compositis; antec. est de fide, & suo loco euidentissimis rationibus, etiam naturalibus probabimus, prob. ergo conseq. materia prima non est substantia, ita completa in homine, vt sit tota substantia hominis, ergo eodem modo se debet habere respectu cæterorum compositorum, ergo exigit compleri per formam substantialem, conseq. prob. cur enim respectu hominis materia debet esse substantia incompleta, non verò respectu cæterorum compositorum, cum sit eadem specificè materia?

Addo, vel alimentum, quo nutritur homo, dum augetur (quòd dicito de cæteris rebus naturalibus) antequam transmutetur in substantiam aliti est substantia completa, vel non; secundùm nequit dici, quia hoc pacto daretur solus homo, qui esset substātia completa, tum quia omne, quod est incōpletum exigit naturaliter aliquando compleri, neque enim est dicendum omnes res naturales solùm posse compleri in ratione substantiæ physicæ, dum ab homine transmutantur in proprium esse; dicendum est ergo primum, scil. esse substantiam completam, sed non potest esse substantia completa nisi per formam substantialem, ergo, &c. hæc minor prob; dum alimentum corrumpitur, & mutatur in substantiam aliti, vniturque formæ illius substantiali, completur ab illa in esse perfecto substantiali, sed non posset compleri in esse substantiali, nisi priùs redderetur incompletum in esse substantiali, quòd enim est completum, in eodem genere ulterius nequit compleri, ergo dicendum est in actu transmutationis, alimentum fieri incompletum in esse substantiali, sed priùs erat completum in esse substantiali, ergo in illo tunc fieri incompletum dicendum est, per deperditionem alicuius substantialis, quod prius habeat, quod vocamus formam substantialem. 5

Neq.

Neq. enim valet, quòd dicit Arriaga disp. 3. sec. prima num. 3. substantiam materialem posse dici cōpletam, quamuis postea vlteriùs compleatur in homine, per animam rationalem quando illi vnitur.

Resp. enim, hoc pacto solùm substantialiter differe hominem à cæteris rebus, non verò cæteras res naturales inter se, quòd videtur absurdum.

Ex his ergo omnibus deducitur, dari formas substantiales complentes substantialiter materiam in ordine ad composita substantialia, hocq. ita conceditur ab omnibus, vt illas negare, veluti Hæresis in Philosophia habeatur & .i. ex multis probationibus, quibus communiter probatur ab Auct. dari formas substantiales, illarum non ita euidenter conuincatur existentia, cùm, quidquid dicunt prouenire à forma substantiali, possit dici oriri ab aliquo accidente primario, & qualitate occulta, vt probat suprac. Serb. tamen illis relictis, quas ideo, vt non conuincentes, neq. adduximus, optimè apparere euidentiam formarū substantialium ex supraallatis rationib' omnibus sani iudicij, pro certo nobis suademus. Hæautem formę substātiales variis nominibus à Philosophis pręcipuè antiquis fuerunt appellatæ, ea videre est apud Complut. disp. 4 in Physica quæst. prima de forma substantiali, ne enim in re parui momenti moremur, ad maiora, & necessariora transeamus.

SECTIO II.

Quid sit Forma substantialis;
Et quomodo producatur.

DEfinita fuit forma substātialis à Philosopho secundò Physicorum tex. 28. quòd sit *Ratio ipsius quod quid erat esse .i.* vt communiter obscurus Philosophus interpretatur, quòd sit *ratio quidditatiua rei*, sic pręcipuè Alex S. de Anima cap. primò ait, *forma est a qua res habent esse* siuè vt communiter omnes *forma est actus substantialis vnum per se constituens cum materia, ipsamq. determinans ad certam speciem compositi* Dicitur *actus* quia materia, quæ est in potentia subiectiua ad ipsam, dum illam recipit, actuatur ad tale esse in tali specie; dicitur *substantialis*, ad differentiam formarū accidentalium, dicitur *constituens vnum per se*, vt explicetur, formā habere esse incompletum, vt simul cum materia itidem incompleta, vnum totale completum constituat, ex Aristotele enim pluribus in locis, ex duobus in actu completis nequit fieri vnum per se, dicitur deniq. *ipsamq. determinans &c.* ad differentiam alicuius formæ metaphysicæ, vt subsistentiæ, quæ licet faciat vnum per se cum natura, illam tamen non determinat ad certam speciem; hoc supposito.

Diffic. maxima īsurgit, an hæc forma ita definita sit entitas, & substantia distincta à substātia materiæ, de nouoq. producta; fundamentū autē difficultatis est, quia non apparet quomodo agens naturale illam producere possit Si sit entitas; cum enim ex communi philosophorum; ex nihilo naturaliter nihil fiat, hocq. sit proprium solius creationis, per quam, ex nihilo aliquid producitur, ideo cū forma de nouo tota producatur, si esset entitas, & substantia, ex nihilo videretur produci, sicq. creari, quòd repugnat agenti creato. Quare cum solutio huius difficultatis dependeat à cognitione qualiter producatur forma, hoc prius est uidendum.

Dicunt ergo communiter ad ennodandam hanc difficultatem, formam esse quidem ens, & substātiam distinctam à materia, & de nouo productam, non esse tamen illius productionem, creationem, quia educitur de potentia materię. Quid autem sit educere de potentia materiæ, variè explicant Philosophi. 2

Alij enim dixerunt. Formas omnes latere in materia, actione postea agentis naturalis, modò extrahi, seu educi vnam, modò aliam.

Alij affirmarunt. Non secundùm se totas esse in materia, sed solùm secundùm sui partem, seu secundum virtutem seminalem, educi verò, quando actione agentis, ex tali virtute seminali producitur forma.

Alij volunt, estq. ferè omnium sententia. Formas secundum nullas sui partes præexistere in materia, sed totaliter de nouo produci, asserentes talem productionem non esse creationem, sed generationem, quia formæ producuntur dependenter in fieri, & in conseruari à materia, hoc enim pacto explicant educi de potentia materiæ, seu eductionem formarum ad differentiam creationis, quæ est actio nihil dependens à subiecto, & materia.

Alij deniq. affirmarunt. Formas de nouo totaliter produci per eductionem de potentia, & materiæ, & materialium agentium .i. naturalium agentium, ita tamen, vt realitas, & substantia distincta à materia, non producatur, sed solùmmodo, quidam substantialis terminus, per quē taliter terminetur intrinsecè materia, & ponatur in determinata specie physica; modò uidendum est, quid in hac re sit dicendum.

Supp. est autem. Vt errorem in Philosophia communiter ab omnibus reiici primam sententiā, asserentium formas omnes latere in materia, quæ sententia tribuitur Anaxagoræ, & alijs antiquioribus Philosophis. Ratio autem est, quia, hoc pacto, non daretur generatio, nec noua composita, nam, vel tales formæ inclusæ in materia, essent vnitæ materiæ, vel non; secundum nequit dici, si enim in ipsa essent, certò essent maiori vnione, quàm naturaliter habere possent, maximè quia essent cum ipsa compenetratæ; ergo dicendum primum .i. esse vnitas, ergo quot essent formæ, tot essent composita, atq. etiam infinita actu, quòd implicat.

Deinde, hoc pacto nō daretur essētialis distinctio inter canem, & equum, lignum. & leonē, &c. nam, l. per apparentem formam distinguerentur, distinguerē tur solùm extrinsecè, & apparenter, non intrinsecè,

trinsecè,

trinsecè, & essentialiter, cum in materia vnius, lateret forma alterius.

Deinde, videmus ad introductionem alicuius formæ, destrui ferè omnia accidentia præcedentis formæ, hoc autem non eueniret, si forma de nouo producta intùs latuisset, si enim occulta cum talibus accidentibus perseuerabat, cur non extracta? cum secundùm suam essentiam esset eadem.

8 Deniq. quando forma latens fieret apparens, vel fieret per amotionem impedimenti occultantis, vel per id quòd adderetur aliquid formæ occultæ, sicuti colores fiunt apparentes quando eis additur lumen, si primum, cum hæc impedimenta non essent nisi accidentia, fieret generatio per solam expulsionem accidentium, atq. adeo potiùs esset appellanda corruptio simpliciter, quàm generatio, cum nihil de nouo generaretur; si secundum, quod dicitur de hoc, quod adderetur, potest dici de forma substantiali .s. quod sicuti produceretur hoc aliquid, quod adderetur formæ substantiali, ita possit produci ipsa forma, ergo &c. Quare ex his omnibus rationibus, & aliis communiter ab Auc. allatis apparet implicãtia talis sẽtẽtiæ.

Supp. 2. Neq. posse in bona Philosophia admitti in materia inchoationes, seu virtutes seminales formarum, vt volebant quidam antiqui Philosophi, & nouissimè Lalemandet disp. secunda Physicæ part. 5. ressolut. secunda. Ratio autem est, quia de istis virtutibus seminalibus posset idem dici, quòd de formis occultis .s. quòd essent infinitæ actu, quòd contrariæ remanerent in eodem subiecto &c.

Tum quia, formæ substantiales debent esse, quid simplex, ergo non possunt admittere inchoationem, ita vt secundùm partem sui existant in materia, secundùm verò aliam partem producantur.

Tum quia, materia non esset simplex, sed composita cum his virtutibus seminalibus, ergo de nouo nullum fieret compositum, sed potiùs perficeretur, ergo &c.

Neq. valet quòd quidam respondent, ex D. Augustino 3. de Trinit. cap. 3. haberi; omnium quę nascuntur, occulta quædam semina in mundi elementis latere, ergo ex hoc deduci virtutes seminales formarum latere in materia. Item Arist. 7. Metaph. tex. 29. asserere, in materia esse aliquã partem rei faciendæ, ergo virtutem seminalem formæ producendæ. Item ex quolibet non semper produci quodlibet, sed ex determinato subiecto, determinatas res, & per consequens determinatas formas produci, ergo quia virtus seminalis in vno latet, secùs verò in alio.

Resp. enim his omnibus, & primò, D. Augustinum non intelligere, formas quascumq. latere in elementis, tanquam in ipsis essent semina, seu virtutes seminales earumdem, benè verò omnia elementa mundi habere virtutem concurrendi, siuè immediatè, siuè mediatè, siuè dispositiuè ad omnia, quæ producuntur, cum enim ex elementis omnia mixta fiant, in ipsis veluti vidẽtur esse semina omnium, quæ producuntur. Secundo Resp. Aristotelem loqui de materia secunda, hoc est de composito, in quo quidem reperitur pars alterius compositi generandi .s. materia, neq. enim ipse loquitur de forma facienda; sed de composito generando, cum, vt ex ipso pluribus in locis habetur, non propriè forma, se compositum generetur, & producatur. Tertiò Resp. falsum esse, loquẽdo de materia, ex quolibet s. ex qualibet mat. nõ posse fieri quodlibet .s. quodlibet compositum per eductionem cuiuscumq. formæ. Quòd si intelligatur ex quolibet composito, non produci quodlibet compositum; hoc verũ est, sed hoc quia, cũ multæ dispositiones, & accidẽtia vnius compositi inseruiant, & alii Composito, ideo ex vno cõposito habẽte dispositiones, & accidẽtia, quæ possunt inseruire vni, & non alii, faciliùs hoc fit, & non aliud; at ex hoc non arguitur, fieri solũ tale cõpositũ, quia virtus seminalis illius formæ, per quã tale habetur cõpositũ, latebat ĩ mater. His ergo suppositis tanquam ferè ab omnibus Philosophis præsertim recentioribus concessis, inquirendum est, vtrum alius modus explicandi eductionem formæ de potentia materiæ subsistat, ratione cuius, forma dicatur generari, non creari.

Supp. 3. Formas materiales verè produci ab agentibus naturalibus particularibus, non verò à quadã intelligẽtia, quã Colchodeã, seu datricẽ formarũ appellabant Plato, Auicenna, & Themistius; Ratio autem est, quia eodem modo, ac producerentur formæ ab hac intelligẽtia datrice formarũ, possunt produci ab agentibus particularibus, ergo non est, cur admittatur talis intelligentia; antecedens patet, neq. enim talis intelligentia posset formas creare, cum hoc soli primæ causæ conueniat, ergo deberet producere tales formas per generationem, & eductionem, quam non implicare agentibus particularibus inferiùs demonstrabimus. Quare omnino reiicienda est talis opinio Auicennæ de Colchodea Datrice formarum meritò olim damnata per articulum Parisiensem, vt refert Trombeta 12. Met. quæst. 6.

Supp. 4. Definitam fuisse creationem à D. Thoma prima parte quæst. 45. art. primò, quòd sit *productio rei ex nihilo*, pro ly *ex nihilo* intelligendo, ex nihilo sui, & subiecti, vt optimè expendit Anselmus in Menologio cap. 4. Suarez disp. 20. cap. primò, & communiter omnes, ita quòd illa dicatur, & sit creatio, quæ ex nihilo subiecti, seu quòd idem est, independenter ab omni subiecto rem ex nihilo sui producit; illa verò generatio, quæ, licet producat rem ex nihilo sui, tamen illam producit, non ex nihilo subiecti, sed semper in subiecto, & dependenter à subiecto. Quòd autem creatio, sit productio rei, non præcisè ex nihilo sui, sed etiam ex nihilo subiecti, patet ex eo quia, si aliter explicaretur, vel esset dicendum, omne agens creatum semper creare, vel nihil vnquam producere; quòd autem nihil producat est contra experientiam, nam saltem accidentia euidentissimum est de nouo producere, ignis enim calorem producit, si ergo creatio esset productio rei solùm ex nihilo sui, cum calor, qui producitur, ante productionem nullo modo extiterit in se, sed solùm in virtute causæ, sicuti etiam sunt res creatæ in virtute causæ primæ, ideo talia productio caloris esset ex nihilo

sui, atq. adeo creatio, quare optimè dicendum est, in tantùm esse generationem, inquan um licèt producatur ex nihilo sui, tamen non producitur ex nihilo subiecti, sed producitur, non ex aliqua particula subiecti, sed cum dependentia à subiecto.

9 Et ex hoc patet, posse aliquid quoad suũ esse destrui & tamẽ huiusmodi nõ esse anihilationẽ quãdo remanet subiectũ illius, quod destruitur, ad anihilationẽ enim requiritur, vt nihil remaneat intrisecè requisitum ad entitatis, quæ anihilatur, existentiam, quare formam destrui, potest dici, non verò anihilari, quia licèt subiectum sit extrinsecum ipsi formæ, attamen, quia intrinsecè requiritur vt ipsa forma existat, ideo dum ipsum remanet, forma potest destrui, & non dici anihilari, quia remanet aliquid requisitum ad illius existentiam, & ita sicuti per depẽdentiã à subiecto oritur, quòd productio formæ nõ sit creatio, sic per eãdem dependentiam fit, quòd eiusdẽ corruptio, non sit anihilatio,

10 Supp. 5. Ex hoc deduci, implicantiam, cur agens naturale nequeat naturaliter creare, non fundari in illa communissima ratione Henrici, & Riccardi, & ab omnibus adducta, quòd scilicèt inter ens, & nihil sit distantia infinita, atq. adeo naturaliter insuperabilis ab agente creato; falsum est enim, inter ens, & nihil dari distantiam infinitam, vt optimè probant Scotus, & Durandus, ex eo quia distantia tanta præcise debet esse inter extrema, quanta, vnum extremum est maius altero, (cum enim nullum detur medium inter vtrumq. extremum, nulla alia inter ipsa potest assignari distantia, nisi excessus vnius extremi super aliud) sed vnum extremum non potest excedere aliud nisi ratione suæ entitatis, ergo quanta erit entitas tanta erit distantia, ergo cum entitas, quæcumque sit finita, pariter & distantia erit finita; Quando autem dicunt DD., est maior distantia, inter ens, & nihil, quàm inter Creatorem, & Creaturam, at hæc est infinita, ergo & illa; Respondeo quòd ideo inter Creaturam, & Creatorem est distantia infinita, quia Creator, cum excedat Creaturam, secundum propriam entitatem, & hæc sit, infinita, ideò infinitè distat à Creatura, quòd non est dicendum de ente, & nihilo, ex quo patet non implicare aliquid produci ab agente creato ex nihilo sui, licèt de non esse ad esse, vt ita dicam, transferatur, cum hæc non sit creatio, sed generatio, dummodo fiat dependenter à subiecto, ad differentiam creationis, quæ est independenter à quocumque subiecto.

Hinc colligi potest alia efficacior ratio ad demonstrandam impossibilitatem creationis naturaliter respectu agentis creati, quæ licèt vt fatetur Ouiedo Cont. 13. in Phys. punct. 4. §. 2. non sit euidẽtissima, cũ tamen ab auct. S.S. P.P. & D.D. virtutẽ creatiuã naturaliter in creaturis prohibebamur admittere, est efficacior, quæ possit esse, est autẽ.

Nulla potest dari Creatura operans immanenter nisi per actionem in se receptam, ergo neque potest dari Creatura operans transeũter, nisi per actionem in subiecto receptam, at hoc modo transeunter operari, non est creare, ergo &c. antecedens patet, cum enim actio non sit ipsum met agẽs, sed ab ipso distincta, & vt immanens in alieno subiecto nequeat esse, in ipso necessariò recipitur, vt omnes necessariò fateri debent, & experientia comprobatum est; conseq prob. sicuti de ratione operationis transeuntis non est esse in subiecto, Deus enim per actionem transeuntem vt communiter volunt, in nullo subiecto receptam operatur, ita nec de ratione operationis immanentis, est esse in subiecto, operationes enim immanentes Dei non recipiuntur in illo, sed cum illo indentificantur, ergo cum de ratione operationis immanentis præcisè secundùm esse immanentiæ, non sit esse in subiecto, & tamen in Creatura sit semper in subiecto, dicendum est, hinc prouenire, quia implicat, actionem procedere à creatura, quæ non sit in subiecto, atq. adeo omnem operationem etiam transeuntem productam à creatura exigere subiectum, in quo recipiatur, quæ operatio, ita dependens à subiecto, vt supra dicebamus, nullo pacto est creatio, His suppositis, quæ diffusiùs videnda erunt in Theo. cum de creatione, modò, vt ad quæstionem redeamus, inquirendum remanet, qualis sit productio formæ. Sit ergo.

Pri. Concl. Quæcumq. forma materialis secundùm 11
suum esse, totaliter producitur, illius tamen productio non est creatio, quia producitur in subiecto, & dependenter ab illo, & hoc est, formas educi de potentia materiæ. Ita ferè communiter omnes Phil. maximè recentiores cum ipso Aristotele.

Patet ex dictis Conclusio, cum enim nihil formæ reperiatur in materia, vt ex supra probatis, & etiam formæ de nouo producantur, vt itidem probatum est, etiam ipsa euidentia teste, dicendum est, secund. totum suũ esse produci, nec q. tamẽ ex hoc sequitur formas creari, licèt ex nihilo nihil fiat naturaliter, ex eo quia ly ex nihilo, intelligitur ex nihilo subiecti, nõ vero sui, vt supra explicatũ est; formæ autẽ materiales, licèt fiãt ex nihilo sui, quòd nõ implicare supra etiam probauimus, tamen non fiunt ex nihilo subiecti, i. independenter à subiecto, benè verò dependenter, & semper in subiecto. Et ecce ennodatæ omnes difficultates, quę in productione formæ insurgebant; Remanet modò videndum, quid sit forma substantialis, de accidentali enim infra.

Secunda Conclusio. Benè sustineri potest, formam substantialem materialem non esse entitatẽ distinctam à materia, sed esse actualem terminum, substantialem intrinsecum eiusdem materiæ, à quo materia, vt taliter affecta, modificata, & terminata, constituitur in determinata specie physica, fitque potens ad producenda, & conseruanda omnia, quæ ad totalem conseruationem compositi pertinent. Est Conclusió contra communem, cui tamẽ aliquo pacto videtur conformari Riccardus Quodlibeto 4. quæst. 5. art. 1. qui acriter impugnatur à Scoto in 2. sententiarum dist. 12. quæst. 1. citantur etiam pro hac sententia multi antiqui Philosophi à Canonico 1. Physiicorum quæst. 9. eam etiam aliquo pacto defendit Guarinus dis. 3.

de

de Forma exp. secunda asserendo esse puram potentiam ipsiusmet materiæ.

12 Explicatur Conclusio. Dicimus, quòd nihil aliud est fieri formam, seu generari compositum, nisi materiam actione agentis naturalis taliter immutari, vt nouum terminum substantialē ab ipsa realiter entitatiuè indistinctum acquirat, ita quòd terminus generationis sit talis terminatio materiæ, seu talitas, qua affecta, & terminata materia, simul cum illa constituit diuersum substantialiter compositum ab illo, quod prius constituebat, eodem pacto quo (substantialiter tamen) aliqua materia mollis actione agētis, modò acquirit unā figuram, modò aliam, quare licet non asseramus formam esse nihil, volumus tamen, non esse entitatem distinctam à materia, sed solùm terminū eiusdem materiæ, quo materia constituitur in specie determinata, & fit potens ad simul cum ipso producenda, & conseruanda ea omnia, quæ sunt necessaria ad conseruationem compositi, hoc ergo modo explicata Conclusio.

Probatur prima pars à Guarino. Si forma haberet aliquam entitatem, agens naturale crearet, sed agens naturale non habet uim creatiuam, ergo neque formæ propriam entitatem habent; sequela probatur, illud dicitur creari, quod producitur ex nihilo, sed si forma haberet ētitatē, illa forma produceretur ex nihilo, siquidem in materia nō præexistebat, ergo agens naturale crearet.

13 Sed hæc ratio non conuincit; dato enim quòd formæ entitatem haberent, earum productio non diceretur creatio, siquidem producerentur dependenter à subiecto, quæ productio, non est creatio, sed generatio.

Neq. enim valet, quod ipse respondet, adhuc talem productionem fore creationem, quia producerentur ex nihilo, quæ productio superat uires agentis naturalis, propter infinitam distantiam, quæ reperitur inter ens, & nihil, quæ quidē superanda est in creatione.

Dico enim, & Respondeo, quòd licet producerentur ex nihilo sui, talis productio non esset creatio, quia non producerentur ex nihilo subiecti, sed dependenter à subiecto, quòd distinguit actionem generatiuam à creatiua; neque enim est infinita distantia, ut ipse supponit, & probat, inter ens, & nihil, propter rationes supra allatas. Deinde si hæc ratio ualeret, probaret etiam Agentia naturalia neque producere posse formas accidentales, quibus tamen entitas non est neganda, cum possint conseruari separata à subiecto, ut in Sacramento Eucharistiæ; probaret inquam, quia cum neque ipsæ præexistant in materia, dum producuntur, produceretur earum entitas secundùm totum sui esse, & ex nihilo sui; quare si Agens naturale non haberet uirtutem producendi aliquid ex nihilo sui, neque tales formas accidentales posset producere, quòd tamen neque ipse asserere potest, cum ipsa experientia contra ipsum reclamaret.

14 Probatur 2. ab eodem. Si forma haberet entitatem, iam esse haberet, & esset actu, sed materia etiam ipsa est actu, ergo essent duo actu, ergo non posset esse unum per se, in sententia enim aduersariorum, ex duobus entibus in actu, non fit unum per se.

Sed, & huic probationi posset responderi ab Aduersariis, ex duobus entibus in actu completis non posse fieri unum per se, non uerò ex duobus incompletis, qualia essent materia, & forma, licet propriam entitatem haberet, sicuti hoc pacto fit unum per se, ex corpore, & anima rationali, licet anima rationalis entitatem propriam habeat.

Probatur 3. ab eodem. Vnum, uerum, & bonum cum ente conuertuntur, ergo si forma est ens antequam recipiatur in materia, erit unum, aliquod, & bonum, idest perfectum, ergo non indigebit materia ad hoc ut existat, neque cum ipsa poterit facere aliquid unum, quòd cum in se unum est, cum alio facit unum per accidens.

Sed huiusmodi ratio etiam parum probat, forma enim si esset entitas, esset bona, & perfecta transcendentaliter, & metaphysicè, non autem physicè, quare neq. consequentia conuincit, quod non egeret materia ad existendum, ut enim physicè perfecta, egeret materia ad existēdum physicè, cum qua etiam faceret, vnum per se, neque enim est verum, id, quod est in se vnum, non posse facere nisi vnum per accidens cum alio, anima enim rationalis est in se vna, & tamen facit vnum per se, cum corpore, ad faciendum enim vnum per se, sufficit, quòd duo vniantur per modum actus, & potentiæ. 15

Probatur 4. Ab eodem. Si forma haberet aliquam entitatem, vel esset aliquid corporeum, uel non, si non, non est dubium, quin esset aliquid spirituale, & incorporeum; si aliquid corporeum, & materiale, ergo vel penetraretur cum materia, uel non; si non, ergo est unum per accidens, & aggregatum particularum, tùm materiæ, tùm formæ, si penetratur cum illa, non potest habere partes, quia partes dicunt essentialiter quòd una sit extra aliam.

Sed neq. hæc ultima probatio aduersarios conuincit, possent enim respondere, talem entitatem formæ futuram corpoream, & penetratam cum materia, etiam si haberet partes non penetratas quoad se, .s. unam extra aliam; hoc enim pacto sufficit res corporeas habere partes. Non implicat autem entitatem corpoream penetrari cum corpore, sed solùm implicat, corpus penetrari cum corpore, neq. enim ipse negabit, accidētia corporea penetrari cum materia, & tamen sunt entitates, ut supra dicebam. Quare ut clariùs pateat euidentia conclusionis. 16

Probatur prima pars, & primò auct. Aristotelis, qui 8. Met. tex. 16. ait *est autem ut dictum est ultima materia, & forma idem*, quæ uerba .l. ab Auctoribus diuersam sortiantur explicationem, secundùm tamen sinceriorem sensum demonstrant mentem Aristotelis nostramq. confirmant conclusionem. 17

Prob. 2. ratione. Si forma substantialis materialis esset entitas distincta realiter à materia; vel esset accidens, vel substantia, ens enim quod potest esse realiter entitatiuè distinctum ab alio, diuiditur in substantiam, & accidens, sed non est, neq. accidens, neq. substantia, ergo &c. min. quod non sit accidens certa est; prob. ergo quòd non sit substantia; conceptus quidditatiuus, seu essentia substantiæ est stare per se, at vlla forma materialis nequit stare per se, ergo non est substantia distincta, &c.

Neq. dicas, modum essendi per se substantiæ dupliciter posse sumi, & essendi per se *vt quod*, & *vt quo*, .i. vel vt id ipsum quod dicitur substantia sit per se, vel, vt sit id, quo constituatur vnum, quod existat per se, hoc autem secundo modo, esse per se formas substantiales materiales.

18 Neq. dicas etiam, modum essendi per se proprium substantiæ esse solùm oppositum modo essendi in alio, tamquam in subiecto inhæsiuè, non modo essendi in alio per informationem, atq. adeo cùm formæ substantiales materiales non sint in subiecto inhæsiuè, sed per informationem, posse dici habere modum essendi per se, proprium substantiæ.

Resp. enim, vtrumq. esse vanissimum effugium, nam quomodocumq. sumatur forma substantialis materialis semper indiget subiecto, vt existat, indigere autem subiecto ad existendum omnino est oppositum modo essendi per se; neq. enim potest dici, diuersum esse modum essendi per se, nam essentiæ consistunt in indiuisibili, & ideo nõ possunt diuerso modo se habere; quare vel modus essendi per se debet esse idem indiuisibiliter in omnibus substantiis, vel non debet esse illarum conceptus quidditatiuus, & essentialis, cum ergo dentur substantiæ, vt materia, anima rationalis, compositum, &c. quæ habent essentialiter hunc modum existendi per se absq. vlla depẽdentia ab alio, siuè sit per inhæsionem, siuè sit per informationem, dicendum est, non esse substantiam, id, quod non habet hunc modum essendi per se.

Prob. 3. Substantia ex Aristotele in Prædicamentis, non habet contrarium, at forma substantialis materialis habet contrarium, vt patet, ergo non est substãtia distincta &c.

Neq. valet, Aristotelem semper vocare formam quid substantiale,

Resp. enim, vt optimè etiam aduertit Albertus, quòd non per hoc quòd aliquid dicatur substantiale, inde sequitur ipsum esse substãtiam, substantiale enim medium est inter substantiam, & accidens, est enim substantiale, quod habet rem substantiæ, & modum accidentis, seu è contra, quod habet rẽ accidentis, & modum substantiæ, quare licet forma materialis sit quid substantiale, non per hoc substantia est appellanda, & si quandoq. eam substantiam appellat Aristoteles, impropriè hoc facere dicendum est, cum dum eam definit, solùm quid substantiale appellet dicendo *est ratio illius quod quid erat &c.*

9 Prob. 4. Forma substantialis materialis producitur ab agente naturali per continuationem introducendi dispositiones in materia ad illam, seu per eamdem actionem, qua alterauit subiectum, sed hoc pacto nulla noua entitas substantialis producitur, ergo forma materialis non est entitas substantialis distincta à materia, & de nouo producta, mai. patebit in lib. de Generatione, probatur tamen pro nunc, ex eo quia, quando ignis v. g. producit alium ignem in ligno, ligneam formã destruendo, vel postquam introduxit omnes gradus caloris requisitos ad formam ignis, continuat, vel mutat actionem, vt producat formam substantialem, secundum nequit dici, ergo primũ. secundum inquam nequit dici, nam si alteratur tale subiectum vltimò dispositum ad formam substantialem, & aliud subiectum illi igni approximetur, nõ formã substantialẽ in illo, sed calorẽ producit, ergo hoc idem fecisse dici posset in subiecto disposito ad formam, si ablatum non fuisset, neq. enim ignis est agens cognoscitiuum, cognoscens mutationem subiecti esse factam, & per consequens, diuersum terminum esse producendum, quare in tantũ solũ dici posset producere tunc formã substantialem, in quantùm materia impotens ad amplius alterari, absq. sui mutatione substantiali; substantialiter mutatur per nouum modum substantialem, ni agentis naturalis in illa introductũ: hoc ergo suppo. prob. min. agens naturale, v. gr. ignis, in instanti, in quo producitur forma ignis in materia disposita, continuat producere calorem, quo, materia impotens ad amplius illum recipiendũ, quia substantialiter mutetur, substãtialiter mutatur, sed talis calor non est entitas substantialis, ergo nulla noua entitas substantialis de nouo producitur ab agente naturali, sed solùm actione ipsius, substantialiter immutatur materia, quòd nihil aliud est, nisi acquirere diuersum terminum substãtialem intrinsecum, à quo in determinata specie constituitur, sitq. compositum substantiale, quæ est secunda pars conclusionis. quę etidem.

Prob. Et primò auct. Arist. qui secundò Physicorum tex. 28 ait, *forma est ratio ipsius quod quid erat esse*, seu, vt interpretantur DD. *est ratio quidditatiua rei*, sed ratio non importat entitatem diuersam ab eo cuius est ratio, sed potius quoddam illud afficiens tamquam aliquid sui, qualis est terminus substantialis, actualis, & intrinsecus, ergo, &c. 20

Prob. 2. Omne quod contradistinguitur à nihilo, & existit, vel est substantia, vel accidens; vel modus, vt ex dictis in Prædicamentis, sed forma contradistinguitur à nihilo, & non est substantia, neq. accidens, vt probatum est, ergo est modus, seu terminus substantialis materiæ, ergo.

Prob. 3. Forma substantialis admittitur à Philosophis ad saluandas mutationes, & generationes substantiales, ratione quarum tot actiones diuersæ in diuersis compositis habentur, sed hæ omnes possunt saluari dicendo, formas substantiales non esse entitates distinctas à materia, sed actuales, & intrinsecos illius terminos

.nos

nos substantiales, ergo ita dicendum, mai. est certa, min. patebit ex solutione argumentorum, ergo, &c.

21 Obiic. 1. ex Scoto loco supracit. In generatione naturali, secundum Philosophum primò de Generatione, semper aliquid corrumpitur, & aliquid generatur, sed hoc non esset, si forma entitatiuè non distingueretur à materia, ergo, &c. min. prob. materia enim non corrumpitur, ergo si forma propriam entitatem distinctam non habet, nihil corrumperetur.

Conf. Ex eodem Philosopho, in generatione substantiali ex opposito fit oppositum, ita vt nequeat agens naturale aliquid producere, nisi ex opposito corrupto, sed hoc oppositum non potest esse materia, siquidem debet esse commune subiectum vtriq. termino, ergo aliquid entitatiuè ab ipsa distinctum, ergo forma, &c. min. prob. in tantum enim agens naturale nequit aliquid generare, quin aliquid oppositum, & contrarium corrumpat, in quantum exigit partem corrupti ad constituendum nouum genitum, si enim nullius illius partis egeret, & totum esset oppositum, non esset cur corrumperet, sed independenter ab illo produceret genitum, ergo si corrumpit ad assumendam illius partem, .i. materiam, dicendum est, non materiam, quæ non est oppositum, sed solùm oppo-

22 situm .i. formam corrumpi, & per consequens, materiam cum opposito, seu forma non esse idem, cum vnum corrumpatur, alio incorrupto.

Res. neg. min. Nam licèt forma entitatē propriam non habeat, tamen in generatione aliquid priùs corrumpitur, .s. ille modus, seu taleitas, per quā materia priùs erat substantialiter terminata, aliquid etiam producitur .s. ille nouus modus, terminus, seu taleitas, per quam materia de nouo substantialiter terminatur, quare, ad

23 Conf. Dico, ex opposito fieri oppositū, non esse intelligendū, quòd ex forma fiat alia forma, cū enim corrūpatur, non potest esse pars constitutiua alterius formæ, sed quòd ex toto hoc composito fiat aliud compositum, sic enim videtur innuere Arist. primò de Generatione, vbi ait, quòd in hoc distinguitur generatio ab alteratione, quia in generatione totum conuertitur in totum, non sic autem in alteratione, & etiam 7. Met. tex. 26. vbi ait, non propriè dici formam generari, aut corrumpi, sed compositum, ergo propriè in generatione, ex vno composito fit aliud, non verò ex vna forma alia, quare licet materia non corrumpatur, quia tamen corrūpitur illius terminus substantialis, totū cōpositū dicitur corrumpi, & sic ex opposito cōposito corrupto, fit oppositū cōpositū genitū; At per hoc nō est arguēda distinctio entitatiua, cum cōpositū possit dici corrūptū per solam corruptionē modi, & termini substātialis materiæ. Quòd autem agens naturale ferè nūquā aliquid substantiale producat, nisi ex opposito corrupto, seu nisi aliqua corruptio præcedat, prouenit ex eo quia, cum generatio non possit esse nisi in subiecto, ad differentiam creationis, & subiectum sit incapax duplicis terminationis substantialis totalis, ideo prima terminatio corrumpenda est, quando noua totalis produci debet in eodem subiecto.

Ob. 2. Generatio ex Aristotele 1. Physicorum est mutatio de non subiecto in subiectum .s. vt explicatur communiter, mutatio à priuatione ad formam, sed si forma non esset distincta à materia, non posset fieri hęc mutatio, ergo neq. generatio substantialis contra omnes Philosophos, min. prob. materia enim non mutatur, immò vt fiat mutatio à priuatione ad formam, ipsa debet esse commune subiectum, in quo sit, & priuatio, & forma, priuatio enim nequit esse nisi in subiecto apto nato, &c.

Resp. neg. min. Licèt enim materia non corrumpatur, quia tamen potest corrumpi illius modus, seu terminus substantialis, ideo & illa substantialiter dicitur mutari, & esse subiectum priuationis, & formæ de nouo productæ, non enim est necesse ad hoc, vt aliquid substantialiter dicatur mutari, quòd aliqua illius entitas corrumpatur, si enim v.g. Deus destrueret in anima rationali modum essendi, quem habet in ordine ad corpus, & in illa produceret modum essendi, quem habent Angeli, certè non esset amplius eadem specificè substantia, & tamen nulla illius entitas fuisset corrupta; sic à pari philosophari potest de materia respectu illius termini, & modi substantialis. 23

Ob. 3. Causa, & causatum realiter distinguuntur; sed materia est causa materialis formæ causatæ, ergo ab ipsa realiter debet distingui, ergo forma propriam debet habere entitatem.

Resp. dist. mai. Causa extrinseca realiter distinguitur à causato, & conc. mai. causa intrinseca, & neg. mai. & sic in probabiliori sententia .i. materia, & forma sint causæ totius compositi, tamen compositum ab ipsis realiter non distinguitur.

Ob. 4. Si forma propriam non haberet entitatem, nullum daretur compositum, sed omnia essent corpora simplicia, at hoc est contra omnes Philosophos, ergo, &c.

Resp. neg. mai. Nam licèt non daretur compositum constans ex duabus entitatibus, nisi solùm compositum humanum, attamen, cætera corpora non essent simplicia, cum essent composita ex materia, & modo substantiali eiusdem, ratione cuius totum hoc posset substantialiter mutari, cum enim hic modus substātialis adueniat ipsi materiæ, ideò cum illa compositionem substantialem facit, non quidem ex duabus entitatibus, sed ex materia, & ex modo, seu termino substantiali. Quare sicut ex modo subsistendi, seu ex subsistentia, & ex natura fit in communiori sententia, quam tradit Suarez in Met. dis. 34. sect. 4. num. 39, compositio metaphysica, per quam habetur suppositum, sic ex materia, & ex modo, & termino physico actualiter determinante materiam ad certam speciem, fit compositum physicum, quod potest corrumpi, corrupto modo substantiali.

Ob. 5. Hoc pacto sequeretur, animal non esse vniuocum respectu hominis, & brutorum, hoc est contra ante dicta, ergo &c. sequela prob. compositum rationale constat ex duabus substantiis entitatiuis, non sic per vos composita irrationabilia, ergo, &c.

Resp. neg. seq. Nam licèt vnum compositum constet ex duabus entitatibus, secus verò aliud at-

tamen ambo in ratione formali compositi conueniunt, quia .s. ambo sunt vnum per se, ex actu .s. actuali terminatione (aut sit modus, aut sit entitas) & potentia .s. ex materia habente potentiam subiectiuam; quòd verò vnum, sit vnum per se tamquam ex duabus entitatibus, aliud verò nõ, hoc non facit ad rationem formalem compositi, quæ solùm importat vnionem actus cum potentia, vt pluribus in locis exigit Aristoteles ad constituendum vnum per se, alioquin etiam in communi sententia esset Respondendum huic argumento, ex eo quia diuerso modo se habẽt hæc duo cõposita, cum vnum constituatur ex forma de se subsistente, nec exigente corpus ad sui conseruationem, aliud verò ex forma necessariò indigente subiecto, in quo recipiatur, & cum quo compositionem faciat, quare cum etiam in nostra sententia saluetur in vtroq. ratio formalis compositi, quòd .s. vtrumq. sit vnum per se, non est cur sit dicendum, non esse composita vniuoca, atq. adeo animal vniuocum &c.

Ob. 6. Ibi est compositio vbi adest aliqua vnio, sed inter terminum, & rem terminatam, nulla potest esse vnio, ergo neq. compositio, ergo non potest dici composita naturalia constitui ex sola materia, & ex modo ipsius, qui sit forma; min. prob. quia idem sunt, sed quòd est idem non dicitur vnitum, ergo &c.

Resp. neg. min. nam licet materia, & illius terminus substantialis idem sint, tamen non ita sunt idem, vt vnum nequeat separari ab alio, terminus enim potest destrui, non destructa materia, at inter ea, quæ aliquo pacto possunt separari potest dari vnio, ergo &c. Tùm quia talis terminus, seu taleitas terminationis aduenit de nouo materiæ, ergo cum illa vnitur, & componitur, Quòd autem inter modum, & rem modificatam detur vnio, patet ex Philosopho 8. Met. tex. 16. vbi ait *etenim ipsum sanum esse, aut copula, aut compositio, aut coniunctio animæ, & sanitatis erit. & æs esse triangulum, compositio æris, & trianguli, & album esse, compositio superficiei, & albedinis*, si ergo ex Aristotele datur vnio inter æs, & triangulum, qui non est nisi illius terminatio seu figura, cur non poterit dari inter terminum substantialem, & materiam? &c.

Ob. 7. Vnio est modus, sed modus per modum non potest vniri, alioquin, & alius modus vniens vnionem esset admittendus, & sic in infinitum, ergo non potest dari vnio inter materiam, & illius terminum, seu modum substantialem. Tùm quia vnio saltem prioritate naturæ priùs reciperetur in materia, quàm illius terminus, sed hæc vnio esset modus substantialis, ergo priùs faceret compositum cum materia, quàm adueniret terminus substantialis; conseq. prob. si enim terminus, qui est modus substantialis facit cum illa compositionem, cur non vnio, quæ pariter est modus substantialis?

Resp. disting. min. si ambo se habeant eodem modo, & conc. min. si diuerso modo, & neg. min. licet enim tam vnio, quàm terminus sint modi substantiales, tamen vnio se habet in materia vt *quo*, terminus verò vt *quod* .s. vnio vt ratio, qua terminus substantialis, vt quod, illi vniatur ad constituendum compositum, hoc autem maximè verificatur in nostra sententia, non admittente modum, vt aliquid realiter entitatiuè distinctum, quare nihil aliud est in nostra sententia, terminum substantialem vniri materiæ, nisi materiam actione agentis naturalis taliter transmutari, vt ratione talis taleitatis, constituatur in determinata specie physica, materiam autem recipere hanc taleitatẽ, est vnio seu informatio eiusdem materiæ, taleitas verò quam recipit, est terminus substantialis cum illa compositum constituens; et ex hoc patet ad secundum, ideo materiam non facere compositionem cum modo vnionis, quia se habet vt *quo* benè uerò cum termino, qui se habet, ut *quod*.

Inst. quicumq. modus potest à Deo per se ipsũ suppleri, sed à Deo nõ potest per se ipsum suppleri forma physica, ergo non est modus.

Resp. solùm modum non importantem imperfectionem in Deo, ab ipso posse suppleri, ut v. g. subsistentiã, non uerò modum importantem imperfectionem, ut esset, Vbi, figura, & in casu nostro forma substantialis.

Ob. 8. Forma debet ponere materiam in determinata specie, illam actuando, ergo debet dici illius actus substantialis, actus enim ex Aristotele 7. Met. tex. 49. est qui distinguit, sed actus substantialis entitatiuè distinguitur à re cuius est actus, ergo & forma à materia, ergo habet propriam entitatem.

Resp. actum dupliciter posse sumi, vt optimè explicat irrefragabilis doctor Alex. de Ales 7. Met. tex. 8. & pro actu simpliciter actuante aliquid potentiale, & pro actu aliquo modo, & taliter actuante ens actu existens; si ergo primo modo sumatur actus, nego formam esse actum materiæ, cum enim per nos materia habeat propriam existentiã, per ipsam simpliciter est actuata, quare non indiget forma ad hoc vt simpliciter actuetur; si uerò secundo modo sumatur actus, conc. formam esse actum materiæ, cum materia, quæ per suam existentiam propriam, habet esse simpliciter actuatam, à forma habeat esse taliter actuatam .s. in tali specie determinatam, & constitutam, forma enim est quæ dat esse completum physicum materiæ. Quare, ut optimè aduertit Simplicius antiquissimus, & subtilissimus Philosophus, secundò de Anima tex. 8. forma unicuiq. est causa, ut sit, quòd sit .s. non ut sit simpliciter, sed ut sit *quod* .s. taliter sit: At per hoc non sequitur, formam debere esse entitatiuè distinctam à materia, sicuti neq. actus primus est ab illa distinctus, nam etiam si ipsa non existat per se, potest taliter actuare materiam, ad actuandum enim simpliciter requiritur existentia propria, non ad taliter actuandum, cum hic secundus actus supponat primũ, & hoc taliter existere, sit sola taleitas physica afficiens rem iam simpliciter existentem. Quare, ut optimè aduertit supracitatus Simplicius primò de Anima tex 6. forma, licet possit dici actus materiæ, non tamen ipsa est in actu; .s. non existit, nisi per existentiã materiæ.

Ob.

Ob. 9. Per hunc modum substantialem non immutaretur essentialiter materia, ergo unum compositum essentialiter non differret ab alio; antecedens prob. materia enim quoad suam essentiam est immutabilis, conseq. patet, cum enim in quocumq. composito esset sola essentia materiæ, ideo essentialiter unum compositum, ab alio non distingueretur.

Resp. dist. antec. Non immutaretur essentialiter materia in ordine ad se ipsam, & conc. antec. in ordine ad compositum, & neg. antec. quare corruit conseq. immutaretur autem materia in ordine ad compositum, nam terminus materiæ, licèt realiter indistinctus à materia, non est tamen illius essentia, sed ab illa diuersam habet essentiam, s. existentem per eandem materiæ existentiam, sicuti subsistentia naturæ, licèt indistincta entitatiuè à natura, non est tamen, vt talis, illius essentia, vt clarè patet in humanitate assumpta à Verbo, quæ lic. fuerit absq. propria subsistentia, non tamen in essentia fuit uariata; sicuti ergo inuariata natura humana quoad essentiam, tamè unita cum Verbo, diuersum essentialiter Suppositum constituebat, ac si cum propria subsistentia unita fuisset, sic data paritate, dico, materiam licèt perseueret quoad suam essentiam, quia tamen in ipsa de nouo producitur taleitas terminationis physicæ, cuius ta citatis essentia in ipsa ut in causa materiali, & in agente, ut in causa efficiente repetiebatur, ideo physicè, & essentialiter diuersum constituit compositum.

Neq. instes. Hæc essentia huius termini substantialis non potest esse distincta ab essentia materiæ, cum per uos, neque in entitate distinctionem habeat.

Resp. enim cum Riccardo in secūdò sententiarum dist. 13. art. 1. quæst. 1. duplicem rationem essentiæ posse considerari in materia, & qua est ens materiale, & qua est in potentia, ut ab ipsa educatur forma; ratio essentiæ secundo modo non est propriè illius essentia, cum sit in ordine ad compositum, sed est potius essentia formæ, seu propriæ taleitatis, & terminationis, quæ cum distinguatur ab essentia materiæ, secundum se sumptæ, ideo quando hæc secunda ponitur in actu, dicitur immutari materia, non quidem in ordine ad se, sed in ordine ad compositum. Nam sicuti, ut adnotauit Aristoteles, non propriè dicitur generari forma, sed compositum, ita neq. propriè dici potest mutari materiam, sed mutari compositum, materia enim secundum suum esse remanet inimutata, licet in ordine ad compositum mutari dicatur.

26 Obiicies. 10. Ex supradictis essentia non distinguitur ab existentia, sed essentia materiæ distinguitur ab essentia formæ, ergo & existentia, ergo forma propriam entitatem habet distinctam à materia, per quam existit. Item quando corrumpitur forma, nō corrumpitur, quoad essentiam, sed quoad existentiam, sed existentia materiæ non corrumpitur, ergo existentia formæ, per quam entitatiuè existit in suo esse distincta à materia.

Resp. dist. min. Essentia formæ distinguitur ab essentia materiæ reduplicatiuè, vt essentia, & conced. min. ut existens, seu secundùm rationem existentiæ, & neg. min. licèt enim forma habeat propriam essentiam diuersam ab essentia materiæ, tamen per hoc non deducitur, non posse per eamdem existere existentiam, tantò magis, quòd in sententia quorumdam, etiam quę sunt realiter inter se distincta, quales ponunt potentias animæ, per eamdem existentiam existunt; cum ergo essentia formæ, antequam ponatur in actu, sit in materia, utpotè in illius causa subiectiua (omnis enim effectus eo modo quo est à causa, ante illius productionem non distinguitur à causa, sed est unius ipsius causæ, ut sæpè diximus) ideo non implicat poni in actu per eam existentiam, quam habet materia, cum enim sit causa subiectiua, non necessariò exigit producere effectum à se entitatiue distinctum, ut facit causa efficiens.

Et ex hoc patet Responsio ad secundùm s. non corrumpi existentiam materiæ quoad esse simpliciter, benè uerò quoad taliter esse, quando enim corrumpitur forma, materia, quæ taliter existebat, s. ignea, lapidea, &c. non amplius taliter, sed aliter existit; non dicitur autem corrumpi existentia materiæ, quia quoad esse simpliciter non corrumpitur, sed solùm quoad tale esse, seu quoad taleitatem, & terminum substantialem.

Ob. 11. Forma constituit materiam ens prędicamentale, sed hoc non posset facere, nisi ipsa haberet hoc esse prædicamentale, nemo enim dat quod non habet, ergo habet hoc esse prædicamentale, & entitatem distinctam ab entitate materiæ, mai. prob. dato enim quòd materia esset ens actu, esset ens transcendentale, non prædicamentale, nec poni posset in linea Prædicamentorum, nisi postquam esset completa à forma, cum in tali linea, nisi entia completa ponantur.

Resp. 1. posset. Materiam esse ens prædicamentale absq. forma, ut supra diccbamus, cum de materia, secùndum enim prædicata metaphysica, penes quæ se debet tenere complementum entium prædicamentalium, est completa absq. forma; sed dato aduersarijs, quòd nō haberet complementum necessarium.

Resp. 2. neg. min. Nam licèt ratio prædicamenti completi haberetur à forma, non tamen per hoc est necesse, quòd ipsa sit ens prædicamentale, seu entitas completa, cum & compositum habeatur à forma, & materia, & nec una, nec alia sit compositum; quare ad hoc ut materia constitueretur in esse completo prædicamentali à forma, sufficeret, quòd ad taliter esse determinaretur à forma, quod potest fieri licet non sit entitas distincta, sed solum terminus, & modus substantialis eiusdem.

Ob. 12. Formæ accidentales sunt entitates distinctæ à materia, ergo tales debent etiam esse formæ substātiales materiales; antecedens patet, quia possunt existere separatæ à materia, ut patet in accidentibus Sacramenti Eucharistiæ, conseq. prob. formæ enim substantiales sunt perfectiores accidentalibus, sed perfectius est, esse ens entitate propria, quàm aliena, ergo, &c. Tum quia tam formæ accidentales, quàm substantiales conueniunt in ratione generica formæ, ergo æqualiter debent 27

bent esse in prædicatis essentialibus, illis, sub ratione generica conuenientibus.

Resp. neg. conseq. & ad illius probationem dico, quòd forma substantialis est quidem perfectior forma accidentali, sed non in omni genere, sed maximè est talis, quia perficit substãtialiter subiectum, & cum illo vnum per se facit, quòd nõ facit forma accidentalis, alioquin etiam valeret arguere, formam substantialem materialem debere esse perfectiorem accidenti spirituali, quòd tamen est falsum, gratia enim est perfectior, quàm quælibet forma materialis. Quòd autem non sit perfectior in omni genere, etiam ipsi aduersarij tenentur concedere, ex eo quia, ipsam non ponunt in vllo Prædicamento directè, quòd è contra faciunt de accidentalibus formis, & tamen est maior perfectio esse directè, quàm indirectè in Prædicamentis.

Resp. secundæ probationi consequentiæ, quòd in ratione generica, sub qua conueniunt, non sunt inæquales, tam enim substantiales, quàm accidentales se habent vt quid determinatiuum: ac quia ratione talis determinatiui potest fieri, & vnum per se, & vnum per accidens, ideò inter se differunt; neq. vlla in hoc apparet implicantia. Quare ex hoc deducitur solutio illius quæstionis, vtrum formæ substantiales saltem diuinitùs possint stare sine materia, cum hoc possit esse de accidentalibus, vt patet in Eucharistia. Deducitur inquam solutio negatiua, & ratio disparitatis est, quia accidentales propriam habent entitatem, quæ efficienter potest à Deo sustentari sine subiecto, è contra verò cùm substantiales propriam non habeant entitatem, sed sint entia entis, seu modi substantiales, propter implicantiam sũt inseparabiles etiam diuinitùs à re cuius sunt, ideo neq. diuinitùs stare posse sine materia, secundùm hanc doctrinam, asserendum est.

SECTIO III.

Deducuntur quædam ex præcedenti Quæstione.

28 IN stabilienda sententia contra communem, diutiùs præter ordinem fuit immorandum, modò cùm ab ipsa multa consequantur corollaria, ne nimis prolixam protrahamus sectionem, aliam instituimus ad hæc videnda. Quare.

Coll. primò. Solutio illius quæsiti, vtrum forma materialis habeat propriam existentiam, colligitur inquam, non habere, cum enim nullam entitatem habeat distinctam à materia, ideo neque existentiam ab ipsa distinctam potest habere, quare per eamdem existentiam, qua existit materia, etiam ipsa existit, solùmque facit, quòd materia, quæ sine ipsa, solùm actum entitatiuum, & metaphysicum habet, cum ipsa habeat actum physicum, & existentiam completam.

Quòd si quæras, quomodo forma possit materiæ tribuere actum physicum, cum illum ipsa non habeat, & ex alio capite, omnis effectus formalis habeatur à forma per exhibitionem sui.

Resp. Nos non dicere, formam non esse actum Physicum, sed solùm asserere, non esse actum physicum entitatiuè distinctum à materia, sed esse terminum actualiter, & substantialiter physicum eiusdem materiæ, qui actualis terminus, cùm re uerá, & physicè adueniat ipsi materiæ priùs aliter terminatæ, per exhibitionem sui, dicitur illam informare, & compositum physicum constituere; Neq. valet, idem non posse recipere seipsum, ergo si materia aliquid in se recipit, recipere aliquid à se entitatiuè distinctum.

Est enim Resp. nihil aliud esse, materiam recipere modum substantialem ipsam terminantem substantialiter, nisi materiæ aduenire hunc terminum, qui cum veram physicam compositionem cum ipsa faciat, vt ex supradictis, ideo ipsum in se recipere dicitur, licèt in se non recipiat, vt entitatem, sed vt aliquid sui. s. vt sui terminũ substantialẽ.

Coll. 2. N q. formas materiales habere pro- 29
priam subsistentiam; ratio autem est, quia subsistentia est modus substantiæ, quo per se existit, ergo cum forma non sit substantia, neq. subsistentiam habet; tum quia, quæ sunt subsistentia, non sunt in alio, at formæ substantiales materiales, licèt non per inhæsionem, sed solùm per informationem, tamen sunt in alio, ergo quia non habent propriam subsistentiam.

Quòd si dicas, subsistentia reddit rem subsistentem alteri incommunicabilem, sed forma secundùm suum esse non communicatur materię, ergo propter subsistentiam propriam, quam habet.

Respon. Dato etiam quòd forma non communicet materiæ suum esse, ad constituendum compositum, quòd existimo falsum; tota enim materia dicitur informata per esse formæ, quod habet, attamen dico, per hoc arguendum non esse, formã habere suam propriam subsistentiam, nam multò minus formę accidentales communicant suum esse materiæ, & tamen subsistentes non dicuntur, ex eo quia, subsistentia est solus modus substantiæ, & nedum importat incommunicabilitatem, sed etiam rem subsistẽtem stare per se. Quare ideo ab omnibus animæ rationali tribuitur propria subsistentia, licèt aliquo pacto; saltem per informationem, communicetur materiæ, quia est substantia per se existens. Qualis autem incommunicabilitas sit de ratione subsistentiæ videbimus, Deo dante, in Metaphysica.

Coll. 3. Posse dici, formas contineri potentialiter in materia, non quidem, vt volebant antiqui Philosophi supra impugnati, secundùm quasdam virtutes seminales, seu habitudines, sed solùm, quia materia, vtpotè illarum causa materialis, est potens illas recipere, seu est potens varijs modis substantialiter mutari, cum enim omnis effectus possibilis non sit, nisi virtus causæ illum potentis causare, & forma habeatur nedum ab agente, vt à causa efficiente, sed & à materia, vt causa materiali, ideo in virtute materiæ, eo modo quo ab ipsa potest causari, reperiri dicendum est.

Coll. 4.

Collig. 4. Formam sic posse definiri *est actualis terminus substantialis, complens substantialiter materiam, illam in determinata specie physica constituens, faciensq. cum illa vnum per se.* Patet definitio ex dictis, cum enim in hoc consistat illius essentia, ideo hoc pacto definienda est. Concordat etiã hæc definitio cum Aristotelica, quòd, s. sit *ratio illius, quod quid erat esse*, si benè explicetur sensus obscurus huiusmodi definitionis; Concordat etiam cum definitione communiter tradita, quod scil. forma sit *actus substantialis vnum per se constituens cum materia*, dummodo tamen *ly actus* non intelligatur de entitate distincta entitatiuè à materia, sed de actuali illius modo, &c.

Et hæc omnia dicta sint ad demonstrandũ, optimè posse sustineri, contra cõmunẽ sententiam, formas substantiales, non esse entitates distinctas à materia, sed solùm illius terminos, & modos substantiales. Attamen, ne antiquorum nimium sequaces videamur, communiq. aduersantes existimationi, temeritatis næuos, uulgiq. subire morsus cogamur, ideo. & probabiliter sustineri posse, formas materiales proprias habere entitates distinctas à materia asserimus, atq. adeo utramq. opinionem problematicè substineri posse indubitanter stabilimus.

Rationes autem probantes entitatem distinctam formarum materialium, sunt omnes, quæ adductæ fuerunt, ad impugnandam præteritam conclusionem, quare illæ faciliter consideranti patebunt. Ex illis etiam deducetur, admissa entitatiuè distincta forma materiali à materia, ei denegandam non esse propriam existentiam partialem, cum qua cum existentia materiæ partiali, vnam integralem constituat, compositi.

Item, propriam habere subsistentiam partialem, per quam vtpotè substantia, habet modum, licèt imperfectum, standi per se, quæ subsistentia vnita simul cum subsistentia incompleta materiæ, vnam perfectam subsistentiam compositi constituat. Item posse saltem diuinitus stare absq. materia, vt euenit in formis accidentalibus; & similia quæ consideranti patebunt; & communiter traduntur ab Auctoribus.

10 Quæres. Quot sint species, seu genera formarum substantialium materialium.

Resp. Omnes formas materiales reduci ad quatuor species, seu genera, aliæ enim sunt formę elementares, quæ sunt imperfectissimæ, aliæ sunt formæ mixtorum non viuentium, vt formæ lapidis, metallorum, &c. aliæ formæ plantarum, vt sunt animæ vegetatiuæ, aliæ deniq. formæ animalium, & sunt animæ sensitiuæ.

SECTIO IV.

De Forma accidentali, seu de Accidente.

31 De accidente prædicabili iam dictum est in Logica, modò solùm loquimur de accidenti prædicamentali, seu de forma accidentali, pro vt opponitur substantiæ, & primò.

Supp. Accidentia posse esse in duplici differentia; alia sunt, quæ habent propriam entitatem Physicam, contradistinctã ab entitate substãtiæ, & quæ per proprium influxum physicum producuntur; vt v.g. calor, frigus, lumen, &c. alia verò, quæ non habent propriam entitatem, sed sunt entia entitate subiecti, & sunt modi accidentales, vt sessio, figura, &c. de his ergo secundis non loquimur, satis enim de illis in Logica cum de Prædicamentis, quare solùm de aliis accidentibus est sermo. Hoc supposito. Sit,

Prima Concl. Forma accidentalis, seu accidens *est ens aptum natum inhærere subiecto, potensq. ab illo adesse, & abesse præter illius corruptionem substantialem*; Ita quoad primam partem definitur ferè cõmuniter, sic Pontius dis. 13. Log. quæst. 1. conc. 1. Auersa quæst. 21. de accidenti sec. 1. & alii, non includentes tamẽ secund. partẽ. s. vltimas particulas, *potensq.* &c quæ tamen necessariæ videntur, vt probabitur, & quasi ex cõmuni doctrina deducetur.

Expl. Concl. Dicitur *ens*, vtpotè vnum ex prædicamentis in quæ primò diuiditur *ens* vt sic, dicitur etiam *ens*, quia accidens habet propriam existentiam, & entitatem distinctam à subiecto, quod patet, quia aliquod potest transire de subiecto in subiectum, quòd nequiret esse, si non haberet propriam entitatem. Tum quia accidentia de nouo corrumpuntur, & producuntur, non corrupto subiecto. Tum quia in Sacramento Eucharistiæ accidentia physica, & realia sine subiecto existunt, sed non existit nisi entitas. existentia enim non est, nisi essentia actu, seu entitas existens. ergo, &c. & ex hoc deducitur, in hac definitione non includi modos accidentales, qui nullam habent entitatem propriam, cum sint entis entia, hi autem reducuntur ad Prædicamentum modi, de quo in Logica.

Dicitur *aptum natum inhærere subiecto* ad explicandam differentiam constitutiuam ipsius accidentis, qua essentialiter exigit esse in alio; hæc autem exigentia inhærendi in alio intelligenda est radicaliter, & fundamentaliter, non autem actualiter, aut aptitudinaliter, non quidem actualiter, quia de facto in Sacramento Euch. remanent absq. subiecto, & tamen non perdunt propriam essentiam, neq. etiam aptitudinaliter, quia nullus respectus potest esse essentia absoluti, sed aptitudo est respectus, ergo non potest esse essentia accidentis, quod est absolutum. Tum quia qualibet aptitudo formalis, quæ est in aliqua re præsupponit aliquam formalitatem positiuam, ratione cuius talis aptitudo competat illi rei, sic risibilitas supponit rationalitatem, &c. ergo in illa formalitate, quæ est radix, in qua fundatur aptitudo, est constituenda essentia, non verò in ipsa aptitudine, sic risibilitas non est essẽtia, benè verò rationalitas. Quare in exigentia radicali, seu fundamentali, quam habet accidens inhærendi in subiecto, constituenda est ipsius essentia, vocaturq. *Aleitas* ipsa verò aptitudo, est proprietas essentialis ab ipsa proueniẽs.

Dicitur tandem *potensq. abesse, & adesse, &c.* ad assignandam illius differentiam à forma substantiali, ipsa enim (excepta anima rationali) exigit esse in aliquo, subiecto nec absque illo stare potest per se, & tamen non est accidens, sed quid substantiale, ex eo quia ad illius generationem, aut corruptionem, substantialiter mutatur subiectum. s. compositum, quòd non aduenit in generatione, & corruptione formæ accidentalis, dicitur autem *præter subiecti corruptionem* tam

phyſicam, quàm metaphyſicam, ita ut ne dum per poſitionem, & ablationem formæ accidentalis remaneat incorruptum metaphyſicè compoſitum, quoad. ſ. gradus eſſẽtiales, ſed etiam phyſicè quoad partes eſſentiales materiæ, & formæ ſubſtantialis.

Neq. ualet dicere, eſſe aliqua accidentia, ad quorum poſitionem corrumpitur ſubiectum, ut u. g. mors, uel calor ut octo, ſubſtantialiter mutãs ſubiectum, ergo &c.

Reſp. enim, mortem non eſſe accidens, ſed potiùs priuationem, quare per illam corpus uiuens priuatur forma uitali. Calor autem ut octo, non per ſe, ſed per accidens, & ratione materiæ, eſt cauſa corruptionis ſubiecti, quia enim ſubiectum ultimò alteratum, nequit amplius alterari quin mutetur ſubſtantialiter, ideo ad poſitionem ultimi gradus, ſubſtantialiter mutatur. Quòd autem hoc non præſtetur à calore reduplicatiuè, vt calor eſt, patet, ex eo quod, ſi agenti producenti talem ultimum gradum caloris in ſubiecto ultimò diſpoſito, aliud ſubiectum non diſpoſitum apponeretur, ſolùm alteraret illud, non verò mutaret ſubſtantialiter, ergo quia &c.

32 Ex quo patet, quàm malè definitum fuerit accidens à ſupracitatis D.D. & ab aliquibus aliis, non admittendo in definitione illas ultimas particulas differentiales; nulla enim hoc pacto admitteretur differentia inter formas ſubſtantiales materiales, & accidentales, maximè illas admittendo extrinſecatiuas, nam nulla forma ſubſtantialis, excepta anima rationali, poteſt eſſe abſq. ſubiecto inhæſionis, ergo etiam ipſa poſſet definiri *ens aptum natum inexistere ſubiecto*, & licet conentur poſtea aſſignare diuerſitatem, dicentes, formas ſubſtantiales materiales non propriè eſſe in ſubiecto inhæſionis, ſed in ſubiecto informationis, ex eo quia cum ſubiecto faciant vnum per ſe ſubſtantialiter; Attamen, primò, etiam forma accidentalis informat accidentaliter materiam, ergo etiã ipſa poſſet dici eſſe in ſubiecto informationis.

Item, ſicuti forma accidentalis nequit eſſe niſi ſupernaturaliter ſine ſubiecto, ita & eodem modo forma ſubſtantialis materialis, ergo vtramq. propriè inhærere, & ſuſtentari in ſubiecto dicendum eſt. Deinde, dato etiam quòd hæc eſſet illius differentia eſſentialis, ipſa non exprimitur ab ipſis in definitione, in qua neceſſariò differentia ſpecifica eſt exprimenda; ex quo patet neceſſitas ponendi tales particulas, per ipſas enim explicatur differentia inhæſionis formæ accidentalis, & ſubſtantialis materialis, quòd ſic.

33 Prob. differentia inhæſionis reſpectu formæ accidentalis in hoc præcipuè conſiſtit, vt ex Pontio loco citato, Maſtrio in Metaphyſica diſp. 15. quæſt. prima num. 19. (quidquid dicant alij, multas, & diuerſas adducentes differentias, vt videre eſt apud Auerſam diſp. 20. de materia, & forma ſec. 5. reducibiles tamen ad hanc hìc aſſignandã) Differentia inquam inhæſionis inter vtramq. formam in hoc conſiſtit, quòd forma ſubſtantialis materialis, licet inhæreat in ſubiecto, per ſuam tamen inhæſionem dat ſubiecto eſſe ſimpliciter vnum. ſ. facit cum illo vnum per ſe ſubſtantiale completum; accidentalis verò forma dat ſubiecto eſſe ſecundũ quid, cum illoque vnum accidentale facit; ſed talis differentia innoteſcit in forma accidentali ex incorruptione ſubiecti ad illius poſitionem, vel ablationem, ergo &c. min. prob. in tantùm enim ad productionem, & deſtructionem accidentis non corrumpitur ſubiectũ, ſeu cõpoſitũ in quantũ accidens non eſt pars ſubſtantialis conſtitutiua eiuſdem compoſiti in ratione vnius per ſe, vt eſt forma ſubſtantialis, ſed tantùm illi inhæret tanquam entitas ab ipſa diſtincta, poteſtq. ſeparari abſq. illius corruptione ſubſtantiali, ergo differentia inter ipſum, & formam ſubſtantialem materialem, per quam accidens non eſt pars eſſentialis conſtitutiua vnius per ſe, ſicuti eſt forma ſubſtantialis materialis, optimè innoteſcit ex incorruptione ſubiecti ad illius poſitionem, aut ablationẽ, quæ exprimitur in vltimis particulis definitionis, ergo &c.

Coll. quòd inhæſio actualis, quam habet accidens in ſubiecto, eſt quidam modus accidentalis ipſius accidentis, quo unitur ipſi ſubſtantiæ, quare quando ſupernaturaliter exiſtunt accidentia abſq. ſubiecto, tunc etiam deſtruitur talis modus inhæſionis, nec alter producitur, cum non ſit neceſſarius, ſed Deus effectiuè illa ſubſtentat; cum enim habeant propriam entitatem, & exiſtentiã, ſufficit, quòd à Deo effectiuè ſuppleatur modo inhæſionis, qui deſtruitur, Aliqui tamen volunt, quòd tunc producatur alius modus eſſendi poſitiuus, per quem tunc accidens ſtet per ſe ſupernaturaliter, vtraq. opinio eſt probabilis, & ſuſtineri poteſt. 34

Aduert. quòd, licet forma ſubſtantialis materialis inhæreat ſicuti accidens, tamen eſt ſubſtantia (ſecundùm communem doctrinam) ſeu quid ſubſtantiale. Et ratio eſt, quia conceptus per ſe ſtandi, qui eſt proprius ſubſtantiæ, intelligendus eſt, vt communiter explicatur, quòd ſubſtantia ſtet per ſe, uel ut Quod, vel ut Quo. ſ. uel vt id ipſum, quod dicitur ſubſtantia ſtet per ſe, & hoc dicitur ſtare per ſe, ut Quod, quomodo ſtat materia prima, compoſitum, &c. uel ſaltem, ut ſit conſtitutiuum ſubſtantiale vnius per ſe, quod ſtet per ſe, & hoc pacto dicitur ſtare per ſe, ut Quo. ſ. eſſe rationem formalem phyſicam, qua, aliud ſtet per ſe, & hoc modo ſe habet forma ſubſtantialis materialis; & etiam modi ſubſtãtiales, qui non ſunt accidentia, ſed quid ſubſtantiale, ut diximus.

Aſſignatur etiam alia differentia à Scoto citato à Maſtrio loco ſupracit. quia. ſ. forma ſubſtantialis materialis, licet indigeat ſubiecto inhæſionis, non indiget tamen ſubiecto alterius generis, ſed ſubſtantiali, ſicuti eſt ipſa, accidens verò indiget ſubiecto alterius generis, ac eſt ipſum. ſ. ſubſtantiale, & licet non ſit neceſſe, quòd omne accidens immediatè inhæreat in ſubiecto, ſed in alio accidenti poſſit inhærere, ut patet de accidentibus Euchariſt. quæ in probabiliori opinione omnia inhærẽt in aliquo primo, à Deo effectiuè ſubſtentato, tamẽ exigit ſẽper, ſaltẽ mediatè in ſubiecto inhærere, ita vt ſecũdũ ſui eſſe ſẽper depẽdeat à ſubiecto. Quare forma ſubſtantialis dicitur habere *per ſe* ſtare quãtũ ſufficit vt dicatur ſubſtãtialis, ex hac ratione, quia nõ indiget alio alterius generis, vt dicatur ſtare, ſicuti indiget accidẽs, quod ideo p. *alium* explicat.

Quæres

35 Quæres, quomodo producatur forma accidentalis.

Reſp. Formas accidentales educi de potentia materiæ, .i. produci quoad totum ſuum eſſe dependenter à materia, hæc autem non eſt creatio, vt ſupra explicaui.

Secunda Concluſio. Quædam accidentia, producuntur immediatè à ſubſtantia, quædam verò ab alijs accidentibus virtute propria. Ita Auerſa. quæſt. 21. de Accid. ſect 8. & alij apud Complut. in Phyſ. diſp. 10. de cauſa efficiente, quæſt. 8. §. 2.

Patet prima pars. Nam ne detur proceſſus in infinitum aſſignando ſemper accidens cauſam accidentis, deueniendum eſt ad ipſam ſubſtantiam, à qua, primò quædam accidentia proximè, & immediatè efficiantur. Tum quia naturales proprietates, & paſſiones communiter dicuntur fluere ab ipſa ſubſtantia, & eſſentia rei, ſed hoc nedum intelligendum eſt, quòd exigantur naturaliter ab illa ſubſtantia, & eſſentia, tanquam ſibi debita, ſed quòd etiam in genere cauſæ effectiuæ ab ipſa proueniant, ergo &c. Tum denique quia, actiones quædam immediatæ ſecundùm communem ſunt ab ipſa ſubſtantia, ſed huiuſmodi per nos, vt ſuo loco dicemus, non ſunt cauſalitates, ſed accidentia, ergo &c.

Patet etiam ſecunda pars. Calor enim verè ca-
36 lorem producit, frigus aliud frigus, lumen aliud lumen, &c. patet etiam in Sacramento Euch. vbi, l. nulla detur ſubſtantia, producuntur tamen ab accidentibus ibi exiſtentibus aliquæ qualitates, vt ſi ſpecies vini ſunt frigidæ, infrigidant, ſi calidæ, calefaciunt, ergo dicendum aliqua accidentia poſſe producere accidentia. Quòd autem producant immediatè propria virtute.

Prob. Quotieſcumq. effectus productus non excedit perfectionem ſui agentis, tale agens dicitur cauſa principalis, ſed accidens productum non excedit perfectionem accidentis producentis, ergo accidens producens dicendum eſt illius cauſa principalis, & propria virtute illud producere; conſ. patet, quia ſicuti ſe habet forma ignis ad aliam ſimilem formam ignis, ſic ſe habet calor ad alium calorem, ergo ſicuti forma ignis dicitur principium principale reſpectu formæ ignis productæ, ex eo quia aſſimilat ſibi paſſum in productione, poterit & ſic dici etiam forma accidentalis, cum ſimilem ſibi producat.

Conf. Quando aqua calida calefacit, ille calor non vtiq. producitur à forma aquæ, quia de ſua natura infrigidat, neq. itidem ab igne, ergo virtute propria à calore impreſſo in aqua, taquam à cauſa principali.

Conf. 2. Quia ſi nulla eſſet dabilis ſubſtantia, poſſibilis tamen eſſet calor, vtiq. calefaceret, ſed nó virtute ſubſtātiæ, ergo virtute propria, ergo &c.

Tertia Concluſio. Accidentia productiua, ſiuè
37 ſubſtantiæ, ſiuè accidentis, ſunt virtutes ſubſtantiæ a qua ſunt, ita tamen, vt reſpectu accidentium ſint cauſæ principales, reſpectu verò ſubſtantiæ, cauſæ inſtrumentariæ. Eſt D. Thomæ pluribus in locis, quem citant, & ſequūtur Doctores Collegii Comp. in Phyſ. diſ. 10. de cauſa efficiēte, quæſ. 5. §. 2. & alij.

Prob. prima pars. Id quod primò emanat à ſubſtantia eſt virtus ipſius ſubſtantiæ, ſed à ſubſtantia primò emanāt accidētia, ergo accidētia ſūt virtutes ſubſtātiæ, ma. patet, quia actio imediata ſubſtātiæ, non eſt niſi ipſius virtus in actu primo, exercita in actu ſecundo, Tum quia ex probandis inferiùs, ſubſtantia immediatè aliam non poteſt producere, ergo mediantibus accidentibus, ſed accidentia, niſi eſſent virtutes eiuſdem ſubſtantiæ, ſubſtantiam non producerent, ergo verè ſunt virtutes ſubſtantię, hæc min. prob. ipſa enim accidentia ſecundū ſe non habent vires producendi ſubſtātiā.

Prob. quòd reſpectu ſubſtantiæ ſint cauſæ inſtrumentariæ, alia enim pars iam probata eſt. Illa eſt cauſa inſtrumentaria, quæ operatur, vt virtus alterius in ordine ad effectum excedētem proprias vires, ſed huiuſmodi ſunt accidentia reſpectu ſubſtantiæ, ergo reſpectu illius ſunt cauſæ inſtrumentariæ.

Aduert. tamen, non eſſe inſtrumenta illius generis, quæ non mouentur niſi mota, qualis eſt calamus, ſerra &c. ſed eſſe cauſas inſtrumentarias, quæ in ordine ad ſubſtantiam producendam habent totam virtutem à ſubſtantia cuius ſunt, nullamq. à ſe ipſis reſpectu ſubſtantiæ vim habent, ſicuti habent alia inſtrumenta, ſed.

Ob. 1. Eodem modo concurrit accidens ad pro- 38
ductionem ſubſtantiæ, ſicuti ad productionem accidentis, ergo vel etiam ad productionem accidentis concurrit, vt cauſa inſtrumentalis, vel neq. concurrit hoc modo ad productionem ſubſtantiæ, antecedens prob. tam enim ſubſtantiam, quā accidēs producit, quia eſt virtus ſubſtātiæ, à qua eſt.

Reſp. neg antecedens, & ad illius probationem dico, quòd duæ formalitates ſunt conſiderandæ in accidenti, prima eſt, quòd ſit virtus ſubſtantiæ, ſecunda, quòd ſit virtus talis ſubſtantiæ; pro vt autē eſt virtus talis ſubſtātiæ, dicit aliquā coniūctionem cùm illa ſubſtantia, cuius eſt virtus, illaq. ſubſtantia radicaliter eſt principium ſubſtātię producendæ, & ideo reſpectu talis ſubſtantiæ producēdæ, accidens ſolū cauſa inſtrumētalis poteſt eſſe; quatenus verò eſt virtus ſimpliciter ſubſtantiæ; licet non adiuuetur à ſubſtantia, cuius dicitur virtus, poteſt ſimile ſibi accidens producere, quia improportionatas vires ad illud non habet; nec indiget vt adiuuetur à principio ſubſtantiali, cuius eſt virtus; quare poteſt producere principaliter accidens, licet ſolùm inſtrumentaliter attingere valeat ſubſtantiam; hoc autem patet in calore v. g., hic enim ſecundū ſuum eſſe eſt ſolùm uirtus diſgregatiua, quare ut talis, aliam uirtutem diſgregatiuam ſibi ſimilem poteſt producere; quia uerò huiuſmodi calor, uel poteſt eſſe uirtus ignis, uel uirtus animalis, uel alterius mixti, & formæ ſubſtantialis, ideo ratione talis determinationis, & coniunctionis cū illis formis, habet uim producendi formā ſubſtātialem illis ſimilem, non quidem uirtute propria quatenus reduplicatiuè eſt calor, ſed quatenus eſt talia calor coniunctus, ſeu deriuans à talibus formis; forma autē producta, cum ſit excellētioris ordinis, ac eſt ipſe, ideo reſpectu illius dicitur cauſa inſtrumentaria.

Et ex hoc clarè patet, quomodo accidens remanendo accidens possit attingere productionem substantiæ, producit inquam substantiam, quia, licet maneat in ratione accidentis, per talem tamen coniunctionem, quam habet cum substantia maximè accedit ad propriam perfectionem, & naturam talis substantiæ, & ideo uirtuosior, & uigorosior euadit, eleuaturq. ab ipsa ad productionem substãtiæ, tamquam illius instrumentum: unde optimè,

Coll. à priori, accidens habere prædictam ui-
39 gorositatem ad producẽdam formam substantialem, quia fluit à forma substantiali, atq. adeo posse producere substantiam, quia est causa instrumentalis substantiæ.

Ob. 2. Si accidens esset instrumentum respectu productionis substantiæ, sequeretur, ablata substantia, non posse producere substantiam, sed hoc experientia est falsum, ergo non est instrumentum, sequela prob. instrumenta enim non operantur nisi sit agens principale.

Resp. Illa instrumenta non operari deficiente agente principali, quæ non mouentur nisi mota, ut serra, malleus, &c. at huiusmodi non sunt accidentia, de quibus loquimur, ut supra diximus, quare etiam si deficeret substantia principalis causa, quia tamen ab ipsa receperunt uigorositatem, & eleuationem in ordine ad formam substantialem, illam poterunt producere.

Ob. 3. Totum esse accidentis est, esse uirtutem substantiæ, ergo quando operatur, & producit aliquod accidens, illud producit ut est uirtus substantiæ, ratio enim uirtutis operatiuæ sequitur ad esse, ergo producit etiam accidens, ut instrumentum substantię, non ut causa principalis: hæc conseq. prob. quia in productione u. g. caloris, substantia ignis est causa principalis, ignis enim non solùm habet ignire, sed etiam calefacere, & introducere dispositiones necessarias ad formam ignis, vulgatum enim axioma est, idem esse agens introducens formam, & materiam disponens, ergo si accidens concurrit ut uirtus substantiæ ignis, concurrit ut instrumentum etiam respectu productionis accidentis, non ut causa principalis.

Resp. neg. ultimam conseq. & ad probationem illius dico, quòd quidem uerum est, ignem non solùm habere ignire, sed & calefacere, at formaliter, non ignit ut calidus, sed ut calidus per modum causæ principalis calefacit, ignit autem, quatenus est substantia ignis; quare cum calefaciat ut calidus per modum principalis causæ, etiam calor, qui est calidus, poterit hoc præstare per modum causæ principalis, non instrumentariæ, maximè quia causæ instrumentales semper producunt effectum se excellentiorem, quod non facit unum accidens respectu alterius. Quòd uerò idem sit agens introducens formã, & disponens materiam, hoc uerum est, si intelligatur radicaliter, & ideo dico, quòd substantia ignis est causa radicalis tùm productionis dispositionum, & accidentium, tùm formæ substantialis, causa uerò proxima, & immediata aliquorum accidentium est etiam ipsa substantia, aliorum uerò, sunt eadem accidentia primò producta à substantia.

Et ex hoc patet, quænam accidentia fiant immediatè à substantia, quænam verò ab accidentibus: illa accidentia, quæ emanant à substantia tamquam illius proprietates, fiunt immediatè ab ipsa substantia, ut sunt primæ qualitates respectu elemẽtorum, coetera verò producuntur ab illis accidentibus primò productis à substantia.

Coll. accidentia non esse corpora, omne enim corpus est substantia, & potest stare per se. Tum quia accidentia quantùm est ex se, sunt penetrabilia, & ad inuicem, & cum corpore, ergo quia non sunt corpora; quare licet sint entia distincta à substantia, tamen non sunt corpora, & solùm habent extensionem ratione substantię, quam in qua reperiuntur.

Quæres. Quomodo diuidatur accidens. 40

Resp. secundũ communem diuidi in 9. Prædicamenta, quæ sunt præter substantiam, s. in Quãtitatem, Qualitatem, Relationem, Actionem Passionem, Vbi, Situm, Quando, & Habere. Quæ tamen diuisio nullo modo à nobis est amplectenda, quælibet enim Quantitas, ut suo loco dicemus, non est accidens: reliqua verò, præter qualitatem, actionem, & passionem, sunt potius modi accidentales, quàm accidentia, atq. adeo reducibilia ad Prædicamẽtum Modi. Quare solùm qualitas (quæ tamen non sit modus) actio, & passio, uere appellanda sunt accidentia; at quia actio, & passio sunt etiam qualitates, ut dicemus, ideo omne accidens esse qualitatem asserendum est, atq. adeo, ipsa qualitas est diuidenda, & ita sentit Gabriel in 4. dist. 12. quæst. prima art. primò. Ratio autem est, quia omne accidens est adiunctum substantiæ creatæ ad complementum, & perfectionem eius, tam in existendo quã in agendo, sed qualitas est huiusmodi, ut apud Suarez disp. 42. Met. sec. prima, ergo omne accidens est Qualitas; Tum quia, secundũ Aristotelem, qualitas est id, quo redditur subiectum quale, sed ab omni accidenti subiectum redditur quale, ergo &c.

Diuidenda est igitur forma accidentalis immediatè, & primò, eo modo, quo diuiditur qualitas ab Aristotele (ut ostendimus in logica). excepto tamen ultimo membro, forma s. & figura, hæc enim propriè non est accidens entitatiuum, sed modus accidentalis, ut iam diximus, atq. adeo reducibilis ad Prædicamentum modi.

Deinde potest diuidi accidens in spirituale, & corporeum, spirituale conuenit subiectis spiritualibus, corporeum uerò corporeis; alijs etiam modis posset subdiuidi, sed hi sunt principaliores, atq. adeo non omnes sunt recensendi.

Quæres 2. An accidens possit transire de subie- 41
cto in subiectum.

Resp. accidentis, uel esse actus uitales, & sunt, quę fiunt à potentiis uiuentium, ut intelligere, uidere, &c. & hæc non transeunt in aliud subiectũ; uel esse quasi proprias proprietates alicuius substantiæ productas immediatè ab ipsa ad sui conseruationem, ut est calor respectu ignis, frigus respectu aquæ, &c. & ista neq. etiam transeunt; Vel deniq. alia, quæ producuntur respectu substantiæ,

ad-

ad extra, & hæc verè transeunt in subiectum ad extra, ut calor respectu ligni calefacti, motus respectu mobilis extrinseci, actio respectu subiecti, in quod recipitur, &c.

Quares 3. An omnia accidentia, & qualitates sint actiua.

Resp. probabilius esse, omnia accidentia, de quibus hic loquimur esse actiua, non tamen omnia agere semper ex defectu applicationis subiecti proportionati. De aliquibus accidentibus cōceditur ab omnibus; prob. autem de illis, quæ communiter actiua non vocantur, vt color, albedo, nigredo, &c. Hæc semper emittunt suas species, ergo sunt actiua, antecedens prob. si enim non semper emitterent, cum iam semel emissæ possint destrui, non esset assignabilis ratio, quare aliquando fierent actiua, illas de nouo emittendo, quare meliùs dicendum est semper emittere; Aliqua autem non agunt ex defectu applicationis subiecti, vt v. g. dulcedo non sentitur, nisi sit applicata subiecto proportionato, & hoc potest considerari de omnibus, quæ verè dicuntur accidentia, non verò de modis accidentalibus, qui potiùs sunt appendices, & quid accidentis, non verò accidentia, vt iam diximus.

42 Quæres 4. An accidentia subiectentur in sola materia, vel in materia quatenus forma informata.

Resp. Accidentia subiectari in sola materia, & ratione illius inhærere toti composito. Ita propè infiniti Auctores, quorum seriem adducit Auersa, quæst. 21. de Accidenti sec. 7.

Prob. autem; tum quia si materia recipit formam substantialem, cur non poterit etiam accidentia recipere? Tum quia manent accidentia in genito, & in producto, v. g. odor in aqua distillata, sapor, &c. ergo debent subiectari in sola materia, & non in composito, quod destruitur in corruptione; loquor autem de accidentibus materialibus, nam in composito humano sunt aliqua accidentia, quæ in sola forma .s. anima subiectantur, vt intellectio, volitio, &c. Tùm quia sunt aliqua accidentia, quæ alicui formæ omninò repugnant, vt est calor v. g. formæ aquæ, & tamen quando aqua calefit, in ipsa reperitur, ergo dicendum, quòd talis calor recipiatur in sola materia, alioquin si in materia, & forma, forma reciperet, & substentaret quod tendit in sui destructionem.

Neq. obicias, in corruptione fieri resolutionem vsq. ad materiam primam, ergo &c.

Resp. enim, falsum esse antecedens, vt patet, tùm in cadauere, in quo eadem accidentia manent, tum in aqua distillata, ergo &c.

Neq. obicias secūdò, est prius esse substantiale, quàm accidentale, ergo priùs materia habet formam antequam accidentia recipiat, ergo accidentia subiectantur in materia, & forma.

Resp. disting. antecedens, priùs est in intentione, & conc. in executione, & nego antecedens, priùs enim introducuntur accidentia antequam forma substantialis adueniat, eo quod, id quod est primum in intentione agentis, est multoties vltimum in executione, v. g. quis priùs intendit sanitatem ante sumptionem medicinæ, sed in exequendo, priùs sumit medicinam, & deinde sanitatem acquirit.

Neq. dicas tertiò, totum compositum dicitur quantum, album &c. ergo non in sola materia, sed in toto composito subiectantur accidentia.

Resp. neg. conseq. nam, licet in vna sola parte compositi subiectentur accidentia, totum tamen compositum denominatur tale, sicuti à pari, totus homo dicitur videre, & tamen solis oculis videt, totum compositum dicitur generari, & tamen sola forma, non materia generatur. Quare duplex distinguunt subiectū philosophi s. inhæsionis, & subiectum denominationis, subiectum ergo inhæsionis accidentium est ipsa materia, subiectum verò denominationis est totum compositum. Et hæc sufficiant de forma accidentali, seu de Accidenti.

SECTIO V.

Vtrum plures Formæ Substantiales possint informare eandem numero Materiam.

Cum plures formæ accidentales possint in eodem subiecto reperiri, illudq. informare, 43
hinc celeberrima orta est quæstio inter Philosophos, vtrum hoc idem præstari possit à formis substantialibus: ad solutionem cuius quæstionis.

Not. est primò. Quæstionem agitari posse de viuentibus, & non viuentibus, cum enim in viuentibus, forma substantialis sit anima, eaq. deficiente, remaneant in composito ferè omnia eadem accidentia, quæ priùs erant, Affirmarunt aliqui talia accidentia conseruari ab alia forma partiali, quæ priùs erat, etiam quando anima informabat.

Not. 2. Duobus modis se habere posse diuersas formas substantiales, vel subordinatè, & partialiter, vel non subordinatè, & totaliter, tunc formæ sunt subordinatæ, & partiales, quando una est quasi superior respectu alterius formæ, quæ est imperfectior, & quasi dispositio ad illam, quo pacto dixerunt aliqui, esse in uiuentibus formas partiales membrorum, capitis, brachij &c. uel corporeitatis, &c. Tunc uerò formæ non sunt subordinatæ, suntq. totales, quando nullum ordinem inter se habent, sed sunt, quasi disparatæ, vt formæ equi, leonis, ligni &c. De subordinatis, & partialibus in præsenti quæstionem agitamus, de reliquis in sequenti sectione.

Not. 3. Nos tamquam certum præsupponere, quòd infra probabimus, materiam non posse existere naturaliter quacumq. forma denudatam, cum enim forma sit suū perfectiuum, seu determinatiuum substantiale in ordine ad compositum, hinc est, quòd sine illa, saltem de potentia ordinaria, nō potest stare. His ergo notatis. Sit.

Prima Conclusio. In uiuentibus, præter animā, 44
dantur etiam aliæ formæ substantiales partiales, & subordinatæ. Ita Scotus in 4. dis. 11. quæst. 3. omnesq. Scotistæ difusè relati à Pontio disp. prima de Anima, quæst. 3. contra Thomistas omnes.

Prob.

Prob. 1. Separata anima in viuentibus rationalibus, & destructa in cæteris, adhuc remanet illa materia informata, sed non per aduenientem formam, ergo per formam, quæ priùs erat; ergo præter animam habent viuentia aliam formam substantialem; mai. ex supposito, & ex dicendis est certa, min. prob: ex eo quia nullum sit agens eam producens, quando enim u. g. in arbore aliqua destruitur anima uegetatiua ab aliquo agente, ab illo non introducitur in eā materia forma, talis corporeitatis, principium aliorum accidantium remanentium, quam arbor conseruat. Item, quando moritur animal, & destruitur, uel separatur anima, non est agens introducens in materia formā, quam retinet talis corporeitatis, ergo dicendum est esse in uiuentibus præter animam, aliam formam substantialem subordinatam animæ formæ principali.

Neq. dicas, post separationem animæ, uel destructionem, introduci formam cadaueris, seu corporeitatis.

Resp. enim, hoc esse ridiculum asserere. Tum quia ipsis oculis uidemus remanere eadem accidētia, cicatrices, uulnera, &c. ergo eamdem formam corporeitatis, quæ priùs, etiam remanere asserendū est; neq. enim rationabiliter saluari potest, quòd
44 dicunt aliqui, non esse eadem accidentia, quæ uidentur in cadauere, & quę erant in animali uiuo, sed similia de nouo producta, nam ut ait Aristot. 8. Physicorum tex 22. *rationē quærere dimittentes sen! um infirmitas quadam est intellectus.*

Tum quia, nullum reperitur agens illam producens, uel enim esset infirmitas, uel agens, aut humores maligni mortem causantes; infirmitas non potest esse, quia non est agens reale, sed priuatio sanitatis, non humores maligni, cum enim sint accidentia, & accidentia, ex communi habeant uim productiuam à substantia, uel isti humores reciperent hanc uim producendi formam cadaueris ab anima, uel à materia, uel ab ipsorum humorum substantia, si admittamus esse substantias, non ab anima, nulla enim forma potest producere formam à qua expellatur; non à materia, quia materia non habet uim producendi formam substantialem, non deniq. ab ipsa substantia humorum, quia nulla causa potest producere effectum se nobiliorem, forma autem cadaueris est nobilior, quàm flegma, bilis &c. neq. deniq. potest esse agens causans mortem, cum enim sit in diuerso genere, modò ani quis moritur ense, modò aqua, modò igne, &c. ideo semper eamdem formam, non causaret, ut de facto euenit. Quare cum nullum agens inueniatur talem formam cadaueris introducens, nullo pacto est admittenda, ut de nouo introducta, sed concludendum, esse eamdem formam corporeitatis, quæ priùs erat in composito, etiam quando anima informabat.

45 Neq. ualet, per uirtutem cælorum produci hanc formam. Nam, cum ex diuersitate plurium accidētium arguatur mutatio alicuius formæ, hicq. non habeamus magnam diuersitatem accidentium, sed ferè eadem accidentia, ideo noua forma non est arguenda.

Resp. 2. impugnando talem formam cadaueri cam. Eadem caro Christi, quæ fuit in vtero Virginis, eadem etiam fuit in sepulcro, sed si producta fuisset noua forma cadaueris, nō fuisset eadem, siquidem substantialiter fuisset mutata; ergo dicendum, non fuisse productam talem formam cadaueris. mai. de fide constat; min. patet, ergo & consequentia.

Prob. 2. Quando datur aliqua collectio accidentium, debet esse etiam forma substantialis, à qua procedat, sed in foliis exsiccatis remanet eadem corporeitas, ac quando viuebant, virtus medicinalis, &c. in embryone, animali viuo, & cadauere eadem collectio accidentium, ergo in illis debet esse forma substantialis, quæ perseueret, destructa aut separata anima forma principali, ergo in illis assignandæ sunt diuersæ formæ substantiales partiales præter ipsam animam, à quibus talis collectio accidentium conseruetur, mai. prob. nam eadem collectio, non potest nisi ab eadem forma prouenire.

Neq. valet dicere cum Arriaga disp. 3. Physicæ, sect. 6 subs. 1. aliquando conseruari accidentia, licèt destruatur omninò forma, cuius sunt, vt in vino quando fit acetosum, & ideo conseruari in embryone, animali viuo, & cadauere eadem accidentia, quia ea accidentia fuerunt intenta à natura, propter animam, quapropter ea etiam durant, & perseuerant in cadauere, quia non aduenit contrarium agens illa destruens.

Resp. enim. Verum esse, aliqua accidentia posse conseruari, sed non ferè omnia, vt in casu nostro; deinde tunc accidentia conseruantur, quando forma de nouo aueniens, habet aliquam simboleitatem cum forma corrupta, vt patet in exemplo allato, sed forma cadaueris, quam admittunt, est omninò diuersa à forma animæ, ergo eadem accidentia non deberent conseruari: ad id postea quod dicit, eadem esse accidentia, quia intenta fuerunt à natura propter animam.

Resp. Quod si hoc esset, separata, vel destructa anima, etiam perirent, sed videmus non perire, immò conseruari quoad usq. per agens naturale corrumpantur, ergo dicendum est talium accidentium esse aliud principium, & formam substantialem præter animam.

Prob. 3. Caput non est essentialiter brachium, brachium non est essentialiter pes, ergo & essentialiter distinguuntur, sed non per materiam cum sit eadem, non per animam, cum sit spiritualis in homine, ergo per proprias formas partiales.

Prob. 4. Animal constat ex anima, & corpore organico, anima enim ex Philosopho *est actus corporis organici*, sed simplex materia non est corpus organicum, ergo aliqua forma in animali præter animam debet admitti, per quam illius materia fiat corpus organicum informandū ab anima, ergo preter animam, alia forma partialis subordinata, & substantialis in viuentibus est admittenda.

Ob. 1. Si hoc esset, sequeretur viuentia non esse vnum per se, sed per accidens, sequela prob. quia essent plura entia in actu vnita, respectu pluralitatis formarum substantialium. 46

Resp.

Resp. neg. seq. cũ enim tales formæ non sint totales, sed partiales, & inuicem subordinatæ, in, de euenit, quòd vnum solùm per se constituant; quare dicitur vnum solùm animal, licet formas animæ, corporeitatis &c. habeat; sicuti etiam dicitur vnum per se compositum metaphysicum, licet in ipso plures formalitates, seu differentiæ reperiantur, sensitiuitatis nempè, rationalitatis &c. quia omnes sunt inuicem subordinatæ.

Ob. 2. forma substantialis tribuit materiæ esse completum in determinata specie, & indiuiduo, ergo si plures essent formæ substantiales in eadem materia, esset in duplici specie, & indiuiduo: hoc autem repugnat, ergo & duas formas substantiales informare eamdem materiam.

Resp. hoc solùm sequuturum absurdum, si hæ formę substantiales non essent inuicem subordinatæ, quales sunt assignatæ in viuentibus, quæ omnes subordinãtur respectu formæ principalis. f. animæ, ratione cuius euadit postea vnicum indiuiduum in vnica specie. Neg. enim non est, pedem non distingui à brachio, brachium à capite, & hoc specie, & numero, cum hoc specie, & numero brachium non sit hoc numero, & specie caput; item vnum corpus hominis distinguitur ab alio corpore hominis, & hoc per propriam formam substantialem partialem: quare dicendum, est, vnum solùm compositum totale constitui, cum pricipalis forma substantialis vna sit, atq. adeo, si tales formæ subordinatæ, & partiales prius sint in materia antequam adueniat forma vltima substantialis, tunc ipsas solùm facere vnum ens actu, incompletum tamen, & adhuc complebile per formã substantialem animæ; ex duobus enim entibus, licet actu, non implicat fieri vnum per se, si sint incompleta, vt patet de anima rationali, quæ certè non recipitur in nuda materia solùm dispositam per accidentia, benè verò informata aliqua forma substantiali.

Coll. etiam cætera composita non viuentia posse habere plures formas partiales subordinatas vni totali, sic formæ elementorum in mixto subordinantur formæ mixti, tãquam formæ principali &c. & ratio est, quia cum sint subordinatæ, & in ordine ad vnam totalem, respectu talis totalis, dant solùm vltimum perfectiuum, & determinatiuum materiæ, & sic, licet sint plures, quia sunt partiales, & subordinatæ, materia tenuatet in vnica sola specie, & indiuiduo.

SECTIO VI.

An plures Formę Substantiales totales possint informare eamdem numero Materiam.

47 Diximus supra, plures formas substantiales subordinatas, & partiales posse esse in eadẽ materia, modò quærendum est de totalibus, & non subordinatis; pro quo.

Not. est Nos non loqui de formis substãtialib' sumptis pro gradibus metaphysicis compositi, v. g. pro ratione entis, substantiæ, viuentis &c. quia isti gradus secundũ communem non possunt habere rationem formæ physicæ; neq; loquimur de partibus formæ, quia certum est plures partes formæ v. g. Ignis, esse in eadem materia. Quare solùm quæstio agitur de totali forma substantiali, & hac physica. Hoc, ergo supp. sit.

Prima Conclusio. Plures formæ substantiales totales, nequeunt naturaliter simul esse, & vniri cum eadem numero materia. Ita Suarez in Metdisp. 15, sec. 10; Hurt. disp. 4. Physicæ sec. 3. Pontius disp. 4. in Physica quæst. 3. & alii. 48

Prob. primò. Materia determinatur à forma substantiali totali ad vltimum esse specificum, sed quod est determinatum ad vltimum esse specificum, non potest remanendo in tali specie, determinari ad aliud esse specificum, ergo materia informata vna forma substantiali totali, & determinata ad vnum esse specificum totale, nequit ab alia forma substantiali totali determinari ad aliud esse specificum, mai. est certa, min. prob. nam si esset adhuc determinabilis, non esset perfectè determinata à prima forma, quòd est contra præsuppositum.

Neq. dicas, quòd licet materia sit determinata à tali forma, adhuc tamen habet potentiam ad determinari ab alia forma, & ideo per hanc potentiam, dum est sub prima, secundam formam potest recipere, si enim non haberet potentiam, nec post destructionem primæ formæ, illam posset recipere.

Resp. enim, potentiam materiæ ad formam nõ esse nisi esse subiectiuum, & potentiale, quod habet materia respectu formæ ad sui perfectionem, & determinationem in ordine ad compositum; quare cum per formam totalem, totaliter completur, & determinetur, nequit, ita perseuerante, ab alia totali determinari; sicuti lapis habens potentiam ad centrum, dum actualiter possidet centrum, nequit in illo poni, & tamen in illo perseuerat potentia, quæ ab ipso non distinguitur. Dicitur autem materia habere potentiam ad omnes formas, quia, licet illius potentia tollatur in ordine ad compositum per formam, secundum tamen se perseuerat, dum est sub forma totali, perseuerat enim eius esse subiectiuum, actualiter enim subiectat formam, atq. adeo, dicitur habere potentiam ad formam s. f. habere illud esse subiectiuum, quod est capax omnium formarum, sub disiunctione tamen, non copulatiuè; quare, licet materia habeat potentiam ad omnes formas, ex hoc non deducitur, & plures totales simul posse recipere, sicuti, licet voluntas habeat potentiam ad volendũ, & nolẽdũ idẽ obiectũ, & dũ actu vult in ipsa perseuerat potentia, seu facultas ad nolendum, tamẽ dum actu illud vult, cum per talem actum sit totaliter determinata, impossibile est, illud nolle, sic dicendum est de materia, quòd, licet dum actu est sub vna forma totali ad alias habeat potentiam, nequit tamen illas habere.

Prob. 2. Si plures formæ materiales totales possent informare eamdem numero materiam, sequeretur ex tali informatione constitui simul vnum cõpositum, & plura, vel nec vnum nec plura, hoc

non

non est dicendum, ergo, &c. sequela prob. quia propter identitatem materiæ esset vnum, & propter diuersitatem formarum, plura, vel nec vnum, nec aliud, ergo, &c.

Neq. dicas, formas esse illas, quæ dant specificatiuum compositis, quare in tali casu, licèt vna esset materia, duo tamen essent composita, quòd non implicat.

Resp. enim, quòd licèt formæ dent esse specificatiuum compositis, recipiunt tamen composita esse indiuiduale à materia, quare cum vna esset materia, vnum esset compositum numero, & in duplici specie terminatum, quòd repugnat. Quòd autem composita desumant indiuiduationem à materia, patet ex ipsorum principijs, si enim dicunt eamdem materiam posse recipere simul plures formas substantiales totales, ergo eamdem numero, de eadem enim specie non est quæstio, ergo si est eadem numero, ab ipsa deberent recipere rationem indiuiduationis composita. Quare cum vna esset materia, unum esset compositum numero, in duplici tamen specie totali terminatum, & sic vnum, & duo, quòd repugnat.

49 Neq. enim valet, non repugnare idem numero, esse in duplici specie, vt idem animal est in specie viuentis, sensitiui. &c. vel lapis in specie talis lapidis, corporis. &c. Nam hoc potest esse, quando formæ sunt inuicem subordinatæ, vt diximus in præterita sectione, per ipsas enim, siuè sint Physicæ, siuè sint metaphysicæ, potest idem in diuersis speciebus, incompletè tamen, collocari, at sic non euenit quando formæ sunt totales, & non subordinatæ, hæ enim determinant totaliter esse indiuiduale materiæ ad esse in tali vltima specie, atq. adeo nequit amplius ad aliam determinari.

Prob 3. Si duæ formæ substantiales totales possent esse in eadem materia, sequeretur hominem posse esse hominem, & equum, sed hoc repugnat, ergo & quòd dentur duæ formæ totales in eadem materia. mai. patet, si enim reciperet formam substantialem equi euaderet equus, sicuti dicitur albũ est frigidum, quia sunt duo accidentia in eadem substantia. min. prob. idem enim suppositum communicaretur alteri, tùm quoad esse, tũm quoad prædicari cõtra naturam suppositi, quæ est esse incommunicabile, communicaretur inquam, quia pars essentialis unius, scilicèt materia, esset actu pars alterius.

Neq. dicas, non hoc sequuturum absurdum, ex eo quia non communicaretur quoad totum, sed quoad partem, .s. quoad materiam, & sicuti de facto, quia materia unius suppositi est successiuè cõmunicabilis alteri supposito, per hoc supposita non inuicem communicantur, ita neq. dicendum esset, hominem esse equum, sed humanatum esse equatum, .s. materiam habentem formam humanam, habere & equinam

Resp. enim, quod, licet verum sit, incommunicabilitatem suppositi tenendam esse ratione totius, & non partis .s. non solius materiæ, tamen si attendenda est ratione totius, etiam attendi debet ratione partis; totum enim constat ex partibus; & ideo si partes essent communicabiles, etiam totum esset communicabile; quare nego, materiam de facto, dum sub aliqua forma constituit compositum, esse communicabilem, cum enim ex supradictis nõ exigat aliam formam, dum est sub forma nec per consequens est communicabilis. Quòd postea illud subiectum habens formam humanam, & equinam diceretur humanatum, & equatum, nil aliud importat, nisi vnum esse suppositum, & cõpositum, contra rationem formarum substantialium, quę constituunt seorsim diuersa composita.

Prob. 4. Si materia eadem numero posset duas formas substantiales totales simul recipere, ergo posset & omnes, conseq. est falsum, ergo, & ãtecedens; antecedẽs prob. si enim totaliter cõpleta, ab alia potest totaliter compleri, non apparet, cur ab omnibus, quas potest recipere, simul compleri non possit, hoc autem nequit concedi, cum enĩ sint infinitæ formæ, quas potest habere, si omnes simul posset habere, posset dari infinitũ actu, quod repugnat, ergo &c.

Ob. primò. Licet per vnam formam substantialem totalem materia sit totaliter completa, & saturata quoad exigentiam, non est tamen completa, & saturata quoad capacitatem, & non repugnantiam, ergo respectu suæ capacitatis, potest adhuc recipere aliam formam substantialem totalem. 50

Resp. neg. antecedens simul cum consequentia; & ratio est, quia etiam capacitas materiæ per vnã formam substantialem totalem est totaliter completa, & satiata; capacitas enim nihil aliud est quàm, quod subiectum habens capacitatem, sit capax recipiendi id, cuius est capax, at materia dum habet formam totalem, non potest dici capax ad recipiendum id, cuius est capax, ergo nequit habere capacitatem; min. prob. in tantum materia est capax formæ, in quantum forma est illius complementum in ordine ad compositum, ergo quando habet formam totalem, vt potè habẽs complementum totale, non est amplius capax ad illud recipiendum, sicuti aliquod vas, licet sit capax ad recipiendum quemcumq. liquorem, tamen dum est impletum aliquo liquore, non est amplius capax, vt aliquo alio impleatur totaliter, & tamen in ipso perseuerat potentia ad recipiendum illum liquorem, quem de facto recipit, & ad alios, quãdo ille, quem habet, ab illo auferatur; sic dicendũ in casu nostro, quòd, licet in materia perseueret potentia, & ad formam quam habet, & ad alias, attamen illius capacitas est totaliter expleta, per formam totalem, quam habet.

Ob. 2. ex Aresio contrariæ sententiæ acerrimo defensore primò de Generatione disput. 5. quæst. 43. sec. 5. & secundò de Generatione disp. prima quæst. 2. sec. 3. De facto in ferro ignito stant simul forma ferri, & forma ignis, sed hæ sunt duæ formæ substantiales totales, ergo possunt dari duæ formæ substantiales totales in eadem materia, & subiectos mai. est certa; quòd enim remaneat forma ferri patet, & conc. ab omnibus, si enim non remaneret, quomodo postea, cessante igne, reproduceretur forma ferri? & etiam forma ignis, cum sint omnia accidentia, & operationes ignis .s. lux, ardor, com-

combustio, &c. non enim potest dici, ut aliqui uolebant, esse scintillas ignis in poris ferri inclusas, Tum quia ferrum est ualde densum, & pauco. habet poros, in quibus includi possit ignis.; Tum quia si hoc esset, sequeretur magis adurere ferrum minùs densum, quàm densius, ut potè quia minùs densum maiores habet poros, sed hoc est contra experientiã, ergo dicendũest, quòd in tota materia sit ignis, & per consequẽs forma substantialis ignis, & ferri.

Resp. neg. mai. nullo enim pacto reperitur in substantia ferri igniti, forma substantialis ignea, sed solùm in eiusdem poris, cum enim in poris reperiatur aer, ex efficacia calefactionis tàm uehementis, transmutatur, & uertitur in ignem, qui cum tàm intimè ferro adhæreat, in causa est, ut ferro attribuantur operationes omnes ignis.

Neq. ualet quod dicit Arefius, ferrum esse ualde densum, & ideo habere paucos poros; item ferrum minùs densum, & maiores habens poros minùs adurere, quàm densius, quòd contrarium deberet esse.

Resp. enim nobis sufficere, aliquos habere poros, quòd omnes concedunt. ratione enim ignis in ipsis inclusi, pars substantiæ ferri cuicumq. poro adhærens illuminatur, & accenditur: ferrum uerò magis densum magis adurit, licet in illius poris minor ignis sit, propter maiorem densitatem materiæ, quã tale ferrum habet, quæ adiuuat operationem ignis, quod uidetur etiam in carbone accenso, minus enim adurit, quàm ferrum ignitum, & tamen maiorem ignem habet.

Inst. 2. Si aer inclusus in poris ferri posset conuerti in ignem, posset conuerti totus aer inclusus in aliquo cubiculo ab igne ibi accenso, sed hoc est contra experientiam, ergo neq. aer inclusus in poris ferri, potest conuerti in ignem.

Resp. aerem alicuius cubiculi non posse conuerti in ignem, quia in ipso non possunt introduci dispositiones, & omnes gradus caloris necessarij ad formam ignis, quòd non euenit in aere incluso in poris ferri, cum enim talis aer sit circumdatus ab igne, & ferro summè calido, respectu utriusq. recipit dispositiones necessarias ad formam ignis.

Patet autem, in substantia ferri non esse formam ignis, tùm quia si esset forma ignis, diù perseueraret, sicuti in carbonibus, sed in ferro diù non perseuerat, ergo &c. Tum quia, sicuti quando carbonibus accensis adduntur ligna, fouetur, & augetur ignis, sic etiam deberet esse in ferro, si in illo forma substantialis ignis esset, sed experientia comprobatur, ferrum ex nimio calore adhuc fluidum, non foueri, sed extingui ex additione noui ferri, ergo dicendum est, in substantia ferri, non esse formam ignis substantialem, benè quidem in illius poris, & ideo cum sit in materia admodum tenui, faciliter extinguitur, uel ab aere ambiente, uel à forma substantiali ferri reproducente sua accidẽtia, medijs quibus destruitur ignis in ferri poris inclusus.

Inst. 3. Extingui ignem in ferro, quia cum egeat pabulo, hoc non potest esse ferrum, sicuti est lignum. sed.

Resp. pabulum ignis nihil aliud esse, quàm ignẽ conuertere materiam alicuius compositi in propriam substantiam, quare si per aduersarios in substantia ferri esset forma ignis, iam illius materia esset conuersa in propriam substantiam, & sic haberet pabulum, sicuti quando est in ligno; quare dicendum est, diù non conseruari, quia materia est pauca, & admodum tenuis, illa .s. quæ priùs erat sub forma aeris.

Inst. 4. Extingui citò formam ignis in ferro, ex eo quia stat in pugna cum forma ferrea, quæ cum sit maioris resistentiæ præualet. sed.

Resp. maiorem, uel minorem resistentiam prouenire à maiori, uel minori densitate materiæ, quare cum forma ignis per aduersarios esset in eadem materia, ac forma ferri, eamdem haberet densitatem ac forma ferri, atq. adeo, licet ignis haberet aliud contrarium .s. frigiditatem aeris ambientis, &c. attamen longiori tempore perseueraret, sicuti facit in carbone densiori, in quo magis durat, quàm in minus denso.

Inst. 5. si ignis non informat materiam, quæ est sub forma ferri, ergo neq. ab igne poterit dici informata materia, quæ priùs erat sub forma carbonis, quando carbo accenditur, conseq. patet, quando enim extinguitur carbo, habet eamdem formam, quam prius habebat; sicuti euenit in ferro, ergo quando in illo erat ignis, non erat in illius substantia sed in poris, neq. enim est dicendum non esse eamdem formam, sed similem; de nouo productam, nequit enim assignari illius agens productiuum, sed.

Resp. neg. conseq. & ad probationem dico, non esse eamdem formam carbonis, quæ de nouo producitur, ac quæ priùs erat, sed aliam productam ab aliqua causa uniuersali: hoc patet, quia uidemus, non omnem illam materiam, quæ priùs erat sub forma carbonis, esse tunc sub tali forma, sed partim sub forma carbonis, partim sub forma cineris, ergo si de nouo informata fuit, per formam cineris pars aliqua materiæ ab aliqua causa, seu agente uniuersali, etiam reliquam partem de nouo informatam esse dicendum est; Quòd si dicant, etiam ferrum non habere totam illam materiam, quam prius habebat, postquam enim extinguitur minùs ponderat quàm antea.

Respond. non esse improbabile, aliquam partem materiæ ferri informari forma ignis, quæ tamen amplius non reddit ad formam ferri, sicuti etiam uidemus in rubiginem aliquas illius particulas tenuiores transmutari. Non per hoc tamen tales particulæ materiæ, quæ prius erant sub forma ferrea, sub eadem perseuerant, cum informantur à forma ignea, sed destructa forma ferrea, forma ignea in ipsis introducitur. Quare à primo ad ultimum patet, in ferro ignito non esse duas formas substantiales totales, ut probare intendebat aduersarius.

Ob. 3. Substantiæ ex Aristotele non sunt contrariæ, ergo simul stare possunt, ergo duæ formæ substantiales possunt stare simul.

Reſp. diſtinc. mai. non ſunt contrariæ quoad ſuum eſſe, conc. mai. non ſunt contrariæ aliquo pacto quoad operationem, & nego mai. Ariſtoteles enim dixit, ſubſtantias non eſſe contrarias .ſ. non habere quoad eſſe ſubſtantiæ, contraria prædicata, at per hoc non ſequitur poſſe ſimul eſſe, cum enim vna per ſuam operationem, ſuppleat id quod poteſt facere alia, hinc eſt quòd adueniente alia, nõ operaretur. vt in caſu noſtro, quia enim vna forma totalis complet totaliter materiam, illamq. determinat, alia non eſt admittenda, ſicuti etiam natura iter duo corpora non poſſunt eſſe in eodẽ loco, quia per primum corpus adimpletus fuit talis locus.

Ob. vltimò; Forma quæ de nouo introducitur, expellit aliam, ergo in inſtanti in quo expellit, ſtat ſimul cum illa, ergo non implicat duas formas totales poſſe ſtare ſimul, prima conſequentia prob. nequit enim cauſa producere effectum maximè formalem, qualis eſt aſſignatus, niſi per ſui exhibitionem; ſecunda etiam conſequentia patet, ratio enim incompatibilitatis duarum formarum totalium non ſe tenet reſpectu temporis, quare ſi pro inſtanti poſſunt ſtare, non eſt cur illis negetur compatibilitas per longum tempus.

Reſp. neg. conſeq. licet enim forma noua expellat aliam, tamen in nullo inſtanti temporis ſtat cum illa, nam illud, quod expellitur formaliter, debet non eſſe quando expellitur, alioquin non expelleretur formaliter, ſed efficienter, expulſio enim formalis conſiſtit in hoc quòd, ex eo quòd ſit forma noua, alia non ſit, ſic quando expellitur formaliter vnum corpus ab alio ad occupandum eundem locum, non eſt dicendum, in inſtanti duo corpora eſſe in illo loco, ſi enim in inſtanti poſſent ſtare, etiam per longum tempus, ſed in inſtanti, quo expellens occupat locum, nullo pacto in ipſo reperitur corpus expulſum: quare licet tam forma, quàm corpus expellens intelligantur in materia, & in loco, attamen non ibi ſunt prioritate temporis, ſed in eodem inſtanti temporis, in quo forma noua eſt in materia, iam antecedens eſt corrupta, ſicuti in eodem inſtanti temporis, quo ponitur forma in materia, tollitur illius priuatio; prioritas enim neceſſaria in cauſa formali ad effectũ formalem, ſolùm importat dependentiam poſterioris à priori. Quare &c.

Secunda Concluſio Neq. ſupernaturaliter per
53 abſolutam Dei potentiam, poſſunt ſimul ſtare duæ formæ ſubſtantiales totales in eadem numero materia. Eſt ferè contra communem, colligitur tamen ex D. Thoma prima parte quæſt. 53. art. 3 vbi ait, impoſſibile eſſe duas cauſas completas eſſe immediatas vnius, & eiuſdem rei, & ibidem quæſt. 66. art. 7. ait, impoſſibile eſt in homine eſſe aliam formã ſubſtantialem totalem præter animã, & prima parte quæſt. 76. art. 3. & 4. & Quodlibeto primo, art. 6. ait impoſſibile eſt in vno, & eodem eſſe plures formas ſubſtantiales. Eſt etiam Vaſquez Tomo primo in 3. Part. diſp. 29. cap. 4. num. 23. Compluteņſium diſp. 4. de forma quæſt. 6. § 2. Albertini, & aliorum Thomiſtarum.

Prob. primò. Duæ cauſæ totales non poſſunt, neq. per diuinam omnipotẽtiam concurrere ad eumdẽ numero effectum, ſed hoc eſſet, ſi duæ formæ ſubſtantiales totales informarent eamdem numero materiam, ergo &c. mai. tamquam certam ex D. Thoma ſupponimus, & ſuo loco probabimus: min. prob. effectus enim formæ totalis eſt vltimò determinare materiam, ergo ſi duæ formæ totales poſſent eſſe in eadem materia, idem effectus .ſ. eadem vltimata determinatio materiæ, haberetur à duplici cauſa totali, &c.

Conf. Vel à prima forma eſt vltimatè determinata materia, vel nõ, ſi non, ergo nõ eſt forma ſubſtantialis totalis contra ſuppoſitum, ſi eſt vltimatè determinata, ergo vlteriùs non poteſt determinari.

Prob. 2. Implicat, & per diuinam omnipotentiam, vt id quòd de facto eſt, reduplicatiuè vt eſt non ſit, ergo implicat, & per diuinam omnipotentiam, quòd materia, quæ eſt totaliter, & vltimatè determinata, non ſit totaliter, & vltimatè determinata; Hoc autem ſequeretur, ſi per diuinam potentiam duæ formæ ſubſtãtiales totales poſſent eſſe in eadem materia, ergo &c. min. pt. nam ſi ſecunda forma adueniens, illam deberet determinare, deberet materia eſſe determinabilis, ergo eſſet vltimatè & totaliter determinata, & non vltimatè determinata, ſed determinabilis, vltimatè quidem, & totaliter determinata à forma totali, quam haberet, non vltimatè verò determinata, & adhuc determinabilis ab alia forma totali, quam poſſet recipere, quòd implicat.

Prob. 3. Implicat Deo, augendo, vel deſtruẽdo gradus alicuius eſſentiæ, facere, quòd ſit eadẽ eſſentia, ergo etiã ĩplicat materiam vltimatè completam adhùc vltimatè compleri per aliam formam; conſequentia prob. implicat enim Deo facere, eſſe eamdem eſſentiam deſtructo aliquo illius gradu, quia eſſet talis, & non eſſet talis, quæ ſunt contradictoria, ſed hoc etiam eſſet, ſi materia duplicem formam totalem per diuinam omnipotentiam poſſet recipere, eſſet enim vltimatè determinata, & nõ vltimatè determinata, quòd ĩplicat, ergo &c.

Ob. 1. Poteſt Deus introducere duo contraria 54
in eodem ſubiecto, v. g. calorem, & frigus in ſummo, impediendo expulſionem, quam inuicem habent, ergo tantò magis poterit introducere in eodem ſubiecto duas formas ſubſtantiales totales, quæ non ſunt contrariæ, impediendo naturalem expulſionem.

Reſp. dato antec. pro nunc, non conceſſo, neg. conſeq. & diſparitas eſt, quia, non ideo duæ formæ ſubſtantiales totales, non poſſunt ſtare in eodem ſubiecto, quia vt contrariæ ſe inuicem expellant, ſed quia ſubiectum non eſt capax duplicis formæ totalis; hæc autem incapacitas à Deo non poteſt ſuperari propter rationes in probationibus allatas, quia .ſ. inuoluit implicantiam; cum enim ſubiectum ſit vltimatè determinatum ab vna forma, non poteſt ab alia vltimatè determinari, quod enim vltimatè determinatum eſt, iam amplius determinabile non eſt.

Ob. 2. Formæ diſparatæ habent maiorem ſimultatem, quàm formæ contrariæ, ſed formæ contrariæ ſaltẽ accidentales, poſſunt eſſe in eodem ſubiecto, ergo & formæ diſparatæ, .ſ. totales. Reſ.

Resp. contrarietatem non esse rationem, qua negamus duas formas totales posse esse in eadem numero materia, si enim hoc esset, utiq. concederemus, per diuinam omnipotentiam posse introduci duas formas totales, quia posset Deus impedire contrarietatem, vt faceret in formis accidentalibus: implicantia autem tota oritur ex eo quia quod est totaliter completum, ita perseuerando, nequit amplius totaliter compleri, cum esse totaliter completum, & adhuc esse complebile sint contradictoria, atq. adeo omnimodè repugnantia.

Ob. 3. Duo corpora possunt simul stare in eodem loco per diuinam potentiam auferentem impedimentum impenetrabilitatis, ergo ab eadem impediente expulsionem secundę formæ, poterunt in eadem materia duæ formæ substantiales totales introduci.

Resp. dato antecedenti, neg. consequentiam ex eo quia impedimentum non prouenit ex forma, sed ex materia, sed.

Inst. Locus naturaliter est capax vnius solius corporis, ergo sicuti per diuinam omnipotentiam potest recipere plura corpora, sic etiam materia plures formas totales.

Resp. Locum non posse recipere plura corpora, quia corpora sunt inuicem impenetrabilia, quare plures spiritus recipit, quia non habent impenetrabilitatem, vnde ablato per diuinā omnipotētiā impedimento impenetrabilitatis, plura corpora recipit, & ea recipiendo, eamdem circumscriptionem habet, eodemq. modo vbicantur in illo plura corpora, ac vnum corpus, quia dum penetrantur corpora, vbicantur in illo loco tamquā si essent vnū corpus, habent enim easdem dimensiones vnius corporis. At sic non est in casu nostro, vna enim forma substantialis non conuerteretur cum alia, nec ambæ tribuerent eamdem informationem, sed vnaquęq. suam informationem præberet. Atq. adeo cum materia esset per vnam vltimatè, & totaliter informata, non esset amplius capax alterius totalis informationis, & sic neq. formæ substantialis totalis. Quare remanet probatum, ex implicantia, nullo pacto, duas formas substantiales totales in eadem materia, eodem tempore, posse esse simul.

85 Coll. Quòd tantò magis, vna forma totalis non poterit informare plures adæquatas materias distinctas numero. Ratio autem est, quia informando totaliter vnam materiam, totam se debet illi præbere, informatio enim habetur per exhibitionem formæ, ergo nequit alteri materiæ se præbere, cum totam se tribuerit primæ; hoc autem naturaliter dico, nam si replicaretur eadem forma, vt per diuinam omnipotētiam fieri posse probabilissimum existimo, admittendo formam entitatiuam, in tali casu non repugnaret, eamdem numero formam plures adæquatas, & distinctas materias informare sicuti etiam per diuinam omnipotentiam, idem corpus replicatum in duplici loco stare potest. Videatur de hoc fusè Pontius disp. 4. in Physica quæst. 4.

Neq. valet, quòd hoc pacto posset etiam Deus replicare materiam, atq. adeo in illam ita replicatam duas formas totales introducere.


Resp. enim, quòd materia, licet replicata non esset secundùm vnam partem completa, incompleta verò secundùm aliam, sed, cum esset eadem numero, tam materia v.g. existens in hoc gymnasio, quàm eadem replicata existēs in platea, esset totaliter completa, atq. adeo cum per replicationem non tolleretur illius totale complementum, neq. vt talis posset recipere duas formas totales: forma autem replicata, licet totaliter compleret vnam materiam, etiam aliam posset totaliter complere, cum enim esset replicata quoad totum suum esse, quoad illud posset se duplici materiæ exhibere, sicuti, licet duo corpora replicata secundùm totum suum esse repleant duo vbi, seu duo loca, tamen vnum vbi, aut vnus locus, licet replicatus non potest duo corpora non penetrata locare, cum enim sit solùm capax corporis tantæ dimensionis, licet replicatus solùm tantam dimensionem potest recipere, quare ad hoc vt plura corpora recipiat, & necesse esset, vt per diuinam omnipotentiam dimensiones vnius corporis penetrarentur cum alio, alioquin numquam ea reciperet, quod sic non potest fieri de forma.

Quæres. An materia possit stare sine omni forma, & forma sine omni materia. 86

Resp. Naturaliter materiam non posse stare sine omni forma, conceditur ferè ab omnibus, & ratio est, quia cum materia sine forma sit indeterminata, imperfecta, & incompleta, remaneret, sine forma in statu violento, natura autem abhorret violenta, ergo dicendum est, materiam naturaliter non posse stare sine omni forma. Tum quia agentia naturalia non intendunt corrumpere quidquam, sed intendunt gignere formā sibi proportionatam, ergo naturaliter non poterit corrumpi vna forma in vna materia, quin alia producatur, ergo numquam potest materia omni forma naturaliter spoliari.

Resp. 2. Per diuinam potentiam conseruari posse materiam absq. omni forma. Conceditur ab omnibus, & ratio præcipua est, quia materia ex dictis habet propriam entitatem, & existentiam, & in esse materiæ non dependet à forma, ergo à Deo poterit conseruari sine forma.

Resp. 3. Naturaliter solùm animam rationalem posse existere, immo de facto existere sine materia, reliquas verò formas solùm supernaturaliter, & per diuinam omnipotentiam, cum enim formæ accidentales de facto existant sine materia in Sacramento Euch. poterit etiam Deus hoc facere de formis substantialibus, maximè admittendo illas entitatiuas.



SECTIO VII.

De Priuatione.

57 Dictũ est principia cõmuniter tria assignari cõpositi .s. Materiã, Formam, & Priuationem. Iam egimus de materia, & forma, nunc inquirendum est, quid sit Priuatio, in sequenti disputatione visuri, vtrum sit principium corporis naturalis.

Prima Conclusio. Priuatio, *est negatio formæ in subiecto apto*. Ita Aristoteles 5. Met. & communiter.

Explicatur Conclusio. Dicitur *negatio* vt explicetur genus, in quo conuenit cum quacumq. negatione, quæ est remotio entis, dicitur *in subiecto apto*, vt explicetur differentia ab aliis negationibus, quæ non important aptitudinem in subiecto, sic cęcitas dicitur priuatio, quia est negatio visionis in subiecto apto illam recipere .s. in oculo: vnde aduertendum est, hanc aptitudinem subiecti esse de essentia priuationis, ita quòd, quando carentia formæ esset in subiecto non apto ad talem formam, non propriè diceretur priuatio, sed negatio.

58 Secunda Conclusio. Multiplex est priuatio. Ita Aristoteles 5. Met. & D. Thomas prima parte, quæst. 37. art. 4.

Prob. Priuatio est negatio, seu carentia formæ in subiecto apto, sed ista negatio, & carentia potest esse in subiecto apto secundùm multiplicem rationem, ergo &c. min. prob. vel enim est negatio in subiecto apto ad habendam illam formam secundùm rationem ad materiam, non secundùm propriam rationem, & hoc pacto, planta dicitur priuata anima sensitiua, quam potest habere quatenus est ens, non quatenus est planta; vel est negatio formæ in subiecto apto, non secundùm se, sed secundũm rationem sui generis, & hoc pacto Talpa dicitur priuata visu, quia secundùm genus animalis exigit illum; vel est in subiecto apto ad formam habendam secundùm suam speciem, non autem pro tali tempore, & hoc pacto Catulus ante nonum diem dicitur cæcus, & priuatus visu; vel tandem est negatio formæ in subiecto apto habere talem formam secundùm suam naturam, & tempus à natura statutum, & hoc pacto homo dicitur cæcus, quia absolutè est priuatus visu, ad quem dicit aptitudinem, & hæc vltima est vera priuatio, de qua in præsenti loquimur, cum aliæ non sint tam propriè, & rigorosè priuationes.


Tertia Conclusio. Priuatio nõ est quid reale, neq. ens rationis. Ita cum D. Thoma communiter. 59

Prob. prima pars. Priuatio est carentia, seu negatio entis realis, ergo non est ens reale, antecedens patet ex definitione, ergo & conseq.

Prob. secunda pars. Nullo intellectu cogitante materia dicitur priuata formã, homo dicitur cæcus, ergo priuatio non est ens rationis. Quare dicẽdum est, priuationem esse solùm ens priuatiuũ, seu abusiuum, ex eo enim quòd in subiecto apto, non est forma illi conueniens, sequitur dici priuatum. Hoc autem non esse formæ in subiecto apto ad illam, dicitur ens priuatiuum .s. non merum nõ esse, pro vt coincidit cum nihilo, sed dicitur carentia formæ, seu inexistentia formæ in subiecto, ratione cuius inexistentiæ, suo modo .s. priuatiuè, priuatio dicitur ens.

Ob. Aristoteles 4. Met. enumerat priuationem inter entia, ergo non est dicendum, esse purum nihil. 60

Resp. enumerare inter entia abusiua, quatenus .s. intellectus concipit priuationem ad modum alicuius formæ realis, re uera autem non est forma realis, sed remotio formæ realis, quod nihil aliud est, nisi ens abusiuum. Quidquid contendat Spinula disp. prima in physica sec. vij. vbi nititur probare, neq. posse dici ens abusiuum, omnes enim illius probationes, implicitè concludunt, non esse ens positiuum, contra Eminen. Sfortiam Pallauicinum in suis Asser. Theol. lib. 5. num. 182. hoc asserentem, non autem probant non esse ens abusiuum, hoc enim ens abusiuum non importat aliquod ens productum, aut improductum, vt ipse probat, neutrum esse posse, sed solùm dicit illud nõ esse formæ in subiecto; quòd quidem, etiam si nullus intellectus adesset, daretur priuatiuè à parte rei; cuius potissima ratio est, quia id aliquo pacto dicitur ens, quod potest esse subiectum veritatis propositionis, sed priuationes possunt esse subiectum veritatis propositionis, ergo aliquo pacto sunt ens, mai. prob. propositiones enim veræ sunt, non quia sint ab intellectu, sed quia conformantur obiecto eo modo, quo est, min. patet, de homine enim cæco valet dici, cæcitas est in hoc homine, ergo &c. quare &c.



DISPV.

DISPVTATIO TERTIA.

In eumdem primum librum Physicorum Aristotelis, De toto Composito.

PArtes compositi seorsim scrutati sumus, nunc de toto Composito, & pro vt est, & pro vt componitur, nobis est agendum, vt de ipso totalem cognitionem habeamus. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

De Principiis Compositi in Fieri.

1 NOt. est. Fieri, & factum esse, in generatione substantiali, esse in eodem instanti temporis, cum enim forma substantialis fiat in instanti, & compositum dicatur factum in primo instanti, in quo est in materia forma substantialis, ideo in eodem instanti temporis, & fit generatio substantialis, & facta est. Nihilominus tamen in eodem instanti reali temporis, duo instantia naturæ considerari possunt, primum, in quo fiat generatio, & compositum, secundum, in quo facta esse dicatur: tunc autem in primo instanti naturæ intelligitur fieri generationem, & compositum, quando intelligitur compositum connotare de præsenti actionem actiuam agentis extrinseci, per quā fit compositum; in secundo autem instanti naturæ intelligitur facta generatio, seu factum compositum, quando intelligitur cessata actio agentia, atq. adeo compositum solùm ipsam connotare per ordinem ad quamcumq. differentiam temporis, à prima productione, vsq ad terminum durationis.

Hæc autem duo instantia naturæ, non implicat esse in eodem instanti temporis, prioritas enim vnius ab alio, oritur ex dependentia effectus à causa, quę potest saluari in eodem instanti temporis, in eodem enim instanti temporis, quo causa producit effectum, etiam ipse effectus producitur, & tamen productio actiua causæ, aliqua prioritate naturæ intelligitur prior, quàm productio passiua effectus. Modò ergo inquirimus, quænam sint principia corporia naturalis in fieri, seu generationis substantialia, quòd idem est. Pro quo.

Supp. cōmuniter tria assignari principia in fieri materiam .s. formam, & priuationem, ita vt quando compositum aliquod per generationem naturalem est efformandum, primùm requiratur materia, vt subiectum talis mutationis, deinde noua forma introducenda per operationem agentia naturalis, & tertiò, priuatio formæ in materia; Quomodo autem priuatio cum non sit realis, possit esse principium generationis realis, explicant ferè communiter Auctores, quòd per vltimum suū non esse, principiet generationem, ita vt in eodem instanti, in quo materia principiat compositum, etiam ipsa illud principiet per sui amplius non esse in materia. Inquirendum est ergo, an hæc omnia tria sint vera principia realia generationis, seu mutationis realis.

Supp. est secundò. Secundùm communem, & ipsum Aristotelem, materiam, & formam esse vera principia compositi in fieri, si enim ex ipsis est realiter compositum, ergo illa principiant illud realiter, & hoc est præter controuersiam. Quare de sola priuatione est agitanda quæstio.

Supp. 3. Sermonem esse de principio intrinseco generationis, non autem de extrinseco, hoc enim pacto, etiam agens naturale, etiam dispositiones ad formam, possent dici, & esse principia.

Supp. 4. Tamquam certum, vt ex tractatu de Principiis, principium proprie dictum, debere esse cum re principiata aliquo pacto annexum, nec enim sufficit, quòd sit extrinsecum; patet, quia principium debet esse in eodem genere ac res principiata, sed quod est extrinsecum non potest esse in eodem genere, ergo principium non debet esse extrinsecum, sed annexum cum re principiata in eodem genere. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Priuatio non est principium intrinsecum generationis naturalis compositi, seu compositi in fieri, benè verò principium extrinsecum, seu terminus à quo. Ita Alb. in Physica lib. primo trac. 3. cap. 9. Iamdunus ibidem quæst. 23. Guarinus disp. 4. in Phy. exp. 3. Spinula disp. prima in Phy. sec. 3. & alii apud Ruuium lib. primo physic. trac. 2. quæst. 3. 2

Prob. primò auctor Aristotelis, qui in primo Physicorum tex. 75. sic ait *nos autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, vt secundùm accidens,*

SECTIO VII.

De Priuatione.

57 DIctũ est principia cõmuniter tria assignari cõpositi .s. Materiã, Formam, & Priuationem. Iam egimus de materia, & forma, nunc inquirendum est, quid sit Priuatio, in sequenti disputatione visuri, vtrum sit principium corporis naturalis.

Prima Conclusio. Priuatio, *est negatio formæ in subiecto apto* Ita Aristoteles 5. Met. & communiter.

Explicatur Conclusio. Dicitur *negatio* vt explicetur genus, in quo conuenit cum quacumq. negatione, quæ est remotio entis, dicitur *in subiecto apto*, vt explicetur differentia ab aliis negationibus, quæ non important aptitudinem in subiecto, sic cęcitas dicitur priuatio, quia est negatio visionis in subiecto apto illam recipere .s. in oculo: vnde aduertendum est, hanc aptitudinem subiecti esse de essentia priuationis, ita quòd, quando carentia formæ esset in subiecto non apto ad talem formam, non propriè diceretur priuatio, sed negatio.

58 Secunda Conclusio. Multiplex est priuatio. Ita Aristoteles 5. Met. & D. Thomas prima parte, quæst. 37. art. 4.

Prob. Priuatio est negatio, seu carentia formæ in subiecto apto, sed ista negatio, & carentia potest esse in subiecto apto secundùm multiplicem rationem, ergo &c. min. prob. vel enim est negatio in subiecto apto ad habendam illam formam secundùm rationem ad materiam, non secundùm propriam rationem, & hoc pacto, planta dicitur priuata anima sensitiua, quam potest habere quatenus est ens, non quatenus est planta; vel est negatio formæ in subiecto apto, non secundùm se, sed secundũm rationem sui generis, & hoc pacto Talpa dicitur priuata visu, quia secundùm genus animalis exigit illum; vel est in subiecto apto ad formam habendam secundùm suam speciem, non autem pro tali tempore, & hoc pacto Catulus ante nonum diem dicitur cæcus, & priuatus visu; vel tandem est negatio formæ in subiecto apto habere talem formam secundùm suam naturam, & tempus à natura statutum, & hoc pacto homo dicitur cæcus, quia absolutè est priuatus visu, ad quem dicit aptitudinem, & hæc vltima est vera priuatio, de qua in præsenti loquimur, cum aliæ non sint tam propriè, & rigorosè priuationes.


Tertia Conclusio. Priuatio nõ est quid reale, neq. 59 ens rationis. Ita cum D. Thoma communiter.

Prob. prima pars. Priuatio est carentia, seu negatio entis realis, ergo non est ens reale, antecedens patet ex definitione, ergo & conseq.

Prob. secunda pars. Nullo intellectu cogitante, materia dicitur priuata forma, homo dicitur cæcus, ergo priuatio non est ens rationis. Quare dicẽdum est, priuationem esse solùm ens priuatiuũ, seu abusiuum, ex eo enim quòd in subiecto apto, non est forma illi conueniens, sequitur dici priuatum. Hoc autem non esse formæ in subiecto apto ad illam, dicitur ens priuatiuum .s. non merum nõ esse, pro vt coincidit cum nihilo, sed dicitur carentia formæ, seu inexistentia formæ in subiecto, ratione cuius inexistentiæ, suo modo .s. priuatiuè, priuatio dicitur ens.

Ob. Aristoteles 4. Met. enumerat priuationem 60 inter entia, ergo non est dicendum, esse purum nihil.

Resp. enumerare inter entia abusiua, quatenus .s. intellectus concipit priuationem ad modum alicuius formæ realis, re vera autem non est forma realis, sed remotio formæ realis, quod nihil aliud est, nisi ens abusiuum. Quidquid contendat Spinula disp. prima in physica sec. vlt. vbi nititur probare, neq. posse dici ens abusiuum, omnes enim illius probationes, implicitè concludunt, non esse ens positiuum, contra Eminen. Sfortiam Pallauicinum in suis Asser. Theol. lib. 5. num. 182. hoc asserentem, non autem probant non esse ens abusiuum, hoc enim ens abusiuum non importat aliquod ens productum, aut improductum, vt ipse probat, neutrum esse posse, sed solùm dicit illud nõ esse formæ in subiecto; quòd quidem, etiam si nullus intellectus adesset, daretur priuatiuè à parte rei; cuius potissima ratio est, quia id aliquo pacto dicitur ens, quod potest esse subiectum veritatis propositionis, sed priuationes possunt esse subiectum veritatis propositionis, ergo aliquo pacto sunt ens, mai. prob. propositiones enim veræ sunt, non quia sint ab intellectu, sed quia conformantur obiecto eo modo, quo est, min. patet, de homine enim cæco valet dici, cæcitas est in hoc homine, ergo &c, quare &c.



DISPVTATIO TERTIA.

In eumdem primum librum Physicorum Aristotelis, De toto Composito.

PArtes compositi seorsim scrutati sumus, nùnc de toto Composito, & pro vt est, & pro vt componitur, nobis est agendum, vt de ipso totalem cognitionem habeamus. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

De Principijs Compositi in Fieri.

1 NOt. est. Fieri, & factum esse, in generatione substantiali, esse in eodem instanti temporis, cum enim forma substantialis fiat in instanti, & compositum dicatur factum in primo instanti, in quo est in materia forma substantialis, ideo in eodem instanti temporis, & fit generatio substantialis, & facta est. Nihilominus tamen in eodem instanti reali temporis, duo instantia naturæ considerari possunt, primum, in quo fiat generatio, & compositum, secundum, in quo facta esse dicatur: tunc autem in primo instanti naturæ intelligitur fieri generationem, & compositum, quando intelligitur compositum connotare de præsenti actionem actiuam agentis extrinseci, per quā fit compositum; in secundo autem instanti naturæ intelligitur facta generatio, seu factum compositum, quando intelligitur cessata actio agentis, atq. adeo compositum solùm ipsam connotare per ordinem ad quamcumq. differentiam temporis, à prima productione, vsq. ad terminum durationis.

Hæc autem duo instantia naturæ, non implicat esse in eodem instanti temporis, prioritas enim vnius ab alio, oritur ex dependentia effectus à causa, quę potest saluari in eodem instanti temporis, in eodem enim instanti temporis, quo causa producit effectum, etiam ipse effectus producitur, & tamen productio actiua causæ, aliqua prioritate naturæ intelligitur prior, quàm productio passiua effectus. Modò ergo inquirimus, quænam sint principia corporis naturalis in fieri, seu generationis substantialis, quòd idem est. Pro quo.

Supp. cōmuniter tria assignari principia in fieri materiam .s. formam, & priuationem, ita vt quando compositum aliquod per generationem naturalem est efformandum, primùm requiratur materia, vt subiectum talis mutationis, deinde noua forma introducenda per operationem agentis naturalis, & tertiò, priuatio formæ in materia; Quomodo autem priuatio cum non sit realis, possit esse principium generationis realis, explicant ferè communiter Auctores, quòd per vltimum suū non esse, principiet generationem, ita vt in eodem instanti, in quo materia principiat compositum, etiam ipsa illud principiet per sui amplius non esse in materia. Inquirendum est ergo, an hæc omnia tria sint vera principia realia generationis, seu mutationis realis.

Supp. est secundò. Secundùm communem, & ipsum Aristotelem, materiam, & formam esse vera principia compositi in fieri, si enim ex ipsis est realiter compositum, ergo illa principiant illud realiter, & hoc est præter controuersiam. Quare de sola priuatione est agitanda quæstio.

Supp. 3. Sermonem esse de principio intrinseco generationis, non autem de extrinseco, hoc enim pacto, etiam agens naturale, etiam dispositiones ad formam, possent dici, & esse principia.

Supp. 4. Tamquam certum, vt ex tractatu de Principiis, principium proprie dictum, debere esse cum re principiata aliquo pacto annexum, nec enim sufficit, quòd sit extrinsecum; patet, quia principium debet esse in eodem genere ac res principiata, sed quod est extrinsecum non potest esse in eodem genere, ergo principium non debet esse extrinsecum, sed annexum cum re principiata in eodem genere. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Priuatio non est principium intrinsecum generationis naturalis compositi, seu compositi in fieri, benè verò principium extrinsecum, seu terminus à quo. Ita Alb. in Physica lib. primo trac. 3. cap. 9. Iamdunus ibidem quæst. 23. Guarinus disp. 4. in Phy. exp. 3. Spinula disp. prima in Phy. sec. 1. & alii apud Ruuium lib. primo physic. trac. 2. quæst. 3. 2

Prob. primò auctor. Aristotelis, qui in primo Physicorum tex. 75. sic ait. *nos autem & ipsi dicimus fieri quidem nihil simpliciter ex eo, quod non est, sed tamen fieri ex eo quod non est, vt secundùm accidens, vt*

accidens, ex priuatione enim quæ est per se non ens, non ex eo quod inest, fit, ex quo textu clarè deducitur etiam Aristotelem non vocare priuationem principium intrinsecum, sed extrinsecum.

Prob. 2. Si priuatio esset principium intrinsecum generationis, vel principiaret quando est, vel quando non est, neutrum dici potest, ergo &c. min. prob. & primò; quando non est nequit intelligi principiare, operari enim quocumq. modo sumatur sequitur ad esse, eo modo quo est; neq. etiā potest principiare quando est, quia dum ipsa est, & perseuerat, non potest intelligi formam introduci, priuatio enim, & habitus, seu forma contradictoriè opponuntur, ergo &c.

Prob. 3. Non potest incipere mutatio, seu generatio, nisi incipiat transitus termini à quo, ad terminum ad quem (in transitu enim formaliter consistit generatio) sed in instanti, in quo est priuatio, non potest esse transitus, ergo priuatio non potest esse principium huius transitus, & mutationis; min. prob. quilibet enim motus semper est cum negatione termini à quo, sic v. g. Petrus volens se mouere à puncto A. uersus punctum B. solùm dicitur incipere motum, dum relinquit, & habet negationem puncti A; ita quòd punctum A. nullo pacto possit dici principium intrinsecum talis motus, ergo cum priuatio sit terminus à quo mutationis, non potest esse initium huius mutationis, seu transitus, in instanti in quo est priuatio, ergo nullo pacto priuatio potest esse principium, &c.

Prob. 4. Si priuatio deberet esse ipsius transitus substantialis principium, deberet esse huius transitus initium, & primum in hoc transitu, sed priuatio non potest esse primum, nec initium huius transitus, ergo neq. principium mutationis seu trāsitus substantialis. mai. supponitur ex supradictis cum de principijs in cōmuni; min. prob. ex eo quia nihil dicitur esse primum in ea re, per quam destruitur, sed per mutationem ipsa priuatio destruitur, ergo nō potest esse primum, seu principiū mutationis, seu compositi in fieri. Tum quia priuatio est solum ens abusiuum, mutatio verò ens reale, sed ens abusiuum cum re reali non potest connecti, ergo priuatio &c.

Prob. secunda pars. Ille est terminus extrinsecus, qui est extra rē terminatam in suo esse; Itē qui nullum habet influxum, seu causalitatem; terminus enim purè terminare habet. Item qui non est necesse, quòd sit aliquid reale, cum terminare sit potius denominatio negatiua, quando enim dicitur terminare, intelligitur negatio ulterioris extensionis; sed huiusmodi est priuatio respectu mutationis substantialis, seu compositi in fieri, ergo est terminus à quo extrinsecus, seu principium extrinsecum, mai. est certa, min. consideranti patebit, ergo &c.

3 Ob. primò. Compositum in fieri dicit mutationem; sed omnis mutatio dicit principium, vnde incipiat, hoc autem non potest esse nisi priuatio, ergo priuatio debet dici principium mutationis, seu compositi in fieri.

Resp. Priuationem esse principium mutationis, sed solùm extrinsecum, seu terminum à quo, non verò intrinsecum: esse autem principium extrinsecum seu terminum à quo, nihil aliud importat, nisi, ante positionem formæ, in materia esse illius negationem, quæ negatio cum sit in materia, & subiecto apto recipere formam, dicitur priuatio.

Ob. 2. Terminus à quo est principium intrinsecum illius, cuius est terminus à quo, ergo cum priuatio sit terminus à quo corporis naturalis in fieri, illius erit etiam principium intrinsecum; antecedens prob. motus nihil aliud est quàm via inter duos terminos, à quo, & ad quem, sed via inter duos terminos, intrinsecè importat vtrumq. terminum, ergo & motus, ergo vterq. terminus est motui intrinsecus, ergo in motu generationis, tam terminus à quo, quàm terminus ad quem erunt intrinseci, ergo si priuatio est principium, erit principium intrinsecum.

Resp. neg. antecedens, & ad probationem dico, quòd licet generatio, seu quilibet motus sit via inter duos terminos, per hoc non sequitur, quòd ambo hi termini sint intrinseci ipsi motui, quod enim est intrinsecum debet esse aliquo pacto connexum cum re, cui est intrinsecum, & sic punctum v.g. potest esse principium intrinsecum lineæ, quia est annexum lineæ, non verò vltimus terminus pūcti, carta v.g. potest dici principium intrinsecum lineæ, in ipsa descriptæ, quia nullo pacto est annexa in eodem genere cum linea: sic in casu nostrò, quia priuatio nullam dicit connexionem in eodem genere cum mutatione, siuè cum composito in fieri, ideo illius non potest dici principium intrinsecum, benè verò terminus à quo.

Neq. valet, terminum ad quem esse intrinsecum, ergo etiam terminum à quo. Resp. enim, terminum ad quem esse in eodem genere, ac res principiata, quare potest habere rationem principij intrinseci; est autem in eodem genere, nam motus generationis terminat ad ipsam formam substantialem, vt eductam.

Coll. ex dictis. Solùm materiam, & formam posse dici principia intrinseca corporis naturalis in fieri, ipsam verò priuationem esse solùm principiū extrinsecum, seu terminum à quo. 4

Neq. dicas ex Spinula disp. prima in Physica sec. 3. neque materiam, neq. formam posse dici principia intrinseca corporis naturalis in fieri, ex eo quia, probat ipse; Compositum in fieri, & mutatio idem sunt, sed nec materia, neq. forma possunt esse principium intrinsecum mutationis, ergo neq. compositi in fieri, probat min. de forma; in primo instanti, in quo est forma, compositum non est amplius in fieri, sed in facto esse, dum enim est forma, iam compositum est factum, sed in eodem instanti non potest compositum esse in fieri, & in facto esse, ergo forma non potest esse principium compositi in fieri, sed solùm in facto esse, & Conf. quia terminus ad quem motus, non potest esse principium motus, sed forma est terminus ad quem huius motus .s. mutationis substantialis, ergo non potest esse illius principium. Probat etiam de materia, quia compositum in fieri est ipsū fieri compositi, sed materia non est principium

compo-

componens ipsum fieri compositi, ergo materia nō est principiū cōpositi in fieri, seu mutationis; mi. pr. quia fieri cōpositi, est formalissimè actio productiua cōpositi, sicuti fieri effectus, est actio productiua effectus, sed impossibile est, quòd materia componat actionem productiuam compositi, hæc enim est entitas simplicissima, vel producens formam in materia, vel vnionem inter materiam, & formā, ergo impossibile est, quòd materia sit principium compositi in fieri. Hæc sunt breuiter, quæ diffusè contra Doctrinam communem adducit Spin. quibus tamen.

Resp. distin. mai. Compositum in fieri idem est ac mutatio, seu productio compositi actiua, & nego mai., idem est ac mutatio, seu productio passiua, & conc., nam licèt mutatio connotet ipsam actionem actiuam, per quam materia transfertur à priuatione formæ, ad formam, tamen ipsa mutatio consistit formaliter in transitu materiæ, .s. in productione passiua, quæ est identificata cum re, quæ producitur, ita vt non sit pura denominatio rei in fieri, sed res ipsa, quæ mutatur, sub denominatione mutationis, & ideo, cum tam materia, quam forma patiantur hoc fieri, dum constituitur compositum, eiusdem in fieri principia debent dici. Quare nego etiam min. ad illiusq. primam probationem. Resp. dist. mai. in primo instanti in quo est forma, compositum non est amplius in fieri, sed in facto esse, in primo instanti temporis, & conc. in primo instanti naturæ, & nego; in primo enim instanti naturæ intelligitur solùm fieri formæ, & compositi, atq. adeo formam, & materiam ad ipsum concurrere, vt veras causas ad effectum cum prioritate naturæ. Quòd autem dicitur in confirmatione, formā esse terminum ad quem, atq. adeo non posse esse principium motus.

Resp. Formam vt productam, seu compositum in facto esse, & consideratum in secundo instanti naturæ, esse terminum ad quem mutationis, non verò fieri compositi, & formæ, ipsum enim fieri de suo formali importat principiare compositi, non verò factum esse eiusdem.

Ad prob. min. primi argu. de materia. Resp. neg. min. & ad illius prob. nego mai. fieri enim compositi formaliter non est actio productiua compositi, sed actio passiua, seu passio, .l. enim eadem met sit entitas fieri, & facere, actio, & passio, attamen fieri compositi formaliter est actio passiua, seu passio, quę quidem non est simplex, sed composita, sicuti sunt partes, quæ patiuntur .s. forma, & materia, quæ vniuntur, quare huius fieri, tam materia, quàm forma sunt principia intrinseca, cum in mutatione attingatur, non solùm materia, sed etiam forma. Quare corruit tota Doctrina ipsius Spinulæ .s. semper subtilissimè speculantis, in hoc tamen, nimium à veritate, meo iudicio, aberrantis.

Collig. 2. Agens naturale, & etiam dispositiones ab ipso introductas in materia, esse principium extrinsecum, positiuum tamen, & reale, cum enim ex ipsis introducatur forma, ex ipsis .s. extrinsecè principiat fieri compositi, & generationis substantialis.

SECTIO II.

De toto Composito in facto esse, & de illius Principijs.

NOtandum est. Fuisse opinionem aliquorum, in sola forma consistere totam essentiam com- 5
positi, non quat. est forma simpliciter, sed quat. dicit ordinem ad materiam. Quare solam formam esse principium corporis naturalis in facto esse, aliquo pacto videbantur concludere. Modò videndum est, an talis opinio subsistat, ex quo deducetur quænam sint principia corporis naturalis in facto esse. Sit ergo.

Prima Conclusio. Quidditas, seu essentia com- 6
positi, non consistit in sola forma, sed in forma, & materia, substantialiter vnitis Ita multi cum P. Morando in Physica tract. 5. de Composito sect. 2. Auersa quæst. 19. sect. 4. & alijs pluribus ab ipsis relatis.

Prob. 1. Auct. Arist. 7. Met. tex. 35. qui loquens de materia sic habet *pars etiam forma est (formam autem dico, quod quid erat esse) & totum totum, quod ex forma, & ipsa materia est*, ex quo textu benè colligitur, Aristotelem voluisse, ex materia, & forma essentialiter componi totum, scilicèt compositum.

Prob. 2. Forma est essentialiter incompleta, & ordinata ad materiam, ergo non dicit totam quidditatem compositi, consequentia prob. nam quod dicit totam quidditatem, & essentiam alicuius, debet excludere omne aliud, tamquam partem essentialem eiusdem.

Prob. 3. Compositum est essentialiter constitutum ex materia, & forma, sed quod est essentialiter constitutum ex materia, & forma, in sua essentia, solam formam non potest includere, benè verò materiam, & formam, ergo compositum essentialiter in sua quidditatiua essentia importat materiam, & formam, ergo &c.

Prob. 4. Si Deus conseruaret solam formam separatam à materia, tunc talis forma in nulla esset specie completa physicè, ergo quia ex se sola non potest esse quidditas alicuius entis completi, seu compositi, ergo hoc solùm præstare potest simul cum materia.

Ob. 1. Si materia esset de essentia compositi, sequeretur, quòd ablata parte materiæ destrueretur essentia compositi, sed hoc est falsum, per hoc enim quòd abscindatur brachium, non destruitur homo, ergo materia non potest esse de essentia compositi: ergo sola forma.

Resp. neg. mai. Non enim est sumenda materia secundùm hanc, vel illam partem integralem, sed secundùm totum esse, secundùm quod constituit vnum esse cum forma; quare non sequitur, abscisso brachio destrui essentiam compositi humani, quia brachium est pars integralis, non verò tota materia hominis.

Ob. 2. Si materia esset de essentia huius singu-

laris

laris indiuidui, in resurrectione, non resurgeret idem homo, sed hoc est falsum, ergo, &c. seq. prob. quia multi homines fuere deuorati, atq. ita materia illorum ad alios pertinet; Item multi infantes resurgent cum propria essentia, in statura tamen grandiori, ergo illis addita erit maxima pars materiæ, quam numquam habuerunt, quæq. ad illorum essentiam non pertinuit.

Resp. neg. seq. & ad probationem dico cum D. Aug. 22. de Ciuit. Dei cap. 20. Deum in resurrectione restituturum materiam illi, cuius primò fuit, & in alio suppleturum aliundè, vel illi daturum materiam, quam continuò in nutritione amisit, quæ vtiq. illius fuit. Infantes verò erunt idē quia eis conferretur illa materia, quam habuissent si vixissent, & sicuti materia acquisita per nutritionem fuisset illorum, ita etiam materia tùnc illis tradita. Quare est concludendum, compositum Physicum essentialiter constitui, & componi ex materia, & forma, atque adeo, hæc esse illius principia constitutiua essentialia, & intrinseca in facto esse, Ita tamen vt potior, & principalior pars essentialis compositi sit ipsa forma, quatenus dat esse specificum, & completum. Hoc autem ita clarum est, vt nesciam, quomodo contrarium non erubescant asserere aliqui.

Ob. 3. Potest dari materia, & forma, & non compositum, ergo aliquid aliud, vt principium intrinsecum debet admitti constitutiuum compositi; antecedens, licet de formis materialibus naturalibus probari non possit, patet tamen de formis spiritualibus, animabus .s. ergo &c.

Resp. necessariam esse vnionem, quæ tamen non est principium intrinsecum, quare ad maiorem claritatem; sit.

7 Secunda Conclusio. In composito naturali, est necessaria vnio, quæ non est entitas distincta à materia, & forma, sed modus substantialis, per quē inuicem connectuntur. Prima pars est communissima, nouissimè tamen contra Spinulam disput. 4. de Composito sec. 2. asserentem, solùm in composito constante ex forma spirituali, necessariam esse vnionem, non verò in alijs. Secunda verò pars, est Guarini disp. 4. in Phy. exp. 6. Nominalium, & aliquorum Thomistarum, ferè tamen contra communem.

Prob. prima pars. Compositum de suo essentiali dicit duo componentia vnum per se, sed à duobus nequit esse compositio vnius per se, nisi hæc duo vniantur, ergo necessaria est vnio in composito, qua partes componentes, materia, & forma vniantur.

Neq. dicas ex Spinula, per hoc præcisè, quòd intelligatur, formā materialem depēdere à materia in genere causæ materialis, absq. vlla intellecta vnione, intelligitur constitutum compositum, intelligitur, materiam, cum forma componere vnū per se, ergo ad constitutionem compositi purè materialis, superflua est omnis vnio, sed sola sufficit dependentia formæ à materia in genere causæ materialis, antecedens prob. ex eo quia per hoc præcisè, quòd intelligatur formam dependere à materia in genere causæ materialis, etiam nulla intellecta vnione, intelligitur formam actuare materiam, sed per hoc intelligitur componi vnum per se, ergo &c.

Resp. enim, dependentiam, quam habet forma materialis à materia, tamquam à causa materiali, dupliciter considerari posse, & in potentia, & in actu, dependentia in potentia nihil aliud dicit, nisi formam esse huiusmodi, vt nequeat esse nisi dependentet à subiecto, & in subiecto; dependentia verò actualis, est ipsa actualis subiectatio in subiecto, seu receptio, si consideretur respectu materiæ, at hæc nihil aliud est nisi vnio, qua actus .s. forma coniūgitur potētiæ .s. materiæ ex quibus ita vniris vnum per se cōponitur, ergo &c. Quare argumentum solùm probat, non dari vnionem superadditam, quòd & nos volumus, non verò absolutè vnionem negandam esse.

Neq. te dicas, dependentia hæc est causalitas, sed vnio non est causalitas, ergo hæc dependentia non est vnio; min. prob. priùs est enim formam dependere à materia in genere causæ materialis, quàm illi vniri, ergo hæc dependentia, quæ est causalitas non potest esse vnio, consequentia patet si enim dependentia formæ formaliter esset vnio, ergo formam dependere, esset formaliter formam vniri, antecedens prob. priùs est formam educi ex materia, quàm illi vniri, operari enim sequitur ad esse, sed educi ex materia, est formaliter formam dependere à materia, ergo priùs est formam dependere à materia, quàm illi vniri, ergo dependētia non est vnio. 8

Resp. neg. min. & ad illius probationem nego antecedens, nam in eodem instanti, & temporis, & naturæ, & forma educitur, & materiæ vnitur, actualisq. dependentia à materia in genere causæ materialis, est formaliter vnio, & ratio est, quia ipsa actualis dependentia nihil aliud est, nisi formam esse in subiecto, actuare subiectum, sed hoc importat vnionem eiusdem cum subiecto, ergo actualis dependētia idem est ac vnio, ergo in eodem instanti naturę, & temporis, quo producitur forma actuans subiectum, producitur ipsa vnio, atq. adeo solùm potest dici priùs dependere, quàm vniri, secundùm subsistendi consequentiam, quatenus ualet dicere, vnitur, quia dependet, non è cōtra; hoc autem non est ponere aliquam prioritatem realem, sed solùmmodo secundùm nostrum modum intelligendi. Quare omnes rationes Spinulæ solùm probare uidentur implicantiam unionis superadditæ, quòd claré colligitur ex eo quia ad conf. suę doctrinę adducit exemplum de actibus uitalibus, qui dependent, recipiuntur, & subiectantur in sua potentia absq. unione superaddita, quòd & nos concedimus, asserentes tamen, dari unionem simplicitèr, sed non unionem superadditam; hoc etiam in fine sectionis ipse apertè fatetur dicendo *nobis enim det id quod volumus .s. dependentiam formę à materia de sua indiuisibili physica entitate esse sufficientem absq. vllo modo distincto superaddito ad constituendum compositum.* Quare licet uerbis uideatur negare unionem, illam tamen concedit, licet non superadditam, quam postea superadditam admittit in composito constante ex

forma

forma spirituali, contra nostram secundam partem conclusionis, quæ sic.

Prob. Vnio est modus, sed modus non distinguitur, neq. est superadditus rebus, quarum est modus, ergo neq. vnio est superaddita materiæ, & formæ; mai. conc. ab omnibus, min. probata est in logica, cum de modo, ergo &c.

Prob. 2. Si vnio superadderetur tanquam entitas materiæ, & formæ ne dum materiali, sed & spirituali, sequeretur, materiam, & formam immediatè non vniri, sed necessariò debent immediatè vniri, ergo vnio &c. mi. prob. si enim immediatè non vnirentur, non facerent vnum per se; maior etiam prob. si enim inter materiam, & formam intercederet vnio tanquam entitas, ergo mediante hac entitate, non verò imediatè vnirentur. Tũ quia, per hanc entitatem vnionis, quam reciperet materia, vt potè substantialem, actuaretur materia, ergo non posset iterum immediatè actuari à forma.

Neq. valet dicere, quòd vnio est ratio formalis, qua partes vniuntur, sed ratio formalis non tollit immediationem, licet enĩ v. g. causa efficiens causet mediãte actione, non per hoc ipsa causa immediata non est, ergo, &c.

Resp enim, argomentum nostrum, non solùm probare, quòd partes non vnirentur immediatè, sed quòd priùs esset actuata materia per aliquã entitatem, quam volunt esse substantialem, antequam ipsam formam reciperet, quòd etiam per ipsos absurdum est: exemplum autem de actione non valet, actio enim non intercedit, vt aliquid substãtiale, qualis esset hæc ẽtitas vnionis, quare &c.

Ob. primò. Potest dari materia, & forma, & non unio, ergo unio est aliqua entitas illis superaddita, antecedens patet; saltem de forma spirituali, consequentia prob. quotiescumq. enim aliqua possunt existere, & non componere, ad hoc ut componant, requiritur aliquid aliud præter ipsas partes, hoc autẽ nõ potest esse nisi unio, ergo &c.

Resp. neg. consequentiam, ad hoc enim ut probaretur, unionem esse entitatem superadditam materiæ, & formæ, & ab illis distinctam, deberet etiam probari, ipsam unionem existere absq. partibus, quòd numquam probabitur. Quare ad probationem, conc. aliquid requiri, ut partes componentes componant, nego tamen debere esse aliquid ab ipsis distinctum, & superadditum, cum sufficienter se ipsis possint uniri per modum actus, & potentiæ; quæ unio nihil aliud est; nisi quidam modus substantialis à partibus non distinctus, ut iam probauimus, cum de modo: Quare ex his, quæ ibi diximus, facile erit respondere cuicũq. argumento.

Coll. primò. In generatione hominis, ab Agente creato solùm produci unionem, cum enim materia sit ingenerabilis, anima verò creetur à Deo, ideo ut homo dicatur substãtialiter attigere generationem hominis, remanet solùm dicendum, ipsũ producere unionem, disponendo tamen priùs materiam ad animam rationalem, introducendo s. in ipsa dispositiones, organa, & cæteras formas substãtiales, quas diximus subordinari formæ principali s. animæ.

Coll. 2. Secundùm hanc doctrinam clarè deduci unam solam necessariã esse unionem in quocumq. composito etiam constante ex forma spirituali, quòd sic non tam faciliter possunt asserere qui admittũt unionem entitatem superadditam, nam, uel admittant in composito humano spiritualem, aut materialem, nequit intelligi, quomodo anima rationalis spiritualis, materialem unionem possit recipere, uel materia, spiritualem: quare duas uniones, unam ex parte materiæ, altam ex parte formę cõgũtur admittere, quòd tamẽ inintelligibile est; Quare negando quoscumq. modos superadditos, infinitæ effugiuntur difficultates.

Quæres 1. Quomodo ex anima rationali, & corpore, quæ sunt duo entia actu, possit fieri unũ per se. 10

Resp. Fieri unum per se, quia licet tam anima, quàm corpus sint in actu, non tamen sunt completa entia in ordine ad compositum, ad quod constituendum sunt ordinata: quare corpus se habet ut materia determinabilis ab anima, tamquam à forma determinante. Quòd autem nõ sint ambo completa respectu compositi, patet, quia tunc aliquod est incompletum, quando omnes suas operationes non potest exercere sine alio, sed sic est in casu nostro, ergo &c. min. hæc patet nam corpus non potest exercere suas operationes sine anima, nec itidem anima suas omnes sine corpore, ergo ambo sunt incompleta complebilia verò inuicem per unionem; quare, licet ambo sint in actu, constituunt tamen unum per se, quòd nõ euenit in aliis substãtiis, quia quælibet potest exercere suas operationes sine alia.

11 Quæres 2. An Compositum physicum sit aliquid aliud præter materiam, & formã unitas. Ratio autem dubitandi est, quia Scotus cum suis Asseclis in 3. dist. 2. quæst. prima asserit, compositũ dicere aliquam tertiam entitatem supra partes, non quòd nõ includat partes, sed quòd includat illas, ut trãsũptas in tertiã ẽtitatẽ, seu ut iã trãsfactas. Vasq. etiã t. primo in 3. par. dis. 19. p. 26 præter partes, & unionẽ, admittit in cõposito constãte ex anima & corpore quẽdã modũ, quẽ appellat esse substantiale deriuatum ab anima in materia, quæ omnia cum captu sint difficilia, ideo Quæsitũ.

Resp. Cõpositũ nõ esse tertiã ẽtitatẽ aliquo pacto distictã à partib⁹ sed solũ dicere materiã & formã vnitas. Ita cõmunissima omniũ sẽtẽtia, quã tuetur D. Tho. 4. cõt. Gẽtes cap. 81. Mor trac. 5 de Cõposito quæs. 3. Setb. disp 2. in Physica quæst. 5. ar. 4 Spinula disp. 4. sec. 5. Suarez, Hurt. Ouiedo, & ferè recentiores omnes.

Prob. Vel hæc tertia entitas, quæ resultat ex partibus, est actu composita, vel non; si non, ergo simplex, ergo non est cõpositũ, si actu est cõposita, ergo actu dicit partes componentes, ergo non est aliquid ab illis distinctum.

Prob. 2. Vel hæc 3. ẽtitas resultans ex materia, & forma, & ab illis distĩcta, est tota spiritualis, uel tota materialis, uel partim spiritualis, & partim materialis, primum, nec secundùm potest dici, neq. enĩ homo est totus spiritualis, aut totus materialis, materia enim dum recipit formã non mutatur substãtialiter ĩ ipsã, ita ut euadat spiritualis, sicuti è cõtra, neq. forma, ergo tertium debet dici, ergo nõ esse simplicẽ entitatem à partibus distinctã, sed cõpositam

stã ex utraq. parte atq. adeo talẽ ẽtitatẽ, seu cõpositum in facto esse vtramq. importare partem.

Prob. 3. Causæ intrīsecæ causãt præbẽdo proprias ẽtitates, ergo nõ debẽt ipsæ desinere esse, dũ causãt, sed desinerent si producerent tertiã entitatẽ ab ipsis distinctam, ergo &c.

Prob. 4. Si compositum esset 3. entitas à partibus distincta, ergo posset separari à partibus, sed impossibile est, compositum separari à partibus, ergo non est entitas distincta ab ipsis. Hoc autem ita verum est, vt nequeat etiam separari per opus intellectus ratione ratiocinata, vt potè quia nullum est fundamentum à parte rei huius distinctionis, quid quid sit, an saltem ratione ratiocinante hoc præstari possit, vt cõcedit Morandus eodem loco conclusione secunda, quòd non disputo.

Ob. primò. Causa quæcumq. debet realiter distingui à suo effectu, nequit enim aliquid causare se ipsum. sed materia, & forma sunt causæ compositi, ergo ab ipso realiter debent distingui.

Resp. neg. mai. de causis intrinsecis, causæ enim intrinsecæ simul sumptæ non distinguuntur à suo effectu, cum enim causent præbendo se ipsas, ideo illatum eff. ctus nihil aliud est, nisi ipsæ partes vnitæ; quare solùm compositum potest distingui à suis partibus inadæquatè, quatenus. s. vna pars distinguitur ab alia. Ad id autem, quòd causa nequit se ipsam causare, Resp. materiam, & formam non causare se ipsas quomodocumq. sed se ipsas simul sumptas, quòd nihil aliud est, nisi vnamquamq. partem concurrere vt simul sint, materiam. s. recipiendo formam, formam verò actuando materiam, in quo nulla est implicantia respectu causarum intrinsecarum.

Obij. 2. Compositum generatur, & corrumpitur, secus verò partes, ergo compositum est aliquid distinctum à partibus.

Resp. disting. a. partẽ antecedentis; partes non generantur, & corrumpuntur, vt sic, & seorsim sumptæ, & conc. antecedens, vt vnitæ, & nego antecedens, cum enim compositum non sit, nisi partes vt vnitæ, ideo dum corrumpitur vnio inter ipsas, etiam ipsæ vt vnitæ corrũpũtur, seu eorũ vnio corrumpitur; Quare dico, omnia prædicata, quæ dicuntur de Composito, posse etiam dici de partibus collectiuè acceptis, in hocq. nulla est impli-
cantia; quæ omnia ita clara mihi videntur, vt in 12
illis amplius immorari superfluum existimem.

Coll. tamen, totum compositum importare diuersam essentiam à partibus, quæ vocatur forma totius metaphysica, ad differentiam formæ partis metaphysicæ, quæ est differentia coarctans genus. Hæc autem forma metaphysica totius non est forma informans, sed est ipsamet entitas specifica compositi, seu ipsummet totum compositum, secundũ propriam entitatem formalem specificam, includens tamen partes. s. materiam, & formam transactas quoad esse metaphysicum, non verò quoad esse physicum. & sic, v. g. esset humanitas respectu compositi humani: quare ex hoc solum deducitur, ex partibus vnitis materia, & forma componi nouam essentiam, quæ non est neq. essentia formæ, neq materiæ, sed essentia totius, seu forma totius, hæcque solum metaphysicè, & distinctione solùm virtuali potest dici distincta à partibus non verò physicè, quòd nihil aliud est, nisi ex essentia materiæ, & formæ, vnam essentiam componi, quæ non est nec essẽtia materiæ, nec formæ, sed alia ex illis duabus vnitis resultans, non verò entitatem physicam produci physicè à partibus distinctam. Et hæc sufficiant de primo libro Physicorum.


DISPVTATIO PRIMA

In secundum Librum Physicorum Arist. de Natura, & Arte.

1 IAm vidimus in primo Physicorum libro cum Aristotele principia corporis naturalis, sed quia talia principia, nedum sunt principia, sed etiam causæ, ideo de ipsis vt sunt causæ, texendæ sunt disputationes. At quia omne corpus naturale, idem est ac habens naturam, & causæ aliæ sunt naturales, aliæ non, ideo prius agit Aristoteles de Natura, quem & nos sequentes, primò quæremus, quid sit Natura, causas deinde dilucidaturi, Ideo sit.

SECTIO PRIMA.

2 *Quid sit Natura.*



Vpp. primò Hoc nomen *Natura* multipliciter sumi apud Philosophos: primò sumitur pro ipso summo Deo, qui dicitur natura naturans, quatenus dat esse omnibus creaturis, quæ naturæ naturatæ uocantur; secundò, pro essentia, & quidditate cuiuscumque entis, siue rationis, siue realis, dicitur enim tale ens. s. rationis, seu reale, esse talis naturæ; tertiò pro vniuersitate rerũ, sic dicitur aliquid esse in rerum natura; quartò pro serie omnium causatum, seu agentium naturalium, quo pacto dicitur non dari vacuum in rerum natura, naturam non deficere in necessariis, abhorrere superfluũ, & opus miraculosũ esse supra

naturam;

naturã; quòd pro cuiusque cõplexione, & sic dicimus Petrum esse natura benignum, crudelem, &c. sextò pro viuentium generatione, quæ natiuitas, seu nascentia appellatur, septimò tandem, vt relinquam multas alias acceptiones, quas videre est apud Conimbricenses lib. 2. Physicorum quæst. 1. art. 1. summitur natura pro essentiali principio affectionum, & operationum, & hoc pacto substantia siue viuens, siue non viuens, quatenus est principium essentiale affectionum, seu operationum, dicitur natura, & de hac in præsenti Aristoteles, & nos agitamus quæstionem.

Supponendum 2. tamquam certum dari hanc naturam, cum enim sint motus, & generationes, talium motuum, seu generationum debet assignari principium, quod natura appellatur, licet enim à priori non possit demonstrari, cum non habeat aliquod principium antecedens, per quod, tamquã per causam demonstretur, quo pacto dixit Aristoteles secundò physicorum tex. 6. *quod autem sit natura, tentare demonstrare, ridiculum est*, tamen à posteriori .s. ab effectibus, satis patenterque demonstratur, motus enim, & generationis principium, & causa est assignanda. His suppositis.

4 Prima Conclusio. Natura vt hic sumitur *est principium, & causa mouendi, & quiescendi in quo est primum, per se, & non secundum accidens*. Ita communiter cum Aristotele secundò Physicorum tex. 3.

5 Explicatur conclusio; Dicitur *principium, & causa* secundum communiorem doctrinam, vt excludatur priuatio, quæ licet in aliquorum opinione sit principium, non tamen est causa, cum realiter non influat, excluditur etiam priuatio per particulam *in quo est primum per se* .s. essentialiter inest, priuatio enim etiam si esset principium, non inesset tãquam aliquid pertinens ad essentiã.

Dicitur *mouendi, & quiescendi, seu motus, & quietis* ad explicandum motum, & quietem prouenire à natura, non autem intelligendum est, quòd simul debeat esse motus, & quies, sed successiuè, quòd .s. post motum sequatur quies. Hæc autem quies non importat aliquid solùm negatiuũ .s. negationem motus, sed etiam aliquid positiuum .s. permanentiam in termino acquisito. motus autem sumitur pro quocumque motu, qui sit sensibilis, & corporeus, siue localis, siue alterationis, siue augmentationis. Non est autem necesse secundùm aliquos, quòd natura sit principium motus, & quietis collectiuè, sed vel motus, vel alterius; secundùm tamen communiorem, vtriusque debet esse principium, cum Aristoteles posuerit ly, *& quietis* copulatiuo modo, explicando scilicèt tam motus, quàm quietis debere esse principium naturam.

Dicitur *in quo est* vt à ratione naturæ intelligãtur exclusæ causæ extrinsecæ, quæ licet naturales sint. pro vt opponuntur supernaturali, tamen non sũt natura, pro vt hic sumitur natura; sumitur enim pro principio, & causa intrinseca; quare Deus, Angeli, & Creaturæ aliæ causantes extrinsecè motum secundùm talem rationem propriè non dicuntur naturæ, prout hic sumitur natura.

Dicitur tandem *primum, & per se* ut intelligatur, accidentia, quæ non primariò, sed secundariò sunt in composito, excludi à ratione naturæ, cũ ipsa non sint prima principia motus. Per hanc etiam particulam excluditur à ratione naturæ Ars, quæ non est principium intrinsecum motus, sed solùm directiuum, vt patet in arte saltandi, scribendi, &c. quæ solùm dirigunt motus naturales taliter, uel taliter illos disponendo.

Secunda Conclusio. Natura sic definita est essentialis ipsis rebus realiter sumpta. Est fere cõmunis apud Auersam quæstione 9. sectione 2.

Probatur 1. In vnaquaque re debet esse primum principium internum ipsius rei, à quo fluant affectiones, & operationes, sed primum quod est in vnaquaque re est essentia, ergo ipsa essentia est primum radicale principium omnium affectionum, & operationum rei, sed pro hoc principio intelligitur natura, ergo natura realiter sumpta, est essentialis in rebus.

Prob. 2. Hæc ratio primi principij radicalis non potest dici quid consequens essentiam rei, tamquã eius passio, ergo est omninò de ipsa essentia rei. antecedens probatur, si enim esset quid consequens, ergo adhuc essentia secundum suam priorem rationem esset illud principium, à quo sequeretur talis passio; vel ergo etiam tale principium esset passio, & sic daretur processus in infinitum, assignando principium principii, vel in tali principio sistendum esset, & hoc principium esset essentiale, estq. illud, quod appellamus naturam. 2

Ob. 1. Si hoc principium, & natura esset essentialis, sequeretur naturam, & essentiam esse quid relatiuum, sed hoc est absurdum; cum ratio naturæ supponatur esse substantialis, & absoluta, & essentia rerum absolutarum non possit esse relatiua, ergo & c. mai. prob. nam per vos ratio naturæ consistit per respectum ad affectiones, & proprietates rei, & principium dicit relationem ad rem, cuius est principium.

Resp. conc. Naturam, & essentiam importare relationem respectu suarum affectionum, & proprietatum, non quidem prædicamentalem, & accidentalem, sed transcendentalem. At per hoc non sequitur absurdum, non enim pugnat cum ratione substantiæ ratio relatiua transcendentalis; cũ enim relatio transcendentalis sit quid essentiale, etiam ipsa substantiæ absolutæ possunt dicere hanc relationem .s. quare ordo transcendentalis verè, & realiter conuenit naturæ, & essentiæ respectu suarum affectionum, & proprietatum, quarum verè, & realiter sunt principium, vt explicauimus.

Ob. 2 Ideo distinguuntur potentiæ ab essentia, quia potentiæ dicunt ordinem ad operationes, substantia verò, & essentia est absoluta, & talem non dicit ordinem, ergo hoc principium, quod dicit ordinem ad operationes, non debet dici essentiale. 3

Res. Dato quod distinguatur potentia ab essẽtia, quod erit suo loco inquirendũ, nequaquã distingui

propter assignatam rationem, benè quidem ex eo quia potētiæ sūt principiū proximū, & immediatū operationum, essentia verò principium radicale, & principale; quare ipsa essentia est quidem principium immediatum ipsarum potentiarum, mediatum verò .s. mediantibus potentiis, omnium operationum, & ideo est principium radicale, sic v. g. quia intellectus, & voluntas intelligit immediatè, & vult, dicuntur principia immediata intellectionis, & volitionis, sed quia talium potentiarum anima est principium, in ipsaque sunt, ideo anima dicitur principium radicale intellectionis, & volitionis.

Ob. 3. Distinguitur essentia à natura, quia natura importat rationem principij, non verò essentia, quæ se habet omninò absolutè, ergo non debet dici, quòd ratio naturæ, & principij sit essentialis, alioquin confunderetur natura, cum essentia.

Resp. essentiam à natura distingui, quia per essentiam nō importatur expressè, & explicitè ratio principij, vt ab ipsa natura importatur, at per hoc non sequitur, talem rationem non includi implicitè in ipsa essentia, quæ quidem radicaliter debet esse primum principium omnium operationum, quare ex hoc.

6 Coll. inter essentiam, & naturam, nullam esse distinctionem, nisi quòd essentia, est ipsa intima entitas rei secundùm se considerata, vt constituens ipsam rem, & vt apta existere. Natura verò est eadem met entitas rei, sed prout est principium affectionum, & operationum rei, quare vt sistens in se ipsa, & constituens rem, dicitur essentia, & est absoluta, vt principium operationum dicitur relatiua, & Natura.

SECTIO II.

Quibus rebus conueniat definitio tradita Naturæ.

7 CVm secundùm Aristotelem definita sit Natura, quòd sit *principium motus &c.* orta est controuersia inter Doctores, quodnam principium debeat esse Natura, duplex enim assignatur principium, & actiuum, & passiuum, actiuum est à quo realiter prouenit, & fluit motus, passiuum verò, in quo recipitur talis motus, quare in motu generationis v. g. principium actiuum est forma, quæ est principium intrinsecum generationis, seu motus; passiuum verò, materia subiectum eiusdem motus, & generationis. Multi multa dixere, sed ne in re tàm friuola diutiùs immoremur, de qua diffusiùs Auersa in sua philos. quæstione 9. sec. 4. de rerum natura: Sit.

Prima Conclusio. Non solum principium actiuum, sed etiam passiuū est natura, ita quòd definitio naturæ conuenit, nedum formæ, sed etiam materiæ. Ita Conimb. lib. 2. physicorum cap. primo quæstione prima Art. 3. Ruuius, Hurtadus, Arriaga, & alij, quos sequitur Ouiedo lib. 2. Physicorum controu. 6. punct. 2. Mocandus in secundo Phy. trac. 1. quæ. secunda, Guarinus disp. 5. in Phy. exp. 1. & alij.

Prob. primò authorit. Aristotelis, qui definit naturam per principium motus &c. abstrahens à ratione principij, sed ratio principij vniuocè conuenit, & actiuo, & passiuo, ergo vtrumq. principium potest dici natura; Adsunt etiam authoritates expressæ ipsiusmet philosophi, quas videre est apud citatos authores, in quibus tam materiam, quàm formam, vocat Naturas.

Prob. 2. ratione; Natura ex supradictis, est essentiale principium motus, & quietis, sed motus, & quietis æquè est principium, actiuum, & passiuum, forma, & materia, ergo vtrumq. principium dicendum est quòd sit natura; min. prob. nam tàm subiectum, quod recipit motum, quàm forma à qua formaliter efficitur verè sunt principia motus, & quietis, motus enim non principiaretur, nisi esset in quo reciperetur, ergo natura constituenda est non in altero tantùm principio, sed in vtroq. ita vt in composito substantiali, materia per se in genere causæ passiuæ, forma per se in genere causæ actiuæ, sint verè, & propriè naturæ, & non vna per denominationem ab alia.

Hic aduertēdū, quòd, licet materia sit principiū passiuum respectu mutationis substantialis, potest tamen esse principium actiuum respectu propriarum passionum, & affectionum.

Ob. primò. Si principium passiuum esset natura, sequeretur omnem motum esse naturalem, & nullum violentum, & sic ascensionem v. g lapidis, calefactionem aquæ, qui per omnes sunt motus violenti, esse naturales, sed hoc est per omnes absurdum, ergo &c. sequela prob. quia ille est motus naturalis, qui prouenit à natura, sed si principium passiuum esset Natura, tales motus penderent à tali principio passiuo, quia esset receptiuum talium motuum, ergo essent Naturales. 8

Resp. primò cum Scoto in secundò distinct. 18. quæstione vnica; tales motus posse dici naturales, & non violentos respectu subiecti, & materiæ, ascensus enim, vel calefactio non sunt motus contrarij materiæ secundùm se sumptæ, cum de se ad hos motus, sit indifferens, & ideo respectu ipsius, neq. violenti sunt; quæ te potius dicuntur violenti respectu principij actiui .s. formæ lapidis, & aquæ, vt in exemplo allato. Neq. absurdum est, eūdem motum esse naturalem, & violentum respectu diuersorum; sed.

Resp. 2. Tales motus dici violentos, quia cum materia secūdùm suā particularem determinationem respiciat bonum compositi, quod constituit, ideo cum toti composito sint violenti ratione formæ, sunt & ipsi materiæ, non quidem secundùm suum solùm esse intrinsecum sumptæ, sed in ordine ad compositum, quod constituit, & ad quod dicit ordinem.

Ob. 2. ad probandum principium actiuum non esse naturam; Principium actiuum, quatenus tale non dicit esse immanens, & internum, sed Natura debet esse principium immanens, & internum ergo

ergo principium actiuum non est natura, sed solùm passiuum; mai. prob. quia saluatur ratio agentis in aliquo subiecto externo.

Resp. non omne principium esse naturam, sed solùm principium immaneus, & intrinsecum, & ideò in definitione dictum est *principium motus, & quietis in quo est* .f. eius in quo est, ad explicandam f. immanentiam talis principij, quare cum de hoc solùm loquuti simus, in hoc saluatur ratio naturæ iam explicatæ.

Authoritatibus Aristotelis, quę adduci solent in contrarium, respondēdum est, interpretando ipsum philosophum, vt videre est apud authores, tales enim authoritates obscuræ sunt, & ambiguæ, quales non sunt, quæ probant nostram conclusionem, quæ claræ. & patentes sunt.

Col. primò. Allatam definitionem naturę propriè, & rigorosè solùm conuenire substantiæ .f. materiæ, & formæ substantiali, per ly enim *in quo est primum per se*, significantur substantiæ, & non accidentia, quæ non sunt primò, & per se. Impropriè tamen, & largè posset talis definitio etiam accidentibus conuenire; accidentia enim habent suas affectiones, quarum principium in ipsis accidentibus est, quare essentiæ talium accidentium, vt principium suarum affectionum, possent appellari naturæ accidentium, & ita ly *primum* intelligendum est, non simpliciter primum, sed primum in ea ratione, in qua est .f. primum in ratione accidentis.

9 Col. 2. Etiam Animam, formam spiritualem, hominis posse dici naturam, nedum vt vegetatiuam & sensitiuam, sed etiam vt rationalem. Patet, quia Anima rationalis, vt sensitiua, & vegetatiua per omnes est natura, sed vt sensitiua, vegetatiua, & rationalis non distinguitur à parte obiecti, ergo etiam vt rationalis est natura; ma. conc. ab omnibus, min. in tractatu de Anima probabitur, ergo &c. tùm quia Anima, vt rationalis, est forma compositi, sed forma vt forma, est principium operationum in composito, ergo, & vt rationalis est natura. Neq. valet dicere, animam vt rationalem, tantùm esse principium volitionis, & intellectionis, sed intellectionem, & volitionem non esse motus compositi, neq. corporeos, ergo per hoc neq. animam vt rationalem esse naturam. Resp. enim primò neg. ma. anima enim nedum est principium volitionis, & intellectionis, sed etiam vegetationis, sensationis, &c. non enim datur à parte obiecti vlla distinctio realis in anima rationali. Sed data ma. neg. min. nam, licet volitio, & intellectio solùm efficienter procedant ab Anima, & in illa recipiantur, tamen sunt motus totius cōpositi, quia per tales actus elicitos ab Anima, dicitur totum compositum .f. homo intelligens, & volens, cum enim totum nihil aliud sit quàm partes, quod est proprium cuiuscumq. partis, ratione illarum, dicitur etiam proprium totius, quare tales actiones sūt actiones cōpositi; Neq. etiā valet, quòd tales actus animæ rationalis non sint motus corporei secūdùm se, cum tales sint respectu totius corporei, & exerciti dependenter à corpore, quòd sufficit; Aristoteles enim definiuit naturam per ordinem ad motum substantiæ corporeæ, seu spiritualem, seu corporeum.

Aduertēdū tamē, nos per hoc nō dicere, actus volitionis esse simpliciter naturales, seu necessarios. sunt enim liberi, vt à causa libera emanantes, sed solùm intelligere, animam esse naturam, quatenus actus, quos nunc exercet, facit cū aliqua depēdentia ab organis corporeis, quo pacto dicuntur actus compositi corporei.

Col. 3. Etiam substantias spiritules, & Angelos posse vocari naturas, quòd tamen non intellexit Aristoteles, existimans esse substantias immobiles, sicuti est Deus; possunt inquam esse naturæ, nam in ipsis est principium, & causa tum actiuè tum passiuè motus, & quietis, tum quoad motū localem, tum quoad alias operationes, & qualitates, licet non quoad generationem substantialem, & augmentationem respectu quantitatis, cum ergo in ipsis sit principium alicuius motus, & quietis (non enim est necesse quòd sit cuiuscumq. motus) poterunt uocari naturæ. Aduert. tamen quòd propriè, & rigorosè naturæ non possunt appellari sumendo eam modo, quo hic sumimus .f. pro motu, & quiete corporea, de tali enim natura agit physicus, cum agat de corpore naturali, quare per hoc de ipsis non agit physica, quia .f. non sunt naturæ corporeæ, .f. principium motus, & quietis corporeæ. 10

Col. 4. Toti composito propriè, & rigorosè nō conuenire definitionem naturæ supra allatam; licet enim possit dici natura, quatenus habens essentiam, vt suprà diximus cum de significatione nominis naturæ, tamen non potest dici natura, ut hic sumitur ab Aristotele, & explicata est; ratio autem est, quia natura debet esse principium primum motus, & quietis, ut ex definitione, sed compositum tale non est, sed constat ex principijs primis, est enim principium motus, & quietis ratione materię, & formæ, ex quibus componitur, ergo &c. tum quia, unum principium actiuum, & vnum passiuum, non constituunt vnum tertium principium totale, sicuti faciunt duo principia actiua, uel passiua, sed forma est principium actiuū, materia passiuum, ergo ab ipsis non constituitur unum aliquod tertium principium: quare materia per se, & forma per se absolutè, & in propria ratione principij, dicūtur naturæ, non autem tota essentia compositi, quasi unum aliquod tertium principium resultans.

Col. 5. Etiam Cœlos posse appellari naturas, licet enim secundùm communiorem non habeant principium actiuum motus, cum hic illis proueniat ab Intelligentia assistente, quæ non potest uocari forma cœli, habent tamen principium passiuū & receptiuum talis motus, quòd sufficit ad hoc ut illis conueniat definitio naturæ allata, cum intrinsecè sint principia passiua, & receptiua alicuius motus.

Quæres primò. Quænam sit differentia inter Naturam, & Artem. 11

Supp. est pro solutione quæsiti, dupliciter posse sumi Artem, uel ex parte Artificis, & est notitia practica, regulatiua, & directiua operis, ratione

tione

tione cuius artifex hoc, vel illo modo disponit regulas ad tale opus. quæ noritia potest consistere in actu, vel in habitu : vel potest sumi Ars ex parte operis, & consistit in illa modificatione, quam recipit opus ab artifice, vt figura respectu statuæ, forma scamni respectu scamni, &c. Hoc supposito.

Resp. Artem secundo modo sumptam .s. ex parte operis contradistingui à natura per Aristotelem secundò physicorum textu 2. ex eo quia natura sit principium motus, non verò Ars, nullum enim opus artificiosum, ex eo quia sit tale, habet in se aliquod principium motus, licèt enim sint aliqua opera artificiosa, quæ videntur moueri à se ipsis ratione Artis, vt sunt horologia, falsum tamen est, talem motum prouenire ab Arte, à qua solum prouenit modificatio motus, & sic in horologiis, motus quoad suum esse, fit à natura per virtutem grauitatis, quæ inest in ponderibus horologii, à qua prouenit realiter, & naturaliter ille motus, modificatio verò talis motus prouenit ab Arte, quæ per dispositionem rotarum, disponit velociter, vel tardè talem motum.


Resp. 2. Artem primo modo sumptam distingui à natura, quia. Ars est principium tantum dirigendo, & regulando, seu imperando opus, non autem per se efficiendo quoad substantiam, natura verò est principium proprium operis, .s. motus, & quietis ; quare homo efformans aliquam figuram v. g., in quantùm mouetur, dicitur moueri per naturam, in quantùm verò taliter, vel taliter mouetur circa talem figuram disponendo colores, vmbras, &c. dicitur exercere regulas Artis, quatenus ab Arte dirigitur motus naturalis ad hanc, vel illã dispositionem in figura efformanda, & in hoc sensu dicitur naturam distingui ab Arte : qua ratione potest etiam intelligi, non solùm naturam modo explicato, quæ est principium motus, & quietis in quo est, sed etiam omnes causas, quæ sunt principia per se causantia operationem quoad substantiam, siuè operentur ad intra siuè ad extra, contradistingui à natura. Et ita etiam de his secundùm communem acceptionem, & intelligentiam, dicitur, Artem distingui à natura .s. illud prouenire a natura, quod prouenit à causa effectiua illius, illud verò ab Arte, quod solum talem modum, & dispositionem recipit ab actu, vel directiuo, & regulatiuo, qui reperitur in artifice.

Quæres 2. An Ars possit facere opera quædam naturæ, & præcipuè, an verum aurum possit fieri arte chimica.

Resp. Aliqua opera naturæ posse fieri ab Arte, non simpliciter tamen, sed applicando actiua passiuis, .s. applicando causas naturales habentes virtutem producendi tales effectus ; quare, aurum verum fieri posse arte chimica, nulla apparet implicantia, physicè loquendo, nam si per talem artem à chimicis applicantibus actiua passiuis multa efficiuntur, transmutando eorum formas substantiales, vt cinnabrium, minium, cerussa, & etiam aurum verum fieri poterit. Fateor tamen, moraliter hoc esse impossibile propter maximam difficultatem, quæ reperitur in applicando talia, vel talia actiua, talibus, vel talibus passiuis, taliter, vel taliter intensis, tali, vel tali tempore.

Quæres 3. Quid sit violentum.

Resp. ex Arist. 3. Ethicorum cap. 1. *violentum est illud, quod est a principio extrinseco nullam conferente vim passo*, vel vt ab eodem breuiùs definitur 5. de Generatione animalium cap. 8. *violentum præter naturam est*, id est vt communiter explicatur *contra naturam*; quare omnes motus prouenientes ab extrinseco contra naturam illius, cui adueniunt dicuntur motus violenti. At quia natura consistit, vt ex supradictis, tàm in principio actiuo, quàm in passiuo, ideo omnes motus tàm contra principium actiuum, quam passiuum debent dici violenti, quare descensus, v.g. in igne dicitur motus violentus contra vim, & principium actiuum, quod habet ignis ascendendi, & etiam erit motus violentus contra principium passiuum ignis, per quod habet vim passiuam recipiendi in se ascensum. Et hæc sufficiant de natura, ad causas transeamus.



DISPV-

DISPVTATIO SECVNDA

In eamdem secundum librum Physicorum de Causis corporis naturalis in communi.

DE Causis in communi necessarium duximus pertractare quæstiones; cum enim multa omnibus causis conueniant, ne in cuiuscumq. causæ discussione eadem dicere cogamur, quæ sunt omnibus communia, hic primò expendemus. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Causa, & quæ eius Causalitas.

CVm nullam hic tradiderit definitionem causæ Aristoteles, multi multas excogitarunt; ne tamen immoremur in illis assignandis, cum apud Auctores facilè sit eas videre, communiorem, & magis explicantem conceptum causæ, hìc trademus.

Prima Conclusio. *Causa est principium per se influxiuum realis, vel intentionalis in aliud, cum dependentia.* Ita ferè communitèr cum P. Morando in secundo physicorum tractatu 2. quæst. 1. quam definitionem approbat, etiam Spin. disp. 5. Phys. sect. 1. num. 7.

Explicatur Conclusio, non enim indiget probatione. Dicitur *principium* loco generis magis enim patet principium, quam causa; dicitur *per se* ad excludendas causas per accidens, & conditiones, sine quibus non, quæ per se non influunt; dicitur *influxiuum*, pro influere intelligendo dare, & communicare esse, quòd propriè faciunt omnes causæ Physicæ; dicitur *realis, vel intentionalis* ad explicandas omnes causas, aliquæ enim realiter, aliquæ solum intentionaliter, quales sunt finales, influunt, dicitur *in aliud* ad explicandum, veram causam influere in effectum realiter distinctum in natura, ly *aliud* enim præcipuè apud Theologos significat naturam distinctam, vndè damnata est illa propositio, *Filius est aliud à Patre.* dicitur tandem *cum dependentia* ad explicandum, quòd cum effectus totum suũ esse habeat à causa, ab eadem secundùm illud dependet; quare à ratione causæ excluduntur personæ diuinæ, nam licèt vna sit ab alia, ab illa tamen non dependet, nec recipit distinctam naturam. Aduertendum tamen, nos accipere dependentiam propriè, & rigorosè, & non impropriè pro coexigentia, quo pacto vnum relatiuum dicitur dependere ab alio.

Coll. Ex allata definitione causæ, qualiter sit definiendus effectus. Est igitur effectus *id quod per influxum ab alio recipit esse, ab illoq; pendet* patet ex finitione causæ. Quare ex hoc sequitur, causam, & effectũ esse inter se correlatiuos, nam causa est utique sui effectus causa, & effectus suæ causæ effectus, & secundum hanc rationem inter se referuntur.

Secunda Conclusio. Diuiditur causa in Materialem, Formalem, Efficientem, & Finalem. Ita cõmuniter omnes cum Aristot. 2. post. tex. 48. & 2. Physic. tex. 27. & seq.

Prob. Tot sunt causæ, quot sunt principia influentia in compositum, sed quatuor sunt principia influentia in compositum, ergo quatuor sunt causæ, min. prob. primò enim ad compositum requiritur causa illud producens, nihil enim producit se ipsum, & ecce causa Efficiens, secundò requiritur finis, omne enim agens agit propter finem, & ecce causa Finalis; tertiò omne quod producitur ex aliquo producitur, nam ex nihilo nihil producitur, & ecce causa Materialis; quartò deniq. in materia aliquid de nouo producitur, alioquin nihil fieret, & ecce causa Formalis, ergo quatuor sũt causæ corporis naturalis, duæ intrinsecæ. s. materialis, & formalis, & duæ extrinsecæ. s. efficiens, & finalis.

Neq. dicas. Dari multa alia, sine quibus non potest concipi compositum in suo esse perfectum, ut Locum, Tempus, &c. ergo plura esse genera causarum.

Resp. enim. Illas non dici causas, quia non influunt in effectum, per aliquem actum suæ uirtutis, quòd debent facere causæ, & ideo appellantur conditiones, sine quibus non, non autem causæ.

Neq. dicas secundo. Dari causam Idealem præter assignatas.

Resp. enim. Causam idealem reduci ad unam ex assignatis causis, ut suo loco, & ideo non sunt multipli-

tiplicandæ causæ, sed potiùs iam assignata subdiuidendæ in Idealem, seu Exemplarem, in Proximam, & Remotam, in Totalem, & Partialem, in Principalem, & Instrumentalem, Æquiuocam, & Vniuocam, per se, & per Accidens, Physicam, & Moralem, &c. de quibus in progressu erit videre.

3 Col. primò. Omnem causam respectu sui effectus debere dicere prioritatē saltē naturæ, cū enim effectus ab ipsa depēdeat, causa debet intelligi illo prior saltem natura, non tamen tempore; nam etsi verum sit, causam non posse causare, nisi existat ipsa, vel illius virtus, saltem intentionaliter, vt causa finalis, cum enim causatio sit actus secundus, supponit primum .f. existentiam causæ, tamen non est necesse, quòd præcedat causa existentia, & prioritate temporis suum effectum; & ratio est, quia in eodem instanti temporis, in quo existit, potest, & effectus existere, vt patet in causa formali, eodem enim instanti temporis, quo informat materiam, & existit in materia, existit compositum.

Collig. 2. Causam tunc esse in actu primo, quando habet virtutem, & omnia requisita ad posse producere effectum, non tamen producit; tunc verò dici in actu secundo, quando actualiter causat, & producit effectum.

4 Col. 3. Vnam, & eādem rem posse habere omnes, quatuor modos causandi respectu diuersorū: patet in anima, ipsa enim est subiectum suarum operationum, & ideò illarum causa materialis, est etiam causa formalis respectu corporis, quod informat, est causa efficiens respectu suarum operationum, & finalis quatenus exercet aliquas operationes ob sui delectationem. Potest etiam respectu eiusdem effectus eadem res aliquos habere modos causandi, nō autem omnes, sic Deus est primum agens, & vltimus finis omnium, sic omnis causa immanens est efficiens, & subiectum suarum operationum, non tamen eadem potest esse causa materialis, & formalis respectū eiusdē effectus, vt cōsideranti patet.

Quæres primò. Quodnam genus causæ sit perfectius ex assignatis, & an omnis causa sit perfectior suo effectu.

Resp. primò. Quòd causæ intrinsecæ .f. materia, & forma sunt imperfectiores extrinsecis, quia causant effectum imperfectiori modo, scilicet per modum partis, & incompletè, quòd non faciunt extrinsecæ; ex causis autem intrinsecis, perfectior est formalis, quàm materialis, quia materia est imperfecta, & recipit perfectionem à forma: ex extrinsecis, finalis est perfectior in uno sensu, in quātum .f. mouet agens, vt propter se operetur, & sine illa non operatur, in alio verò sensu est imperfectior, quia causat solùm intentionaliter, efficiēs verò causat physicè, & realiter.

Resp. 2. Omnem causam formaliter sumptam esse perfectiorem suo effectu, cum enim effectus dicat ab ipsa pendentiam, & pendentia importet imperfectionē, ideo quilibet effectus erit formaliter imperfectior sua causa: causa autem materialiter sumpta potest esse perfectior, & imperfectior suo effectu, sed quomodo hoc fit, cum parui momenti sit, videre est apud Auctores, & præcipuè Auersam quæst. 16. de causis sec. prima.

Quæres 2. Quid sit Causalitas causæ.

Resp. Causalitatem secundùm communiorem acceptionem esse rationem causandi; quare cum duplēciter consideretur causa, in actu primo, & in actu secundo, duplex itidem datur causalitas, causalitas in actu primo, est illa virtus, & aptitudo, quam habet entitas, quę dicitur causa, respectu effectus productibilis; causalitas in actu secundo, est ipsa actualis causatio, seu influxus causæ in effectum.

Quæres 3. An causalitas sit entitas distincta à causa?

Resp. Non esse entitatem distinctam à causa, benè verò quemdam modum, quo causa ipsa actu concurrit ad suum effectum, seu quo effectus fluit, & dependet à causa. Ita Fonseca 5. Met. capite secundo quæstione 13. sectione 3. & 4. cont. communem.

Prob. primò. Si causalitas esset accidens distinctum à causa, sequeretur, formam, & materiam non immediatè vniri, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela probatur, vnirentur enim mediante tali accidenti.

Prob. 2. Actio est effectus causæ efficientis, sed actio producitur à causa per se ipsam immediatè absque accidente intermedio, ergo sic est dicendum de quocumque alio effectu cuiuscumq. causæ, ergo causalitas qua habetur effectus, non est accidens, à causa distinctum medians inter ipsam, & effectum, sed est modus, quo ipsamet causa concurrit ad effectum, seu fluxus effectus à causa; mai. patet, nam, licet mediante actione causa, principalem producat effectum, ipsa tamen actio est immediatus effectus, licet minus principalis min. prob. si enim inter actionem, & causam mediaret causalitas, vt accidens distinctum, inter illud, & causam, aliud deberet mediare, & sic procederetur in infinitum.

Prob. 3. Si causalitas esset accidens distinctum deberet subiectari; vel in causa, vel in effectu, sed respectu causæ creantis, neq. in ipsa, neq. in effectu potest subiectari, ergo dicendum est, quòd non sit accidens distinctum: ma. prob. si enim est accidēs, in aliquo debet subiectari; min. patet, in Deo enī qui est causa creans, non potest subiectari, neq. etiam in effectu creato, nondum enim supponitur, priùs est enim saltem natura creatio, quàm effectus creatus, ergo cum non sit subiectum in quo subiectetur, non est dicendum, quòd sit accidens.

Neq. valet, esse tale accidens in genere causæ productiuæ, subiectum non supponens, sed ponens.

Resp. enim, hoc importare contradictionē, nam cum sit accidens, quomodocumq. sit, debet in alio subiectari, per hoc enim quòd sit tale accidens, nō deperdit naturam accidentis, cum per hoc quòd sit in aliqua specie, non deperdat quæ illi conueniunt ratione generis.

Neq. dicas 2. hoc etiam secuturum etiam dato quòd causalitas sit modus, modus enim debet alicui adhærere; quare cum debeat præcedere ipsam creaturam, in illo priori non esset cui adhæreret.

Ratio

Resp. enim Disparem esse rationem de actione, cum enim modus sit indistinctus à re, cuius dicitur modus, ideo in eodem instanti dicitur esse, & modus, & res, vt patet in modo subsistentiæ, qui est eodem instanti ac res subsistens, quare in creatione, ipsa causalitas, per quā creatura realiter, dicitur esse, & pendere à Deo, non est in priori tempore, sed in eodem ac est ipsa creatura, vtpotè non distincta ab ipsa, sed essentialiter cum ipsa identificata, cum enim Deus vtpotè incapax relationis ad extra, non dicatur causa, nisi per extrinsecam terminationem dependentiæ essẽtialis creaturæ, ideo talis dependentia est essentialiter indistincta à creatura, atq. adeo creatura dependet à Deo per causalitatem realiter indistinctam, quòd sic non potest dici de actione, quę vtpotè accidens exigit subiectum distinctum.

Neq. dicas 3. In re creata præter substantiam ipsam, & relationem dependentiæ, insuper reperiri emanationem ipsam, seu productionem ipsam, in qua fundatur relatio dependentiæ tamquam in accidente distincto.

Res. enim. Talem emanationem non negare, sed, solum asserere non esse accidens distinctum, dicimus enim talem emanationem, seu productionem passiuam esse modum quemdam essendi, qui modus inchoatiuus potest appellari sicuti cõseruatio modus continuatiuus seu permansiuus, dicendus est.

Ob. Si nulla entitas superadderetur causæ causãti, sequeretur non distingui causam causantem, à b alia re non causante, & similiter effectum, sed hoc non est dicendum, ergo asserendum, causam causare per causalitatem distinctam, & superadditam.

Resp. neg. mai. Nam licèt causalitas non sit entitas superaddita; & distincta, non est tamen nihil, sed modus, quare inter rem causantem, & non causantem est distinctio, quòd prima hoc habet, quòd nedum sit res, sed insuper quod ab ipsa actu dependeat effectus; secunda verò hoc non habet, sic etiam effectus hoc habet, quòd actu pendeat à sua causa. Hi autem sunt quidam modi, vt iam explicauimus.

Ob. 2. Si causalitas non esset accidens distinctum ab ipsa causa, sequeretur produci effectum à re nõ existente, sed hoc non potest dici, ergo, &c. sequela probatur in causa finali, cum enim ipsa non existat, nec illius causalitas, tamen produceretur effectus, ergo, &c.

Resp. distinguendo ma. Sequeretur &c. à re non existente realiter, & conc. intentionaliter, & obiectiuè, nego mai. ad hoc enim, vt causalitas causæ finalis causet, satis est vt existat sicuti eius causa, quare cum causa finalis solum existat intentionaliter, sufficit etiam illius causalitatem taliter existere; licèt tamen etiam posset responderi causalitatem causę finalis, etiam realiter existere dum existit effectus, quatenus talis effectus realiter pendet à causa finali.

Multa alia de Causalitate essent videnda, sed quia cuiuscumq. causæ sunt propria, in illarum tractationibus expendentur.

SECTIO II.

An duæ causę possint esse sibi inuicem causæ.

QVæstio est de causalitate secundũm idem genus causæ, & secundùm idem tempus, nam causæ, quæ sunt in diuerso genere, de facto sę mutuò causant, sic causa finalis causat efficientem, materialis, formalem, & è contra, &c. & in hoc sensu intelligendus est Aristoteles, quando secundò physicorum textu 30. ait *sunt autem quædam, & ad inuicem causa*, quòd patet ex exemplo ab eodem ibi allato, illius, qui laborat propter sanitatem, sanitas enim est causa finalis, labor, efficiens, & inuicem se causant. 7

Prima Conclusio. Non potest dari mutua causalitas in eodem genere causę, si virtus sit eadem. Ita ferè communiter, contra aliquos recentiores.

Prob. 1. Nihil potest esse productiuum actus primi sui ipsius, sed hoc esset, si vna causa produceret effectum à quo primò causaretur, ergo &c. major. prob. nam hoc pacto esset productiuum sui ipsius, quòd implicat; min. patet, nam si vna causa causaret illam causam, à qua ipsa reciperet esse, causaret actum primum physicum sui, actus enim primus physicus non distinguitur à causa, seu ab entitate, cuius est.

Prob. 2. Si posset dari mutua causalitas in eodem genere, & secundùm eamdem virtutem sequeretur idem esse causam, & effectum secundùm eamdem rationem. Item esse prius, & posterius, &c. hæc implicãt, ergo &c. mai. patet, si enim secundùm eamdem rationem, & causaret, & causaretur, vt causaret esset causa, & prior, vt causaretur effectus, & posterior.

Prob. 3. Aliqua prioritas, saltem naturæ, est necessaria in causa ad effectum, sed si posset dari mutua causalitas in eodem genere causæ, & per eamdem virtutem, nulla prioritas reperiretur in causa ad effectum, vt consideranti patet, ergo, &c.

Obiic. 1. Possunt duæ causæ esse sibi inuicem causæ in diuerso genere, ergo etiam in eodem.

Resp. neg. cons. & disparitas est, quia ratione diuersitatis generis, vna potest esse prior natura altera, & sic vna pendere ab alia, ex quo dignoscitur prioritas naturæ, quare secundùm hanc diuersitatem possent se inuicem causare, & effectus causatus, non esset secundùm eamdem rationem causa suæ causæ.

Ob. 2. Ex multis experientijs habemus hanc mutuam causalitatem, ergo &c. antec. pr. nam multæ prunæ simul positę inuicem se fouent, manus coniunctæ calorem conseruant in se inuicem, & effectiuè, manus frigidæ mutua cofricatione calescunt, piper calorem in lingua producit, & lingua in piperem, duo ligna cadendo in angulo se mutuò substentant, ergo &c. 8

Res. Has experientias non probare dari mutoam causalitatẽ secundùm eamdẽ rationem, prunæ enĩ & manus conseruant inuicem calorẽ non effectiuè, sed impediendo virtutem Agentiũ contrariorũ, per

vnionem, quam inter se habent, virtus enim vnita fortior, calor autem producitur à confricatione manuum ratione duplicis motus vtriusq. manus, motus enim est causa caloris, vel quia rarefit aer intermedius, vel quia confricatione excitantur spiritus vitales, in quibusdam partibus manuum, qui ad extremas partes deducti, illas calefaciunt. Piper verò non calefacit linguam per calorem formalem productum à lingua in pipere, sed per virtualem, quem habet, & ideo non secundùm eãdem rationem se inuicem causant: duo deniq. ligna se inuicem substentant, nõn effectiuè, sed impediendo actionem grauitatis alterius, cum enim ratione grauitatis, quodlibet petat centrum, ab alio substentante impeditur talis actio: deinde dato quòd agerent, non agerent per eamdem virtutem, quia virtus, & grauitas vnius non est causata ab alio.

Secunda Conclusio. Causæ, siue in eodem, siue in diuerso genere causę, se possunt inuicem causare secundùm diuersam rationem formalem, seu virtutem. Est multorum præcipuè Auersæ quæstione 16. de causis sectione 6. Morandi trac. 7. de causis quæst. 1. Guatini disp. 6. exp. 6.

Prob. primò. In tali causatione potest saluari prioritas naturæ in causa respectu effectus, sed præcipua ratio negandi mutuam causalitatem secundùm eamdem virtutem, est propter prioritatem naturæ, quæ non daretur, ergo &c. ma. prob. nam secundùm illam virtutem, secundùm quam vna causa causat aliam, supponitur prior natura, cum talis virtus non sit in causato, nec secundùm illam à causa pendeat.

Prob. 2. Duæ entitates contrariæ possunt inuicem corrumpi, sed hoc non posset esse, nisi se inuicem causando, ergo &c. ma. patet in aliquo liquore mixto vino, qui illud corrumpendo, in fæces transmutat, & ipse à vino transmutatur in vinum, min. prob. ideò enim vinum corrumpitur, quia liquor in illud per suam virtutem agit, & liquor pariter in vinum mutatur, quia per suam virtutem vinum in illum agit.

Ob. primò. Si hoc esset, sequeretur quòd idem esset causa sui ipsius, quod enim est causa causæ, est causa causati, hoc autem non potest esse, ergo &c.

Resp. concessa ma. neg. min. si intelligatur secundùm diuersam rationem. Nulla enim est implicantia quòd aliquid sit causa sui ipsius secũdùm diuersam rationem, non enim in hac ratione sunt sibi inuicem causæ formaliter, prout sunt causæ, sed solùm materialiter, quia .s. ea entitas, quæ plures habet virtutes, secundùm vnam causat, secundùm aliã virtutem, quæ est in alia ẽtitate, causatur: Vnde.

Col. solutio illius quæstionis, vtrum idem esse

10 possit causa sui ipsius. Non potest .s. esse neque diuinitus quoad primum esse, beneverò quoad secundùm esse per actionem distinctam ab illa, quæ terminat ad primum esse, supernaturaliter tamen; Quoad 1. partem est communissima conclusio, quoad secundam, est ferè conc. communem, est tamen Suarez tom. 3. in 3 par. disp. 50. sec. 4. Cõp. disp. 19. in Phy. sec. prima Tellez par. 2. in Phy. disp. 26. sec. 2. num. 13. & aliorum paucorum.

Non potest autem neq. diuinitùs aliquid se causare quoad primum esse, nam causa aliqua prioritate debet præcedere effectum, non autem præcederet, si causaret se ipsam quoad primũ esse, ergo &c. Tùm quia in tantùm probatur distinctio inter personas diuinas, in quantùm debet dari distinctio inter producens, & productum; Hæc autẽ non probaretur, si idem posset producere se ipsum quoad primũ esse, posset enim dici, Patrem producendo filium, iterum producere se ipsum, ergo &c. Tùm quia si idem posset producere se ipsum quoad primũ esse, sequeretur in eodem instanti esse, & non esse, esset quia produceret, non esset quia produceretur: quare ex hoc deducitur verissimum esse illud communiter dictum, *quidquid producitur ab alio producitur*.

Potest autem se ipsum causare quoad secundùm esse .s. quoad diuersum modum existendi, nam ibi potest esse causalitas, vbi potest saluari distinctio inter producens, & productum, sed idem producens se ipsum quoad secundum esse potest distingui à se ipso producto quoad secundũ esse, saltem distinctione includentia ab incluso, ergo &c. min. prob. exemplo Sacram. Eucharistici, ratione cuius principaliter hoc asserimus, nam Christus instituẽs hoc Sacramẽt. produxit se ipsũ sacramẽtaliter sub accidentibus panis, per nouam actionem & de facto existens in cælo producit se ipsum in omni hostia; cum ergo Christus producat se ipsũ per nouam actionem, & aliquo pacto .s. ratione diuersi modi existendi, sit distinctus Christus habens præsentiam sacramentalem, à se ipso habente præsentiam naturalem, ideo dicimus supernaturaliter, idem posse producere se ipsum quoad secundùm esse, non verò quoad primum, hoc est dicere solùm quoad diuersum modum existendi.

SECTIO III.

Vtrum causa respiciant effectum in communi, vel in particulari, & per quid distinguantur inuicem potentię, & causę.

Supp. tamquam certum, inter causam, & effectũ esse relationem transcendentalem, ratione cuius implicat dari causam absque effectu, saltem possibili, quidquid dicat Spinula disp. 5. de causis sec. 3. art. 2. suse impugnatus à Serb. disp. 2. Physicæ quæst. 2. de causis art. 4 quare si omnino effectus esset impossibilis, causa non diceretur causa, sed entitas absoluta, cum enim correlatiuum esset impossibile, ipsa nullo pacto posset dici relatiua. Quia autem causa potest producere hunc, vel illum effectum, ideo hic inquirimus, vtrum dicat respectum ad effectum in communi, vel in particulari ad omnes, quos potest producere: sicuti etiam, an potentia respiciat obiectum, vel omnia in particulari; quæstio autem est de causa, & potentia, quæ plures effectus, & obiecta possit respicere. 11

Supp. 1. ex tractatu Vniuersalis. Effectum in commu-

communi à parte obiecti, non esse aliquam rationem vniuersalem distinctam ab effectibus in particulari, & ab illis participatam, cum enim dixerimus, vniuersale esse plura similia, ideò effectus in communi non est, nisi plures effectus conuenientes in aliqua ratione. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Omnis causa, & potentia respicit effectum, & obiectum in communi .s. sub aliqua ratione, vel generica, vel specifica, non tamen abstracta, sed vt est à parte rei: quare impossibili aliquo effectu particulari, adhuc esset eadẽ causa, eadem potentia; Est quoad primam partem multorum recentiorum apud Arriagam disp. 7. physicæ sectione 3. contra ipsum tamem, Hurtadum, Ouiedo, Vasquea, & alios, & quoad secundam partem ferè contra communem; est tamen. Mastrij disp. 5. Phy. quæ. 2. nu. 8. & aliorũ paucorũ.

Prob primò, quòd non respiciat effectum, seu obiectum sub aliqua ratione communi abstracta. Effectus, seu obiectũ abstractum sunt opera intellectus, sed causa, & potentia non respiciunt opera, intellectus, ergo neq. effectum, seu obiectum abstractum sub aliqua ratione communi.

Prob. 2. quòd respiciat in communi prout est
12 à parte obiecti; Effectus, & obiectum in communi
prout sunt à parte rei, non sunt nisi plura indiuidua similia, sed talia indiuidua similia sunt apta terminare potentiam, seu causam, ergo potentia, & causa respiciunt effectum, & obiectum in cõmuni, prout sunt à parte obiecti; ma. supponitur ex logica: min. prob. albedo enim v. g. nigredo, &c. quia conueniunt, & sunt similia in ratione coloris sunt apta terminare potentiam visiuam, & sic de alijs, ergo &c.

Prob. 3. Si causa, & potentia respicerent aliquẽ effectum &c. nõ quia cõuenit in aliqua ratione cõmuni, sed quia est talis in indiuiduo, v. g. si potentia visiua respiceret albedinem, non quia est color, sed quia est albedo, sequeretur defecturam illam potentiam, & causam aliquo obiecto, & effectu in particulari impossibili, sed hoc ex dicendis est falsum, ergo causa, & potentia respiciunt, non hunc numero effectum &c. sed effectum in cõmuni modo iam explicato.

Prob. secunda pars. Potentiæ, & causę non specificantur ab obiecto, & effectu, sed à modo tendendi; at dato tali modo tendendi circa obiectũ in communi, etiam deficiente aliquo obiecto in particulari, remaneret causa, & potentia in eadem specificatione, ergo impossibili aliquo effectu in particulari remaneret eadem causa, & potentia; ma. patebit ex dicẽdis in fine huius sectionis: min. prob. quotiescumq. enim conseruatur specificatiuum, conseruatur species, sed impossibili aliquo effectu, & obiecto in particulari, adhuc conseruaretur specificatiuũ potẽtiæ, & causæ, ergo eædẽ remanerẽt:

Prob. 2. Causa, & potentia non respiciunt obiectum, & effectum, quia sit hoc numero, sed quia hac specie, ergo impossibili aliquo effectu, & obiecto numero, eadem remaneret causa, & potentia; consequentia patet, antecedens prob. in tantùm enim potentia, & causa respiciũt obiectum, & effectum quia possunt esse termini suæ tendentiæ, sed non possunt esse termini suæ tendentiæ per hoc quod sit hæc sĩgularia, sed quia sũt talia singularia, ergo ratione taleitatis, & formæ specificatiuæ respiciuntur a causa, & potentia, ergo cũ respiciantur ratione speciei, & rationis specificæ communis, impossibili aliquo in particulari, adhuc eadem remaneret potentia, & causa.

Prob. vltimò. Per hoc quòd multa sint impossibilia, eadem est omnipotentia diuina, ac si essẽt possibilia, ergo etiam si aliquod particulare obiectum, seu effectus esset impossibilis, eadem esset causa, seu potentia; consequentia prob. si enim õnipotentia diuina eadem perseuerat, quia remanet eadem virtus in Creatore, respectu talis speciei .s. creaturarum in specie, sic etiam eadem perseuerare debet potentia, & causa creata, perseuerante in ea virtute circa obiecta, & effecta in specie.

Ob. primò contra primam conclusionem. Potentia, & causa debent habere vnicum obiectum, sed non possũt habere nisi respiciãt omnia sub aliqua ratione communi abstracta, ergo &c.

Resp. data ma. neg. min. possũt enim ea respicere sub aliqua ratione communi, quæ sit à parte rei, & quæ nihil aliud dicat, nisi omnes effectus, & obiecta, quæ possũt respicere, quatenus sunt similia in aliqua ratione communi.

Ob. 2. contra secundam conclusionem. In potentia visiua posse videre albedinem in particulari est aliquid essentiale illi potentiæ, sed hoc essentiale deficeret, si esset impossibilis albedo, ergo impossibili albedine deficeret ĩ potẽtia visiua aliquod prædicatum essentiale, & sic eadem non esset; consequentia prob. quando enim mutatur aliquid essentiale, mutatur essentia, vt patet in homine si deficeret rationalitas.

Resp. distinguẽdo ma. Est aliquid essentiale respectu rationis communis, quæ reperitur in albedine .s. coloris, & con. ma. respectu albedinis in particulari, & nego ma. quare, & si esset impossibilis albedo, quia tamen ratio communis albedinis conseruaretur in alijs indiuiduis, eadem remaneret essentialiter potentia.

Neq. valet, talẽ potentiam non fore ad albedinẽ,
cum supponatur impossibilis. Nã .s. hoc verũ sit, nõ 13
tamẽ ex hoc inducitur, fuisse mutatã essẽtialiter potẽtiã, quãdo fuit facta impossibilis albedo, sed solũ accidẽtaliter, quia remansit in suo specificatiuo .s. ĩ tali modo tendendi circa tale obiectũ specificũ, cũ enim species nõ sit mutata nisi accidẽtaliter, pariter, & potentia tendẽdi in illã, solũ accidẽtaliter debet esse mutata; quare etiã si talis albedo fieret postea possibilis, solũ itidẽ accidẽtaliter mutaretur potẽtia. Hoc autẽ totũ clarè patet in intellectu eleuato ad videndũ Deũ, nã .s. obiectũ diuinũ in particulari, vt est tale, & infinitum, sit illi in puris naturalibus constituto, impossibile visu, quia tamem non est impossibile visu secundum rationem communẽ cognoscibilitatis, quam habet, ideò intellectus nõ dicitur essentialiter mutatus quãdo eleuatur ad illum videndum, quia, & in specie erat cognoscibile, & in illud tendit suo modo tendendi; sic etiam à pari, quia albedo secundùm rationem communem coloris perseuerat visibilis, ea impossibili, solùm accidentaliter mutaretur potentia, sicuti etiam si de nouo fieret possibilis.

Ob. 3. Impossibili omni effectu, causa non dicitur causa, sicuti nec potentia, impossibili omni obiecto. ergo etiam impossibili aliquo effectu, seu obiecto in particulari, eadem non esset causa, & potentia, consequentia patet, in tantùm enim causa non diceretur causa omni effectu impossibili, quia ab effectibus denominatur causa, sed etiam denominatur talis ab effectu i particulari, ergo &c.

Resp. neg consequentiam, & ad probationem dico, in tantùm causam non futuram causam, nec potentiam, potentiam, omni obiecto, & effectu impossibili, in quantùm cessante correlatiuo, & relatiuum debet cessare. At causa, & potentia non dicunt relationem ad effectum, & obiectum quia sit hoc numero, sed quia hoc specie, si enim esset relatiuum vt hoc numero, non vt hoc specie, sequeretur, quodcumq. obiectum, & effectum posse ab illa pendere, quòd est falsum: quare ex hoc patet cur impossibili omni effectu, & obiecto non diceretur ampliùs eadem causa, & potentia, secus verò impossibili solùm aliquo effectu, & obiecto, quia .s. tunc obiectum specificum esset impossibile, in secundo verò casu obiectum in specie esset possibile, licet repugnaret in particulari, & ideò absolutè loquendo, causa, & potentia non dependent ab obiecto, & effectu in particulari, sed in communi, modo tamen supra explicato.

Ob. 4. Materia per vos, vt in primò lib. dicit appetitum ad formas, non vt sic, & secundũ rationem communem, & genericam, benè verò secundum earum indiuiduationem, ergo & hoc est dicendum de causa, & potentia; maximè quia etiam materia respectu formæ, quam recipit, dicitur causa.

Resp. disparatem esse rationem de appetitu, & potentia, seu respectu, quem habet causa, & potentia ad obiectum, & effectum; appetitus enim materiæ est ad formam vt ad sui complementum, quare cum complementum materiæ, possit esse solùm forma secundùm propriam indiuiduationem, non verò omnes formæ simul, quas simul non potest habere, ideo ad omnes simul non potest dicere appetitũ, hoc enim pacto itelleximus, quando ibi diximus, nõ ad illas habere appetitum secundùm rationem genericam, & communem: causa autem, & potentia non complétur, & satiãtur per productionem, & tendentiam in vnum effectum, & obiectum secundùm rationem illorũ indiuidualem; quare non secundùm rationem indiuidualem, benè verò communem, & genericam ab ipsis debent respici.

14 Quæres. An ex eo quia causa, & potentia depẽdeãt ab effectu, & obiecto in specie, ab ipsis specificentur.

Resp. Quamlibet causam, seu potentiam causæ non specificari intrinsece, & à priori à termino, sed à modo tendendi in illum. Est multorum apud P. Arriagam disp. 3. de anima sec. 4. sub. 1. est etiam Guarini disp. 6. exp. 4.

Prob. prima pars. Omnis res debet specificari per aliquid sibi intrinsecum, sed terminus non est intrinsecus nec causæ, nec potentiæ, ergo per terminum non possũt specificari; ma. est certa; mini. prob. nam terminus, vel est possibilis, & sic nihil est in se, & per consequens nec potest specificare, vel est productus, & sic est distinctus à causa, & potentia, ergo extrinsecus.

Prob. 2. Causa, & potẽtia sũt priores saltem natura suo termino, sed in illo priori debẽt esse in aliqua specie, ergo per aliquid aliud, quã per terminum, ergo non specificãtur à termino, sed ab aliquo alio.

Prob. 3. Aliqua potentia potest respicere obiectum alterius potentiæ, vt sensus communis obiecta omnium potentiarum externarum, phantasia obiectum oculi; intellectus obiectum phantasiæ, sed per hoc non variatur, sed remanet eadem potentia, ergo obiecta, seu termini non possunt esse specificatiui potentiarum.

Prob. secunda pars. Tendentia in terminum est quid intrinsecum potentiæ, & causæ, sed potentia, & causa debent specificari per quid intrinsecũ, ergo per diuersam tendentiam in terminum, specificantur causa, & potentia, & ita erit diuersa potentia visiua à sensitiua, quia diuerso modo tendit in obiectum.

Prob. 2. Terminus dicitur, vel substantialis, vel accidentalis, vel vitalis quia producitur à causa, & potentia vel substantialiter, vel accidentaliter, vel vitaliter, ergo ratione modi tendendi in terminũ distinguuntur ipsi termini, ergo multò magis per talem tendentiam distingui debent potentiæ; hæc consequentia prob. cum enim talis tendentia respiciat nedum terminum, sed etiam potentiam, & causam, si respectu illius distinguuntur termini, pariter potentiæ, & causæ debent distingui.

Prob. 3. Sensus communis nulla alia ratione potest distingui à potentijs sensitiuis, nisi quia diuerso modo operatur circa obiecta illarum potentiarum, ergo diuersus modus tendendi in obiectum distinguit potentias, & causas, prob. antecedens, quia habet obiecta aliarum potentiarum.

Ob. Ex diuersitate obiectorum, dicuntur diuersæ potentiæ, ergo termini, & obiecta sunt specificatiua potentiarum. antecedens prob. potentia enim visiua dicitur talis, quia respicit coloratum, auditiua quia sonum, sensitiua quia sensibile, &c. ergo &c. 15

Resp. disting. conseq. ergo termini, & obiecta sunt specificatiua potentiæ, & causæ, intrinsecè, & à priori, & nego consequentiam, extrinsecè, & à posteriori, & conc. conseq. duplex enim datur specificatio, vt optimè aduertunt Põtius disp. prima de Anima quæst. 12. & Ouiedo Cont. 15. de Anima, punc. primo, intrinseca, & à priori, quæ propriè, & formaliter est specificatio, & extrinseca, & à posteriori, quæ materialiter tantùm potest dici specificatio; specificationem formalem, intrinsecam, & à priori in causa, & potentia, dicimus haberi, à modo tendendi, cum enim in vnaquaq. re talis specificatio habeatur à suis prædicatis essentialibus intrinsecis, vt in homine à rationalitate, ideo cum modus tendendi in causa, & in potentia sit prædicatum essentiale ipsis intrinsecum, ab eo desumendam esse talem specificationem asserimus; specificationem autem, extrinsecam

trinsecam cōcedimus desumi posse à terminis, atq; adeo etiam potentiæ, & causæ tales dicuntur, quia circa talia obiecta, & terminos tendunt, sed pri. mò, & essentialiter attendenda est prima specificatio; quare vt aduertunt ijdem D.D. qui supra Pōtius eodē loco n.168.& Ouiedo pūc. 2. concl.5.per diuersum modum tendendi circa eadem obiecta, quem habet, vel potest habere intellectus angelicus, ab humano, dato quòd ex alio capite non specie different, per hoc solùm specificè intrinsecè, & essentialiter diuersificarentur. Quare hęc doctrina maximè aduertēda est, locuti enim sumus de intrinseca, & à priori, non verò de extrinseca, et à posteriori specificatione.

SECTIO III.

Quomodo determinentur causę ad certos effectus in Specie, & Indiuiduo.

16 Cum supradixerimus, causam respicere effectū in communi, seu omnes effectus, quos producere pōtest sub aliqua ratione communi, siue generica, siue specifica, oritur difficultas, cum ad omnes sit indifferens, quare producat aliquando potiùs hunc specie, quàm illum, hunc numero quàm illum numero; quòd cùm non possit prouenire, nisi per aliquam determinationem, hic inquirimus à quo talis determinatio habeatur.

Supp. est autem, omnem causam creatam determinatam esse naturaliter ad aliquod genus effectuum, sola enim causa increata est vniuersalis in ordine ad omnes effectus possibiles. hoc patet in causa materiali, nullum enim subiectum potest recipere quodcumq. genus formæ, sed materia prima est apta recipere omnes formas substantiales, & accidentia materialia, subiectum spirituale, accidentia spiritualia, & sic de cæteris causis, quæ omnes sūt determinatæ naturaliter ad aliquod genus effectuum, vt cōsideranti patet; sunt autem indeterminatæ quoad speciem, nam idem finis v. g. potest mouere ad operationes specie diuersas, idem subiectum potest recipere successiuè formas specificè diuersas, eadem causa efficiens, & agens si non sit vniuocum, sed æquiuocum, nedum diuersos, sed oppositos effectus producere potest, vt patet in Sole, lutum indurante, & ceram liquefaciente, in saccharo dulcedinem causante, in absynthio amaritudinem, &c. difficultas ergo est, cum causa sit indeterminata ad effectus in specie, à quo determinetur ab tales effectus producendos, & deinde etiam, à quo determinetur ad producendos singulos effectus in indiuiduo eiusde speciei.

Prima Conclusio. Omnes causæ naturales, & necessariæ in quocumq. genere, indifferentes ad plures species effectuum, determinantur ad certos effectus in specie, ex varijs causis secum concurrētibus, & conditionibus occurrentibus. Est Auersæ quæst. 16. de causis sec. 2. Mastrij disp. 8. de causis quæst. 2, art.3. quam testatur accepisse à Scoto in primo dist. 3. quæst. 7.

Prob. Positis aliquibus conditionibus, & aliqua causa concurrente, non potest nisi talis effectus in specie produci ab aliqua causa, ergo talis causa determinatur à concursu alterius concausæ, & aliquarum conditionum & dispositionum: antecedens prob. nam posita approximatione v.g. & concurrente causa materiali sub forma lignea, ignis non potest nisi ignem producere, positis diuersis dispositionibus in materia ceræ, & luti, diuersi specie effectus produeuntur à sole, &c. ergo diuersitas specifica effectuum prouenit à concursu alicuius concausæ, & dispositionum determinante causam principalem alias indifferentem.

Conf. causa alioquin indifferens ad diuersos effectus specificos, positis necessariò requisitis, ad talem effectum in specie, non est amplius indifferens, sed determinata, non secus àc causa vniuoca, ad illum effectum, ergo dicendum est, determinatam fuisse à concursu concausæ, & dispositionum; Quare in hoc sensu intelligendum est axioma Aristotelicum 2. de Generatione *idem manens idem, semper facere idem* .s. causas naturales eodem modo se habentes, cum eisdem cōcausis, & conditionibus, semper determinatas esse, ad eumdem speciē effectum produceudum.

Secunda Conclusio. Causa libera determinat se ipsam ex sua libertate ad effectus in specie, v.g. ad Amorem, vel odium, ad volendum, vel nolēdum. Est ferè communis cum Mastrio loco supracitato, Auersa, Amico &c. & colligitur etiam ex Aristotele 9. metaphysicæ textu 10. ubi ait, Potentiam rationalem posse esse principium effectuū contrariorum, irrationalem verò vnius tantùm. 17

Prob. Causa libera ideò est libera, quia potest se determinare ad suos effectus, sed non potest se determinare ad illos in indiuiduo, vt infrà patebit ergo debet se posse determinare ad illos in specie.

Tertia Conclusio. Quælibet causa, tum naturalis, tum libera, determinatur ad producendum effectum in indiuiduo à causa prima. Ita ferè ōnes, tam Theologi, quā Philosophi, quorū multos citat Comptonus disp. 31. physicæ Sectione prima, Serbellonus disp. 2. in Phy. quæ. 4 art 4. Arriaga disp. 5. metaph. sec. 3. sub. 9. Ouiedo Cont. 10. punc. 2. Spinula disp. 5. sec. 5. numero. 86. est tamen contra aliquos præcipuè Vasquez tom. 1 in 3. part. disp. 74. cap. 5. asserentes, indiuiduationē effectus prouenire à circumstantijs, & conditionibus indiuiduantibus, temporis .s. loci, dispositionum &c.

Prob. primò de causis naturalibus. Quòd aliqua causa producat hunc numero effectum, potiùs quàm alium, v. g. quòd ignis A producat potius ignem B, quàm ignem C non potest prouenire, neq. à loco, neq. à tempore, neq. à subiecto, neq. à forma, neq. ab Agente, ergo cum causa secunda non possit assignari, recurrendum est ad causam increatam, & primā; antecedens probatur, locus enim non potest esse causa huius effectus in indiuiduo, quia in eodem loco potuisset

set producta ab eodem, uel diuerso Agente diuersus effectus numero; non tempus, quia est extrinsecum effectui, nec in illum influit. sicuti neq. etiam locus, quare si per diuinam omnipotentiam duo Agentia eodem tempore, & in eodem loco agerent, non tamen vnu in solum numero effectum producerent. nō subiectum. quia est indifferens ad recipiendum hanc, vel illam formam numero, sicuti etiam agens ad illam producendam; non demq. forma, quia est id, quod producitur, & ad quā producēdam supponitur agens determinatum, ergo dicendum est indiuiduationem effectus prouenire à causa prima.

Neq. dicas, determinati causam ad hunc numero effectum ab ijs omnibus, non distributiuè, sed collectiuè sumptis.

Resp. enim. Quòd si hęc omnia distributiuè sunt indifferentia, & indigent aliquo determinâte, collectiuè sumpta etiam indigent determinatione & per hoc non possunt ipsa determinare.

Prob. 2. Si indiuiduatio effectus penderet à loco, & tempore, sequeretur, si Deus uno instanti priùs mundum produxisset, si Christus in aliquo alio loco, & tempore natus fuisset, eumdem Christum numero, eumdem mundū numero non fuisse, sed hoc est falsum, ergo & antecedens, ergo, &c.

Prob. 3. contra eos qui asserunt à dispositionibus prouenire determinationē causæ ad indiuiduatio nem effectus; Tum quia non est assignabilis ratio, cur potiùs hæ dispositiones numero, quàm aliæ numero producantur, tum quia ad aliquos effectus non requiruntur dispositiones, vt ad uidendum in oculo; tum denique quia, eædem dispositiones numero possunt deseruire diuersæ formæ numero, ut patet in siccitate, quæ disponit materiam ad hanc, uel illam numero formam igneam, & etiam ad formam carbonis, ergo dicendum est, à dispositionibus, non determinari causam ad producendum effectum in particulari, seu in indiuiduo.

18 Neq. dicas, non esse dignū philosopho recurrere ad causam primam, cum causa naturalis habetur.

Resp. enim, hoc non intendere, s. non adesse causam naturalem talis determinationis, quare non est inconueniens ad causam primam recurrere, hoc enim esset, si aliqua causa naturalis reperiretur.

Prob. 4. de causa libera. Voluntas, licet sit libera ad operandum, & non operandum, ad attingendum vnum, uel aliud obiectum, tamen non habet sub electione, & deliberatione sua hoc facere, per hunc numero, & singularem actum, ergo ad talem numero, & singularem actum debet determinari à Deo: antecedens patet, tum quia non cognoscitur ab intellectu distinctio inter vnum, & alium numero actum, ergo non est à voluntate, hūc magis, quàm alium ponere; tum quia hic numero actus, qui fit hodie à voluntate, potuisset fieri heri, ergo supposita determinatione voluntatis ad speciem actus, quòd fuerit factus hodie hic numero & in indiuiduo, causæ primæ determinanti est adscribendum.

Ob. contra hanc Conclusionem. Si Deus determinaret causam liberam ad effectum, seu actum in particulari, voluntas non esset libera, item Deus concurreret ad peccatum, sed hæc non sunt dicenda, ergo &c. mai. patet, non enim esset libera ad producendum potiùs hunc numero, quàm alium numero actum, cum Deus illam ad hunc numero determinaret, & cum hic numero actus potuerit esse peccatum, Deus determinaret ad peccatum.

Resp. pro nunc, (non enim est istius loci hoc diffusiùs agitare) ex tali determinatione ad eff. ctū in indiuiduo non lædi libertatem, quia in volu itate solùm datur libertas specificationis, quæ est ad oppositos actus, & exercitij, quæ est ad actum, & ad suspensionem actus, non autem ad determinationem actus in indiuiduo, talis enim determinatio, non est peculiaris perfectio libertatis. nam supposita determinatione voluntatis ad actum in specie, licèt fiat per hunc, vel aliū numero, erit eiusdem rationis, sicuti si quia determinatus ad dandum in Eleemosynam vnum aureum, daret alterum eiusdem rationis, haberet idem meritum. Quare quādo Deus determinat voluntatem ad hunc actum in indiuiduo, non lædit ipsius libertatem, quia remanet indifferens ad exercitium, & ex se ipsa se potest determinare quoad specificationem, quòd sufficit ad saluandam libertatem, sicuti si quis determinatus ad occidendum inimicum, determinaretur ad illum occidendū potiùs ense, quàm gladio, non diceretur cogi ad talem occisionem, licèt determinaretur ad instrumentum mortis, quia iam se determinauerat ad occisionem in specie, & adhuc poterat suspendere occisionem simpliciter, nullum ex his instrumentis adhibendo. Neq. ex hoc sequitur, Deum concurrere ad peccatum, quia quando concurrit ad actum peccaminosum, concurrit solum, & determinat ad entitatem actus, non autem ad malitiam, quæ, cùm proueniat ex non rectitudine actus ad regulas rationis, hæc illi tribuitur à voluntate, & ideò ipsa dicitur peccare. Sed de his diffusiùs suo loco in Theologia.

Ob 2. Voluntas se determinat ad actus in specie, ergo poterit se determinare etiam actus in indiuiduo, consequentia prob. quia nulla apparet implicantia. 19

Resp. neg. consequ., & ad probationem dico, esse implicantiam, quia hoc pacto voluntas esset omninò independens à Deo, quare cum possit esse independens respectu determinationis quoad speciem actus ratione suæ libertatis, oportet omnino esse dependentem ratione indiuiduationis eiusdem actus.

Quæres, An naturaliter à causis possit reproduci idem numero effectus.

Resp. Aliquam causam naturaliter posse reproducere eumdem numero effectum, de facto tamen numquam reproducere. Est Scoti in 4 distinctione 43. quæst. 3. & aliorum apud P. Morandum, quos ipse sequitur tractatu 5. de causis quæstione 7. & nouissimè Serbelloni disp. 2. in Phy. quæ 2 art. 10. deffenditur etiam aliquo pacto à Spinula disp. 6. in lib. Phy. sect. 6. ferè contra communem. Ratio autem est, quia nulla est implicantia ab intrinseco respectu causæ, quę cum potuerit talem effectum semel producere, posset de nouo reproducere, si ad illum à causa prima determinaretur, sicuti iam fuit deter-

determinata. Non autem de facto reproducit, quia est implicantia ab extrinseco respectu eiusdẽ causæ primæ, quatenus decreuit concurrere nisi semel ad eumdem numero effectum, vt continuetur varietas indiuiduorum in vniuerso, quare ideò resurrectio mortuorum est miraculosa, quia est præter ordinem naturæ.

10 Col. etiam omnes effectus in particulari, qui possunt prouenire à diuersa causa, determinari ad produci ab hac, vel ab illa, à Deo causa prima, & increata: ratio est, quia si causa determinatur à Deo ad hunc numero effectum, tantò magis, & hic numero effectus debet determinari ad produci ab hac numero causa, cum naturaliter possit produci ab hac, vel ab illa. Quare patet responsio, cur potiùs hæc materia informetur ab hac forma, quàm ab alia, quia .s. illam Deus determinauit ad informari ab hac forma. Loquor autem de effectibus dependentibus à causis extrinsecis, nam illi qui dependent à suis causis intrinsecis, tanquam à partibus à quibus componuntur, ita sunt determinati ad certas causas, vt ad alias consimiles non possint determinari, hoc patet in composito, cum enim illius vnitas, & singularitas proueniat à suis causis intrinsecis, quæ tanquam partes illud constituunt, si variarentur tales causæ, variaretur etiã ipsum, quare in resurrectione mortuorum asserunt Sancti Patres, & Theologi, eamdem animam vnituram eidem materiæ, & corpori modo quo explicauimus in disp. de materia, & forma.

SECTIO V.

An duæ causæ totales possint producere eumdem numero effectum.

31 NOt. primò. Nos hic non sumere causam totalem in actu primò, pro causa .s. quæ ex se habet virtutem totum aliquem effectum producendi, producit tamen in actu secundo simul cum alia causa hoc enim pacto sumpta causa totali, nulla est difficultas, quòd possit concurrere talis causa totalis cum alia ad vnum effectum producendum; sed in tali concursu non deberet dici propriè totalis, quia licet haberet virtutem totum effectum producendi, non tamen produceret; sumimus ergo causam totalem in actu secundo, quærentes .s. an duæ causæ totales, exercentes actualiter totalem suam virtutem possint producere eumdem effectum numero, & in indiuiduo.

Not 2. Quæstionem non esse de causis totalibus concurrentibus successiuè, seu in diuerso genere, hoc enim pacto, plures totales possunt esse eiusdẽ numero effectus, sic v. g. in productione eiusdem numero ignis, materia est causa materialis totalis, forma totalis formalis, Agens naturale, totalis efficiens &c. sic etiam causa creata, & increata quia sunt in diuerso genere possunt esse causæ totales eiusdem numero effectus.

Not. 3. Neq. hic quærere de causis intrinsecis materiali, & formali, apud omnes enim certum est, non posse eumdem effectum numero pendere à duabus totalibus eiusdem rationis, cum enim causæ intrinsecæ sint partes, variatis partibus, variaretur etiam totum, ideò nullo pacto potest dari compositum per se vnum ex pluribus materiis aut pluribus formis, non subordinatis, ex his enim potiùs fieret vnũ aggregatum per accidens: quare tota difficultas se tenet ex parte causarum extrinsecarum, & quia de finali erit diffusiùs agendum in Theologia, ideò præsertim quæstio est de causis efficientibus in eodem genere, & sensus quæstionis est vtrum v. g. duo ignes sufficientes ex se producere ignem, possint, concurrendo tota sua virtute, producere eumdem numero ignem.

Prima Conclusio. Idem numero effectus, neq. naturaliter, neq. supernaturaliter, potest esse à duabus causis totalibus eiusdem ordinis, & totaliter cõcurrẽtib⁹. Ita D. Thom. in prima par quæ. 52. ar. 3. & alibi, Scotus in primò distinct. 2. quæst. 3. & aliis in locis, vt videre est apud Morandum huius sententiæ sequacem in secundo Physic. trac. 7. quæ. 2. Guarinum disp. 6. in Phy. exp. 8. Mastrium disp. 8. Physicæ quæstione 3. Art. 2. vbi innumeros authores huius sententiæ sequaces copiosè refferũr. Est tamen contra aliquos antiquos, & nouissimè contra Spinulam, & Serbellonum asserentes etiam naturaliter duas causas totales producere posse eumdem numero effectum. 22

Prob. primò. Implicat quòd idem effectus per se & essentialiter pendeat ab aliqua causa, & quòd per se, & essentialiter non pendeat, sed hoc esset si idem effectus numero posset produci totaliter à duplici causa totali, ergo neq. naturaliter, neque supernaturaliter, &c. maior patet ex natura contradictionis, min. prob. penderet vt supponitur, esset enim ab ipsa, non penderet verò quia illud pendet ab alio, quod non potest esse sine illo, sed talis effectus posset esse absq. vna ex causis totalibus, ergo ab illa non penderet, & sic penderet, & non penderet, quòd implicat fieri etiam ab omnipotentia diuina ratione contradictionis.

Neq. dicas, nullum effectum essentialiter pendere à causa secunda, sed solùm à prima increata.

Resp. enim, quòd, licet hoc verum sit simpliciter, neganda tamen non est essentialis pendentia saltem secundum quid à causis secundis saltem in instanti quo producuntur effectus, immò actus vitales ita essentialiter pendẽt à suis causis, vt secundùm omnes à Deo solo produci nequeant, ex quo deducitur aliquos effectus essentialiter pendere à causis secundis in genere causæ efficientis.

Prob. 2. Effectus non potest essentialiter habere nisi vnicum esse totale, sed hoc habet per actionem totalem vnius causæ totalis, ergo nequit illud recipere ab alia causa totali, min. prob. actio enim totalis producit totalem effectum, de ratione enim causæ totalis est quod exhauriat, & expleat totam effectus exigentiam.

Prob. 3. Non potest vnica eadem res in eodem instanti bis produci, ergo neq. pendere à duplici

causa

causa totali, consequentia patet, si enim esset à duplici causa totali, tam ab vna, quam ab alia in eodē instāti produceretur, ergo bis: maior pt. quia productio, si est totalis, tribuit totum esse producto quod potest habere, ergo si ab vna productione habet totum esse, quod potest habere, bis non potest in eodem instanti produci.

Prob. 4. Aliis rationibus suprà allatis cum de impossibilitate duplicis formæ substantialis totalis in eadem materia ageremus.

23 Ob. 1. Si plures Sacerdotes eodem tempore proferrent formam consecrationis super eamdem materiam, essent omnes causæ totales adequatæ transubstantiationis, ergo &c.

Resp. neg. antec. Nam cum Sacerdotes sint causæ morales, & instrumentales, non habent diversum influxum totalem, sed simul agunt in virtute causæ principalis, quare non ualet hoc arguere in causis physicis totalibus.

Ob. 2. Applicatis duobus agentibus naturalibus alicui subiecto in eodem instanti, vel ambo totaliter agent, uel non; si primum, ergo duæ causæ &c. si secundum, hoc non potest esse, quia si sunt agentia necessaria positis omnibus dispositionibus necessariò debent agere, nec esset assignabilis ratio, cur potiùs vnum ageret, & non aliud, cum ambo essent in eadem perfectione.

Resp. Tàm vnam, quàm aliam causam ex se acturas totaliter, cum enim non sit in sua dispositione agere, ita neq est modus agendi, s. vel totaliter, vel partialiter, ratione tamen capacitatis, vel incapacitatis subiecti agerent, vel totaliter, vel partialiter, s. vel applicarent totam suam virtutem, vel partem: quòd si subiectum, circa quod deberent agere duæ causæ totales esset substantia, & incapax per consequens intensionis, in tali casu ex defectu, & incapacitate subiecti postquam hæ duæ causæ produxissent totam virtutem cuius esset capax subiectum, sisterent, non ex propria imperfectione, sed ex incapacitate subiecti, quia s. ratione incapacitatis subiecti suspenderetur concursus Dei ad exercendam reliquam virtutem, quam habent, & sic se haberent, non vt causæ totales, sed partiales respectu illius subiecti, si verò subiectum esset capax intensionis, tunc producerent ambæ totam suam virtutem, sed non producerent eumdem effectum numero, ac produxissent seorsim, sed duplicem ratione intensionis.

Ob. 3. Potest idem corpus de potentia absoluta esse in duplici loco adæquatè, ergo & idem effectus esse à duplici causa totali, & adæqoata.

Resp. Disparitatem esse, quia corpus non pendet à loco tamquam à causa, sed tamquam ab aliquo extrinseco accidentali, quæ accidentia possunt multiplicari saltem diuinitus, at effectùs pendet à causa essentialiter secundum suum esse, quare cum totum suum esse ab vna recipiat, & secundùm illud ab eadem pendeat, non potest idem esse ab alia totali recipere, & secundum illud ab alia pendere.

Ob. 4. Possunt duæ causæ partiales eumdem numero effectum, per duplicem actionem producere, v. g. duo homines trahere eumdem lapidem, duo lumina eamdem aulam illuminare, ergo hoc poterunt præstare, saltem diuinitùs, duæ causæ totales; consequentia pr. quia tota difficultas est respectu diuersitatis actionum.

Resp. dato antecedenti, nego cons., & ad probationem dico. Eatenùs per duplicem actionem totalem, non posse produci vnum solum effectum, quatenus de ratione actionis totalis, est totaliter producere effectum secundum totum esse, quod 22
potest à causa recipere, quare cum per vnam actionem totalem, totum receperit, ampliùs nō potest recipere, hoc autem non præstatur ab actione partiali, qua solùm pars illius esse, quod habet effectus, in illo producitur quare licèt in vnico instanti producatur talis effectus, bis tamen dicitur produci quoad partes, non quoad totum, scil. vna pars producitur ab vna causa, alia ab alia, per duplicem actionem partialem.

Ob. 5. ex Spinula disp. 5. sect. 6., Si duo ignes 24
supernaturaliter compenetrati æqualiter applicarentur eidem subiecto, vnusquisq. vtpotè causa necessaria, & determinata ad agendum, habens omnia requisita necessaria ad operandum, necessariò operaretur, ergo vnusquisq totaliter produceret vnam formam ignis totalem, consequentia patet, forma enim ignis non habet partes, ita vt secundū vnam partem possit produci ab vno igne, secundū aliam verò ab alio, neq. etiam duæ formæ totales producerentur propter incapacitatem subiecti, prob. antecedens; non enim est assignabilis ratio, cur vnus ignis ex consortio alterius ignis impediretur à totali sua operatione, & productione effectus totalis, si enim unus ignis impediret alium ab operatione, uel hoc faceret per propriam entitatem, uel per propriam actionem, sed nullo modo potest facere, ergo &c. non per entitatem, nullam enim oppositionem habet entitas unius ignis, cum entitate alterius, cum sint eiusdem speciei, & in casu nostro etiam compenetratæ; non per actionem, cum enim ambæ actiones essent in eodem instanti, & eodem modo applicatæ, non est assignabilis, quænam esset prior impediens aliam, neq. est 25
dicendum unam cessare ad positionem alterius, cum sint actiones necessariæ, &

Conf. Si Deus applicaret de potentia absoluta aliquod lignum Genuæ, & Romæ, taliq. ligno Genuæ applicaretur ignis A, Romæ uerò ignis B, certò uterq. ignis suo peculiari influxu, nesciens de alio igne, ageret in illo ligno, introduceretq. formam igneam, ergo in tali casu totaliter concurrerent ad eamdem numero formā duo ignes totales, neq. enim est dicendum, ab uno igne partem formæ, ab alio uerò aliam partem produci, forma enim ignis est indiuisibilis, ita ut si ab uno igne, & ab una causa attingitur, tota debet attingi.

Resp. dist. antec. Si duo ignes, &c. uterq necessariò operaretur totaliter, & nego antecedens, partialiter, & conc. antec., ad cuius prob. dico, quòd per operationem unius ignis impediretur, non operatio simpliciter alterius ignis, sed totalitas operationis, licèt enim una operatio non esset prior altera, sed ambæ in eodem instanti, attamen ex coniunctione ipsarum eueniret, ut neutra esset totalis respectu eiusdem effectus, cum quælibet concurre-

rent

ret, operatio enim totalis est illa, per quam so-lam effectus totalis habetur: Quare ad Conf. Res. duos illos ignes Genuensem, & Romanum pro-ducturos eandem numero formam in ligno diui-nitus replicato Genuæ, & Romæ, licèt per actio-nem distinctam respectu ipsorum agentium, indi-stinctam tamen respectu passi, .f. & formæ, & ef-fectus producti nam, licèt forma ignis sit indiuisi-bilis, non implicat tamen attingi totam à duplici operatione, distincta respectu agentium, vt patet in eadem forma ignis producta à duabus causis partialibus concurrentibus actione distincta; cu-ius rei ratio est, quia licèt verum sit, effectū indiui-sibilem non posse attingi, nisi per actionem indiui-sibilem, cum enim talis actionis, effectus debeat esse passum, & subiectum, vtpotè indiuisibilis, a-ctionem diuisibilem non potest recipere, recipiens enim debet commensurari recepto; attamen sufficit, quòd talis operatio sit indiuisibilis, quo-ad extensionem, vel quoad productionem, non quoad intensionem, non enī negari potest, in pun-cto indiuisibili quantitatiuo, non posse in instanti indiuisibili temporis, calorem intensum vt duo, introduci; quare dico quòd in casu assignato, duo illi ignes quantùm ad se, produceret vnusquisque formam ignis, atque concurrerent ambo ad pro-ducendā formam in ligno replicato, & ideo ratio-ne concursus, nemo totam formam produceret, sed ambo partialiter ad talem productionem cō-currerent, ex eo quia ratione concursus, operatio vnius ignis, non esset ita intensa producta ab alio igne, ac fuisset, si per ipsam solam ignis debuisset, produci, vtpotè enim adiuta ab operatione alte-rius ignis, per illam intenderetur, atq. adeo, li-cet quoad intēsionem diuisibilis, quia tamen, & in eodem instanti indiuisibili temporis, & quoad extensionem indiuisibilis esset, ideo forma ignis la indiuisibilem posset attingere; Quod si.

Instes, & quis dicet vni igni, quòd concurrit si-mul cum illo alius ignis ad producendam formam ignis in eodem ligno, atq. adeo, non esse necesse, ipsum agere operatione intensissima, qualis fuis-set necessaria, si alius ignis non concurrisset, sed sufficere si minus intensa? cum enim qualibet ex his operationibus esset in instanti indiuisibili suo ordinario, & necessario modo deberet esse, atque adeo cum omni intensiour, quam posset habere, neq. enim est dicendum, vnum ignem postquam produxit, vt ita dicam vnum gradum operatio-nis, sistere, & non producere alios gradus, vtpotè non necessarios, facta intensiori tali operatione per applicationem, & concursum operationis pro ducta ab alio igne concurrente ad eumdē effectū.

Res. Quòd .I. in instanti indiuisibili uterq. ex illis ignibus applicatis eidem subiecto, produceret eamdem numero formā, attamen qui libet ex illis ad illam concurreret, per operationem remissio-rem, ac si seo sim concurrisset, & hoc necessariò, & naturaliter absq. aduertentia alicuius: hoc au-tem proueniret ob defectum capacitatis ex parte passi, & effectus, cum enim propter determina-tam naturam talis effectus, & propter implican-tias in probationibus allatas, sit incapax maioris influxus, ideo ex suppositione, quòd uterq. ignis eidem subiecto ad eumdem producendum effe-ctum applicaretur, ex tali applicatione, necessa-riò & naturaliter cum operatione minùs intensa uterq. deberet concurrere, ita quòd ex utraque operatione utriusq. ignis, solùm resultaret opera-tio taliter intensa, ac si producta fuisset ab uno solo igne si alter non concurrisset, cùm solum tanti influxus sit capax effectus; sicuti si unus ignis applicaretur adamāti calido, ut septem, tunc ignis non produceret in ipso formam ignis, sed quare? aduertit ne ignis, tale subiectum esse adamātem, atq adeo incapacem formæ ignis? nequaquam, nulla enim est aduertentia in igne, at quia tale su-biectum est incapax recipiendi talem formam ignis, naturaliter, & necessariò non produceret formam. Et his Responsionibus. Res. etiam ra-tioni adductæ à Serb. in probatione secundæ par. conclusionis. Nam .I. causæ sint necessariò, & na-turaliter determinatæ ad operandum, ut ipse di-cit, attamen ex applicatione, quæ illis fieret eidē subiecto ad eumdem effectum producēdum, pro-pter incapacitatem in effectu recipiendi inten-siorem influxum, necessariò, & naturaliter quæli-bet ex his causis remissiori concurreret influxu, si-cuti, si duobus hominibus sufficientibus ad tra-hendum aliquod pondus, ipsis insciis, applicare-tur à Deo virtus alicuius Angeli concurrentis par tialiter, ipsi homines non dicerentur concurrere totaliter, neq. tota virtute concurrerent, ac si so li fuissent, eodem ergo modo est philosophandum data proportione de duabus causis totalibus.

Ob. ex Serb. dist. 2. quæst. 2. art. 8 de Causis. Dependere effectus à causa, est dependere à volun-tate diuina, ergo potest eadem diuina voluntas constituere effectum dependentem à duplici cau-sa totali, conseq. prob. quia effectum dependere à causa duo dicit, & contineri in virtute causæ, & applicari causam ad operandum, sed effectus con-tinetur in uirtute plurium causarum, & potest à Deo applicari quælibet causa ad operandū, ergo &c. hæc min. quoad secundam par. prob. ex eo, quia neque implicat ex parte actionum, utpotè enim accidentia possunt esse in eodem subiecto, neq. implicat in parte causæ, ipsas enim Deus po-test applicare ad operandum, neq. implicat ex parte termini, quia si per uoluntatem diuinam constituitur effectus dependens ab una causa to-tali, cur non à duplici? ergo &c.

Res. neg. conf. ex implicantia, quæ tota se tenet ex parte termini, & effectus, cum enim effectus talis numero, sit solùm capax, ut producatur per tantum influxum, & non intensiorem, ideo utraq. causa, non potest concurrere toto influxu, quo cō-currisset, si non fuisset concursus alterius, .I. enim quilibet effectus dependeat à uoluntate diuina attamen remanendo talis numero, nequit produ-ci, nisi tanto influxu, quanto est capax.

Collig. Omnes allatas rationes posse probare de quacumq. causa, præcipuè tamen de finali, suo enim modo, neq. idē effectus potest esse à duplici causa finali totali seu ultimata. Sed de hac infe-lius cum de actibus humanis.

DISPVTATIO TERTIA

In eumdem secundum Librum Physicorum Aristotelis, De causis intrinsecis corporis naturalis.

QVatuor diximus esse genera causarum, & de omnibus in communi egimus in præcedenti disput. modò de ipsis in particulari est agendum, in præsenti ergo disput. quæ spectant ad causas intrinsecas, materialem, & formalem inquiremus, de cœteris in alia disput. visuri, sit ergo.

SECTIO PRIMA.

In quo consistat ratio causæ materialis, & formalis, & qui sint earum effectus.

1 LIcet causa materialis corporis naturalis sit solùm materia prima, quia tamē in ratione causæ materialis alia conueniunt, quæ se habent per modum subiecti respectu cuiuscūq. formæ, vt Anima respectu suarum potentiarum, Angeli respectu suarum operationum, elementa respectu mixtorum, ideò de quacumq. causa materiali hìc inquiremus, quando specialis distinctio non fiet de causa materiali corporis naturalis.

Prima Conclusio. Causa materialis est illa *ex qua fit al quid cum insit*. Ita Aristoteles secūdò Physicorum textu 28. & communiter.

Explicatur Conclusio. Dicitur *ex qua* .s. tamquam ex subiecto vt excludantur omnes aliæ causæ, ex quibus proprie non fit aliquid, dicitur *cum insit* ad excludendum terminum à quo, qui non inest, licet ex ipso aliquo pacto fiat aliquid; *ly* autem *fit* non intelligendum est rigorosè, ita vt solùm intelligatur causalitas in fieri, sed idem valet ac *causatur*, *& pendet* explicando .s. etiam causalitatem in facto esse.

2 Secunda Conclusio. Causa formalis definitur ab Aristotele ibidem, quòd sit *ratio ipsius quod quid erat esse*, seu vt explicant Doctores *ratio quidditatis rei*, *seu talitatis rei*.

Conclusio non indiget explicatione, cum ex dictis de forma sit satis clara; solùm aduertendum est, quòd sub tali definitione, vt diximus de causa materiali, non solùm includuntur formæ substantiales, sed & accidentales, tum quæcumq. alia res denominans aliquod subiectum, vt visio denominans parietem visum, tum differentia respectu speciei, quam constituit, tum deniq. quidquid aliud est causa talis esse alterius.

Tertia Conclusio. Quælibet forma etiam Anima rationalis est effectus causæ materialis. Ita fere communiter.

Prob. Conclusio. Ille dicitur effectus alicuius causæ, qui ab illa pendet, sed quælibet forma pendet à materia, ergo quælibet forma est effectus materiæ; min. patet de omnibus formis materialibus, quæ nequeunt esse sine materia, ergo quia ab ipsa pendent in substentari; prob. autem de anima rationali, anima rationalis quoad informationem pēdet à materia, sed pendentia importat rationem effectus, ergo respectu informationis, est effectus causæ materialis.

Prob. 2. Vbicumq. intercedit influxus, ibi est causa, & effectus, sed inter materiā, & quamcūq. formam intercedit influxus, ergo materia erit causa, forma effectus. ma. patet ex definitione causæ, min. prob. cum enim influxus sit pendentia & in forma sit talis pendentia à materia, ideo inter ipsam, & materiam erit influxus.

Quarta Conclusio. Nec generatio passiua, nec vnio sunt effectus causæ materialis. Ita Auersa quæstione 12. de causa materiali, Sectione 2. Mastrius, & alij. 3

Prob. Tam generatio passiua, quàm vnio ex dicendis, sunt causalitates ipsius causæ, sed causalitates non sunt effectus, ergo neq. generatio, neq. Vnio sunt effectus causæ materialis, sicuti neq. eadem ratione causæ formalis.

Quinta Conclusio. Materia, non secundùm suam entitatem, sed quatenus affecta, & informata forma, est effectus ipsiusmet formæ. Ita cōmuniter Mastrius, Auersa &c.

Prob. materia secundùm tale esse pendet à forma, sed ex dictis, quod pendet ab alio est effectus illius, ergo materia secundùm tale esse est effectus

formæ.

formæ, neq. valet, talem effectum non fore distinctum à causa, taleitas enim materiæ est ipsamet forma cum informet materiam per sui ipsius exhibitionem, & informationem.

Resp. enim, Fore distinctum tamquam abstractum à concreto, quatenus .s. ipsa materia talis, non est simpliciter taleitas, sed habens taleitatem, sicuti album distinguitur ab albedine, quia albedo abstractè sumpta se habet, vt causa formalis subiecti albi, album verò concretè, se habet vt effectus talis causæ formalis. In hac autem causalitate formali sufficit hæc assignata distinctio inter causam, & effectum.

Sexta Conclusio. Expulsio formæ antecedentis est effectus formalis formę subsequentis iam introductæ. Est ferè communis cum D. Thom. in 1. 2. quæst. 85. ar. 1. ad 4. & quæst. 28. de Veri. art. 1. ad 7. & art. 2. ad 9. Scoto in 4. dis. 1. quęst. 5. et alijs, vt apud Auersam loco supracitato, Compton. disp 22. physicæ sect. 3. Mastrium, & alios contra tamen aliquos, asserentes formam antecedentem expelli à forma subsequenti, non in genere causæ formalis, sed efficientis.

Prob. 1. Forma de nouo introducta expellit aliam, non in illa aliquid producendo, sed informando materiam, at talis est causalitas formalis, nō efficiens, ergo expulsio formæ antecedentis est effectus formæ, vt causæ formalis, non efficientis.

Prob. 2. Vera est hæc causalis, ideò corrumpitur forma antecedens, quia introducitur noua forma, non è contra, ideo introducitur noua forma quia corrumpitur antecedens, ergo expulsio antecedentis formæ est effectus nouæ formæ in genere causæ formalis, consequentia pr. quia noua forma non est ea, quæ corrumpit formam antecedentem, sed Agens introducens nouam formam, ergo &c.

Ob. 1. contra hanc Conclusionem. Expulsio formæ antecedentis est dispositio ad nouam formam, ergo prius est expulsio talis formæ, quàm introductio nouæ formæ, ergo expulsio non potest esse effectus nouæ formæ, conseq. prob. quia effectus non potest esse prior sua causa.

Resp. neg. antecedens. Non enim est dispositio, sed effectus formalis nouæ formæ, vera est enim hæc causalis iam supra allata, ideò corrumpitur forma antecedens, quia introducitur noua, ergo corruptio consequitur introductionem nouæ formæ; licèt enim antecedenter ad introductionem nouæ formæ, forma antecedens expellatur, tamen talis expulsio, vtpotè dependens ab introductione nouæ formæ, per talem dependentiam dicitur illa posterior, & illius effectus formalis, dependentia enim est sufficiens ad constituendam prioritatem, & posterioritatem respectu causæ formalis, & eiusdem effectus.

Instabis. Forma antecedens est impedimentum introductionis nouę formæ, sed priùs auferendū est impedimentum, quàm introducatur forma, ergo priùs debet esse expulsio formæ antecedentis, quàm introductio nouæ.

Resp. Impedimenta esse in duplici differentia, alia, quæ quasi priuatiuè, & prioritate temporis sunt auferenda, vt v. g. ad hoc vt Sol illuminet aliquam aulam, priùs aperiendæ sunt fenestræ, vt quis constrictus catenis possit ambulare, frangendæ sunt priùs catenæ; alia autem impedimenta auferuntur per positionem alterius, & eorum ablatio consequitur, ut illius effectus ad talem positionem, v. g. aperitio fenestræ consequitur ad ingressum venti illam impellentia, talisq. impedimenti ablatio est effectus illius, sic est in casu nostro, impedimentum formæ antecedentis tollitur à noua forma, & sic illius expulsio est effectus formæ in genere causæ formalis, quatenus scilicet informando materiam incapacem, vel duplicis, vel contrarię formæ, tollitur antecedens.

Ob. 2. Causa formalis, vt talis, habet solùm informare, sed expulsio formę antecedentis, non est informatio, ergo talis expulsio prouenit ab ipsa, non vt à causa formali, sed vt à causa efficiente, consequentia prob. quia expulsio idem est ac destructio, sed causa efficiens, sicuti habet efficere, ita habet destruere, ergo &c. 4

Resp. distinguendo mai. Habet solùm informare, ita vt hic sit illius primarius, & principalis effectus, & conc. mai. ita vt non habeat alios effectus secundarios, & negatiuos, & nego mai. expulsio ergo antecedentis formæ, vt supra diximus est illius effectus negatiuus, & secundarius, quem vtiq. habere potest. Immò retorqueo argumentū, ex te expulsio idem est ac destructio, sed causa efficiens, vt efficiens non dicitur destruere, sed aliquid producere, ergo destructio, & expulsio, cum non tendant ad aliquid positiuum, non poterunt esse effectus formæ in genere causæ efficientis. Neque valet, fore effectum secundarium, non primarium. Resp. enim. Posse etiam dici effectum secundarium causæ formalis, cum enim ex incapacitate subiecti, tales formæ simul stare non possint, ad positionem vnius, expellitur antecedens.

Ob. 3. Duo corpora se inuicem expellunt in genere causæ efficientis, ergo idem dicendum est de duabus formis.

Res. neg. antecedens. Cum enim vnum corpus expellat aliud ratione quantitatis, quæ non est forma actiua, ideò non possunt se inuicem expellere, nisi in genere causæ formalis, cum aliqua tamen efficientia, quæ prouenit ab aliqua causa mouente corpus, sicuti etiam in casu nostro, licèt forma expellat aliam in genere causę formalis, talis forma expellitur ab Agente introducente formam in genere causæ efficientis.

Septima Conclusio. Effectus adæquatus, & primarius, tum dignitate, tum intentione materiæ, & formæ, dicitur compositum. Ita comm. 5

Prob. Compositum æquè pendet à materia, & forma, ergo est effectus materiæ, & formæ; Quòd autē sit adæquatus, & primarius patet, ex eo quia materia, & forma, se mutuò causant propter compositum, ergo est illarum effectus primarius, & principalis, intentione tamen, non executione, nam primò se mutuo causant materia, & forma, in ordine tamen ad constituendum compositum.

Aduert. quòd respectu talis causalitatis, non requiritur quod effectus sit aliud, seu aliquid distin-

ctum à causa, cum enim compositum causari à materia, & forma, nihil aliud sit, quam componi ex materia, & forma tanquam ex partibus, ideò sufficit solùm, quòd distinguatur à singulis partibus tanquam includens ab incluso, tanquam totum a parte.

Coll. In composito entitatiuè vno, omnia assignata genera causarum, & effectuum reperiri, nō tanquam aliqua distincta realiter, & entitatiuè, sed secundùm diuersas rationes formales, quæ in vnoquoq. composito reperiuntur, vt explicatum est cum de singulis ageremus; & licet contendat Ouiedo 8. Phy. punc. s. num. 8. materiam, & formam non posse dici causas, sed solùm partes Compositi, attamem cum concedat, materiam concurrere per modum potentiæ, formā verò per modum actus ad constituendum compositum, ideo quæstio est solùm de nomine, partes enim cōstitutiuæ alicuius per modum actus, & potentiæ, licet partes, etiam causæ intrinsecè, ex quibus illud fit, cōmuniter vocantur.

SECTIO II.

In quo consistat causalitas causæ materialis, & formalis.

6 LOquimur hìc de causa materiali, & formali substantiali, ea enim quæ de ipsis dicentur, facile erit applicare aliis causis materialibus, & formalibus.

Supp. est autem. Ex dictis cum de causis in communi, causalitatem esse influxum, quo causa influit in effectum, seu pendentiam, qua effectus dicitur à causa, hancq. causalitatem non esse entitatem distinctam à causa, & effectu, benè verò quemdā modum, ratione cuius effectus dicitur pendere à causa.

Supp. 2. Generationem passiuam, vnionem, & informationem in nostra sententia esse omnino idem, & importare quemdam modum substantialem; ratio autem est, quia cum omnes entitates superadditas, vt superfluas negauerimus, inde est quòd, quando forma per sui ipsius exhibitionem informat materiam, per se ipsam se illi vnit, & ideo talis informatio est etiam vnio materiæ cum forma, & quia generatio passiua nihil aliud īportat quàm materiā de nouo informari, ideo quando vnitur forma cum materia, generatur compositum, & sic informatio, vnio, & generatio vnum omninò sunt, .s. quidam modus substantialis, quo fit compositum substantiale. His suppositis sit.

Prima Conclusio. Causalitas causæ materialis respectu formæ cōsistit in informatione passiua iuxta exigentiam formæ receptæ. Ita Morandus in secundò phy. tract. 3. quæst. 2. Auersa quæst. 12. de causa Materiali, & Formali sec. 3. & alii.

Prob; Materia influit in formam recipiendo illius informationem, sed talis influxus est causalitas materiæ, ergo causalitas materiæ consistit in recipere informationem à forma, seu in informatione passiua; ma. prob. quælibet forma pendet à materia in ordine ad compositum, sed non pendet nisi ratione informationis, ergo omnis pendentia cōsistit in informatione, sed respectu materiæ informatio est solum passiua, ergo in tali informatione passiua consistit causalitas causæ materialis respectu formæ.

Dixi autem in conclusione, iuxta exigentiam formæ receptæ, ad includendam causalitatem materiæ respectu cuiuscumq. formæ tàm materialis quàm spiritualis; Cum enim diuerso modo pendeant à materia, materiales siquidem quoad informationem, & substentationem, spirituales verò quoad informationem, & receptionem, non verò substentationem, cum per se existant, ideò existimarunt aliqui, duplicem assignandam esse causalitatem in materia, vnam .s. respectu informationis, aliam respectu substentationis, vel receptionis; quòd tamen videtur improbabile, cum substentatio vel receptio non distinguatur ab informatione, sed sit ipsa informatio importans, vel substētationem, vel receptionem iuxta exigentiam formæ; quare diximus, causalitatem materiæ esse informationem passiuam iuxta &c. Ita quòd respectu formæ materialis, talis informatio passiua inuoluat etiam substentationem, respectu formæ spiritualis, solùm receptionem; hoc autem prouenit respectu exigētiæ talis formæ in specie, nō autē in genere, cū in genere ōnes habeāt īformare materiā in ordine ad compositum, & ideò ad summum, informatio passiua materiæ respectu formæ materialis potest dici informatio substentatiua, respectu verò formæ spiritualis informatio receptiua, & sic ambæ conueniunt in ratione generica informationis passiuæ.

Secunda Conclusiò. Causalitas causæ formalis respectu materiæ, est informatio actiua. Ita Morandus in physica tract. 4 quæst. prima, Auersa sectione 4. quæst. supracitata, & Alii.

Prob. Materia pendet à forma per informationem, sed pendentia, & influxus, est idem ac causalitas, ergo &c.

Tertia Conclusio. Causalitas causæ materialis, & formalis respectu compositi, est vnio, seu generatio passiua. Est Auersæ quæ. 12. sec. 3. & 4. & licet contendant aliqui, quos fusè adducit Tellez disp. 25. in secundùm Phy. sec. prima duplicem assignandam esse causalitatem respectu compositi, & in fieri, & in facto esse, attamem vnam esse, meliùs videtur dicendum, cum generatio passiua assignata ab illis doctoribus pro causalitate in fieri, sit omninò eadem cum vnione assignata pro causalitate in facto esse, vt demonstrabimus.

Prob; Compositum pendet à materia, & forma ratione vnionis inter se, ergo vnio est causalitas &c. ātecedens prob quia per hoc quòd materia recipit formam, constituitur compositum, ergo compositum pendet, per receptionē seu vnionē formæ cū materia, ab illis.

Confirmatur de generatione. Generatio vt est à principijs intrinsecis, seu passiua dicit nouam formam esse in materia; sed nouam formam esse in

materia, nihil aliud importat nisi vnionem formæ cum materia, ergo generatio vt est à principijs intrinsecis idem est ac vnio, ergo si vnio est causalitas respectu compositi, erit & generatio; neq. est distinguenda causalitas in fieri, & in facto esse, nam tàm in fieri, quàm in facto esse perseuerat eadem generatio passiua, importans in materia receptionem formæ, & vnionem.

8 Quarta Concl. Causalitas causæ materialis respectu formæ, & causæ formalis respectu materiæ, & vtriusq. respectu compositi, est vna, & eadem, diuersas tamen denominationes habens. Ità Auersa quæstione 12. de causa materiali, & formali sectione 4. & alij.

Prob. Causalitas est influxus inter causam, & effectum, sed vnus solùm realiter est influxus in toto composito, ergo vna sola causalitas, min. prob. à paritate actionis, & passionis, actio, & passio est idem accidens transiens ab Agente, & in passū receptum, ergo & influxus, quo materia pendet à forma per informationem formę, est idem ac ille, quo forma pendet à materia per substentationē vel receptionem à materia, sed per talem informationem, & substentationem, seu receptionem causatur compositum, ergò vna, & eadem est causalita realiter sumpta in toto composito, diuersas tamen denominationes habēs, nam respectu materiæ, dicitur informatio passiua, respectu vtriusq. in ordine ad compositum vnio, & generatio appellatur.

Ob. primò. Causa formalis præter materiam, & compositum, habet alium effectum, .s. expellere formam antecedentem, ergo alia causalitas circa talem effectum debet illi assignari.

Resp. neg. consequentiam, cum enim talis effectus sit effectus secundarius, & negatiuus, sequitur ad positionem assignatæ causalitatis .s. informationis actiuæ, per hoc enim quòd subiectum non est capax talis formæ aduenientis simul cum forma antecedenti, ideò ad informationem talis formæ aduenientis, expellitur forma antecedens.

Ob. 2. Causalitas debet esse posterior causa, & antecedens effectum, sed si vna esset solùm causalitas in toto composito, hoc non posset esse, ergo &c.

Resp. data mai. neg. min. hoc enim optimè potest saluari respectu diuersarum rationum, quæ reperiuntur in tali causalitate, vt cōsideranti patebit.

Coll. primò. Causalitatem causæ materialis respectu formæ posse suppleri à Deo, non in genere causæ materialis, benè verò efficientis, cum enim primo modo importet imperfectionem, & mutationem, hoc nullo modo potest conuenire Deo, qui est summoperè perfectus, & immutabilis per naturam; in genere verò causæ efficientis potest talis causalitas suppleri à Deo, vt patet de facto in formis accidētalibus Sacramenti Eucharistici, quæ substentantur à Deo in genere causæ efficientis.

Coll. 2. Deum nullo modo posse supplere causalitatem causæ formalis respectu materiæ, & ratio est, quia forma īformat per sui ipsius exhibitionem; sed Deus non potest se ipsum exhibere, & vnire materiæ, quia est ens completum, & summam dicens perfectionem, ergo &c. Non per hoc tamen negamus, Deū non posse conseruare materiā absq. omni forma, hoc tamen non esset supplere causalitatem formæ; quia materia in conseruari non pendet à forma. '9

Coll 3. Neq. Deum posse supplere causalitatem causæ materialis, & formalis respectu compositi; ratio est, quia respectu compositi materia, & forma exercent suas causalitates per modum partium, & compositum dicit essentialiter tales partes, ergo non potest Deus auferre partem, & supplere illius causalitatem, neq. in genere causæ efficientis, alioquin esset compositum, & non esset; esset, vt supponitur, non esset, cum deficeret pars.

Coll. 4. Causalitatem causæ materialis sumptam respectu formæ, & formalis respectu materiæ esse causalitatem extrinsecam, vtriusq. verò causæ respectu compositi, esse intrinsecam, ratio est, quia considerata respectu compositi, cum materia, & forma sint partes intrinsecæ, etiam earum causalitas dicitur intrinseca, quia verò materia est extrinseca formæ, & forma materiæ, ideò earum causalitates, & extrinsecæ appellantur.

Quæres. Quænam conditiones requirantur, vt causa materialis, & formalis causent.

Resp. 1. Requiri intimam propinquitatem, & vt ita dicam compenetrationem vtriusq cum enim inuicem causent per vnionem, non possent causare nisi summè, & intimè essent præsentes, quare neq. Deus potest facere, quòd anima rationalis distans informaret aliquod corpus; secundò requiritur dispositio, & præparatio subiecti, quæ non est eadem in omni subiecto, sed varia iuxta varietatem formæ; hæc autem conditio .s. propriè se teneat ex parte subiecti, quatenus .s. exigit esse taliter dispositū, potest etiam se tenere ex parte formæ, quatenus indiget tali dispositione, & præparatione in subiecto ad illud informandum; tertiò, requiritur concursus alicuius causæ extrinsecę, siue creatæ, siue increatæ, ratione cuius approximentur, seu applicentur forma, & materia; quartò deniq. requiritur saltem naturaliter proportio inter formam, & materiam, nam quodlibet subiectum non potest recipere quamcumq. formam, nec quæcumq. forma quodlibet subiectum informare, sic naturaliter subiectum spirituale, non potest recipere formam corpoream, ergo, &c. Et hæc dicta sint de causis intrinsecis materiali, & formali. 10

DISPV-

DISPVTATIO QVARTA

In eumdem secundum Librum Physicorum Aristotelis, De causis extrinsecis corporis naturalis.

Visis, quæ ad causas intrinsecas corporis naturalis pertinent, remanent perquirenda spectantia ad causas extrinsecas, Finalem, & Efficientem, de prima hic agemus, de alia in progressu locuturi. Sit ergo.

SECTIO PRIMA:

Quid, & quotuplex sit causa Finalis, & qui illius effectus.

1 Prima Concl. Causa Finalis, seu finis est *id cuius gratia aliquid fit*, vel *propter quod aliquid fit*, Ita Aristoteles 2. Phys. tex. 29. & 31. & communiter.

Explic. Concl. dicitur *cuius gratia &c.* ad explicandum, finem esse causam motiuam Agentis ad operandum, ita vt ipsum operetur propter talem causam, & operatio Agentis sit effectus talis causę, v. g. quis sumit medicinam ad acquirendam sanitatem, sanitas dicitur causa finalis, quia causat sumptionem medicinæ propter se ipsam; res clara est, nec magna indiget probatione.

An autem causa finalis sit vera causa physica, & realis, vel solùm intentionalis, diffusiùs, quàm opus est, scrutantur authores, nos breuitati studentes dicimus, quòd si nomine causæ physicæ, & realis intelligatur aliquid existens extra intellectum influens realiter, finis nullo pacto est causa physica, & realis; si verò pro causa physica, & reali intelligatur aliquid contradistinctum à ficto, & existens obiectiuè, & intentionaliter, & influens etiã intentionaliter, hoc pacto finis potest appellari causa physica, & realis, cum enim finis solùm possit causare, vt cognitus, ideò solùm intentionaliter, seu obiectiuè potest causare, & mouere Agens ad operandum, licèt tamen possit mouere secundùm suum esse reale, quod potest habere. Neque valet, hoc pacto effectum fore nobiliorem, quàm causam, cum sit ipse verè, & propriè realis, causa verò solùm intentionalis; nam licèt sit propriè, & rigorosè realis, non est simpliciter talis, quia fit à causa finali, sed etiam quia à causa efficiente, quare in ratione effectus pendentis à causa finali, ratione talis pendentiæ, est ignobilior sua causa.

Secunda Conclusio. Finis multiplex est. Ita communiter.

Probat. à partium enumeratione. Diuiditur ergo primò finis, in finem Cui, & finem Cuius, finis Cui est res, seu persona, cui aliquid desideratur, vt Petrus est finis Cui sanitatis; finis uerò Cuius est bonum, cuius acquirendi gratia aliquid fit, ut sanitas, est finis, Cuius gratia, sumitur medicina; hi autem duo fines non sunt inuicem subordinati, ita ut finis Cuius sit quasi medium finis Cui, sed neque sunt totales, benè quidem partiales integrantes unum totalem, nec unus amatur à uoluntate, quin alius ametur.

Secundò Diuiditur finis Cuius, in finem Qui, & finem Quo, seu in finem obiectiuum, & formalem. Finis Qui, & obiectiuus, est bonum, quod amatur fini Cui, ut sanitas, quæ amatur infirmo, finis Quo, & formalis est possessio, quæ habetur Finis Qui, ut possessio sanitatis intentæ, ut finis Qui ab infirmo, hi etiam fines sunt partiales, & integrant unum totalem. 2

Tertiò

Tertiò diuiditur in finem operantis, & in finem operis, finis operantis est ille quem intendit agens in aliqua operatione, vt dans eleemosynam propter vanam gloriam, finis verò operis, est ille, qui ex propria natura conuenit tali operi, vt finis eleemosynæ est subleuatio pauperis; primus est finis extrinsecus, & arbitrarius, secundus intrinsecus, & naturalis.

Quartò deniq. diuiditur in finem vltimum, & non vltimum, finis vltimus, qui etiam dicitur remotus, est ille, ad quem aliqua ordinantur, sed ipse non ordinatur ad alium; finis verò non vltimus qui etiam proximus dicitur, seu intermedius, seu finis sub fine, est ille qui, licet ad ipsum ordinentur aliqua. ipse insuper etiam ordinatur ad alium finem; vt si quis studeret propter acquirendas scientias ad prædicandum Euangelium fidelibus, acquisitio scientiæ esset finis, quia propter ipsum fieret studium, non esset autem vltimus, quia adhuc ordinaretur ad alium finem .s. ad prædicandum Euangelium. Hæ sunt principales finis diuisiones, reliquę si sunt, vel non tam necessariæ, vel ad assignatas reducibiles; videantur apud authores.

Quæres. Quinam sint effectus causæ finalis.

Resp. Varios esse effectus causæ finalis. primò est amor seu complacentia ipsius finis, bonitas enim in obiecto mouet voluntatem ad actum illum complacentiæ; secundò, sunt omnes actiones sequentes hanc complacentiam, vt gaudium, fruitio de obtento fine, dolor, & tristitia de non obtento &c. tertiò, finis ipse executioni mandatus est effectus eiusdem finis prout intenti, seu finis in intentione, est causa sui ipsius in executione, quatenus finis ipse amatus est causa, vt ponantur media, à quibus ipse finis physicè causatur; quartò, denique, effectus propriissimi finis, sunt omnia media, & electio eorumdem mediorum, electio enim oritur ab amore finis, ipsa verò media oriuntur ab electione.

SECTIO II.

In quo consistat causalitas causæ finalis.

SVpp. primò. Ex dictis in communi de causis, duplicem esse causalitatem, in actu primo scilicet & in actu secundo, in actu primo est illa virtus, quæ est in causa ad causandum, in actu verò secundo est ipsemet influxus in effectum, ortus à tali virtute, de vtraq. ergo hic quærendum, cum à causalitate in actu primo, pendeat causalitas in actu secundo: quærere autem in quo consistat causalitas causæ finalis in actu primo, idem est ac inquirere, per quid constituatur causa finalis.

Supp. 2. Bonum diuidi in Honestum, Delectabile, & Vtile. Ita Aristoteles 8. Ethicorum c. 2. Honestum est illud, quod est consentaneum naturæ veluti rationali, vt benè operari propter Deum, vel simpliciter vt naturæ, vt pulchritudo, sanitas &c. Delectabile est, quod post consecutionem aptum est afferre delectationem; Vtile deniq. est, quod ad bonum honestum, & delectabile conducit, vt sunt omnia media ad talia bona consequenda; dicitur autem bonum denominatione extrinseca à bono honesto, vel delectabili, ad quæ conducit vt medium.

Prima Conclusio. Causa finalis constituitur per rationem boni, ita vt bonitas quæcumq. siue honesta, siue delectabilis, siue vtilis, siue vera, siue apparens, sit illius causalitas in actu primo. Ita Aristoteles secundò physicorum textu 31. Scotus in secundò, distinctione 43. quæstione prima, Morandus in eodem libro tract. 6. quæ. 2. & alij apud Mastrium disp. 7. physicæ quæ. 8. Art. 2. Spinulam, Scibellonem &c.

Prob. Finis constituitur per id, quod potest mouere Agens ad operandum gratia sui, sed sola bonitas potest mouere &c. ergo per rationem bonitatis, siue veræ, siue apparentis, siue honestæ, siue &c. constituitur causa finalis, atq. adeò illius causalitas in actu primo.

Confirmatur, quia id solum potest mouere, quod est conueniens, sed solùm bonum est conueniens, ergo &c.

Neq. valet; etiam malum, aut indifferens posse appeti gratia sui, ergo in sola bonitate constituendam non esse rationem finis.

Resp. enim, malum vt malum, nunquam posse appeti, appetitus enim non potest esse rei inconuenientis, benè verò conuenientis, & licet aliquando appetatur malum, hoc fit sub aliqua ratione boni. Indifferens verò in ordine naturæ non datur, sed solùm in genere moris, quatenus aliquid potest esse, nec contra, nec iuxta rectam rationem: quare cum omne quod est, aliquam habeat bonitatem, bonitas enim est passio entis, atq. adeò omne quod est, etiam bonum est, ideo solùm sub aliqua ratione boni potest mouere Agens ad operandum gratia sui; sed de his plura cum de actibus humanis in Theologia.

Neq. dicas secundò, bonum vtile non posse esse finem, quia ordinatur ad aliud, vt medium.

Resp. enim, quòd licet ordinetur ad aliud, potest etiam ipsum mouere Agens ad operandum gratia sui; quare ab summum posset dici non esse finem vltimum, cum ad alium possit ordinari, non verò absolutè non esse finem.

Secunda Conclusio. Causalitas causæ finalis in actu secundo in hoc consistit, vt eius gratia aliquid fiat. Ita multi cum P. Morando secundò Physic. tract. 6. quæstione 4.

Prob. primò. Causalitas importat influxum, seu pendentiam effectus à causa, sed per hoc, quòd aliquid fiat gratia finis, dicitur pendere à fine, ergo causalitas finis consistit in hoc, vt eius gratia aliquid fiat; min. prob. nullam enim aliam pendentiam potest habere effectus à fine, quàm quòd gratia ipsius fiat.

Prob. 2. Statim ac aliquid fit gratia alterius habetur causa finalis actu, sed per causalitatem

solum ponitur causa in actu, ergo causalitas causæ finalis consistit in hoc, quod gratia illius aliquid fiat.

Prob. 3. Causalitas causæ finalis in actu primo est bonitas quatenus mouens agens ad aliquid operandum propter se ipsam, ergo quòd aliquid gratia illius fiat, erit eius causalitas in actu secundo. Consequentia prob. quia tunc causa finalis intelligitur finalizare, quando aliquid gratia illius fit.

Ob. primò contra secundam Conclusionem. Finis causat mouendo agens ad operandum, ergo in tali motione, vel metaphorica, vel morali, consistit illius causalitas in actu secundo, antecedens prob. Agens enim non operatur propter finem nisi ab illo moueatur.

Resp. neg. antecedens, nihil enim excogitari potest ante actionem agentis à quo moueatur agēs, sed ipsummet fieri actionis gratia finis, est primū per quod, seu quo actio pendet à fine, ergo in illo, quòd fiat propter finem, formaliter consistit causalitas causæ finalis. Non nego tamen in agentibus liberis antequam operentur, dari aliquā præuiam motionem finis, sed hæc non est causalitas, sed potiùs conditio ad causandum, commune enim axioma est, quòd nihil est volitum, quin præcognitum; immò ipsa motio in voluntate habetur à bonitate, non in genere causæ finalis, sed efficientis; bonitas enim per cognitionem proposita voluntati, determinat voluntatē illamq. complet in actu primo proximo, vt possit exire in actū, quòd facit vt causa efficiens, non finalis, cum enim voluntas, nisi sit determinata à bono proposito, nequeat in illud tendere, ideo dum illi proponitur bonum illam alliciens, mouetq. quantum est ex se ad sui consecutionem, determinatur ab ipso, vt possit se mouere proximè ad illud consequendum, non per hoc autem mouetur, cum adhuc proposita bonitate, sit libera ad illam prosequendam, vel non prosequendam, quare cum talis motio in voluntate sit solummodo ad determinandam, & alliciendam voluntatem in bonum, habetur à bonitate solùm in genere causæ efficientis, non finalis, estq. solùm conditio prærequisita, vt videbimus in sequenti sectione, adhoc vt voluntas postea moueatur gratia illius consequendæ, in quo propriè consistit causalitas causæ finalis.

Ob 2. Actio quatenus fit propter finem, pendet a fine, sed in tali pendentia consistit causalitas, ergo causalitas consistit in actione cum tali ordine ad finem.

Resp. actionem esse effectum finis, & ideò non posse esse illius causalitatem, neq. per hoc quòd dicat ordinem ad finem, ipsa euadit causalitas, sed potiùs ipse ordo est causalitas, quare cum talis ordo nihil aliud sit nisi, quòd actio fiat propter finē, ideo in hoc consistit causalitas causæ finalis.

Ob. 3. Talis causalitas non esset in causa, sed causalitas debet esse in causa, ergo &c. mai. prob. per hoc enim quòd aliquid fiat gratia alterius, nihil ponitur in illo altero.

Resp. neg. min. loquendo de causis extrinsecis, maximè finali, ad causalitatem enim causæ finalis satis est, si importet aliquam denominationem extrinsecam, nam ex eo quòd aliquid fiat gratia alterius, per hāc solam extrinsecam denominationem ponitur causa finalis in actu, quæ priùs erat (vt ita dicam) in potentia, & ideo per hoc benè potest saluari causalitas causæ finalis.

SECTIO III.

An causa finalis causet secundùm esse reale, An secundùm esse intentionale, seu cognitum.

Cum causa finalis causet ad sui consecutionem, inde est, quòd dū causat, ferè nūquā physicè, & realiter est existens, sed ab ipsa, vt cognita assequibilis, mouetur agens ad illam consequendam. Quæritur ergo hic, vtrum talis cognitio sit ratio causandi in causa finali, & licet hæc quæstio propriè procedat de creaturis rationalibus, quæ operantur dependenter à cognitione, tamen etiā locum potest habere in Brutis, quæ aliqua cognitione sensitiua sunt prædita.

Supp. est autem, Causam finalem, seu finem in esse obiectiuo, & intentionali duo importare, & id, quod habet rationem obiecti, & id, per quod habet rationem obiecti, primum est entitas ipsa obiecti, seu bonitas finis, quæ obijcitur, secundum verò est actus intellectus, ratione cuius denominatur esse obiectiuè in mente; cum enim obiectum neq. per se ipsum, neq. per solam sui speciem possit esse in intellectu, sed requiratur actio ipsius intellectus tendentis sibi obiectum, ideo entitas physica, & realis, dum fit obiectum intellectus, à cognitione acquirit denominationem cognitum, seu acquirit esse intentionale. Quærimus ergo hic, vtrum ratio formalis causandi in fine, cōsistat in illa bonitate finis, quæ obijcitur intellectui, an verò in illa ratione, per quam talis bonitas acquirit esse obiectiuum, hoc est an in esse reali, & physico finis, an verò in esse intentionali, seu in cognitione finis, seu in eo, per quod denominatur cognitus ab actu cognitionis. Sit ergo.

Prima Conclusio. Causa finalis causat secundū suum esse reale, non verò intentionale, seu cognitum, quod solùm est ratio causandi, seu causa, aut conditio, sine qua non. Est ferè communis, vt apud Auersam quæstione tertia decima de causa finali sectione sexta, Ouiedo controuersia prima Physicæ puncto 2. Morandum tractatu 6. quæst. 3. Tellez secunda par. in Phil. disp. 29. sec. 2. Serbellonum disputatione 2. quest. 6. articulo 5. & alios ab ipsis relatos, contra aliquos præcipuè antiquos, quos nouissimè, & sequitur Spinula. Pro esse autem reali intelligitur in hoc loco, omne id, quod possibile est obtineri, aut quod obtineri posse videtur, etiā si illud non sit verè reale, sed rationis.

Prob.

Probatur prima pars. Finis debet causare secundùm eam rationem, secundùm quam, adepto fine, agens dicitur intentũ consequutum esse, secundùm quam, non adepto fine, frustra dicitur operatum esse, sed adepto fine secundùm rationem suæ realitatis, dicitur agens consecutum esse intentum, secùs verò non adepto, ergo secundùm rationem realitatis, debet secundùm esse reale causa finalis, & finis debet causare, mai. est certa, min. prob. per hoc enim quòd agens possideat finem intentionaliter, seu secundùm illius esse intentionale, non dicitur consequutũ esse intentum, ergo &c.

Probatur 2. Finis causat secundùm id, secundùm quod potest satiare agens, quod gratia illius operatur, sed Agens non potest satiari per esse intentionale, & obiectiuum, benè verò per esse reale finis, ergo finis causat secundùm suum esse reale; min. probatur, sanitas enim v. g. obiectiua, non potest satiare infirmum, benè verò realis, ergo &c.

Probatur secunda pars. Nisi cognoscatur finis, vt obiectum bonum, non potest Agens in illud tendere, nec propter illud operari, ergo cognitio finis est ratio, seu conditio sine qua non; antecedens probatur, appetitus enim siue rationalis, siue sensitiuus est potentia cæca, ergo non potest tendere in obiectum, nisi illi repræsentetur aliquo lumine, s. cognitione, siue intellectuali respectu appetitus rationalis, siue sensitiua, respectu appetitus sensitiui, ergo ad hoc vt finis causet, requiritur cognitio finis; non est tamen necesse, quòd sit semper actualis cognitio, sed sufficit quòd aliquo pacto priùs fuerit.

Ob. primò. Omnia causa causat secundùm illud esse, quod habet dum causat, sed finis dum causat habet solùm esse intentionale, ergo secundùm esse intentionale debet causare.

Respond. neg. min., licet enim solùm intentionaliter causet, habet tamen esse reale, modo quo supra explicauimus .s. quòd vel sit possibile, vel concipiatur vt possibile; quando enim dicimus, quòd non causat secundùm esse intentionale, sed reale, intelligimus, cognitionem finis, non causare nec mouere Agens ad operandum gratia sui, sed ipsum finem, prout potest esse, secundùm quam potentiam dicitur, non esse solùm intentionalis, sed rationalis.

Ob. 2. Quandoq. finis non habet esse reale, nec modo explicato, vt cum agens agit propter obiectum realiter omnino, impossibile, & solùm fictum per intellectum, ergo finis debet causare secundùm esse intentionale, & cognitum.

Resp. tunc obiectum, & finem esse realem secundùm illud esse quod illi tribuitur ab intellectu, quòd licet non sit verè esse reale, non est tamen ipsa cognitio, sed id, ad quod terminat ipsa cognitio, quòd nobis sufficit, dicentibus, finem non causare simpliciter, vt quid cognitum, scilicet non esse cognitionem causam finalem, benè verò terminum cognitionis.

Ob. 3. Causa finalis, seu finis, solùm potest causare, & mouere secundũ illud esse, secundùm quod præcedit suum effectum (causa enim debet esse prior, & præcedere suum effectum) sed finis solùm præcedit suum effectum, secundùm esse intentionale, non reale, ergo secundum esse intentionale non reale, debet causare, minor prob. dũ enim quis mouetur à fine ad illum consequendum, tunc finis non existit secundùm suum esse reale, alioquin ad illum consequendum non moueretur agens, sed in illo se complaceret.

Resp. neg. minorem; causa enim finalis præcedit suum effectum etiam secundũ suum esse reale, non existens, sed possibile vt existat, secundũ quam possibilem existentiam primò intenditur ab ipso agente operante propter finem. Quare &c.

Ob. 4. ex Spinula disp. 8. in Physica sect. 3. Illa non est mera conditio, sine qua non, qua sola posita, ponitur effectus, qua sola ablata, aufertur effectus, hæc enim potius est definitio causæ adæquatæ sed posita sola apprehensione bonitatis pomi v. g. ponitur amor, & intentio pomi, ablata sola apprehensione bonitatis pomi, aufertur amor, & intentio pomi, ergo apprehensio bonitatis pomi non est mera conditio, sine qua non respectu amoris, & intentionis pomi, benè verò ratio, qua finis formaliter causat, seu virtus motiua ipsius finis; minor probatur, dato enim, quòd apprehendatur dulcedo in pomo, pomum amabitur, etiam si esset omninò amarum, sicuti è contra, si dulcissimum esset, apprehenderetur verò amarum, numquam amaretur, ergo posita sola apprehẽsione dulcedinis pomi, ponitur amor, & intentio pomi, ergo apprehensio, seu esse intentionale finis, est ratio, qua formaliter finis causat non verò sola conditio sine qua non. 7

Respondetur, distinguendo minorem, posita apprehensione tamquam conditione sine qua non, & concedo minorem, tamquam ratione formalis causandi, & nego minorem; nulla enim motio, intentio, aut amor sequitur immediatè propter apprehensionem, sed propter obiectum apprehẽsum, volũtas enim nõ tendit in apprehensionem, sed in bonitatem apprehensam; ad probationem autem, dico, in tantùm dulcedinem apprehensam in pomo physicè, & realiter amaro, causare in voluntate tendentiam in illam, quia voluntas, vt potentia cæca, non aduertit realem existentiam dulcedinis in pomo, sed acquiescit propositioni factæ ab intellectu, & ex illa, tamquam ad realem dulcedinem consequendam, mouetur, nunquam tamen voluntas tendit in ipsam apprehensionem, benè verò in realem bonitatem, apprehensam, siue postea talis bonitas sit à parte rei, siue non, actualis enim existentia, non est necessaria in causa finali, sed sufficit quòd vel sit futura, vel sit possibilis, aut talis existimetur, hoc enim modo intelligimus hic esse reale ipsius causæ finalis, pro vt distinguitur ab illius cognitione, & ab illiusque esse intentionali, quæ clarè patet apprehen-

prehensionem finis esse solùm conditionem sine qua non; sed.

Inst. ex eodem. Si apprehensio bonitatis esset pura conditio applicans bonitatem finis ad mouendum, uel applicaret bonitatem illã, quæ est à parte rei, uel applicaret bonitatem, quæ est in intellectu, non primum, nulla enim existente bonitate à parte rei adhuc uoluntas ex sola existimatione moueri potest ad illam, vt apparet in tendentia uoluntatis in dulcedinem apprehēsam in pomo realiter, & physicè amaro; si dicatur secundum, ergo apprehēsio non est mera conditio sine qua non, sed ratio agendi, seu id, quo finis mouet; hæc consequentis probatur, quia illa bonitas, quæ est in intellectu, pro ut distinguitur à bonitate extra intellectum, realiter non distinguitur ab apprehensione.

Res. Aliquando applicari bonitatem, quæ realiter est in obiecto, aliquando bonitatem non existētem, sed futuram in obiecto, aliquādo etiam bonitatem, quæ neq. existit, neq. est futura actu, sed existimatione tantùm, ita ut existimetur possibilis, quæcumq. ergo bonitas applicetur, est semper, licèt in apprehēsione, ab ipsa tamen apprehēsione distincta; falsum est enim, quod ipse supponit, apprehensionē s. non distingui ab obiecto apprehēso, quando tale obiectum habet solùm esse in intellectu, & non à parte rei, ut probabat etiam in logica, ex hoc capite nō dari ens rationis, quod diffuse impugnauimus, demonstrantes apprehensionem, cum non sit sui ipsius, sed alicuius, ideo distingui debere ab hoc aliquo, cuius est apprehensio: quare licèt aliquando uoluntati proponatur bonitas, quæ nec est futura, sed solùm existimatur possibilis, ipsa bonitas secundùm esse quod habet, etiam si solum esse rationis haberet, quia proponitur, & existimatur secundùm esse reale possibilis, ideò secundùm tale esse, est illa, cuius gratia voluntas operatur, non verò huiusmodi est apprehensio, quare consultò posuimus in conclusione, pro esse reali causæ finalis nos intelligere, omne esse quodcumq. sit, etiam rationis, dummodo cognoscatur possibiliter assequibile secundùm esse reale, ad distinctionem illius esse intentionalis, seu illius cognitionis.

8 Inst. 2. Si apprehensio, seu cognitio bonitatis finis non potest esse ratio formaliter causandi, ergo neq. bonitas apprehensa, prout distinguitur à bonitate existente à parte rei, seu bonitas sola rationis, hæc consequentis prob. in tantùm enim apprehensio per vos non potest esse ratio motiua, in quantùm ipsa nec appetitur à voluntate, nec ipsa habita quiescit voluntas, sed eodem modo bonitas apprehēsa distincta à bonitate, quæ est à parte rei, seu bonitas habens solùm esse rationis, nō appetitur, nec ea habita quiescit anima, ergo neq. ipsa potest mouere, &c.

Res. Nos nō dicere bonitatē actu, & realiter existentem mouere finaliter voluntatem, hæc enim est potius terminus operationis ipsius voluntatis, atq. adeo, non causa finalis, quæ debet præcedere operationem ipsius voluntatis ipsam mouens, vt gratia sui operetur, benè verò bonitatem realem, intentionaliter existentem, mouere finaliter voluntatem, cum enim causa finalis intentionaliter causet, non debet actu existere, vt finaliter causet; at per hoc non dicimus, causam finalem causare per bonitatem contradistinctam à bonitate reali, quæ reperitur à parte rei, nam licet talis bonitas non causet vt existens actu, aut in actuali possessione, sed solùm vt existens intentionaliter, attamen non est dicendum causare ratione illius esse intentionalis, seu secundùm bonitatem distinctam à bonitate reali possibiliter consequibili, benè verò per bonitatem, licèt intentionaliter existentē, indistinctā tamē à bonitate reali possibiliter assequibili, nā bonitas existens intētionaliter nō distinguitur à bonitate reali possibili, vt aquiratur, talis enim bonitas secundùm rationem intentionalitatis non præscindit ab esse reali, sed realitatem includit, quæ est fundamentum possibilitatis, & ita licèt bonitas apprehensa, & mouens voluntatem non sit existens nec futura sit, vtpotè tamen existimatur in obiecto realiter existens, mouet finaliter, atq. adeo secundùm esse reale propositum, quòd sic nequit dici de apprehensione, ad ipsam enim nullo pacto mouetur voluntas, cum neque sit illius obiectum, nec comprincipium operationis, sed solùm conditio sine qua non, sed.

Inst. 3. Licèt verum sit, bonitatem realem esse, id, quod mouet voluntatem, attamen apprehensio, seu bonitas secundùm esse intentionale, est id 9
quo, seu vi cuius talis bonitas mouet voluntatem, ergo est virtus motiua voluntatis, non verò sola conditio, sine qua non.

Conf. exempl. In visione parietis albi, licèt paries albus sit, id quod mouet ad visionem, quia tamen, vtpotè obiectum improportionatum in se vt moueat, non potest mouere nisi per speciem impressā ipsius, ideo species dicitur id quo mouet seu virtus motiua, non verò mera conditio, sine qua non, ita à pari, licèt bonitas realis sit quæ mouet vt quod, quia tamē vt est realis est īmediatè iproportionata ad agendū in animā, & ideo concurrit media apprehensione, vt illi pateat accessus in voluntatem, ideò talis apprehēsio dicenda est ratio qua, seu virtus motiua, nō verò conditio, &c. Item videat quis picturam alicuius rei pulchræ, & moueatur ad illius amorem; Quid mouet immediatè? non res pulchra, neq. enim videtur, neq. est præsens, ergo pictura; ergo pictura est ratio motiua ad amorem, sic à pari, finis appetitus, seu depictus, vt ita dicam in apprehensione, non verò finis realis, est ratio, & virtus motiua, ergo apprehensio non est mera conditio.

Resp. neg. antecedens si *ly id quo & vi cuius* strictè sumatur, nam id quo, seu vi cuius importat aliquod emanans ab intrinseco in re, de qua dicitur, importat enim rationem formalem, qua, quod tamen non est apprehensio respectu bonitatis realis. est enim quid extrinsecum bonitati, quòd apprehendatur, vel non apprehendatur, & etiam apprehensa est distincta secundum suum esse reale possibile, ab ipsa apprehēsione, ut supra dicebamus; quare solum potest dici huiusmodi apprehensio id

quo

quo, largo modo, scilicèt conditio, qua posita, &c. Ad primum exemplum.

Res. Species concurrere simul cum obiecto tamquam causas partiales, quod sic non est dicendum de apprehẽsione, ipsa enim formaliter, ut talis nullo pacto potest esse causa finalis, neq. enim est obiectum uoluntatis, atque adeo neque potest concurrere, ut concausa cum bonitate apprehensa, & licèt uerum sit, obiectum, ut est realiter, & physicè à parte rei esse improportionatum, ut moueat, cum vt tale sit incognitum ipsi voluntati, ab apprehensione autem fieri proportionatum, attamen ex hoc non est dicendum, ipsã apprehensionem esse virtutem motiuam, sed solùmmodo esse rationem, qua, largo modo, scilicèt conditionem qua applicatur virtus motiua; quo pacto, licèt ignis distans à subiecto combustibili, vt distans sit causa improportionata ad agendum in illud, ab approximatione tamen non dicitur fieri causa proportionata, vt à ratione formali, qua agat, quia huiusmodi est virtus ipsius ignis, benè verò vt à conditione necessariò requisita ad talem actionẽ; sic est etiam in casu nostro, cum enim voluntas sit potentia cæca, opus habet, quòd illi repræsentetur obiectum, ad hoc vt in illud possit tendere, at ipsa repræsentatio obiecti, non se habet, vt virtus motiua, seu vt ratio, qua formaliter operetur, benè verò, vt conditio necessariò requisita. Ad secundum Exemplum, dico, obiectum pulchrum secundùm suum esse reale possibile, mouere ad amorem, picturam verò esse conditionem applicantem tale obiectum; quare à primo ad vltimum apparet, finem non secundùm suum esse intentionale, seu secundùm sui cognitionem, finalizare, benè verò secundùm suum esse reale, possibile, vt consequatur, vel existimatum possibile, vt consequatur.

Quæres. Quænam Agentia agant propter finem.

Resp. 1. Omnia Agentia intellectualia, vt sunt Angeli, & homines, agere propter finem, & etiam Agens increatum Deum, quoad operationes ad extra. De Angelis, & hominibus est res tàm clara, & ab omnibus concessa, vt nulla egeat probatione.

Prob. autem de Deo. Deus est vera causa efficiens illorum effectuum, quos ad extra producit, ergo agit propter finem, omne enim Agens agit propter finem; sicque Prouerb. 16. habetur *omnia propter semetipsum operatus est Dominus*; tum, quia, quæ non fiunt propter finem, fiunt casu, & fortuitò, sed Deus non operatur casu, & fortuitò, ergo, &c. tùm deniq. quia, in Deo datur prouidentia, sed hæc consistit in dispositione mediorum ad aliquid, ergo Deus agit propter finem.

Neq. valet, hoc importare imperfectionem, cum supponat aliquam dependentiam in Deo à fine.

Resp. enim, nullam hoc dicere imperfectionem, cum Deus non moueatur à fine, sed solùm absque ulla motione velit vnum propter aliud, ita vt, si Deus posset recipere motionem, ab illo moueretur ad aliud volendum, quòd idem est ac dicere, veram causam finalem esse in effectibus, non verò in ipso Deo efficiente; ipse enim absq. vlla motione omnia disponit, & ordinat in fines, à sua diuina prouidentia sapienter dispositos, & ordinatos.

Resp. 2. quæsito. Bruta etiam ipsa agere propter finem, cognitum tamen materialiter, non formaliter, ratio est, quia bruta aliqua cognoscunt obiecta, & propter illa aliqua operantur, ergo operantur propter finem; antecedens probatur, nam Ouis, v. g. fugit Lupum, ne aliquid ab illo patiatur, Bos currit ad præsepe vt comedat paleas, &c. Dixi autem cognitum tantùm materialiter, quia non cognoscunt finem, vt habentem proportionem, cum talibus, uel talibus medijs, quòd est cognoscere finem formaliter, sed ad repræsentationem obiecti factam à phantasia, talibus, vel talibus circumstantijs, naturali quodam instinctu per æstimatiuam iudicant illud prosequendum, vel fugiendum, ad quod iudicium cum naturaliter sequatur operatio appetitus sensitiui, ideo agunt propter talem finem, quem formaliter non cognoscunt, sed ab agente superiori ad illum diriguntur.

Res. 3. Agentia naturalia insensibilia non agere propter finem propriè, & formaliter, ratio est, quia cum careant cognitione, & appetitione, non possunt vnum propter aliud appetere, aut ordinare; materialiter tamen, & directè possunt dici agere propter finem, quatenus scilicèt diriguntur ab ipso Deo authore naturę, & hoc pacto intelligendum est illud Axioma *omne Agens agere propter finem*. s. vel formaliter, vel directè, & materialiter, sic u. g. ignis introducendo dispositiones ad formam, dicitur agere propter finem, quia potest Deus has dispositiones ordinare ad finem ignis, quòd non potest facere propriè, & formaliter ipse ignis, quia caret cognitione, & appetitione finis.

Multa alia, quæ ad finem spectant, expendentur, cum de actibus humanis in Theologia; sufficiant dicta prout finis spectat ad physicam.

SECTIO III.

Quid, & quotuplex sit causa efficiens.

SVppon. tamquam certum. Dari causas efficientes, & de Deo nulla est difficultas, estq. de fide; de causis etiam secundis patet, contra quosdam dicentes, solam primam causam operari ad præsentiam causæ secundę, ita ut ad præsentiam equi, Deus producat, u. g. motum equi, ad præsentiam caloris, Deus producat calorem, &c. patet inquam, tum de causis liberis, quæ à se aliquid efficiunt, ut definitũ est in Conc. Trid. sess. 6. Canõ. 4. tum etiã de alijs causis, cum enim uideamus ad positionem ignis, semper produci calorem, non frigus, ad præsentiam niuis, frigus non calorem, &c. asserendum est, in causis creatis esse uirtutem productiuam aliquorum effectuum dependenter tamẽ à causa prima, ut suo loco uidebimus.

Prima Conclusio. Causa efficiens definitur ab Aristotele 5. Metaph. cap. 2. & secundò physicorum textu 29. quòd *est id, unde principium primum mutationis, aut quietis*, seu ut à recentioribus meliùs explicatur *est primum principium, unde est mutatio, aut quies* siue *à quo aliquid dependet, & efficitur*, ita communiter.

Explic. Dicitur *principium* loco generis, in quo conuenit cum aliis principiis, dicitur *primum* non absolutè, alioquin sola Deus esset causa efficiens, sed primum in eo genere, in quo reperitur, dicitur etiam *primum*, quia causa efficiens est prima in executione omnium causarum, materia enim non informaretur, forma non informaret, finis non finalizaret, nisi agens naturale operaretur: dicitur etiam *primum* ad excludendas secundùm aliquos causas intrinsecas, cum non sint primum principium, sed reuera hoc non potest dici, cum etiam ipsæ sint veræ causæ, .i. non principales; quare ly *primum* solùm intelligendum est dignitate, quia scilicèt causa efficiens, est omnium nobilissima, & ideò à nonnullis sola causa efficiens appellatur causa.

Dicit. *Vnde* sumendo talem particulam non latè, vt in definitione principii, vnde aliquid .i. fit, est, aut cognoscitur, sed strictè, idemq importat ac *à quo*, per quam particulam distinguitur à quacumque alia causa; compositum enim non dicitur fieri à materia, & forma, sed ex materia, & forma; item effectus finis non dicitur esse à fine, sed gratia finis, à sola ergo causa efficiente est effectus, vt à quo, & in hoc denotatur influxus extrinsecus.

Dicitur. *Mutationis*, sumendo mutationem non strictè, sed latè, pro quacumq. mutatione aut motu, vel supponente subiectum, vt est generatio seu productio formarum, & accidentium, vel non supponente, vt est creatio.

Dicitur tandem *aut quietis* explicando terminum mutationis, seu vt explicat Auersa quest. 14. de causa efficiente sect. 1. intelligendo pro quiete conseruationem, quam facit aliqua causa sui effectua; ita vt, quia aliquæ causæ producunt effectum, & non conseruant, aliquæ, & producunt, & conseruant, ly *mutationis* conueniat causis, quæ solum producunt effectus, illorumq. solùm sunt principium in fieri, ly verò *aut quietis* conueniat causis, quæ ne dum efficiunt, sed etiam conseruant, & sunt principium in facto esse suorum effectuum.

Secunda Conclusio. Multipliciter diuiditur cau-
12 sa efficiens. Ita communiter, & patebit ex assignatione diuisionum.

Primò igitur. Diuiditur, in causam increatam, & creatam, seu primam, & secundam; prima est à qua sunt omnes aliæ causæ, tamquam illius effectus, illaq. à nulla alia est; Hæc autem est Deus; causa verò creata est quælibet alia causa, quæ est effectus huius primæ causæ, ipsa uerò est causa effectiua aliorum effectuum, cum dependentia tamen à Deo prima causa.

Secundò. Diuiditur, in causam per se, & per Accidens; causa per se est illa, quæ per suum esse producit, diciturque causa necessaria, ut ædificator per se ædificat, pictor pingit, &c. causa uerò per accidens est quæ .i. concurrat ad effectum, non tamen est illi necessaria, sed solùm accidentalis, & cum illa contingentem connexionem habet effectus, ut Musicus, qui ædificat, quòd enim sit Musicus est causa per accidens ad ædificationem, ædificaret enim .i. solùm esset ædificator, non Musicus; dupliciter autem potest esse causa per accidens, uel ex parte causæ, uel ex parte effectus; tunc causa dicitur per accidens ex parte lui, quando illi adest aliquod, quod etiamsi abesset produceret suum effectum, ut Musica in philosopho, dicitur causa per accidens, philosopharetur enim, licèt non haberet Musicam; ex parte uerò effectus dicitur per accidens, quando aliquid contingenter accidit effectui primario, & principali, vt si quis iter faciens inueniat massam auri, itineratio dicitur causa per accidens respectu inuentionis auri. Hi autem euentus, quia aliqui dicuntur fortuiti, aliqui casuales, ideò Casus, Fortuna, & etiam Fatum dicũtur causæ per accidens, de quibus in fine huius disputationis.

Tertiò. Diuiditur, in causam physicam, & moralem; physica est quę physicè, & realiter influit in effectum, vt ignis qui physicè, & realiter producit ignem; Moralis, quæ dicitur etiam imputatiua est quæ per se vere, non influit, sed inducit alium ad operandum certum effectum, talis, est qui suadet, docet, imperat, præcipit &c. dicitur etiam causa moralis, illa quæ est ratio, cur aliqua alia causa operetur ex aliquo pacto, sic Sacramenta dicuntur causæ morales gratiæ, & opera nostra bona, causa meritoria nostræ salutis, quia ad positionem Sacramentorum Deus nobis impertitur gratiam, & propter opera bona, elargitur præmium; omnis autem causa moralis reducitur ad causam physicam per accidens.

Quartò. Diuiditur in causam principalem, & instrumentalem; principalis est, quæ propria virtute attingit effectum principaliter intentum; instrumentalis verò, quæ non attingit effectum, nisi per virtutem causæ principalis, cui inseruit.

Quintò. Diuiditur, in proximam, seu immediatam, & remotam, seu mediatam; immediata est, quæ nullo mediante operatur, mediata verò, quę requirit aliquod medians vt operetur.

Sextò. Diuiditur in Vniuocam, & Æquiuocam; Vniuoca est, quæ producit effectum sibi vniuocè, similem in natura, & eiusdem rationis, qua de causa dicitur formaliter continere effectum, vt ignis producens alium ignem. Æquiuoca verò, quæ effectum alterius rationis, & naturæ producit, vt Sol, qui producit aurum in visceribus terræ, & ideo non formaliter, sed virtualiter dicitur continere effectum.

Diuid. insuper causa efficiens, in totalem, & partialem, in vniuersalem, & particularem in subordinatam, & non subordinatam, & in plures alias diuisiones, quas, quia nec sunt tam necessariæ, & potiùs ad assignatas reducuntur, ideo omitto; videre est diffusè apud D.D. studentes, per multas scriptiones libros multiplicate.

An autem omnes assignatæ causæ possint dici propriè

propriè causæ efficientes, de causa per accidens, remota. & instrumentali est quæstio inter Doctores, de cœteris enim ferè omnes concedunt, quare de his.

13 Quæres. Vtrum causæ per accidens, instrumentales, & remotæ sint veræ causæ efficientes.

Resp. primò. Causas per accidens non posse appellari propriè causas, cum enim propriè non influant in effectum, ideo illis non propriè conuenit definitio causæ.

Resp. 2. Causas remotas, dummodo influant aliquo pacto in effectum, posse appellari causas, licet enim immediatè non producant effectum, sed mediante alio, si talis effectus prouenit ab ipsis, rigorosè sunt appellandæ causæ, ferè enim omnes producunt mediantibus accidentibus, & tamen vocantur propriè, & rigorosè causæ.

Pro tertia Responsione suppon. est. Causas instrumentales, seu instrumenta ea esse, quæ ab Agente principali eleuantur ad producendum effectum ipsis superiorem, seu ad operandum supra naturam, & virtutem propriã, effectum proportionatum, non ipsis instrumentis, sed Agenti principali; sic est serra ad secandum, calamus ad scribendum, &c. quædam autem sunt instrumenta, quibus communicatur ab Agente naturali virtus quędam operatiua præter entitatem ipsius instrumenti, vt est serra, calamus, &c. quibus ab Agente naturali imprimitur virtus motiua, seu motus localis, semen, cui imprimitur ab Agente naturali virtus generatiua, & informatiua, & talia instrumenta producendo effectum, dicuntur in virtute Agentis, per virtutem illis communicatam operari, & producere effectum; alia autem instrumenta sunt, in quibus non reperitur alia virtus distincta, sed ipsa istrumẽta sũt pricipalitervirtutes ipsius Agentis, vt est calor, qui se habet vt instrumentum vnius ignis, ad producendum alium ignem. Hæc autem omnia instrumenta, licet operentur in virtute causæ principalis, tamen in se debent habere aliquam Innatam proportionem, & aptitudinem ad effectum, alioquin quocumq. instrumento, quilibet effectus posset fieri, quod est falsum, nam malleus non potest secare, serra, scribere, &c. debet ergo instrumentum habere certas dispositiones, quibus fit accomodatum, & dispositum ad suum effectum. His suppositis.

14 Resp. quartò. Instrumenta, seu causas instrumentales esse veras causas efficientes. Ratio autem, quæ suadet, est, quia influunt in effectum, & ab ipsis effectus pendet, nam licet non influant per virtutem propriam, influunt tamen immediatè, per virtutem communicatam, & insuper habent certam proportionem, & dispositionem ad effectus, quæ non reperitur in Agente; quare &c.

SECTIO IIII.

In quo consistat causalitas causæ efficientis.

SVpp. primò. Aliquod agens, seu causam efficientem (idem enim est) agere mediante actione realiter distincta ab Agente, & subiecto, agere enim, & causare, importat actionem; hæc autem actio, vt suo loco probabitur, est quoddam accidens transiens ab Agente, & in passum receptum; modò quæritur, an hæc actio sit causalitas causæ efficientis, uel aliquid aliud. 15

Supp. 2. Causalitatem causæ efficientis in actu primo, esse uirtutem ipsiusmet causæ, per quam potest producere effectum, quare solùm est quæstio de causalitate in actu secundo, id, de ratione, per quam causa constituitur causans. Sit ergo.

Prima Conclusio. Causalitas causæ efficientis non consistit in actione, sed in efficere, & producere rem, siue secundùm totam substantiam, vt facit prima causa totum producens, siue secundùm partem, vt facit Agens producens formam, siue secundùm accidens, vt facit causa producens accidentia. Hæc conclusio est cont. communem, est tamen Iauelli 5. met. quæst. 4. Soncina. eodem loco, & Fons. 5. met. cap. 2. quæst. 5. sec. 3. & tota quæst. 13.

Prob. prima pars. Actio est effectus promanans ab ipsa causa efficiente, sed effectus non est causalitas, ergo actio non est causalitas: min. con. ab omnibus, mai. prob actio pendet à causa vt quid ab ipsa productum, sed quod pendet ab alio hoc modo, est effectus illius, ergo actio est effectus causæ.

Neq. dicas, actionem esse effectum, & pendere à causa vt quo non vt quod, i. non esse illud, quod fit, & producitur, vt terminus, sed quo fit ipsemet terminus, atq. adeo actionem esse vt viam ad effectum, seu rationem, qua causa causat, quòd idem est, ac esse causalitatem.

Resp. enim, actionem quocumq. modo accipiatur semper pendere à causa, vt aliquod ab ipsa effectum, ratione cuius pendentiæ potest dici effectus eiusdem causæ, nam licet verum sit, non esse effectum principalem causæ, ex eo quia in aliud præter actionem tendit causa, negari tamen non potest, non dicere dependentiam à causa, quatenus fuum esse, recipit à causa; quare adhuc quærendum esset, per quid constituatur causa causans respectu actionis.

Prob. 2. Remota actione, adhuc causa dicitur agens, & efficiens, ergo causalitas causæ efficientis non consistit in actione, antecedens prob. nam de rana v. g. genita, adhuc potest dici, quòd pendet à sole, vt ab efficiente, licet præterita sit actio, filius pendet à Patre, vt ab efficiente, licet amplius non generetur, ergo &c.

Neq.

15 Neq. dicas, has esse puras relationes, aut connorationes extrinsecas.

Resp. enim, huiusmodi relationes nõ esse extrinsecas, beoè quidem intrinsecas, & essentiales, vt diximus cum de relatione transcendentali, verè enim, & realiter filius semper dicit pendentiam à Patre, Rana à Sole, neq. per aliquid extrinsecum, sed per propriũ esse, qu steuns semper importat esse effectum à tali causa, à tali principio.

Prob. 3. Agentia, quę producunt operationes immanentes, sunt veræ causę. suas habentes causalitates, quales sunt præcipuè intellectus, & voluntas, sed hæc Agentia nullum alium effectum habent, nisi actiones, ergo in actione non potest consistere eorum causalitas, sed in efficere, & producere talium actionũ, consequentia prob. si in actione consisteret eorum causalitas, essent causæ, & non essent causæ, essent causæ, vt habentes causalitatem, & non essent causæ, vtpotè absq. effectibus, non enim potest dici, causalitatem, & effectum esse idẽ, ergo &c.

Prob. 2. pars. & explicatur. Dicimus causalitatem causæ efficientis consistere in efficere, seu producere rem, pro hoc intelligentes efficientiam exercitam, quam habet causa in effectum, quæ consistit in quodam modo pendentiæ, quem habet effectus à causa, quando enim concipitur efficere, seu producere causę, concipitur causa in actu secundo, atq. adeo cum causalitare, & pendentia effectus ab ipsa. Prob. ergo quòd hæc si vera causalitas; Causalitas est ratio agendi cuiusq. causæ, sed per efficere, & producere habetur ratio agendi causæ efficiẽtis, ergo in hoc consistit illius causalitas; min. pro. ratio agendi causæ efficientis in actu secundo, pendet à ratione, quam habet in actu primo. ergo si ratio agendi causæ efficientis in actu primo, est virtus ipsius, efficere, & producere talis virtutis, erit ratio agendi in actu secundo, ergo illius causalitas.

Prob. 2. Per hoc quòd effectus sit, & pendeat à causa. habetur causalitas causæ, sed per efficere, & producere, habetur, effectum pendere à causa, ergo per hoc habebitur causalitas causæ efficientis; min. prob. & Conf. conclusio, effectum esse, & pendere à causa, nihil aliud importat, nisi habere, vel habuisse esse à causa, sed huius ratio nõ potest esse actio, quæ transit, ergo ipsum efficere, & & producere causæ, seu modus, quo, dum effectus dependet à causa, ipsa de non efficiente fit efficiens.

Ob. primò. Omne Agens actione agit, ergo actio est ratio agendi, seu causalitas. Item denominatur Agens ab actione, & ea posita, ponitur Agens, ea remota non est Agens, ergo actio est ratio Agendi, atq. adeo causalitas.

Resp. Hoc totum concludere, actionem, siuè in præterito, siuè in præsenti, siuè in futuro, esse necessariò requisitam ad hoc vt Agens, saltem creatum, agat, quòd neq. nos negamus; non tamen concludit esse causalitatem ipsius Agentis; sicuti enim, licet non detur mouens sine motu, non tamen motus dicitur illius causalitas, cum potius sit effectus mobilis; ita à pari, licet non possit dari quòd agens agat, absq. actione, in illa tamen non est ponenda causalitas, cum actio possit cessare, & causalitas permanere.

Quòd si dicas, non potest excogitari hoc efficere distinctum ab ipsa actione, ergo &c. 16

Resp. dupliciter posse considerari effectum, & in fieri, & in facto esse, effectus in fieri, est ipsum fieri, seu actio effectiua effectus, in facto esse, est terminus talis actionis, sicuti ergo effectus in facto esse dicit quemdam modum pendentiæ à causa, à qua fuit productus, solùm modaliter, non entitatiuè distinctum ab ipso effectu, sic etiam effectus in fieri, siue fieri, & actio effectus, importat quẽdam modum, quo talis actio, seu fieri effectus dependet, & fluit à causa reali, tamen indistinctum ab ipsa actione; in hoc ergo modo dicimus consistere causalitatem causæ, qui cum in causis producentibus effectum mediante actione, non sit entitatiuè distinctus ab ipsamet actione, in causa est, quòd ipsa actio videatur causalitas, cum tamen de facto non sit, sed sit talis modus, fluxus, & pendentiæ modaliter distinctus ab ipsa actione.

Ob. 2. Efficere, seu producere, & actio idem sunt, ergo licet sit discrepantia in nomine, in re conuenit conclusio cum communi.

Resp. neg. antecedens; efficere enim, & producere importat modum, quo effectus prouenit, & dependet à causa, qui ab ipso non est distinctus, vt de omnibus modis supra explicauimus, actio verò importat accidens fluens &c. quare potiùs effectus, quàm causalitas debet appellari. Neq. enĩ per hoc quòd per ipsam fiat effectus principalis, ipsa deperdit esse effectum, nam vnus effectus potest ordinari ad alium, vt patet in alijs effectibus, qui ordinantur aliquando ad principaliores. Deinde dist. antecedens, efficere, & actio idem sunt, si sumatur actio pro quodam accidente distincto, & neg. si verò pro fluxu, & emannatione effectus à causa, & conc. antecedens, & in hoc casu conc. causalitatem esse actionem causæ, sumendo illam, non strictè pro quodam accidenti, sed largo modo, pro quocumq. fluxu. Quando autem nos dicimus, causalitatem causæ non esse actionem, sumimus actionem strictè pro quodam accident realiter distincto, quo pacto actio nõ distinguitur à motu, vt infra suo loco.

Neq. dicas, etiam hic modus penderet, & pro- 17
duceretur à causa, ergo etiam ipse modus esset dicendus effectus non verè causalitas.

Resp. enim, hunc modum pendere à causa, vt *quo*, non verò ut quod .s. non ut id *quod* fit, sed *quo* effectus fit, rationes autem formales, quibus aliquid fit, ut omnes Philosophi concedunt, non sunt tales per alias rationes illis superadditas, sed se ipsis sunt tales; quare cum hic modus sit ratio formalis, qua causa dicatur causare effectũ, illius alia causalitas, aut ratio formalis non est assignanda. Quod totum, licet possit dici de actione respectu effectus principalis, quòd .s. etiã ipsa sit ratio, qua ipse producatur, attamen hoc illi prouenit per accidens, non secundùm se, & secundùm suam naturam, cum possint dari aliquæ

actiones,

actiones, vt sunt immanentes, quæ non sunt rationes quibus, sed id, quod principaliter producitur, quare cum generi nequeat conuenire, quod disconuenit speciebus, ideo cum disconueniat aliquibus actionibus in specie, esse causalitates, neq. generi id conuenire dicendum est.

Ob. 3. Causa prima producit entia creata, sed non producit ratione noui modi aduenientis, in Deo enim nullus modus est assignabilis, ergo in modo non est dicendum consistere causalitatem cuiuscumq. causæ efficientis, sed in actione.

Resp. dist. min. non producit ratione noui modi aduenientis in Deo, & conc. min. non producit ratione noui modi aduenientis in creatura, & nego min. quando enim de nouo, & in tẽpore à Deo producuntur creaturæ, licet Deus remaneat immutabilis, attamen fluxus, & pendentia creaturæ à Deo denouo habetur, in quo consistit causalitas causæ efficientis, quæ se tenet ex parte effectus, qui per causalitatem dicitur pẽdere à causa, quare melius est dicendum, causalitatem etiam respectu primæ causæ consistere in efficere, & producere effectum, quòd importat influxum in effectum secundùm modum essentialis pendentiæ ipsius à causa, in quo consistit vera causalitas.

Deinde, etiam ipsi aduersarii huic argumento tenẽtur respõdere, creatio enĩ nõ est actio propriè dicta, cum creatio non supponat subiectum, benè verò actio, secundùm communiorem doctrinam.

Neq. enim valet quod dicit Suarez in Met. disp. 20. de creatione sec. 3. actionem creatiuam esse substantialem, atq. adeo non exigentem subiectum. Cum enim possit saluari creatio per hunc modum dependentiæ, per quem fluunt creaturæ à Deo, melius videtur dicendum, in hoc modo consistere creationem, cum quilibet modus de sua natura sit indistinctus à re cuius est modus, atq. adeo non exigens in aliqua prioritate subiectum, non sic autem actio, neq enim gratis est admuenìendum nouum genus actionis importans actiones substantiales.

Quæres. Quænam conditiones requirantur ad hoc vt causa efficiens agat.

Resp. 4. communiter assignari. Prima est, quòd causa existat ante effectum.

Secunda, quòd agat in passum distinctum.

Tertia, quòd illud passum sit illi propinquum.

Quarta denique, quòd passum sit dissimile, de omnibus erit dicendum. Quare sit.

SECTIO V.

An existentia sit necessaria, vt causa efficiens operetur.

18 PRima conditio, ex his, quas diximus requisi ad hoc, vt causa efficiens agat, est, quòd existat; modò inquirimus, an talis conditio, ita sit necessaria, vt nequeat absolutè, & simpliciter haberi effectus, ipsa non existente. Sit ergo.

Prima Conclusio. Ad hoc vt causa efficiens producat, necesse est quòd existat. Est ferè communis vt apud Mastrium disp. 7. quæst. 4. art. primo Morandum secundò Phy. trac. 5. quæst. 8.

Prob. primo. Si effectus posset produci, causa non existente, sequeretur, effectum à se ipso esse, hoc nõ potest dici, ergo neque quòd producatur, causa nõ existente, sequela prob. nullũ enim esset producens, ergo à se ipso esset, min. patet, esset enim ens improductum, sicuti est Deus, quòd implicat.

Prob. 2. Operari sequitur ad esse, seu operari supponit existentiam operantis, sed producere est operari, ergo supponit existentiam operantis, ergo existentia est necessaria in causa ad causandum.

Prob. 3. Nemo dat quod non habet, ergo causa non existens, nequit tribuere effectui existentiam, ergo necesse est, quòd ipsa existat, ad hoc vt effectum producendo, illum existere faciat.

Prob. 4. Imperfectius nequit producere perfectius, ergo causa non existens, nequit producere effectum, consequentia prob. perfectior est enĩ effectus existens, quam causa non existens.

Conf. auc. Aristotelis, qui 4. Met. tex. 16. ait *quæ non sunt, quomodo loquentur, aut videbunt, seu ambulabunt*

Ob. tamen ex aliquibus Thomistis. Sola contiguitas durationis, ratione cuius immediatè ante extiterit causa, ac existat effectus, sufficit vt causa dicatur producere, ergo non est necessaria existentia; antecedens prob. ex eo quia illud instans primũ, ĩ quo causa cessat esse spectat ad illius existentiam.

Resp. neg. antecedens, ad cuius probationem dico, nullo pacto instans, in quo causa non est, pertinere ad illius existentiam; quare cum productio sit prædicatum reale, pariter supponitur reale producens, nequit autem esse reale, nisi existens, ergo existentia est necessaria ad hoc &c.

Ob. 2. Causa finalis, licet non existens, producit suum effectum, ergo hoc etiam poterit præstare causa efficiens, consequentia patet, ambæ enim conueniunt in ratione causæ extrinsecæ.

Resp. neg. consequentiã, & ratio est, quia in tantùm non est necessaria existentia realis, & physica causæ finalis, quia solummodo causat intentionaliter, non autem physicè, causa autem efficiens physicè, & realiter causat, quare, & physicè, & realiter debet existere; nomò sicuti necessaria est existentia intentionalis in causa finali, ita vt si taliter non existeret, nullo pacto posset causare, ita necessaria est propria existentia causæ efficientis .s. existentia realis, & physica.

Ob. 3. Viuens de facto producit aliud viuens dum non existit, ex semine enim v. g. producitur arbor, licet arbor, à qua semen est productum, & cuius est causa instrumentalis respectu productionis talis arboris, sit emortua. Item si postquam quis proiecit lapidem, moriatur, continuatur motus, licet illius causa amplius non existat, ergo

ergo non semper est necessaria existentia in causa efficiente ad agendum.

Resp. in his, & similibus casibus perseuerare virtutem causę, quare licet ipsa causa non existat, existit tamen mediante sua virtute, quòd sufficit, ad hoc ut habeatur effectus, & ideo fit.

19 Secunda Conclusio. Licet causa non existat, dummodo tamen illius virtus existat conseruata in aliquo, ab ipsa potest haberi effectus. Sequitur ex dictis.

Patet hæc Conclusio, ex exemplis allatis in vltima obiectione. Tum ratione, quia ideo requiritur existentia causæ ad agendum, ne actio realis habeatur à non realiter existente, sed in tali casu, actio, & productio non haberetur à non realiter existente, ergo &c. min prob. cũ enim virtus causæ sit illius instrumentum in ordine ad operationem, & aliquid eiusdemmet causæ, talisque virtus existat, ideo in illa existeret & causa, atq. adeo mediante ipsa, vt causa instrumentali potest producere effectum.

Quare ex hoc deducitur, sufficere ad producendum effectum existentiam virtutis eiusdemmet causæ, ipsa causa non existente: Hoc autem ita verũ est, vt neq. etiam supernaturaliter possit haberi effectus à causa non existente, aut in se ipsa, aut in sua virtute, & hoc propter implicantiam, si enĩ haberi posset effectus à causa nullo modo existente, sequeretur quòd talis effectus penderet, & nõ pẽderet à tali causa, pẽderet, vt supponitur, esset enĩ causatus, non penderet, quia ab ipsa vt potè non existente, nihil existentiæ, seu entitatis reciperet, vt supra probabamus, nemo enim dat quòd non habet, ergo penderet, & non penderet, quòd implicat. Tum quia, si Deus eleuaret causam non existentem ad producendum effectum, vel eleuaret per aliquid tali causæ intrinsecum, vel extrinsecum, non per extrinsecum, quod enim est extrinsecum debet subiectari in aliqua potentia physica, quæ cum non supponatur in causa physicè non existente, ideo &c. neq. per intrinsecum, vel enim hoc impressum fuit in causa, quando priùs erat, vel postquam cessauit esse, si quando priùs erat, ergo & desiuit esse ad desitionem causæ; si quando non est, hoc nequit esse, nihil enim incapax est recipiendi aliquid, at causa non existens, in se nihil est, ergo &c. Quare

Coll. Existentiam causæ esse conditionem, sine qua non, cum enim effectus exigat suum principium causatiuum, hocq. non possit causare nisi existat, ideo existentia in tali principio, seu causa, est conditio necessaria ad agendum.

SECTIO VI.

An causa creata sit immediatè actiua.

20 CVm supradixerimus, causas creatas de se esse productiuas aliquorum effectuum, Quærimus hic, an tales effectus producant causę creatæ immediatè, vel aliquo mediante. Quæstio est autẽ tam de substantiis, quàm de accidentibus.

Prima Conclusio. Substantia de facto aliam substantiam immediatè non potest producere, benè verò mediis accidentibus, Ita cum D. Tho. prima part. quæst. 45. art 5 omnes Thomistæ, & alii multi tam recentiores, quàm antiqui, fusè relati ab Auer. quæst. 37. sec. 5. a Ioa. de S. Th. qu. 12. in Physica art. 2. Compl. disp. 10. de causa effic. quæ. 4. & ab aliis,

Prob. primò. Ipsi oculis videmus, substantiam semper mediis accidentibus producere, vt patet in igne, in generatione animalium, plantarũ, &c. ergo.

Prob. 2. Substantia creata, sicut se habet ad esse, ita se habet ad operari, operari enim sequitur ad esse, sed quoad esse non potest naturaliter existere sine accidentibus, ergo neq. naturaliter sine ijs operari, ergo medijs illis attingit productionem substantiæ, atq. adeo non immediatè.

Prob. 3. Agens creatum, circa materiam agit illam priùs disponendo ad formas, sed non potest disponere ad formas, nisi medijs accidentibus, ergo necesse est, quòd medijs accidentibus agat, ergo non immediatè.

Prob. 4. Conceptus Agentis importat actionem, sed actio est accidens, ergo agens, nisi per accidens, seu nisi medio accidenti actionis agit, ergo non immediatè attingit productionem substantiæ.

Neq. dicas, Angelum, & animam rationalem producere immediatè per emanationem, proprias subsistentias quæ sunt quid substantiale, ergo &c.

Resp. enim subsistentias rerum produci à producente substantiam, quare non emanant à substantia.

Neq. dicas secundò, accidentia non posse concurrere ad productionem substantiæ, ergo &c.

Resp. enim, satis demonstratam esse hanc virtutem in accidentibus ad producendas substantias in primò physic. disp. 2. sec. 4. de formis accidentalibus.

Secunda Conclusio. Substantia nullo mediante producit accidentia, tùm in se ipsa, tum in alio subiecto. Quoad primam partem est communis vt apud Ouiedo cont. 9. Physicæ punc. 3. num. primò, Compton. disp. supracitata sec. 7. Serb. disp. 2. quæst. 3. de causa, & effectu, art. 6 Spin. disp. 6. in lib. physic. sec. 2. Guarin. disp. 6. de causa exp. 7. quoad secũdam partem est Arriagæ disp. 9. Phy. sect. prima. Ouied. loco suprac. Hurt. disp. 9 Phy. sec. 3. Serb., & Spinulæ loco supracit.

Prob. experientia prima pars. Aqua calefacta ad pristinam frigiditatem se reducit, sed non per aliquod accidens, per quod operetur, & producat in se talem frigiditatem, ergo per se ipsam, ergo immediatè producit accidens s. talem frigiditatem.

Neq. dicas ex Ianello, ibi esse aliquam qualitatem occultam, non verò substantiã, quæ producit accidentia,

Resp. enim, quòd si est occulta quomodo ipsi innotuit

notuit

potuit, vnde eam negamus, quare vt ait Hurtado confugere ad occultas causas coactos ab efficacia rationis, est aram erigere ignoto Deo.

Prob. 2. in nostra sententia, non distinguente potentias ab anima. Anima producit in se ipsa intellectiones, & volitiones, sed huiusmodi sunt accidentia, ergo substãtia immediate potest in se producere accidentia; hoc etiam patet in passionibus immediatè emanantibus ab essentia terrum, & in ipsis receptis.

Prob. secunda pars. Calor productus in alio subiecto non est perfectior, quàm productus in se, modus operandi transeunter non est perfectior modo operandi immanenter, ergo si substãtia potest producere calorem in se, operationem immanentem in se, hoc poterit præstare in alio quantùm est ex se.

Conf. ex doctrina supra allata de actione. Actio non est causalitas causæ, sed effectus accidentalis eiusdem, sed hæc subiecatur in alio, & à substantia imediatè procedit, ergo causa, & substãtia potest producere accidens etiam in alieno subiecto immediatè.

Conf. 2. Sol producit in corpora sublunaria calorem, sed non producit per aliunt calorem, ipse enim formaliter non est calidus, sed tantùm virtualiter, ergo per se ipsum, ergo substãtia producit accidẽs in alienum subiectum; Tum imprimitur in proiectis impulsus à potentia motiua, sed hæc est substantialis, ergo &c.

Neq. valet, quasi semper produci accidens immediatè ab alio accidente, ergo &c.

Resp. enim, hoc prouenire quia accidentia sunt magis proportionata, & propinqua accidentibus productis, quàm ipsamet substantia, per hoc tamen non sequitur, etiam substantiam immediatè non producere accidentia aliqua.

21 Tertia Conclusio. Substantia, licet medijs accidentibus, verè producit substantiam. Est communis, contra quosdam antiquos, quos ex parte defendit Auic. lib. primo suffici. cap. 5. & lib. 4. metaphysicæ cap. 4. quidicebant, in rebus creatis, licet adsit virtus producendi accidentia, & dispositiones, non tamen esse ad producendas substantias, solumq. has produci, vel à Deo, vel ab aliqua intelligentia separata Datrice, & causa cuiuscumq. substantiæ. Hanc etiam sententiam posse defendi sustinent Soncinas 7. metaphysicæ quæst. 19. & Aresius 1. de Generatione disp. 2. quæst. 20. sec. 4. conclusione 5.

Prob. primò auct. Sacræ Scripturæ multis in locis, & præcipuè Gen. 1. *germinet terra herbam virentem, & facientem semen, & lignum pomiferum faciens fructum, &c.* vbi secundùm communissimam doctrinam sensus est, plantis indicam fuisse virtutem verè producendi sua semina, & plantas.

Prob. 2. Quotiescumq. aliquod agens est sufficiens ad producendum aliquem effectum, illi non est neganda potentia ad illum, sed substantia ignis v. g. est sufficientissima ad producendum alium ignem, ergo talis potentia illi non est neganda, min. prob. non enim est assignabilis ratio, quare sit insufficiens, neq. enim est improportio in substantia, neq. hoc inducit perfectionem infinitam, ergo, &c.

Conf. Ignis producit semper ignem, non verò aquam, ergo quia substantia ignis est quæ producit aliam substantiam ignis, si enim non esset substantia, quæ produceret, sed Deus ad præsentiam talis causę, posset aliquando producere aliam substantiam.

Conf. 2. Accidentia aliqua, & dispositiones, ex aduersariis, producuntur ab ipsa substantia, ergo poterit etiam substantia produci, cum nulla appareat implicantia.

Neq. dicas, ex Arist. non apparet maior ratio cur dicatur ignem producere ignem, quã quòd dicatur hominem generare hominem, sed homo nõ generat hominem, nisi dispositiuè, producendo vnionem, neq. enim producit substantiam animæ, ergo sic etiam dici potest de igne; & .

Conf. quia substantiæ spirituales, alias nobiliores materialibus, non producunt substantias sibi similes, ergo tantò minùs materiales.

Resp. neg. mai. in tantùm enim homo non dicitur generare hominem per productionem animæ, quia ad productionem animæ, vt potè spiritualis, non habet vires sufficientes, quare solùm vnionem producendo, hominem generare dicitur; quòd etiam euenit in productione quarumdam formarũ, quarũ causa naturalis effectiua sufficiens nequit assignari, vt sunt animæ animalium, quæ ex putri nascuntur, seu ex ouis; hoc autem nequit dici de igne, non est enim assignabilis ratio, cur ignis de se non sit sufficiens ad producendum ignem; deinde si ex Aris. homo producit vnionem, quæ est substantialis, ergo causa creata potens est producere quid substantiale, ergo &c.

Ad Conf. dico, quòd per hoc quòd substantiæ spirituales, non producant sibi similes, non est arguendum, hoc necessariò etiam euenire in materialibus, cum videamus ignem producere ignem, non sic Angelum producere Angelum, aut animam rationalem.

Coll. hic, quòd suppositum est principium principale, vt quod, productiuum substantiæ, forma verò eiusdem suppositi, est principale principium vt quo; ratio autem est, quia operationes vt cõmuniter loquuntur, sunt suppositorum; Forma verò est principium principale vt quo, quia forma substantialis est principium essendi principale, & substantiale, ergo etiam debet esse principium operãdi, ex quo tãquam ex radice prouenient actiones, q̃ à materia, vt potè nõ operatiua, neq̃t prouenire.

SECTIO VII.

An requiratur distinctio realis inter Agens, & Passum.

Diximus, inter conditiones requisitas, ad hoc vt agens operetur, esse distinctionem inter ipsum, & passum, circa quod agit, modò ergo inquirimus, an sẽper, & quãdo talis distinctio requiratur. 23

Supp. est autẽ, actionem Agentis, & esse vniuocã, & æquiuocam; actio vniuoca est, qua agens vniuo-

cum, seu formale producit effectus eiusdem rationis, ac est ipsum, & calidum producens calorem, actio verò æquiuoca est, qua agens æquiuocum, seu virtuale producit effectum diuersæ rationis, ac est ipsum, quem tamen uirtute continet, ut forma aquæ producens frigiditatem, modò ergo inquirimus respectu utriusq. actionis, an semper sit necessaria distinctio inter agens, & passum; Et quia respectu actionis uniuocæ, sensus quæstionis idem est ac inquirere, an simile possit agere in simile, ideo de hoc etiam in præsenti sect. erit sermo.

Prima Conclusio. Inter Agens Æquiuocum, & passum potest non interuenire realis distinctio; atq. adeo aliqua causa, seu agens potest in se ipsũ agere actione æquiuoca. Est ferè communis, Scotus in primo dist. 3. quæst. 7. Suarez in Met. disp. 18. sec. 7. Mastrius disp. 7. in Phy. quæst. 4. art. 2. Auersa quæst. 14. de causa effectiua sec. 5. Arriaga Morandus, Guarinus, & alii.

Prob. primò auct. Aristotelis, qui 4. cœli tex. 24. ait, eleméta habere in se ipsis suarum mutationum principium, & moueri a se ipsis, item 7. Phy. tex 10. ait *omne quod mouetur, aut mouetur a se ipso, aut ab alio*.

Prob. 2. ratione. Nulla est implicantia, agens producere in se effectum, quem non habet formaliter, ad quem tamen producendum habeat uirtutem, ergo potest producere, ergo in tali casu nõ erit distinctio realis inter agens, & passum, antecedens patebit Responsionibus argumentorum, consequentia est clara.

Prob. 3. experientiis. Tum quia actiones immanentes, vt volitio, intellectio, &c. recipiuntur in subiecto, à quo sunt, ergo &c. Tùm quia grauia, & leuia se ipsis mouentur, in se ipsis proprium motum recipiendo, &c. viuentia motum localem; alterationis, & augmentationis in se producunt, aqua calefacta pristinam frigiditatem in se causat, ergo non est necessaria distinctio realis inter agens æquiuocum, & passum, dum actione æquiuoca agit, atq. adeo, idem potest agere in se ipsum actione æquiuoca.

23 Secunda Conclusio. Inter agens, & passum non potest interuenire identitas similitudinis, seu quòd idem est, agens non potest agere in sibi omninò simile, atq. adeo, neq. agens vniuocum in se ipsum, cũ sit sibi plusquàm simile. Est ferè omnium, quos supra pro alia conclusione posuimus.

Prob. prima pars. Omne agens agit propter finem, & consecuto fine, quiescit, sed finis agentis naturalis est producere aliquid sibi simile in passũ, ergo si iam simile est, non potest illud producere, ergo neq. agere, ergo inter agens, & passum, non potest interuenire identitas similitudinis.

Prob. 2. Agens debet excedere aliquo pacto passum, vt in illud agere possit, ergo passum nequit esse omninò simile agenti; antecedens patet, si enim est maioris resistentiæ passum, ergo non superabitur ab Agente, si verò sit æqualis actiuitati agentis, etiam resistet, ergo ad hoc vt sit actio, agens debet excedere passum, ergo in simile, &c.

Prob. 3. à posteriori. Positis duobus frigidis aut calidis, vt duo, sibi inuicem nõ augent frigiditatem, aut calorem, ergo quia simile nequit agere in simile, ex quo patet.

Secunda Pars, cum enim nihil sit magis simile, quàm idem sibi ipsi, ideo agens vniuocum, vniuoca actione potens producere formam sibi similem, illam in se nequit producere, cum supponatur esse.

Prob. 2. Agens Vniuocum non potest agere, nisi circa materiam à se distinctam, ergo &c. antecedens patet, in tantùm enim potest producere formam in materiam, in quantùm materia, eam non habet, sed solùm materia a se distincta non habet formam, quam potest producere, si quidem illius materia talem formam habet, ergo nisi in materiam distinctam potest agere, ergo non in se ipsum; & experientia.

Conf. ex eo quia, calidum vt 4. numquam se ipso fit calidum vt octo, alioquin omnia essent calida in summo, cum in se ipsis semper agerent, & sic intenderentur.

Ob. contra primam Conclusionem. Aristoteles pluribus in locis ait, idem non posse agere in se ipsum, præcipuè 8. Phy. tex. 40 vbi ait omne quòd mouetur, nõ à se ipso moueri, quia sequeretur quòd totum moueret, & moueretur, quòd est falsum, ergo ex Aristotele non deducitur conclusio supra assignata.

Resp. Aristotelem in locis supra assignatis pro Cons. nostræ conclusionis clarè, & apertè loqui, quare si aliquando ait, idem non posse agere in se ipsum, vel loquitur de actione corruptiua, & destructiua sui, quæ quidem non potest esse ad se ipsum, ut & nos dicimus, non verò de perfectiua sui, vel etiam de corruptiua alicuius contrarij in se ipso, ut est actio, qua aqua destruit caliditatem in ipsa impressam; uel loquitur de actione vniuoca qua secundùm eamdem formam, & qualitatem aliquod agens agat, & patiatur, quod & nos negauimus posse esse, vel denique intelligit, idem non posse agere in se ipsum omninò idem, cum aliqua distinctio debeat interuenire inter agens, & passum, quæ tamen distinctio non est necesse, quòd sit realis, sed sufficit quòd sit, vel formalis, vel virtualis, s. secundum diuersas formalitates, idem enim quatenus producit actionem, seu agit, subit formalitatem agentis, quatenus verò eamdem recipit actionem, formalitatem induit passi.

Ob. 2. Ex eodem Aristotele, quòd agit est in actu, quod patitur in potentia, sed implicat, idem simul esse in actu, & in potentia, seu non in actu, ergo implicat, idem agere in se ipsum. 24

Res. Hoc solùm verum esse de Agente Vniuoco, quod cum actu habeat formam, quam communicare debet, nequit in se eam producere, non autem hoc intelligi de agente æquiuoco, quod secundùm diuersam rationem est in actu, & in potentia, in actu quidem virtualiter, in potentia verò formaliter, agens enim æquiuocum cum non habeat in se formam producendam, caret formaliter illa forma, atque adeo est in potentia formali, virtualiter postea est in actu, quia scilicet solam habet virtutem ad producendam talem formam, esse autem in actu virtuali, & in potentia formali

non

non omninò inter se repugnant, benè verò solùm esse in actu, & in potentia formali, calidum enim v. g. formaliter, non potest esse in potentia ad calorem, aliter simul haberet, & non haberet calorem. Deinde, distinguo min. implicat idē simul esse in actu, & in potentia, si sensus sit de actu, & potētia inuicē oppositis, & conc. si de non oppositis, & nego min. in casu autem nostro idem esset in actu sumpto pro principio actiuo, seu pro actione, & in potentia subiectiua ad recipiendam talem actionē, huiusmodi autē potētia, & actus nō inuicem repugnant, potentiæ enim subiectiuæ solùm est oppositus actus formalis, sicuti obiectiuæ actus entitatiuus, & actiuæ, operatio actualis.

Ob. 3. Inter agens, & passum debet esse appropinquatio, sed idem non potest esse sibi propinquum, ergo &c.

Resp. approximationem requiri, ad hoc vt actio in passum possit recipi; quare cum agens in se ipso agat, approximatio non est necessaria; cum magis possit aliquid suam actionem in se producere, quàm in subiectum propinquum, nihil enim est propinquius, quàm idem sibi ipsi.

Ob. cont. secundam Conclusionem. Causa adequata naturalis alicuius formæ, si sit applicata subiecto capaci illam recipiendi, potest talem formam producere, sed calidum vt duo, est causa adæquata producendi vnum gradum caloris, & subiectum calidum vt duo, est capax recipiendi vnū gradum caloris, ergo necessariò calidum, vt duo producere poterit i subiecto pariter calido, vt duo, vnum gradum caloris, & sic simile agere in simile.

Resp. disting. secundam partem min. subiectum calidum vt duo, est capax recipiendi vnum gradum caloris, ab alio subiecto, & causa calida vt duo, & neg. min. ab alia causa, & conc. min. cum enim calidum vt duo non excedat virtute subiectum iam calidum vt duo, ideo in illud nequit agere, atq. adeo neq. calorem vt vnum producere; & huius rei, præter assignatas in probationibus cōclusionis, aliam rationem adducit Aristoteles primò de Gen. tex. 46. & 48. nempe, si aliquid posset agere in sibi omnino simile, etiam posset vniuocè in se ipsum agere, atq. adeo calidum vt quatuor se ipsum vt octo intendere, quòd tamen & contra experientiam, & rationem esse, supra probauimus.

Coll. primò. Inter causam efficientem, seu agens, & passum, solùm necessariā esse aliquam distinctionem, aut formalem, aut virtualem, non autem realem; quòd si realis aliquando inter agens, & passum est necessaria, non est necessaria simpliciter quatenus est causa efficiens, sed quatenus est talis causa efficiens, & sic inter causam increatam producentem ad extra, est semper necessaria distinctio realis à passo, & creato, quia ens creatum ab increato seu creante realiter distinguitur. Est autem necessaria saltem distinctio formalis, aut virtualis, cum agens secundùm eam rationem, secundùm quàm agit, non possit dici passum, ex eo quia inter agens, & passum interueniat relatio, & relatio nequeat esse nisi inter duo, saltem formaliter, aut virtualiter distincta; quare dum idem agit actione æquiuoca in se ipsum producendo formam, quam virtualiter non formaliter habet, distinguitur à se ipso habente postea formam formaliter; sic mouens, vt non habens formaliter, sed solùm virtualiter formam, distinguitur à se ipso moto, idest, vt habente formaliter illam formam.

Coll. 2. Idem posse agere in se ipsum actione æquiuoca, nedū per naturalē resultātiā, sed etiā per realem efficientiam; Item nedum actione perfectiua, sed etiam corruptiua, non quidem sui, sed alicuius contrarij in ipso existentis. Item non solùm actione reflexa, sed etiam directa, non solùm ratione diuersarum partium integralium, sed etiam ratione diuersarum partium essentialium, cum enim respectu partium integralium saluetur talis actio in se ipsum, quia vna pars potest esse in actu, alia in potentia, cum hoc etiam possit dici de partibus essentialibus, ita quòd forma se habeat in actu, materia verò in potentia, ergo etiam secundùm ipsas poterit saluari huiusmodi actio, & hoc maximè patet in aqua calida se reducente ad formalem frigiditatem, forma enim est quæ in materia producit frigiditatem. 25

Coll. 3. Quòd licet idem possit agere in se ipsum, attamē semper dissimilitudo est necessaria inter agens, & passum, nam quando agens agit in se ipsum, semper producit formam, quæ non erat, atq. adeo inter agens, & se ipsum vt passum, aliqua dissimilitudo datur, vt enim agens, est in actu virtuali, & habens virtutem producendi formam, vt passum verò, est in potentia formali.

Coll. 4. Quòd, licet in principio actionis agens, & passum sint dissimilia, in fine postea actionis sunt similia, cum enim agens intendat producere sibi simile, ideo in fine suæ actionis, passum est illi simile.

Collig. 5. Inter agens, & effectum, aliquam distinctionem, non verò realem entitatiuè, esse necessariam; realis entitatiuè inquam non est necessaria, cum enī aliquod agens aliquem effectum possit producere in se ipso ideo distinctio realis nō est necessaria, & sic mobile se mouēs motu augmentationis, nequaquam habet effectum, substantiam scilicet acquisitam, distinctam realiter à se ipso, saltem in fine motus, quando scilicet habetur effectus terminatus; aliqua tamen distinctio est necessaria, sicuti supra dicebamus de Agente, & passo, cum enim effectus sit in potentia, dum agens est in actu, ideò saltem distinctio, aut virtualis, aut formalis, aut saltem modalis est inter ipsa necessaria.



SECTIO VIII.

An causa, seu Agens naturale possit agere in distans,

26 VAria quæsita, variæq. difficultates sub proposita dubitatione latent, dumq. inquirimus, an causa seu agens naturale possit agere in distans, diuersa ab hoc quæsito dirameseunt inquirēda, primò an agens agendo per medium agat in distās per suam operationem, ita vt ipsum sit, quod verè producat effectum in distans, vt v.g. an sol producat calorem in pariete distanti, an verò solùm in spatio sibi contiguo illum producat, à quo calore postea, calor in distans producatur; secundò, an possit agere in distans, si inter ipsum; & rem distantem intermediet vacuum; tertiò an nullo pacto agendo per medium possit agere in distans, quartò deniq. an cum re distanti nullum contactū habens, neq. etiam operationis, saltem diuinitùs, possit in illam agere.

Supp. est autem. Contactum, qui inter agens, & passum potest interuenire, vel esse mathematicum, vel physicum; contactus mathematicus, est quando corpora sibi mutuò sunt præsentia, & habent extrema simul, siue per modum vnius, siue cum immediata approximatione, nihil tamen agunt; Contactus verò physicus est, quando nedum corpora sunt sibi inuicem præsentia, sed insuper possunt agere, & pati, huiusmodi autem contactus vel est mediatus, vel immodiatus; mediatus est; quando duo dicuntur se tangere, quia tangunt tertium intermedium, sic ignis mediatè dicitur tangere lignum, illud calefaciendo, licet inter se ipsum, & lignum interueniat aer; immediatus verò est, quando nihil mediat. Hoc supposito, sensus quæstionis est, vtrum inter agens, & passum semper aliquis ex his contactibus sit necessarius.

Prima Conclusio. Agens naturale agit per a-
27 ctionem actualiter ab ipso fluentem in distans, licet adiuuetur etiam à qualitatibus in medio impressis. Ita Scotus relatus à Mastrio disp. 7. Phy. quæst. 4. art. 3. Arriaga disp. 7. Physicæ sec. 6. sub. 2. Suarez, Guarinus, & ferè communiter omnes recentiores.

Prob. primò experientia. Minùs sentitur calor prouemens a sole; si inter ipsum, & manum v. g. interponatur aliquod corpus, ergo signum est, illum calorem produci, & conseruari à sole in corpore opposito, & ab illo distanti.

Neq. enim valet, non sentiri talem calorem, ex eo quia per interpositionem corporis, corrumpantur gradus caloris, qui erant in aere; non inquam valet hæc responsio, primò, quia non sic statim possunt corrumpi tales gradus caloris, cum maximè tale corpus possit non esse actiuum, atq. adeo neq. corruptiuū, deinde, sicuti per aliquod tēporis conseruantur in aere gradus caloris, conseruarentur etiam in manu; non conseruantur autem, quia à corpore intermedio impeditur actio formalis actualia ab sole prouenien in manum.

Prob. 2: Quodcumq. accidens impressum in subiecto extraneo, non manet in eo, sed perit post aliquod tempus, vt calor in ferro, motus in pila &c. ergo quia ista accidentia actu non conseruantur à proprio agente, & à propria causa; ergo &c.

Prob. 3. Sol perstringit oculorum acies, ergo vera conclusio.

Neq. valet, esse radiū, qui hoc efficit, nō verò solē.

Resp. enim, si radius per se ipsum hoc faceret, faceret etiam, dum eum in pariete reflexè videremus, quòd tamen est falsum; nisi enim sol per directum aspiciatur, perstrictio oculorum nō sequitur, ergo sol per radium ab ipso fluentem agit in distans.

Prob. vlt. Aliquando contingit, agens, intensiùs agere in subiectum remotum, quàm in proximum, ergo immediatè agit in remotum distans, consequēt. patet, quia remissius nequit intēsius gignere, antecedens experientijs constat, in fondo lebetis, quod tepidum est, licet ebulliat aqua; in igne stupam remotam calefaciente ad gradum formæ ignis requisitum, non sic aerem intermedium calefaciendo, ergo &c.

Prob. secunda pars. Experientia constat, magis nos calefieri, si manum admoueamus ad medium calefactum, vt quatuor, quàm ad calefactum, vt duo, ergo signum est, quòd agens naturale adiuuetur ad agendum in distans à qualitatibus in medio impressis.

Secunda Conclusio. Agens naturale, naturaliter 28
non potest agere in distans, licet actu cocurrat, si vacuum sit medium: benè verò supernaturaliter. Est ferè communia.

Prob. prima pars. Quæcumq. operatio agentis est accidens, de cuius ratione est inhærere subiecto, sed vacuum non potest esse subiectum talis operationis, ergo talis operatio nōn potest esse in distans, si vacuum sit medium; minor patet; operatio enim realis nequit in nihil subiectari.

Prob. secunda pars. Quia talis operatio agentis potest à Deo effectiuè substentari, sicuti substentat accidentia eucharistica, & coniungi cum re distanti.

Tertia Conclusio. Agens, neq. naturaliter, neq. supernaturaliter potest agere in distans, nisi cum re distanti, & passo, saltem suam operationem coniungat; atq. adeo Agens non potest agere in distans, nisi transeundo per medium. Ita D. Tho. prima parte quæst. 8. art. primò, & 3. contra Gentes cap. 68. Caietanus, & ferè omnea Thomistæ cont. Scotum; ita etiam Aresius in primo de Generatione disp. 5. quæst. 41. sec. 2. Serbell. disp. prima de ortu, & occasu, quæst. 2. art. primò, Spinula in libris de Gen. disp. 4. sec. 5. Guarinus disp. 6. in Phy. Expens. 11. & ferè recentiores omnes.

Prob. prima pars auct. Aristotelis, qui pluribus in locis, & præcipuè 1. de Generatione tex. 49. & 7. Phy. tex. 10. ait, agens debere esse simul, siuè coniunctum cum passo.

Prob.

Prob. 2. Effectus realiter pendet, & recipit influxũ realem à causa, sed realis pendentia, & influxus importat cõtactũ effectus, aut cũ causa, aut cũ virtute causæ, ergo effectus debet habere contactum cum causa, aut cum illius virtute, ergo nullo pacto potest effectus esse à causa, si cum illo saltem operationem, aut virtutem, non coniungat, mai. & min. pat. ergo & consequentia.

Prob. secunda pars. Talis effectus productus in distans nullo mediante, penderet actu à causa, & non penderet, sed hæc implicantia nequit à Deo superari, ergo, &c. mai. prob. penderet, quia præsuponitur causam illum effectum actu causare, non penderet, quia nullo modo illi coniungeretur, ergò penderet, & non penderet, primum constat, patet, prob. secundum, ratio pendentiæ realis dicit fluxum realem, per quem aliquid dependeat, sed hic nihil reale præsuponitur influens à causa in effectum, ergo nec pendentia realis, ergo non penderet.

Prob. 2. Agens ex supradictis, nequit agere, nisi existat, saltem secundum suam virtutem, sed quod non existit respectu alicuius loci, ibi se habet ac si non existeret, ergo respectu illius loci nequit agere, ergo si in loco distanti, neq. sit agens, neq. illius virtus, nullo pacto poterit agere, &c.

Conf. Quia sicuti se habet existentia ad actionẽ Agentis, sic se habet existentia in hoc loco, ad actionem in hoc loco, ergo &c.

Prob. 3. pars. Si absq. medio agens naturale, naturaliter posset agere in distãs, posset agere in quodcumq. distans, sed implicat agens naturale agere posse in quodcumq. distans, hoc enim soli Deo conuenit, ergo & c. seq. prob. si enim Agens non dependeret à spacio, & interuallo mediante, ergo posset in quodcumq. distans agere.

Prob. 2. Partes spatii habent inuicem dependentiam essentialem, ita vt vna pars necessariò sit post aliam, neq. intra aliam possit esse, ergo agens agendo nequit non transire tales partes, saltem sua virtute, ergo nequit agere in distans absq. medio, prima conseq. prob. quia quidquid existit physicè, & realiter, etiam transeunter debet existere in spatio, omne enim quod est, alicubi est, sed virtus Agentis supponitur existere, ergo in spatio, at partes spatii intermediantes inter quodcumq. distans, & Agens, habent inuicem dependentiam, & ordinem essentialem, ergo talis virtus Agentis existens in vno spatio, nequit ad aliud spatium distans transire, quin transeat per partes essentialiter, & necessariò intermediantes, alioquin nullibi existeret in transitu, quem faceret ad distans, non tangendo medium.

Prob. vlt. experi. Quando inter Agens, & passum interponitur aliquod corpus incapax recipiendi actionem agentis, impeditur talis actio, ergo quia talis actio diffundebatur ab Agente, per medium in passum.

29 Neq. enim valet; sufficere præsentiam Agentis ad passum, quæ cum ĩpediatur per interpositionem talis corporis, ideo non sequitur actio. Hoc inquam nequit dici, quia præsentia non est actiua, neq. potest esse conditio requisita, nisi in quantum ab Agente præsente, diffunditur per medium virtus ad passum.

Neq. valet, corpus posse poni saltẽ diuinitùs in duplici loco absq. eo quòd pertranseat mediũ, ergo & absq. medio posse Agens agere in distans.

Res. enim. Corpus in tali casu non futurum in duplici loco per transitum absq. medio, hoc enim nullo pacto potest fieri, benè verò per replicationem, & sic de facto corpus Christi est in Sacramento; quare si etiam Deus replicaret virtutem Agentis, & poneret in duobus extremis, tunc daretur actio, sed non esset in distans, cum, seu agens, seu replicata virtus esset præsens illi loco, in quo daretur actio; hoc autem non est contra nostram Conclusionem, quia non daretur transitus Agentis, seu virtutis ad distans sine medio, sed solùm replicatio, seu agentis, seu virtutis, quæ adhuc contactum physicum haberet cum re distanti.

Obij. 1. Si quatuor, aut quinque arbores in directum positæ accenderentur, in fine vltimæ arboris sentiretur maior calor, ac si vna sola arbor esset accensa, ex eo quia illic omnes illæ arboreæ transmitterent suum calorem, at tales arbores nequirẽt transmittere suum calorem per medium, ergo solùm in distans, min. prob. simile non potest agere in simile, ergo cum secunda arbor supponatur intensa vt octo, in ipsa, neq. pertranseundo, vllus gradus caloris potest imprimi ab anteriori arbore, ergo ageret in distans.

Res. In tali casu arbores remotiores producturas suum calorem per partes laterales, superiores, & inferiores, atq. adeo per medium; quòd si non pateret aditus ad transmittendum hoc modo proprium calorem, tunc non sentiretur talis maior calor, vt supponit argumentum, neq. enim simile potest agere in simile.

Ob. 2. Quando ignis calefacit, non minùs emittunt calorem partes externæ ignis, quàm internæ, sed internæ non possunt suum calorem imprimere in externas, sunt enim calidæ vt octo, & simile nequit agere in simile, ergo emittunt in distans, medium non pertingendo.

Res. Partes internas ignis nullo pacto transmittere calorem, cum non sit medium capax illum recipiendi, quare si maior sentiatur calor ab igne in maiori, quàm in minori quantitate, hoc nõ prouenit, quia partes internæ transmittant suum calorem, sed quia externæ, vtpotè magis extensæ, maiorem emittunt calorem; hoc autem gratis non dicitur, neq. gratis negatur actualis actio partibus internis ignis, cum ob eamdem rationem partibus externis, talis actio debeat negari; inquiro enim, ignis Agens secundùm partes externas in subiectũ propinquum, agit nè in ignem internum, secundùm easdem partes, quatenus sunt internæ, & respiciunt, vt ita dicam alias partes ipsis internas? certò Respondebunt Aduersarij quòd non, ex eo quia ignis internus, vt potè similis, non potest esse subiectum talis actionis. ergo dico ego, sicuti ignis de sua natura potens vndequaque per gyrum, & spheram suæ actiuitatis vniformiter difformiter suã actionem diffundere, tamen à parte interiori calorem non producit, quia non est subiectum capax illum recipiendi, sic hoc est dicendum de partibus internis ignis, non emittere scilicet calorem

quia non est subiectum capax illum recipiendi, & sic corruit præcipuum argumentum aduersariorū.

Ob. 3. Sydera producunt metalla, & gemmas in visceribus terræ, ergo agunt indistans, conseq. prob. non enim in medio producunt huiusmodi effectus.

Resp. neg. conseq. ad cuius probationem dico, non produci à syderibus metalla, & gemmas in medio, quia licet per medium eorum virtutes trāseant, quia tamen medium, seu corpora in medio existētia, aer v. g. & terra in superficie, non sunt subiecta disposita ad talem formam, ideo in ipsis talem formam non producunt, sicuti ignis producit ignem in ligno illi propinquo, secus verò in aere intermedio, quia non est subiectum capax, &c.

30 Ob. 4. Experientia constat, multa agere in distans nullo mediante, ergo &c. antecedens patet in Magnete attrahente ferrum, licet sit distans, in Cynosura sibi alliciente eumdem magnetem, in venenatis à quodam genere stellionis vulgo *Tarantola* qui licet distantes, ad mortem Tarantulæ liberantur à veneno; in puluere Sympatico cuius sola aspersione facta vestimento cruentato, sanantur vulnerati absentes, in ijs qui nasum ex aliena carne habent, quibus corrumpitur nasus, si moriatur is, à quo talem carnem susceperunt, licet sit absens, & in multis alijs experientijs quas vsq. ad 25. adducit Aresius lib. primò de Generatione quæst. 42. sec. prima, in quibus clarè patet actio indistans.

Resp. neg. antecedens, ad experientias dicimus in aliquibus adesse virtutem causæ efficientis diffusam per medium, licet non cognoscatur, in alijs verò, tales effectus prouenire ob influxum principalis causæ à qua sunt, sic magnes attrahit ferrum, Cynosura magnetem, & alia huiusmodi propter virtutem diffusam per aerem, vel aliud corpus intermedium, ut faciunt etiam stellæ producentes mineralia in visceribus terræ, non causant autem tales effectus in corpore intermedio, quia non est capax talium effectuum; sanantur verò uulnerati propter medicamina sympatica applicata uestibus cruentatis (si tamen hoc fiat naturaliter, & non superstitiosè) propter quamdam connexionem, quæ intercedit inter sanguinem uestis cruentatæ, & sanguinem uulnerati, quam subtillissimè enititur ostendere Nicolaus Papinius in quodam libello de puluere Sympatico; cessat uerò effectus ueneni Tarantulæ ad illius mortem (dummodo tamen hoc uerum sit, quòd negatur à Kircherio, sæpè enim etiā si occidatur animal in ipso actu mordendi, subeunt tamen malignitatem ueneni, morsu affecti) & pariter corrumpitur nasus ab alio desumptus ad illius mortem, & si quæ sunt huiusmodi, dummodo uera sint, & non solùm casu aliquando contingerint, quia .s. exigebant ex sua natura tanto tempore durare, quatenus conseruata à causa prima; quare ex his, atq. alijs experientijs, quas confutat idem Aresius loco sup. sec. 7. colligenda non est actio in distans sine medio.

31 Coll. tamē, nos per hoc non negare Sympathiā, & Antipathiam naturalem; dicimusq. esse similitudinem, vel dissimilitudinem efficacem, ratione cuius tales sympatici, & antipatici producuntur effectus, cū enim similitudo supra res similes dicat; illas recepisse esse ab eadem, vel simili causa; seu virtute; ratione huius pendentiæ, quæ receperunt esse ab eadem, vel simili causa, in eosdem aliquādo exeunt effectus; sic ad infirmitatem naturalem unius gemelli, infirmatur alter, ad primum intuitum alicuius, amore, vel odio vehementi in illum rapimur, &c. huiusmodi, propter similitudinem sanguinum, vel humorum productorum ab eadem similiaut dissimili causa; de hac Sympathia, & Antipathia videatur Hieronymus Fracastorius, qui diffusè, & perbellè in quodam suo opusculo de eadem discurrit.

Coll. 2. Eadem actione, qua Agens agit in termino, agere etiam in medio, ratio est, quia cum agens non agat in distans, vt ex dictis, adhoc vt agat in termino, illius actio debet transire per medium, quæ cum sit eadem, quæ tendit in terminum, ideo eadem est actio qua agens in termino agit, ac qua agit in medio.

Coll. 3. Omne Agens naturale, seu causam creatam, habere determinatum spatium, intra quod potest operari; hoc autem sphera actiuitatis vocatur, quia .s. virtus actiua emanans ab Agente diffunditur in gyrum tamquam lineæ emissæ à centro in Spheram; ratio autem est, quia si non haberet determinatum spatium, posset in quodcumq. distans operari, hoc autem experientia falsum est, vna enim candela v. g. non potest illuminare totam ciuitatem, ignis non potest producere ignē nisi materia combustibilis sit illi vicina, &c. ergo dicendum est, quodcumq. Agens habere spheram actiuitatis determinatam, intra quam agat; Sicut autem lineæ emissæ à centro quantò magis ab ipso recedunt, tantò magis ad inuicem dilatantur, ita virtus Agentis, quantò magis in gyrum diffusa recedit ab Agente, minuitur, & debilitatur; quia .s. dum est in spatio propinquiori centro, est magis intensa, & maiores partes habet, vnam .s. super aliam, quando verò per spatium spheræ diffunditur magis tenuis, minusq. intensa euadit, & ideo Agentia naturalia cum minori efficacia operantur circa obiecta remota, quàm circa proxima, quantum est in se ipsis, nam aliquando ratione alterius concausæ potest sequi ab Agente effectus magis intensus in remotiori spatio, quàm in propinquiori, vt consideranti patet.

SECTIO IX.

De Causa Efficiente Prima, & Increata.

Causam efficientem Primam, & increatam supra cæteras causas excellentioris ordinis primarum habere, nulli dubium est, & ex ui ipsius nominis patet, quare, & excellentissimum mo- 32

dum

dum operandi conuenire in controuersia haud esse potest; ne igitur ipsam omnimodè cum cæteris causis confundamus, peculiaria de illius efficientia hic breuiter pertractabimus.

Supp. est autem. Dari hanc primam causam, independentem, increatam, æternam, omniumq. visibilium entium efficatricem, & Creatricem. Hoc autem tam clarum est, vt solis voluntariè cæcutientibus tantum veritatis lumen, licèt splendidissimũ, haud apparere potest, & licèt tota natura tot linguis, quot sunt in ipsa Creaturæ, tàm mirabili ordine, & artificio dispositæ, demonstret summam primæ causæ potentiam, vnoq. ore omnes creaturæ primum earum Conditorem, & supremum moderatorem recognoscentes, conclament *ipse fecit nos, & non ipsi nos*, attamen, & rationibus, rationabilem intellectum captiuare conantur D.D., præcipuè D. Tho parte 1. quæst. 2. art. 3. Suarez dis. 29. Metaph. sect. 2. Tanerus par. 1. dis. 2. quæst. 1. & 4. & ferè omnes Theologi in prima par. hoc enim potius ad Theologos pertinet, quàm ad Philosophos. Vt autem hoc suppositum, ita improbatum non relinquatur, vnam tantùm hic afferam rationem reliquas Theologis relinquo & sit

Quidquid fit, ab alio fit, sed non potest fieri ab alio, & hoc ab alio in Infinitum, ergo finitè, ergo deueniendum est ad vnum ens, quod sit à se, nec ab alio fiat, aut producatur, hoc autem est causa prima, ergo &c. mai. patet, nihil enim potest producere se ipsum, vt supra probabamus, quia in eodem instanti esset, & non esset, esset quia produceret, productio enim supponit esse, non esset, quia producetetur, quòd implicat, & est impossibile, min. etiam prob. Tum quia, omnes res iam existentes sunt iam determinatæ numero, quare non in infinitum, sed ad aliquam tandem deueniendum est, à qua sint cæteræ. Tum quia, implicat processus in infinitum in causis efficientibus subordinatis, ergo &c. hoc anteced. patet, quia si in causis efficientibus esset, processus in infinitum, sequeretur, quòd tota collectio causarum esset depēdens, & independens, quod implicat; esset quidem depēdens, quia nulla adesset, independens, a qua cæteræ dependerent; insuper esset independens, quia nulla esset causa, à qua tota illa collectio dependeret, ergo, &c. Quare ex hoc patendaei talem primam causam, patet etiam quomodo possit definiri, scilicet quòd sit *Primum rerum omnium creatarum principium, quod à nullo alio sum tam originem*.

Supp. 2. Hanc causam primam duplicem modum habere operandi, vnum, qui dicitur *ad intra*, estq. ille ineffabilis processionum diuinarum; alium, verò, qui dicitur *ad extra* consistitq. in productione, & conseruatione rerum creatarum, de hoc ergo secundo solùm hic erit sermo, de primo enim ad Theologos spectat.

Sup. 3. Creationem communiter definiri, vt iam diximus in primo libro *esse productionem ex nihilo sui, & subiecti* ad differentiam generationis, quæ licèt sit ex nihilo sui, est tamen ex præsupposito subiecto, modò ergo inquirimus, quid importet respectu causæ primæ huiusmodi creatio, seu per quid dicatur creare.

Supp. 4. De fide esse, Deum in tempore creasse Mundum, cæterasq creaturas, vt ex symbolo patet. *Creatorem Cœli, & Terræ, &c* contra Aristotelem, Platonem, & alios antiquos Philosophos; qui, existimantes illam propositionem, ex nihilo nihil fit, esse æternæ veritatis, vel mundum fuisse ab æterno, ex quo cæteræ omnes res educerentur, vt Aristoteles, uel materiam primã ex se esse existentem non factam, & Deo coæternam, à qua pariter omnes aliæ entitates educerentur, vt Plato, vel deniq. aliis modis, falsò philosophabantur.

Sup. 5. Varias in hac re esse D.D. sententias; alii enim existimant, creationem esse relationem quãdam Creaturæ ad Creatorem, vt ad principium sui esse, sic D. Thomas 1. par. quæst. 45. art. 3. alii volunt, creationem esse ipsam essentiam, & substantiam rei creatæ, ita quòd creatio non sit in Creatura, nisi per rationem; Sic Nominales, Ocham, Gregorius, &c. alii asserunt consistere in actione transeunte, modò indistincta à termino, modò distincta, Ita Ouiedo contr. 13. in Physica punct. 3. Spinula disp. 7. in lib. Physicorum sect. 1. Alii diuinam volitionem dicunt esse creationem, quatenus actus, quo Deus vult talem Creaturam, est principium illius effectiuum. Ita Molina 1. parte quæst. 25. art. 1. disp. 2. Vasq. tomo 1. in prim. par quæst. 25. art. 1. disp 104. cap. 2. Guarinus dis. 6. in Phy. exp. 15. Alii deniq. volunt, creationem esse quendam modum essentialis dependentiæ, quo Creaturę fiunt, & efficiuntur à Deo, Ita Suar. dis. 20. in Met. sect. 5. & alii ab ipso relati; modò videndum est, in quo dicendum sit consistere huiusmodi creationem. Sic ergo.

Prima Conclusio. Creatio formaliter non consistit in relatione creaturæ ad Deum. Ita ferè communiter omnes, ex Thomistis, nec huius sententiæ fuisse D. Tho. illum exponentes, pro relatione intellexisse, id per quod creaturæ dicuntur relationem, quod est dependentia ad Creatorem. 39

Prob. Si creatio esset relatio, vel esset prædicamentalis, vel transcendentalis, at neutra ex his potest esse, ergo &c. min. prob. non prædicamentalis, hæc enim resultat posito fundamento, & termino, ergo solùm potest esse postquam est productus terminus, s. creatura, non verò potest esse illius productio, deinde relatio prædicamentalis supponit fundamentum, cui aduenit, sed hoc non potest esse Deus, cui de nouo nihil potest aduenire, nec creatura, quia nondum supponitur, ergo &c. neq. etiam potest esse relatio transcendentalis quia, cum etiam hæc se debeat tenere ex parte Creaturę, si quidem, vt probauimus in logica, non datur in Deo ad creaturas, ideo, cum ipsæ non supponantur esse, dum creantur, illarum creatio nequit dici relatio transcendentalis.

Secunda Conclusio. Neq. creatio formaliter potest consistere in sola substantia, & essentia rei creatæ. Ita omnes supracitati contra talem sententiam.

Prob. Quælibet Creatura, Angelus, v. g. ne dum potest esse à Deo, sed & ab alio Agente, a Deo supernaturaliter eleuato ad creationem, ergo ipse, quoad suam essentiam, & substantiam non potest esse sua creatio, & productio, consequentia prob.

debet

debet enim assignari id, per quod talis Angelus, indifferens ad produci ab hoc, vel ab illo Agēte, producatur de facto ab hoc Agaente, neque enim hoc potest esse sola substantia, quæ est eadem, ergo aliquid ab ipsa distinctum, quod sit creatio; anteced. patet de facto in accidentibus eucharisticis, quæ .l. exigant naturaliter educi ex subiecto, attamen supernaturaliter possunt per concursum creatiuum conseruari, & creari, atque adeo diuersimodè à diuersis Agentibus dependere.

Tertia Conclusio. Neq. creatio formaliter consistit in actione propriè sumpta, siue sit immanens siue transiens.

Prob. de immanente. Actio immanens Dei nequit habere terminum ad extra, sed creatio importat terminum ad extra, ergo creatio non est actio immanens; mai. prob. actiones enim immanentes Dei non distinguuntur à substantia ipsius Dei. Tum secundò, omnes actiones immanentes Dei sunt ab æterno, sicuti est illius substantia, at creatio est in tempore, ergo &c. Tum tertiò, creatio se debet tenere ex parte creaturæ, quæ positiuè creatur, sed actio immanens Dei nequit se tenere ex parte creaturę, ergo &c.

Prob. de actione transeunte; Actio transiens est accidens, sed accidens in aliquo debet subiectari, ergo si creatio esset actio transiens, in aliquo deberet subiectari, at in Deo nequit subiectari, non est enim receptiuus accidentium, neq. in subiecto, creatio enim est independens à subiecto, neq. etiam in effectu, seu in Creatura, actio enim creatiua, saltem natura, esset prior ipsa Creatura, atq. adeo in illo priori in ipsa nequiret esse, ergo &c.

Neq. dicas ex Arriaga disp 9. in Physica sect. 4. sub sect 4. talem actionem subiectari in Creatura adhæsiuè, non verò inhæsiuè, atq. adeo non esse necesse, creaturam priùs esse, subiectum enim adhæsionis necessariò priùs non est, quàm forma recepta, cum neque sit causa illius, neque dispositio ad illam.

Res. enim. Hoc pacto, actionem non sumi propriè, sed largo modo, pro quacumq. emanatione, aut modo, quare potius debet dici modus, de cuius ratione est adhærere, quàm actio, de cuius ratione est, vtpotè accidens, inhærentia, saltem aptitudinalis.

Prob. a. Vel huiusmodi actio creatiua esset quid creatum, vel non; secundum nequit dici, distinguitur enim ab ipso met Deo, ergo primum, in quo ergo consistit illius creatio? non in actione, actionis enim non datur actio; tum quia, daretur processus in infinitum; non in propria essentia, hæc enim solùm, vt supra probabamus, non potest esse creatio, ergo in hoc quòd imediatè flueret, & depēderet à Deo, sed huiusmodi esset perfectior modus creationis, quàm media actione distincta producere, ergo hoc pacto omnes creaturas à Deo creari dicendum est, vt infra.

Neq. dicas, hoc etiam posse dici de tali modo, & fluxu, qui adhuc ipse esset creatus.

Resp. enim. Talem fluxum non esse distinctum entitatiuè ab ipsis creaturis, quare .l. sit creatus, quia entitatiuè importat cum creatura vnum, & eumdem terminum, non requirit alium fluxum, quo producatur, rationes enim formales sunt seipsis talea.

Quarta Conclusio. Creacio formaliter sumpta, 34
non consistit in sola volitione diuina. Ita ferè communiter, Suarez, Compton. Arriaga, Ouiedo, Spinula, Serbell. & alij.

Prob. Volitio diuina est ab æterno, at creatio, non est ab æterno, ergo creatio non consistit formaliter in sola volitione diuina, min. prob. si enim fuisset ab æterno, ergo & terminus creationis fuisset ab æterno, quòd est contra fidem.

Neq. valet, volitionem diuinam non esse creationem pro quocumq. tempore, sed pro illo, quod connotat, atq. adeo non ab æterno, sed in tempore esse creationem, ex eo quia importat non solùm volitionem diuinam, sed aggregatum ex volitione diuina, & ex tali tempore.

Resp. enim. Tempus non importare actualem physicam tendentiam in terminum, quare cum volitio diuina sit eadem in tempore, ac fuit ab æterno, si ab æterno non creauit, nec ratione temporis dicitur creare, nisi aliquid aliud creationis ad extra excogitetur, præter terminum creatum, ratione cuius dicatur creari.

Neq. dicas secundò, non solam volitionem diuinam esse creationem, sed volitionem diuinam cum terminatione ad rem creatam.

Resp. enim, vel hæc terminatio ad rem creatā est distincta à volitione, vel non; si non, ergo sicuti volitio fuit ab æterno, ita & terminatio, quòd supra probauimus falsum; si est distincta, hoc est quod intendimus, nempè volitionem diuinam non esse formaliter creationem, sed aliquid aliud ab ipsa distinctum. Adde, quòd volitio diuina est potiùs id quod, creationis, non id quo .s. id quod creat, nō quo creat.

Neq. dicas tertiò, implicare dari voluntatem diuinam efficacem, & non effectum volitum, ergo &c.

Resp. enim conc. antecedens, quòd tamen non facit contra nos, nam quando Deus voluntate efficaci vult aliquem effectum, illum non vult voluntate efficaci productum ab æterno, sed producibile in tempore; quare concedo, implicare, nō produci talem effectum; at quia non fuit productus ab æterno, & voluntas illius fuit efficax ab æterno pro tali determinato tempore, ideo aliquid aliud debet esse præter diuinam volitionem, per quod fiat in tempore; &c.

Conf. nam ex eo quòd Deus habuerit volitionem ab æterno, Petrum respicere v.g. obiectum album, attamen non ab ęterno fuit visio talis obiecti, nec à sola volitione diuina promanauit talis effectus, ergo &c. ita dicito de effectu creato, ad quē aliquid aliud requiritur præter ipsam volitionem diuinam efficacem.

Neq. dicas 4. Æternitatem esse totam simul, atq. adeo respectu æternitatis, non posse dici effectum fieri in tempore, quasi quòd tota æternitas pręcesserit, æternitas enim non præcedit, sed tota simul est.

Resp. enim. Æternitatem respectu Dei esse

totam

totam simul cum commensuretur ipsimet Deo; non sic autem respectu effectus, nam hoc pacto effectus esset æternus, siquidem si illi commensuraretur, cum illa sit tota simul, commensuraretur toti æternitati, atq. adeo esset æternus: Effectus, ergo existit in tempore, & licet volitio illius fuerit ab æterno, attamen ipse non fuit ab æterno. Adde, quòd volitio effectus est actus, quo Deus voluit ab æterno, non produxit effectum, distinguitur autem hic actus *volo creare effectum*, ab alio, quo creatur effectus, siquidem primus ad voluntatem spectat, secundus verò ad omnipotentiam, quæ est potentia executiua ad extra decretorum diuinæ voluntatis, ergo &c.

Neq. dicas vltimò, Creationem non posse esse accidens exiens à Deo, ergo aliquid intrinsecum Deo, ergo actum voluntatis Diuinæ, qui ipsi Deo est summè intriosecus.

Resp. enim 1 Neq. nos velle, creationem consistere in accidente, seu actione distincta, benè verò in modo dependentiæ, de quo in sequenti conclusione; Neq. valet, debere consistere in aliquo intrinseco ipsimet Deo, (nisi sumatur ipsa creatio respectu Decreti de creando, seu respectu illius voluntatis diuinæ) cum enim creatio sit opus ad extra, & in tempore respectu termini creati, ideo non in aliquo intrinseco, benè verò in extrinseco debet consistere. Quare &c.

35 Quarta Conclusio. Creatio formaliter sumpta consistit in modo necessariæ dependentiæ, modaliter à creaturis distincto, ratione cuius immediatè fluunt, dependent, & creantur à Deo, quare creare nihil aliud est, quam effici, produci, pendere, fluere Creaturas à Deo, quæ omnia, non important actionem de prædicamento accidentis sed quemdam modum dependentiæ. Ita Suarez disp. 20 in Met. sec. 5. num. 11. alios referens. Patet hæc conclusio ex impugnatione aliarum sententiarum, sed adhuc.

Prob. 1. Dependentia, per quam terminus creatus pendet in fieri à Deo, est via ad terminum, seu illius emmanatio à Deo, sed hoc debet importare in suo formali creatio, ergo creatio formaliter sumpta est dependentia, &c. mai. patet actualis enim dependentia creaturæ à Deo, est esse à Deo, fluere à Deo, sed hoc idem est, ac via, & emmanatio, ergo &c.

Prob. 2. Creaturæ debent esse à Deo in creatione eo perfectiori modo, qui potest conuenire causis efficientibus, sed perfectior modus operandi, qui conuenit causis efficientibus, est operari immediatiori modo, qui sit possibilis, ergo hoc modo creaturę debent esse à Deo, at immediatior modus operandi est, quando nihil entitatis distinctæ intermediat inter causam, & effectum, sed solum modus dependentiæ vnius ab alio, ergo &c.

Prob. 3. Aliquæ causæ creatæ producunt effectus nulla intermedia actione, sed solùm mediante modo dependētię, ergo hoc, quod importat maiorem perfectionem, Deo non est denegandum; antecedens patet in intellectu, & voluntate, effectus volitionis, & intellectionis, nulla intermedia actione producentibus, in passionibus, quæ efficienter nulla intermedia actione habentur ab aliqua substantia, &c. ergo cum tales effectus dicantur fieri, & produci à suis causis, licet solùm mediet modus dependentiæ, quo fluunt ab ipsis, sic etiam dicendum est, creaturas verè efficienter creari à Deo, non intermedia aliqua actione, sed solùm modo necessariæ dependentiæ; quo fluunt, & recipiunt suum esse à Deo, atq. adeo in tali modo, pro vt est ab Agente, creationem actiuam, pro vt verò in creatura creationem, passiuam consistere dicendum est, Quod autem talis modus non sit ipsamet creatura, sed aliquid ab ipsa modaliter distinctum,

Prob. Tunc arguitur distinctio modalis, quando res modificata potest esse absq. tali, vel tali modo, secus verò talis modus absq. re modificata, sed hoc pacto se habet dependentia ad Deum respectu creaturæ, & creatura respectu huius dependentiæ, ergo inter ipsas est distinctio modalis; min. prob., nam dependentia Creaturæ, cum formaliter sit fieri, & conseruari Creaturæ, nequit esse, quin suum intriosecum terminum secum ferat, .i. creaturam; creatura verò è contra, licet non possit stare sine omni dependentia, sicuti neq. corpus sine omni vbi, attamen potest esse, modò cum vna, modò enim alia; sic enim dependentia, qua Deus conseruat accidentia consecrata in Sacramēto, diuersa, & distincta est ab illa, qua conseruabat eadem accidentia in substantia panis, per illam enim pendebant à materia, non verò per istam, quia est per modum creationis; sic etiam, cum in probabiliori opinione, dum desit corpus Christi esse sub accidentibus, creetur eadem numero materia, quæ priùs sub illis accidentibus erat, talis materia dependet, distincta dependentiâ ab illa, qua priùs dependebat, ergo &c.

Ob. primò. Si creatio consisteret in solo modo dependentiæ se tenente ex parte creaturæ, non denominaret Deum Creatorem, ergo in tali modo non est constituenda ratio formalis creationis, benè verò in actione transeunte de prædicamento accidentis.

Resp. Deum denominari Creatorem per denominationem extrinsecam à termino producto, & creato; cum enim Deo aliquid intrinsecè non adueniat, neq. intrinsecè potest denominari Creator per Creaturam in tempore productam: quare etiam si per actionem transeuntem crearet etiam extrinsecè denominaretur Creator; actio enim non in Deo, sed à Deo flueret: causa enim quælibet efficiens, dum producit suum effectum, causat influendo extrinsecè, atq. adeo numquam intrinsecè mutatur, sed solùm extrinsecè, actio enim, pro vt egreditur, non est in Agente, sed ab Agente; quare illum intrinsecè nequit mutare.

36 Ob. 2. Quilibet fluxus à causa est actio, ergo si creatio consistit in fluxu, & dependentia Creaturæ ad Deum, creatio erit actio, non verò modus, antecedens patet, in igne enim v. g. actio productiua caloris, est fluxus quidam caloris, ab ipso emanans.

Resp. neg. antecedens, si actio propriè, & formaliter sumatur, cum enim secundùm commune axioma, actionis non detur actio, ideo quando actiones immanentes effectiuè producuntur, & fluunt à proprio principio, non per alias actiones fluunt, & tamen datur ipsarum fluxus à proprio principio, qui consistit in quadam dependentia; quare ad probationem dico, actionem productiuam caloris, non esse formaliter fluxum, benè verò importare identificatum entitatiuè, & solũ modaliter distinctũ, hũc fluxũ, & depẽdẽtiã, nã etiã ipsa actio depẽdet à causa, ergo p modũ dependẽtiæ, & fluxus cũ ipsa entitatiuè identificatũ, & modaliter distinctum. Quòd autem hoc ita sit, patet, quia talis numero actio poterat esse, saltem diuinitus, ab alia causa, ergo quòd sit ab hac, prouenit illi à determinato modo dependentiæ. Tùm quia, ipsa actio productiua caloris, est calor in fieri, sed calor etiam in fieri non est fluxus, sed quod fluit, ergo fluxus, & dependentia non est actio, sed modus, quo fluit, &c. quare cum etiam causæ secundæ, vt probabamus cum de causalitate, formaliter non dicantur causare per actionem, sed per modum dependentiæ effectus ab ipsis, hoc maximè asserendum est respectu causæ primæ, cum sit perfectior modus causandi. Quod si aduersarij impropriè, & largo modo sumant actionem, non inficiabimur etiam nos, creationem appellare actionem, dummodo tamen huiusmodi actio creatiua reducatur ad prædicamentum Modi, non vero Accidẽtis, nullo enim pacto possumus eam accidens appellare, cum nullo pacto in subiecto recipiatur.

Ob. 3. Quælibet causa creata causans ad extra, semper media actione distincta causat, ergo etiam causa increata operans ad extra in creatione, debet hoc facere media actione distincta.

Resp. neg. consequentiam, & ratio disparitatis est, quia eatenùs causa creata operans ad extra causat actione distincta, quatenùs passum, & effectus sunt extra ipsam, atq. adeo per actionem, vt ita dicam deferentem fluxum, debet fieri transitus; at sic non est respectu Dei, nam licet creaturæ nõ sint effectus illius ad intra, attamen Deus ita intimè est in illis, vt etiam nequeant ipsæ concipi conceptu adæquato, absq. ipso Deo, quare non est necessarius transitus media actione distincta, sed per solum fluxum, emanationem, & dependentiam, essentiæ, ab ipso producuntur, sicuti faciunt causæ producentes effectus immanentes, quæ quia habent passum omninò identificatum, ideo non media actione distincta, sed per solùm modum dependentiæ, fluxus, & emanationis, suos producunt effectus.

Neq. instes, hoc solùm importare respectu Dei immediationem virtutis, & suppositi, quare sicuti quando concurrit Deus cum causis secundis ad producendos suos effectus, licet concurrat immediatione virtutis, & suppositi, attamen concurrit actione distincta, ita etiam respectu creationis hoc posset dici, etiam data immediatione virtutis & suppositi ad effectus.

Resp. enim, disparem esse rationem, nam quã in Deus concurrit cum causis secundis, concurrit eadem indiuisibili actione, ac ipsæ causæ, quare cum causæ secundæ operantes ad extra, nequeant nisi distincta actione operari, ideo neq. alio modo potest esse concursus diuinus. In creatione autem hoc non est necesse, per immediationem enim virtutis, & suppositi, quam habet ad Creaturas, possunt hæ immediatè ab ipso fluere, & produci absq. actione distincta.

Ob. 4. Dependentia est relatio, sed relatio supponit extrema relatiua, ergo & dependentia, ergo in dependentia formaliter nequit consistere creatio, nam creatio non supponit, sed ponit extrema.

Resp. dependentiam in creaturis esse fundamentum proximum relationis, non vero relationem, ideo enim creaturæ referuntur ad Deum, quia dependent à Deo, in Creaturis enim nullum aliud fundamentum, seu ratio fundandi relationem respectu Dei excogitari potest, nisi quòd sint, dependeant, & fluant à Deo, ergo potiùs dependentia est fundamentum, quàm relatio, atq. adeo non est necesse quòd supponat terminum, ex eo quia ipsa non resultat ex termino, sed est uia ad illum, & illo est prior, saltem sub aliqua ratione, s. quia via est prior, quàm terminus, fieri, quàm factum esse.

Ob. 5. In tantùm creatio actiua nequit dici actio propriè dicta per vos, quia cum esset accidens, in illo priori, in quo produceretur ante effectum, non esset subiectum in quo reciperetur, at hoc etiam dici potest de hac dependentia, & fluxu, in illo enim priori ante effectum, non esset, in quo subiectaretur, ergo &c. 37

Resp. huiusmodi dependentiam, & fluxum non esse distinctum entitatiuè ab ipsis creaturis, quare in eodem instanti in quo sunt Creaturæ per intimam coniunctionem, & quamdam identitatem est in ipsis, non tamquam in subiecto, sed secundùm specialem, & propriam habitudinem, qua via respicit terminum, qua modus respicit rem modificatam, quæ omnia non requirunt prioritatem nec naturæ in termino, cum ab ipsis non sit entitatiuè distinctus.

Ob. 6. Potest dici, creationem consistere in aggregato, seu complexo voluntatis diuinæ, & termini creati, ergo &c. antecedens patet, posito enim hoc complexo, concipitur Deus dare esse effectui, & consequuntur, effectus recipiens esse, cum antea nihil fuerit, nec sui, nec subiecti.

Resp. neg. antecedens, & ratio est, quia cum terminus creatus, Angelus v. g. potuerit esse à diuersis agentibus, de se enim est indifferens ad produci ab hoc, vel ab illo Agente, supposito quòd aliquod Agens præter Deum possit creare, quod suppono supernaturaliter, ideo in Angelo

gelò aliquid debet dari, præter ipsum præcisè sumptum, ratione cuius dicatur esse, & dependere à Deo, & non ab alio Agente, ergo in solo complexo voluntatis diuinæ, & termini, nequit stare creatio.

Quæres. Quænam entia creari possint, & an quæ fuerunt creata, potuerint educi.

Resp. 1. Omnia entia, quæ in suo essentiali, & formali conceptu non important educi à subiecto, poss. à Deo creari, nulla enim apparet implicantia; quòd si essentialiter important talem eductionem, nequeunt creari, tunc enim non ipsa, sed alia entia, essentialiter ab illis diuersa, essent, quæ crearentur.

Res. 2. Neq. Angelos, neq. materiam primã posse nec diuinitùs educi, & generari; de Angelis patet, cum enim secundùm eorum essentiam sint entia completa, ideo vt talia, nec diuinitùs esse possunt in subiecto; patet etiam de materia prima; quia tunc non esset materia prima, & primum subiectum, si ex alio educeretur, & in alio reciperetur, contra illius definitionem.

Res. 3. Probabiliùs esse, animam rationalem posse educi dependenter a subiecto, & ratio est, quia propria subsistentia expoliari potest, & terminari aliena, sicut humana natura in Incarnatione terminata fuit à subsistentia Verbi, propria expoliata, ergo poterit dari anima rationalis, quæ in sui productione terminetur à subsistentia materiæ, & ab illa substentetur, & compleatur in ratione essendi, sed hæc esset eductio, non generatio, ergo &c.

38 Collig. 1. Creationem esse eamdem, ac conseruationem, nullamq. importare differentiam, nisi penes connotata, quatenus s. in productione connotat terminum non priùs existentem, deindè verò connotat illum existentem; conseruatio enim est creatio continua, cum enim semper Creaturæ sint, quia dependent à Deo, & in tali dependentia consistat formaliter creatio, ideo conseruationem esse continuam creationem dicendum est.

Collig. 2. hunc modum dependentiæ esse essentialem creaturæ, non quòd ipsa actualis dependentia sit de essentia creaturę, sed quòd ipsa creatura sit tale ens essentialiter dependens, ita vt nõ possit stare sine aliqua dependentia à Deo. Nam sicuti de essentia primi entis est esse à se, & non ab alio, ita de essentia omnis entis creati est, esse ens per participationem, & dependentiam ab alio. Dixi autem, quòd ipsa actualis dependentia non sit de essentia creaturæ, quia inuariata creatura, potest variari dependentia; vt patet in accidentibus, quæ modò vna, modò alia dependentia dependentibus.

Coll. 3. hunc modum esse etiam substantialem, cum magis accedat ad rationem substantiæ, quàm accidentis.

SECTIO IX.

De concursu Causæ primæ cum secundis.

SVpp. tamquam certum, Deum posse facere effectiuè omnia quæ facit causa creata efficiens, cum in ipso hoc nullam inuoluat implicantiam, neq. imperfectionem; item de facto concurrere ad multos effectus, qui fiunt, vnde est illud Christi, Ioannis 5. *Pater meus vsq. modo operatur, & ego operor.* Item Isaiæ 26. *omnia enim opera nostra operatus es nobis*; modò ergo quærendum est, an ad omnes effectus causæ creatæ concurrat, & an concurrat immediatè, vel mediante causa, s. vel producendo in causa creata aliquid præuium, quo ipsa causa postea agat, quòd est agere mediatè, in actu primo, & per modum concursus præuij, vel simul cum causa creata agendo, ita vt actio causæ secundæ, fit etiam ab ipsa causa prima, quòd est agere immediatè, in actu secundo, & per modum concursus simultanei. 39

Prima Concl. Deus concurrit simultaneo concursu ad omnes actiones causæ secũdæ, Physicè, effectiuè, & immediatè, & per consequens ad omnes effectus eiusdem; ita vt sine illo, aliquem effectum impossibile sit produci. Est ferè cõmunis omnium Catholicorum, contra aliquos, & præcipuè Durandum in 2. dist. 1. quæst. 5. & dist. 37. quæst. 1. quem nouissimè sequutus est Ludouica Dola in sua disp. quadripartita, quorum tamen opinio ab aliquibus erronea, ab alijs absolutè Hæretica appellatur.

Prob. 1. Aut. Diuinæ Scripturæ Isa. 26. *Domine omnia opera nostra operatus es* prim. ad Corinthios. *qui operatur omnia in omnibus*, & alijs multis in locis, ex quibus clarè patet veritas Conclusionis; patet etiam ex pluribus Auctoritat. SS. PP. quas fusè adducunt Mast. disp. 7. quæst. 6. art. 1. Serbell. dis. 2. quæst. 7. art. 2. & alij multi. Comprobatur etiam Auct. quorumdam antiquorum Philosophorum, præcipuè Trimegisti, Platonis in Timæo, & Aristotelis 7. Phisic. cap. 8. & 2. Met. text. 4. & 5.

Prob. 2. ratione. Omne ens creatum dicitur esse dependens immediatè à Deo, sed omnis actio est ens creatum, ergo à Deo immediatè dependet, sed immediata dependentia importat concursum simultaneum, ergo &c. mai. prob. dependere alio mediante est, quòd illud à Deo dependeat, sed Creatura debet à Deo perfectissimo modo dependere, ergo non alio mediante, sed immediatè.

Prob. 3. Deus quascumq. causas creatas in operatione quandocumq. vult, etiam positis omnibus requisitis cohibere potest, sed si physicè, & simultaneo concursu, non concurreret cum causis secundis, non posset cohibere quando vellet, ergo debet immediatè concurrere; mai. patet, quia non haberet perfectum dominium omnium; min. prob. tripliciter enim potest impediri causa secunda ab operatione, vel per productionem alicuius contrarij, quod non possit à causa superari, vel per destructionem causæ, vel per non concursum ad illius actionem; primus modus non potest

conueni. e omnibus causis, illis præcipuè, quæ nõ habent contrarium; secundùs modus derogat diuinæ virtuti, si quidem non posse impedire actionem causæ quin destructa causa, importat imperfectionem in virtute; deinde est cont. Scrip. ex qua habetur non destructo igne, impeditam fuisse illius actionem in fornace Babylonica, ergo solùm tertius modus remanet, quo Deus possit impedire causam ab operatione; per hunc autem non posset Deus impedire causam ab operatione, nisi ipse simul cum ipsa simultaneo concursu concurreret, ergo &c.

Neq. dicas, per actum voluntatis posse Deum impedire causam secundam ab operatione.

Resp. enim, hoc solùm importare subordinationem moralem, non physicam causæ secundæ ad primã, quare cum perfectior sit subordinatio physica ideo, &c.

Deinde, voluntas diuina non operatur ad extra, nisi applicando omnipotentiam, ratione cuius habetur ipsum esse ad extra. at omnipotentia nequit nisi cum assignato modo impedire causam ab operando, subtrahendo .s. concursum, ergo &c.

Prob. 4. Deus conseruat essentialiter, & non per accidens quodlibet ens productum, sed non hoc modo conseruaret, nisi primò, & produceret, ergo primò producit concurrendo simultaneo concursu ad actionem causæ secundæ: min. prob. tùnc aliquid dicitur conseruare rem per accidens, quando deficiente principio productiuo illius, subrogatur ad conseruationem eiusdem rei; sed si Deus non primò produceret, subrogaretur, ergo per accidens conseruaret: hæc min. prob. cum enim conseruatio rei consequatur existentiam, quæ est primus actus rei, inceptio conseruationis est productio, in eo enim instanti, in quo res producitur, incipit conseruari, si ergo Deus simul cum causa non produceret, nec essentialiter, sed per accidens conseruaret.

Prob. 5. Essentialior est dependentia Creaturæ à Deo, quàm ab alia Creatura, sed sunt quædam Creaturæ immediatè dependentes à causis secundis, vt lumen à Sole, &c. tàm in fieri, quàm in conseruari, ergo & immediatè à Deo dependere debent, maximè quia huiusmodi dependentia realiter est identificata cum ipsis Creaturis, ergo si Creaturæ sunt entia per immediatam dependentiam, etiam Agentia, & talia entia per immediatam dependẽtiam a Deo debent esse, seu si dependent quoad esse, & quoad operari debent dependere.

Ob. primò. Causa creata est causa adæquata, ergo Deus ad eius operationem non concurrit, consequentia prob. quia causa adæquata est illa quæ potest totum suum effectum producere.

Resp. nullam causam creatam efficientem posse rigorosè appellari adæquatam alicuius effectus, ex eo quia, nedum ipsa, sed etiam causa materialis debet concurrere ad effectum, vt subiectum .s. illius, quare ipsa sola adæquata nequit dici; deinde, neq. vt efficiens potest dici causa adæquata, ipsa enim nequit tribuere effectui esse creatura, & tamen quilibet effectus est creatura, quare secundùm tale esse, dependet a Deo.

Secunda Conclusio. Deus, simul cum causa creata, eadem indiuisibili actione, concurrit ad effectum. Est D. Thomæ, quem refert, & sequitur Suarez disp. 22. Metaphysicæ sec. 3. Molina prima parte quæst. 14. art. 13. & Alij apud Compton. disp. supracitata art. 4. Serbell. disp. 2. quæ. 4. art. 3. 49

Prob. primò. Non repugnat, quòd eadem indiuisibilis actio fit à duabus causis subordinatis, ergo neq. quòd Deus concurrat per eãdem actionem cum causa creata, consequentia patet causa enim secunda est subordinata primæ.

Prob. 2. Actionis non datur actio, ergo si Deus concurrit ad actionem causæ secundæ producẽdo effectum, non per aliam actionem concurrit, sed per eamdem indiuisibilem actionem causæ secundæ; antecedens conceditur ab omnibus, vnde & patet consequentis.

Prob. 3. Datur simultaneus concursus Dei cum actione causæ secundæ, ad hoc vt actio talis causæ dependeat per se à prima causa, sed hoc non esset, si prima causa, Deus, non concurreret ad effectum eadem indiuisibili actione, ac causa secũda, ergo &c. min. prob. dependentia actionis à causa est, quòd fit per se immediatè à causa, ergo si actio causæ secundæ, eadem indiuisibilis, non esset etiam immediatè à causa prima, ab ipsa non immediatè, & per se, sed actio mediante, dependeret; Insuper magis dependeret à causa secunda, quia ab ipsa esset immediatè, quàm à prima, à qua esset solùm mediante aliqua actione Dei ab ipsa distincta, hoc autem repugnat, ergo &c.

Prob. 4. Si actio Dei, qua concurrit cum Creatura ad suos effectus esset distincta ab actione creaturæ, non saluaretur libertas respectu causæ liberæ, quãdo ad actus illius concurreret Deus; hoc implicat, & est contra fidem, ergo dicendum, quòd non sit distincta, sed sit eadem indiuisibilis; mai. prob. actio voluntatis, vt potè dependens supponeret antecedenter actionem Dei, si talis actio esset distincta, ergo non posset liberè se determinare ad suam actionem, hæc consequentia prob. cum enim actio identificetur cum termino, non posset dari actio Dei ad actionem voluntatis, quin hæc etiam daretur, ergo si antecedenter esset actio Dei, per illam determinaretur voluntas, & sic liberè non ageret.

Prob. 5. Vel actio Dei, si esset distincta, esset prior actione creaturæ, vel non; si prior, ergo in prioritate naturæ haberetur effectus a causa prima, de inde in posteriori signo, à causa secunda, & dũ haberetur à causa secunda esset indepẽdens à Deo, si quidem, vt dependens à Deo, iam habuisset suũ esse ab illo; si verò non esset prior, ergo actio causæ secundæ, ab ipsa non dependeret, dependentia enim dicit prioritatem in causa, & posterioritatem in eo, quod dependet, ergo melius dicendũ, non cum actione distincta, sed cum eadem indiuisibili, ac concurrit causa secunda, etiam ipsam concurrere.

Quòd si quæras, quomodo possit Deus concurrere eadem indiuisibili actione cum causa secunda ad producendos suos effectus.

Resp.

Reſp communiter D.D. Deum, vt Auctorem naturæ ſemper ſua omnipotentia, præſto eſſe quibuſcumq. cauſis ſecundis, paratum concurrere cum illis, iuxta propriam illarum exigentiam; quare dum cauſa ſecunda eſt in actu proximo, & vltimatè completo ad operationem, Deus accomodat omnipotentiam ſuam actiuitati Creaturæ, & eodem met influxu, & actione, ac cauſa ſecunda etiã ipſe operatur. Quare eadem met actio, qua producitur effectus, indiuiſibiliter à Deo, & à cauſa pendet.

Ob. 1. Ex hac doctrina omninò læderetur libertas voluntatis, ergo non eſt admittenda; antecedens patet, quando voluntas aliqua eſt in actu proximo ad amandum, vel odio habendum Deum, vel Deus concurrit per duplicem influxum ad amorem .ſ. & ad odium, vel ſolùm per vnum; per duplicem non poteſt concurrere, quia Petrus ſimul, non poteſt elicere actum odii, & amoris, ergo per vnum, ergo per talem determinaretur voluntas, vel ad odium, vel ad amorem, ergo non eſset libera; neq. enim poteſt dici, voluntatem ſe primò determinare; nam voluntas ſe ſolùm determinat per actualem operationem, & ante operationem eſt ſemper indifferens.

Reſ. neg. antecedens; ad probationem dico. Deum ab æterno præuidiſſe, quòd talis voluntas propoſito tali obiecto, cum tali circumſtantia, in tali tempore, ex ſua libertate, illud potiùs amaret, quã odio haberet, atq. adeo ab æterno decreuit parare concurſum omnipotentię de ſe indifferentis, tàm ad amorem, quàm ad odium, ad actionem præuiſam voluntatis; quare potiùs determinatur Deus ab actione voluntatis præuiſa ab æterno, ad concurrendum influxu amoris, quàm odij, quàm ipſa voluntas prædeterminetur à Deo, atq. adeo in eodem inſtanti poſtea, in quo talis voluntas agit, in actu ſecundo præbet Deus concurſum ad amorem, non ad odium.

Obiic. 2. Hoc pacto Deus eſset cauſa peccati, ergo.

Reſp. neg. anteced. Licèt enim Deus concurrat ad actionem phyſicam cauſæ ſecundæ, tamen non concurrit ad peccatum; nam in actione phyſica non conſiſtit peccatum, ſed in priuatione debitæ rectitudinis, ſeu in negatione, & in repugnãtia ad legem; quare Deus eſt ſolùm cauſa materialis peccati, non verò formalis, .ſ. eſt ſolùm cauſa illius entitatis, quæ ex malitia creaturæ formalitatem malam, & contrarietatem à lege ſortitur; ſed de his fuſiùs in Sac. Thc.

41 Ob. 3. Deus non concurrit cum cauſa materiali, & formali, & tamen ſunt entia à Deo dependentia, ergo neq. eſt neceſſe, concurrere cum cauſa efficiente, antecedens patet, concurſus enim in genere cauſæ materialis, & formalis inuoluit imperfectionem.

Reſ. Deum etiam concurrere immediatè cum cauſa materiali, & formali, non tamẽ ſecũdũ earum modũ cauſandi, benè verò, vt cauſam efficientem; .ſ. enim Deus non concurrat cum materia ad receptionem formæ, nec cum forma ad informationem, tamen efficit, vt materia recipiat, & forma informet, ſeu concurrit ad productionem, & conſeruationem illarum entitatum, & cauſalitatum.

Ob. 4. Data hac ſententia, idem effectus haberetur à duplici cauſa totali, totaliter concurrente contra ſupradicta.

Reſp. Hoc non eſſe contra ſupradicta, nam licèt idem effectus haberetur à duplici cauſa totali, eſſet tamen à duplici cauſa totali diuerſi generis, non eiuſdem, vt in ſupradictis dicebamus; cauſa enim ſecunda eſt totalis in ordine naturali, in quo non indiget alterius concurſu, non eſt tamen totalis totalitate abſoluta, quia non eſt principium abſolutum, & independens principium ſui effectus.

Obiic. 5. Eadem actio non poteſt eſſe à duobus principiis realiter diſtinctis, ſed hoc eſſet, ſi Deus concurreret eadem, &c. ergo &c.

Reſp. neg. antecedens in cauſis ſubordinatis, quales ſunt omnes cauſæ ſecundæ, reſpectu primæ, reſpectu enim ſubordinationis nulla eſt implicãtia eamdem indiuiſibilem actionem à duabus prouenire.

Ob. 6. Sequeretur, eamdem actionem eſſe immanentem, & tranſeuntem, intellectio, v.g. reſpectu intellectus eſſet immanens, reſpectu Dei eſſet tranſiens, item eſſe vitalem reſpectu intellectus, non reſpectu Dei.

Reſ. Hoc nullam inuoluere implicantiam, reſpectu diuerſorum principiorum, quare eadem actio, vt eſſet à Deo, eſset tranſiens, non vitalis, vt verò ab intellectu, immanens, & vitalis.

Collig. 1. ex dictis. Non ſolùm de facto, ſed etiam de poſſibili implicare creaturam, quæ in ſuis operationibus ſit independens à ſimultaneo concurſu ipſius met cauſæ primę, & hoc quia militant de poſſibili eædem rationes, ac de facto.

Coll. 2. Deum concurrere cum actionibus cauſæ ſecundæ, non ſolùm immediatione virtutis, & influxus, ſed etiam cum immediatione ſuppoſiti; cum enim immediatio ſuppoſiti dicat, quòd res ſeu ſuppoſitum habens virtutem ad operandum, ita ſit immediatum cum effectu, vt nulla entitas intermediet, ideo cum Deus per ſuam ſubſtantiam ſit intimè præſens omnibus, & cum virtus Dei ſit ipſius met entitas, neceſſariò ſequitur ex duplici capite, immediatione ſuppoſiti concurrere, & agere ſimul cum cauſis ſecundis.

Coll. 3. Deum etiam concurrere ſimul cum cauſa creata ad conſeruationem effectus producti, & ratio eſt, quia ſicuti cauſa creata indiget concurſu Dei ad productionem effectus, tantò magis illum poſtulat ad productum effectum conſeruandum. Et hæc ſufficiant dicta de cauſa prima efficiente increata, reliqua ad illam ſpectantia in Sacra Theologia videbuntur.

SECTIO XI.

De potentia obedientiali, per quam cauſæ, & entitates creatę ſubordinantur cauſæ primę.

Cauſæ creatæ aliquando producunt certos effectus, ad quos naturaliter nullam habent propor- 42

proportionem, vt sunt opera miraculosa, & alii effectus excedentes vires naturales; ideò præter potentiam naturalem, quam omnes Philosophi naturales concedunt in rebus creatis, aliam quamdam potentiam ad tales effectus agnouerunt Philosophi Christiani, hancq. potentiam obedientialem vocarunt, qua .s. omnes res creatæ habent potentiam ad obediendum Deo primæ causæ, respectu productionis alicuius effectus, ipsis, naturaliter improportionati; de hac ergo potentia obedientiali præsens est quæstio, & primò inquirimus an detur talis potentia obedientialis; Deinde quid sit.

Supp. est autem. Huiusmodi potentiam obedientialem posse considerari, & ad faciendum effectus excedentes vires naturales, vt v.g. si planta arida eleuaretur ad producendos flores; & etiam ad patiendum aliquod, quod omninò excedat suam capacitatem naturalem, vt si lapis eleuaretur ad recipiendam gratiam, quæ est accidens supernaturale excedens capacitatem lapidis; prima vocatur potentia obedientialis actiua, secunda verò passiua; modò etiam inquirimus, an vtraq. potentia obedientialis, actiua, .s. & passiua reperiatur in creatis entitatibus, & an in ordine ad effectus vtriusq. potentiæ, requiratur in illis aliqua proportio, quæ communiter *virtus inchoata* vocatur, an verò absolutè quælibet entitas possit producere, & pati quidquid vult Deus.

Supp. 2 Hanc esse differentiam inter potentiam obedientialem actiuam, & passiuam, quod cum aliqua res eleuatur ad producendum effectum illi naturaliter improportionatum, tunc illius potentia obedientialis actiua compleri debet per aliquam qualitatem supernaturaliter diuinitùs immissam eleuantem talem rem ad effectum supernaturalem, sic dum intellectus eleuatur ad videndum Deum, quia talis visio est entitas supernaturalis, omninò excedens vires naturales intellectus, eleuatur, & corroboratur à lumine gloriæ; hoc autem non est necesse respectu potentiæ obedientialis passiuæ, cũ absq. vlla qualitate immissa possit recipere quidquid non implicat, licèt excedens propriam capacitatem naturalem, plus enim requiritur ad agendum, quàm ad patiendum. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Datur in rebus creatis potentia obedientialis, ne dum actiua, sed & passiua. Est ferè communis, & maximè consona auctoritatibus Sac. Scripturæ. & S.S. P.P. aliqui tamen, inter quos Carrafa de Concursu disp. 2. multos alios adducens, conantur ostendere, non esse ita euidens, nec in rationibus fundari, dari potentiam obedientialem actiuam.

Prob. 1. Nulla creatura diuinę voluntati potest resistere, ergo in ipsa debet dari potentia ad faciendum, & recipiendum aliquod extra sphæram propriæ naturalitatis, quando Deus ita vult.

Prob. 2. Humanitas Christi fuit assumpta ad subsistentiam verbi secundum capacitatem, & potentiam passiuam, non naturalem, quia naturaliter talis vnio attingi nõ poterat, ergo obedientialẽ, ergo vera est cõcl. Tum, in anima recipiũtur gratia, & habitus infusi, sed non per potentiam naturalem gratia enim, & habitus infusi, vt potè, supernaturales in sua entitate, non supponunt potentiam naturalem receptiuam, ergo per obedientialem passiuam. Tum, B. Virgo fuit mater Christi, ipsum generando, non per solam potentiam actiuam naturalem, per illam enim talem effectum non potuisset producere, ergo per actiuam obedientialem, per propriam enim actiuam virtutem, qua erat fœcunda, vt eleuatam à Spiritu Sancto, habuit actionem, quę secundùm modum excessit vires naturæ, ergo &c. Tum, liberum hominis arbitrium à Deo motum, & excitatum, producit, & agit effectus, quos per potentiam naturalem nequit producere, ergo per potentiam obedientialem, Hæreticum est enim asserere, merè passiuè se habere, vt declaratum fuit in Cõc. Trid. sess. 6. cau. 4. *Si quis dixerit liberum hominis arbitrium, a Deo motum, & excitatum, veluti inanime quoddam, nihil omninò agere, merèq. passiuè se habere, anathema sit.* Tum, intellectus eleuatur ad videndum Deum in Patria, sed non per potentiam naturalem, ergo per obedientialem.

Ob. Illa potentia obedientialis, neq. esset naturalis, neq. supernaturalis, ergo non debet dari, non naturalis, quia non esset secundum rei naturam, non supernaturalis, quia non distingueretur ab entitate rei, quæ supernaturalis non est, ergo, &c.

Res. cum Arriaga dis. 11. in Physica, sect. 4. subsec. 2. talem potentiam in recto, & intrinsecè esse naturalem, quia identificatur, & est ipsa entitas rei potens, &c. ex parte verò termini esse supernaturalem, quia esset ad terminum supernaturalem, à quo potentia obedientialis denominatur.

Inst. Si ista potentia esset naturalis esset improportionata effectui, ergo non posset illum producere.

Resp. disting. antecedens. Esset improportionata totaliter, & neg. partialiter, & con., quare per eleuationem esset totaliter proportionata, sed.

Inst. Eleuatio est extrinseca Dei voluntas, ergo non potest tollere hanc improportionem.

Res. dist. antecedens. Est extrinseca Dei voluntas operans, & efficiens, & conc. antec. est extrinseca Dei voluntas otiosa, & nihil adiuuans, & neg. antec. sicuti enim tali causæ in prima rerum productione tantam indidit virtutem, ita modò per aliquam qualitatem potest hanc virtutem augere, & roborare, sicuti de facto per lumen gloriæ intellectus Beatorum eleuatur ad videndum Deum.

Ob. 2. Intellectus, v. g. quando eleuatur ad visionem per lumen gloriæ, primò recipit potentiam actiuam, .s. lumen gloriæ, quod datur ad simpliciter operandum, deinde verò producit per talem potentiam visionem, ergo intellectus se habet solummodo passiuè recipiendo lumen gloriæ, quod se habet, vt tota ratio agendi, ergo non datur potentia obedientialis actiua in intellectu, atq. adeo neq in alia causa.

Resp. neg. lumen gloriæ esse totam rationem agendi respectu visionis beatæ, cum enim hæc importet vitalitatem, quæ nullo pacto potest haberi à lumine gloriæ, ideò præter lumen gloriæ requiritur etiam actio ipsiusmet intellectus, & hoc.

Conf. etiam ex actibus ipsius voluntatis, nel

enim

enim actus supernaturales voluntatis producuntur effectiuè ab ipsa, vel habitu ipsam eleuante, si ab ipsa simul cum concursu habitus, habemus intentum, & hoc etiam debet dici de intellectu, si à solo habitu, ergo nullus actus voluntatis supernaturalis esset liber, cum non à voluntate sed ab habitu haberetur, ergo quando eliceret actum attritionis, talis actus totalis ab extrinseco proueniret, & voluntas solùm passiuè, recipiendo se haberet, quòd est contra Concil. Trid.

43 Secunda Conclusio. Potentia obedientialis actiua, est solummodo ad effectus, ad quos res habent aliquam proportionem, seu inchoatam virtutem, quare huiusmodi potentia non datur in quolibet, ad quodlibet producendum. Ita Scotus in 4. dist. prima, quæst. prima, Vasquez prima parte quæst. 45. disp. 176. cap. 3. & 4. & 3. par. disp. 57. cap. 5. Mast. disp. 7. in Physica quæst. 6. art. 5. Ouiedo, Ocham, Durandus, Scibell. Compton Guarinus, & alij contra Hurtadum, Suarez, Arriagam, Spinulam, & alios tam antiquos, quàm recentiores.

Prob. primò. Implicat causam eleuari ad producendum effectum, ad quem aliquam proportionem non habeat, ergo implicat in ipsa dari potentiam obedientialem ad tales effectus, antecedens prob. implicat effectum haberi effectiuè à causa, per propriam virtutem nullo pacto concurrente, sed hoc esset supposita contraria sententia, ergo &c. mai. est certa, esset enim à tali causa, & non esset, min. prob. si enim causa posset producere effectum, ad quem nullam proportionem haberet, per propriam uirtutem non concurreret, nō enim haberet, sed solùm per qualitatem eleuantem, ergo qualitas sola non causa concurreret.

Prob. 2. Causa habens potentiam obedientialem ad aliquem effectum, dum eleuatur à qualitate supernaturali infusa, simul cum illa euadit vnum principium, & causa adæquata, constitura tamquam ex duabus inadæquatis, eleuata, s. vt ex materia, eleuante verò, vt ex forma, ergo in causa debet esse proportio, seu inchoata virtus ad effectum producibilem; consequentiam probamus, causalitas per quam debet attingi effectus producibilis habetur tàm à principio eleuante, quàm à principio eleuato, tamquam ab vno indiuisibili principio, sed causalitas supponit virtutem in causa, & in principio, virtus enim causæ est causalitas in actu primo, ergo in vtroq. principio eleuante, & eleuato constituentibus vnum principium adæquatum, debet esse virtus inchoata, seu proportio.

Prob. 3. Si potentia obedientialis actiua esset ad quemcumq. effectum, esset etiam ad effectum, ad quem causa diceret oppositionem, v. g. in igne ad producendam aquam; at causa nequit eleuari ad producendum huiusmodi effectum, ergo &c. min. prob. ad hoc vt aliquid dicatur effectus alicuius causæ debet ab ipsa, per actionem ab intrinseco procedere, sed id ad quod causa dicit oppositionem, non potest ab intrinseco procedere, ergo id, ad quod causa dicit oppositionem, non potest esse illius effectus, &c.

Conf. Quia nulla res potest eleuari ad sui destructionem, sed hoc esset, si posset eleuari ad producendum effectum, ad quem diceret oppositionem, ergo &c. hæc min. prob: talis enim potentia obedientialis ad oppositum deberet fluere ab essentia, immò esset eadem met quidditas, & essentia, ergo si eleuaretur ad producendum effectū ad quem diceret oppositionem, eleuaretur ad producendam suam destructionem.

Prob. 4. Si potentia obedientialis actiua esset ad quemcumq. effectum, lapis v. g. posset eleuari ad videndum Deum; item intellectus posset eleuari ad volendum, voluntas ad intelligendum, oculus ad audiendum, auris ad videndum, & huiusmodi, quæ omnia repugnant.

Neq. dicas, hæc omnia posse euenire, mortuo tamen modo, ita quòd per tales actus non possent postea tales causæ eleuatę tendere in obiectum, cum tendentia in obiecta supponat vitalitatem.

Resp. enim, hac responsione confirmari nostrā conclusionem, nam si non possunt tendere in obiecta, quia hoc supponit vitalitatem, ergo non habent potentiam obedientialē actiuam ad quodlibet.

Ob. primò. Intellectus creatus dicit improportionem ad visionem Dei, ad quàm habet infinitam distantiam, & tamen de fide potest per potentiam obedientialem eleuari ad videndum Deum, ergo aliqua Creatura potest eleuari ad id, ad quod dicit improportionem, & ad quòd inchoatam virtutem non habet, ergo &c.

Resp. disting. antecedens, dicit improportionem respectu supernaturalitatis actus, conc. respectu vitalitatis, & nego; quare cum visio sit intra sphæram propriæ actiuitatis sumptæ secundum vitalitatem, ideo intellectus dicitur habere potētiam obediētialem ad eleuari ad supernaturalitatem actus; quòd sic non euenit in lapide, qui nullam proportionem habet ad visionem.

Ob. 2. In quacumq. entitate actiua, datur proportio, & virtus inchoata ad quodlibet producendum, ergo & potentia obedientialis ad quodlibet, antecedens prob. virtus inchoata est, quæ licèt non respiciat effectum secundum omnia prædicata, quæ sunt in ipso, respicit tamen secundum aliqua, sicuti virtus completa ad effectum, est quæ respicit omnia prædicata, quæ sunt in effectu, sed in quacumq. entitate est talis virtus inchoata, ergo &c. hæc min. prob. quidquid est producibile, vel est substantia vel accidens, sed quæcumq. entitas actiua, & causa habet virtutem attingendi, vel substantiam, vel accidens, ergo quæcumq. causa habet virtutem inchoatam ad omne producibile secundùm hæc prædicata generalia accidentis, vel substantiæ, illique secundùm hæc prædicata, est proportionata. 44

Res. dist. antec. datur virtus inchoata, & proportio quoad aliqua prædicata generalia, vt dicitur in probatione, & conc. quoad particularia, & nego antec. simul cum consequentia. Nam cum omnia prædicata, quæ in effectu elucent, debeant esse in virtute causæ, ideò, cum quædam nequeant esse in virtute principij eleuantis, debent

esse

esse in virtute causæ eleuabilis. sicuti enim dicunt aduersarii, eatenùs quamlibet causam quodlibet posse producere, quia quodlibet producibile, vel est accidens, vel substantia, & in causa est virtus inchoata ad substantiā, & accidens; sic si aliud prædicatum peculiare repetitur in effectu, illius virtus inchoata, pariter & in causa inesse debet; quæ cum aliquando in cumprincipio, & virtute eleuante non repetiatur, ideo in ipsa reperienda est, & sic v. g. lapis, non potest eleuari ad videndum Deum, cum enim visio sit actus vitalis, & vitalitas debeat esse à principio, quod se moueat ab intrinseco, non verò quod sit motum ab alio, tamquam inanime instrumentum, hocq. non possit haberi à virtute eleuante, ideo lapis, non habens virtutem inchoatam ad vitalitatem, non potest eleuari ad videndum Deum, sicuti eleuatur intellectus. Quòd si

Respondeant Aduersarij, lapidem eleuari posse ad producendā visionem, non verò ad videndum, ex eo quia, ad videndum non sufficit, quòd quomodocumq. influat in visionem, sed vitali modo se mouendo ab intrinseco, lapis autem non videret, produceret tamen visionem, sicuti etiam lumen gloriæ concurrit ad supernaturalem visionem, & tamen non videt, species impressa concurrit ad intellectionem hominis, & tamen non intelligit. &c.

Res. 1. Implicare in terminis, eleuari lapidem ad producendam visionem, non verò ad videndum: productio enim visionis est visio [illegible] ad summum posset dici, non implicare diuinitùs poni visionem, tāquam qualitatem distinctam in lapide, in hoc enim casu non produceret, sed passiuè reciperet uisionē. Sed hocō ecesso, adhuc Respōsio aduersariorum confirm. nostram Doctrinam; si enim dicunt, non posse eleuari lapidem ad videndum, quia visio debet esse à principio vitali; quale non est lapis, ergo quodlibet non potest eleuari ad quodlibet, ergo solummodo datur potentia obedientialis actiua in entitatibus habentibus proportionem, & virtutem inchoatam. & ita neq. species, neq. lumen gloriæ uident, quia in ipsis non est uirtus inchoata, proportio, & uitalitas necessaria ad producendos actus uitales uisionis, & hac ratione communiter dicitur, oculum corporeum eleuari non posse ad uidendum Deum.

Ob. 3. Eleuatur aqua in Sacramento Baptismi ad producendam, tamquam instrumentum gratiam regenerantem; item ignis ad torquendum Dæmones, ergo poterit etiam eleuari oculus corporeus ad uidendum diuinam essentiam, conseq. patet, non enim est maior proportio inter aquam, & gratiam, quàm sit inter oculum corporeum, & & diuinam essentiam.

Res. 1. Dato etiam quòd uera esset consequentia, argumentum pro nobis militare, nam licèt aqua eleuetur ad producendam gratiam, ut instrumentum, ignis ad torquendum Dæmones, &c. non tamen eleuari possunt ad videndum Deum, ergo quodlibet, ad quodlibet nequit eleuari.

Res. 2. neg. conseq., & ratio disparitatis est, quia non est eadem improportio inter aquam, & gratiam, sicuti inter oculum corporeum, & visionem Dei, ut dicimus in probatione, nam aqua concurrendo ad gratiam, concurrit in genere causæ efficientis moralis; concursus autem causæ efficientis cum sit extrinsecus, ideò potest suppleri per quodcumq. extrinsecum; oculus verò ad uisionem, nedum concurrit eff ctiuè, sed etiam formaliter, quatenùs ipsius uisio recipitur in ipso, ut forma intrinseca, & quatenùs specificatur intrinsecè à modo, quo tendit in obiectum. Quare cum solummodo possit producere uisionem uitaliter, per actum formaliter corporeum, ut potè in se ipso recipiendum, & in obiectum formaliter corporeum, ideo uitaliter operando, nequit eleuari ad uisionem Dei.

Ob. 4. Potest Deus producere creaturam, quæ possit eleuari ad quodlibet, ergo & poterit aliquod comprincipium producere, quod eleuando entitates iam creatas, illas compleat, & suppleat quamcūque improportionem, ad quodlibet producendum. 45

Res. Dato antecedenti, neg. conseq. Cum enim formalitas effectus debeat contineri in causa, ideo si in causa non esset virtus inchoata ad aliquem effectum per nullum comprincipium, ad illum effectum producendum, eleuaretur, & si effectus haberetur, non haberetur à causa, nullo pacto concurrente, benè verò à solo comprincipio.

Quòd si dicas, in causa continetur formalitas effectus quoad prædicatum, vel substantiæ, vel accidentis, ergo talis virtus inchoata, potest ab aliquo comprincipio roborari.

Res. Esse substantiale, aut accidētale eff ctus physicè, & realiter nō [illegible] ab aliquibus formalitatib' physicis, & realib', nō enim importat substantiam, aut accidens vt sic, sed tale, vel tale accidens, aut substantiam; quare virtus inchoata in causa non sufficit, vt sit ad substantiam, & accidens vt sic, sed ad tale, & tale accidens, & substantiam, & ideò quando talis virtus inchoata in aliqua causa non reperitur, nec potest eleuari ad producendum effectum.

Quòd si iterum dicas, posse poni à Deo qualitatem eleuantem in causa, vt quid essentiale, in quo casu per se ipsam concurreret.

Resp. In tali casu, non ampliùs futuram eam causam, sed aliam, vtpotè essentialiter mutatam de hoc autem non loquitur Conclusio, certum est enim, Deum posse destruere quamcumq. essentiam, & aliam producere.

Ob. 5. Si in Creaturis non daretur potentia obedientialis, ad quodlibet, non posset Deus vti Creaturis pro libito suę voluntatis ad faciendos effectus supra vires naturales, sed hoc non est dicendum, ergo &c.

Resp. Creaturas esse subditas diuinæ voluntati secundum rationes, secundùm quas ab eadem diuina voluntate fuerunt conditę, quare nisi ab eadem diuina voluntate destruantur, & mutentur in essentialibus (sed quod habent potentiam obedientialem passiuam, in quo casu, non essent postea eædem, sed aliæ) nequeunt concurrere nisi ad effectus, ad quos aliquam proportionem, seu inchoatam virtutem habent.

Tertia Conc. Potentia obedientialis passiua est, in 46

in creaturis ad recipiendum quod vult Deus, dummodo implicantiam non importet, aut essentia passi non destruatur. Hæc conclusio conceditur ab omnibus.

Prob. Nulla Creatura diuinæ volūtati potest resistere, ergo potest pati à Deo quidquid vult Deus, ergo habet potentiam obedientialem passiuam ad quidquid vult Deus.

Dixi autem in conclusione, dūmodo implicantiā non inuoluat; quòd enim implicat, nequit fieri à Deo, & ideo diximus in primo lib. propter implicantiam, non posse eleuari à Deo materiam primam ad recipiendas duas formas substantiales totales.

Dixi etiam, dummodo essentia passi non destruatur, si enim Deus vellet cogere Creaturam ad patiendum aliquid, quod illius essentiam destrueret, tunc creatura id non posset recipere sine propria destructione, v. g. si Deus vellet substantiam essentialiter exigere substentari in accidente, hoc non posset facere, quia destrueretur primus conceptus, & essentia ipsius substantiæ; quare ad hoc, vt aliquid dicatur pati, debet esse id, quod patitur in suo esse; si enim per talem passionem destrueretur, non amplius posset dici quòd pateretur, quod enim non est, non potest pati: non nego tamen creaturas omnes habere potentiam obedientialem passiuam ad recipiendam sui destructionem, & anihilationem à Deo, sed in tali casu, non propriè paterentur recipiendo aliquid, sed paterentur, propriam destructionem, & anihilationem subeundo.

Quarta Conclusio. Huiusmodi potentia obedientialis, tam actiua, quam passiua, est entitas vniuscuiusq. rei, cum propria virtute actiua, aut passiua, connotans extraordinarium concursum Dei ad faciendum effectus supra vires naturales. Coll. ex Suarez Tomo primo in tertiam part. quæ. 23. disp. 31. sec. 5. §. *quod si*, quem sequuntur Hurtadus, Tellez, Mastrius, Compoton, Serbeli, & alij contra quosdam Thomistas asserentes esse non repugnantiam creaturæ ad obediendum Creatori.

Prob. primò. Ablata quacumq. entitate superaddita, adhuc Creatura per suam entitatem posset eleuari ad producendos, & recipiendos effectus supra vires naturæ. ergo potentia obedientialis est ipsamet entitas creaturæ connotans &c.

Prob. 2. Quādo creatura eleuatur, eleuatur secūdū potentiam eiusdem creaturæ, sed huiusmodi potentia, est entitas eiusdem creaturę, ergo potentia obedientialis est entitas. &c. mai. prob. eleuatur enim creatura, vt operetur, non verò vt tantum deferat actionem principalis Agentis vt inanime instrumentum.

Prob. 3. Creaturæ eleuatæ per potentiam obedientialem, actiuè concurrunt. sed non repugnantia, non potest concurrere actiuè, ergo potentia obedientialis non est non repugnantia, benè verò entitates ipsæ habentes non repugnantiam. Quare.

Coll. primò. Potentiam obedientialem creaturæ tam actiuam, quam passiuam, posse definiri, *esse aptitudinem creaturæ ad seruiendum Creatori, volenti ea vti ad effectum supra vires naturę* atq. adeo neq. esse non repugnantiam, nec qualitatem superadditam.

Coll. 2. Obiectum huiusmodi potentiæ esse omne id, quod non implicat contradictionem, tum in se, tùm respectu creaturæ habentis talem potentiam. Actio autem huiusmodi potentiæ est ipsa productio effectus supernaturalis, pro vt exit à tali creatura eleuata.

Coll. 3. Potentiam obedientialem actiuam non esse æqualem in omnibus, cum enim supponat virtutem inchoatam, & proportionem, & hæc non sit æqualis in omnibus, ideo neq. potentia obedientialis actiua; hoc etiā est dicendum de passiua, pro vt importat, non anihilationem, aut destructionem, huiusmodi enim, si propriè potest appellari potentia obedientialis passiua, est æqualis in omnibus, benè verò vt importat alicuius receptionem, cum enim etiam ipsa excludat implicantias & hæ respectu vnius sint, non verò respectu alterius, ideo. &c.

SECTIO XII.

An possit dari aliqua creatura, quæ per potentiam obedientialem actiuam possit eleuari ad creandum.

QVæstio procedit de possibili, licet enim aliqui antiqui crediderint, hāc virtutem de facto inesse in aliquibus creaturis, asserentibus, Angelum supremum creasse inferiores, & ab illis cæteras entitates creatas fuisse: hoc tamen vt pote contra doctrinam S.S P.P. & non adeo consonum fidei nostræ, quæ solùm Deum Creatorem cœli, & terræ visibilium omnium, & inuisibilium agnoscit, cōmuniter ab omnibus reijcitur. 47

Supp. est autem, Ad creationem non esse superandam distantiam infinitam, vt dicebamus in primo Physicorum, ex eo quia huiusmodi distātia nō est, inter ens, & nihil, cum enim ens distet à nihilo secundùm suam entitatem, quæ finita est, ideo finitè distat: quare, licet inter ens, & nihil sit summa oppositio, non est tamen summa, & infinita distantia.

Supp. 2. Duplici modo posse inquiri, an dari possit creatura, quæ possit creare, primò, an possit vniuersaliter tamquam causa adæquata creare omne creabile, & de hoc non inquirit Quæstio, certissimum est enim, hoc implicare creaturæ, cum enī obiectum talis potentiæ, i. omne creabile, sit infinitum, ideo est obiectum solius Dei; secundò verò modo, an possit per modum causę principalis proximè, & immediatè creare aliquos effectus, cum dependentia tamen, & subordinatione

ad causam primam, quam habent omnes causæ secundæ in suis operibus, & in hoc sensu procedit quæstio. Hoc supposito. Sit,

Prima Conclusio. Licèt de facto nulla creatura habeat potentiam ad creandum, possibilis est tamen creatura, quæ vt causa principalis possit creare. Hanc sententiam tenent Gabriel in 2. distinc. 9. quæst.4. Arriaga disp.11. in Phys. sect.5. subsec. 2. Spin. disp.7. in Phys. sect. vlt. Serbei. disp. vnica de Cœlo, quæst.1. art.3. Compton. disp. 27. in Phys. sect 7. & alij pauci.

Prob. Quidquid non implicat Deo concedendum est, sed non implicat, à Deo creari creaturam habentem virtutem creandi, vt causam principalem, ergo &c. min. in qua, est tota difficultas, prob. si implicaret, vel implicaret ex parte causæ, vel ex parte effectus, vel ex parte actionis, sed ex nullo capite implicat, ergo &c. Non ex parte causæ, hoc enim non arguit infinitam virtutem in causa, cum terminus producibilis sit finitus, argueret autem si terminus esset omne producibile, atq. adeo infinitus; neq. etiam huiusmodi virtus esset eiusdem perfectionis, ac est virtus diuina, nam causa habēs talem virtutem esset solummodo proxima, & immediata ad effectum, cum dependentia semper, & subordinatione ad primam causam.

Non implicat etiam ex parte effectus, & termini quia adhuc ille terminus esset finitus, & limitatus, esset enim tale ens.

Neq. etiam implicat ex parte actionis, quia adhuc esset finita, & limitata ad particulares, non ad uniuersales effectus, ergo cum ex nullo capite implicet, dicendum est posse, &c.

Neq. ualet, hoc probari non posse argumento positiuo, sed solū negatiuo; Nā quotiescūq. est sermo de re possibili, argumentū negatiuū est euidentissima demonstratio. Tum quia, nullum argumentum efficax potest reperiri, vt optimè notat Ouiedo contr. 13. in Phys. punct.4 demonstrans huius rei impossibilitatem, ergo cum ex non implicantia probetur possibilitas, optimè probari, est argumentum; sed veritas huius conclusionis magis patebit ex solutione argumentorum.

Obij. Ad creationem requiritur infinita virtus, sed hæc non potest esse in creatura, ergo &c. min. est certa, mai. prob. superari enim debet distantia, quæ est inter ens, & nihil.

Resp.1. Dato etiam, quòd esset necessaria infinita virtus, non esset necessaria in omni genere, sed in aliquo solùm genere; non implicat autem, vt quidam defendunt, creaturam in aliquo genere infinitam, esset enim adhuc dependens à Deo; sed.

Resp.2. nego antec. & ad illius probationem dico. Non esse superandam distantiam, dato quòd inter ens, & nihil daretur, tunc enim esset superanda, si vtrumq. extremum deberet attingi, at solùm vnum extremum attingitur in creatione, ens scil. productum, non verò nihil, ergo &c. deinde, vt diximus, non est distantia infinita inter ens, & nihil, ens enim distat à nihilo quantùm est ipsius entitas, quæ, cum sit finita, ideò, & finitè distat à nihilo; hoc autem patet, quia huiusmodi distantia superatur in eductione cuiuscūque formæ, producitur enim, vt dicebamus suo loco, ex nihilo sui, licèt postea dependenter à subiecto; quare si Deus faceret creaturam potentem operari absque dependentia à subiecto, faceret creaturam cum virtute ad creandum, hoc autem non implicat ut supra.

Obijc. 2. Terminus creationis est ens ut sic, at ens ut sic non potest esse terminus, nisi uniuersalissimæ causæ, qualis est Deus, ergo &c. mai. prob. per creationem enim fit per se primum esse, non solùm quatenus tale est, sed etiam in quantum est esse, cū enim per creationem fiat per se primò effectus secundùm eam rationem, secundùm quam nō præcessit, & effectus non solùm non præcesserit in ratione talis entis, sed etiam in ratione simplicissima entis, vt sic, ideo in creatione fit in quantum esse, at ens in tali ratione est ens, vt sic, ergo &c.

Resp. neg. maior. Nam terminus creationis solùm differt à termino generationis, quia primus producitur nō præsupposito subiecto, secūdus verò præsupposito subiecto, quare sicuti terminus generationis, non est ens, vt sic, seu ens abstractum, benè verò tale ens, sic etiam est dicendum de termino creationis: atq. adeo falsum est, in creatione attingi ens, vt sic, secundùm rationem abstractam, aut secundùm rationem omnis creabilis, benè verò attingitur secundùm rationem specificatiuè talis entis creabilis; secundùm enim talem rationem præcedit creationem; ratio enim entis, vt sic, includitur in ratione talis entis; quare ad ipsum creandum, non est necessaria potentia vniuersalissima, atq. infinita, qualis est in Deo prima causa potente omne creabile producere.

Ob.3. Modus operandi sequitur modum essendi, sed modus essendi creaturæ est dependens a subiecto, ergo & modus operandi, ergo nequit operari, nisi dependenter à subiecto; atque adeo non creare.

Resp.1. Falsam esse minorem, dantur enim creaturæ independentes à subiecto in modo essendi, quales sunt Angeli, quare ex hoc potiùs deduceretur, si modus operandi debet commensurari modo essendi, posse Angelos producere independenter à subiecto, atq. adeo creare.

Resp.2. Modum operandi sequi modum essendi, si intelligatur pro modo operandi virtus causæ, sic si causa dependet à subiecto, ita etiam virtus eiusdem causæ dependet à subiecto; si verò intelligatur modus operandi passiuè, & pro vt se tenet ex parte effectus, falsa est mai. effectus enim potest habere diuersum esse a sua causa, & licèt causa dependeat à subiecto, potest producere effectum, non dependentem à subiecto, sicuti res dependens à materia potest producere rem independentem a materia, sic sensus communis materialis, producit species intellectuales spirituales, non dependentes à materia.

Objic. 3. Nulla creatura potest operari ad intra, nisi per operationem in se ipsa receptam, ergo neque poterit operari ad extra, nisi per operationem in subiecto receptam, ergo neque creare.

con-

consequentia patet, nulla enim creatura operatur perfectiùs ad extra, quàm ad intra, ergo si ad intra, non operatur, nisi per eductionem, seu per productionem in subiecto, idẽ necessariò debet facere ad extra. Tum quia, de ratione operationis immanentis, nõ est esse in subiecto, in Deo enim non sunt in subiecto, ergo si sunt in subiecto respectu creaturæ, est quia implicat dari actionem creaturæ, quæ in subiecto non reperiatur. Hæc est ratio Ouiedi, qua vtpotè probabiliùs, .l. non euidenter conuincente, probabamus in primo libro, implicare creationem in Agentibus creatis, saltem de facto; quare

Res. 1. Antecedens valere solùm de facto, non de possibili, neq. enim implicat dari creaturam habentem actum intellectus immanentem sibi identificatum, cum hoc non importet infinitatem extrahendo creaturam ab omni potentialitate, quia adhuc talis creatura non emergeretur ab omni potentialitate, posset enim a Deò annihilari, posset abesse, & adesse à rerum natura, posset recipere multa accidentia ab extrinseco; quare ex tali antecedenti nullam desumit efficaciam conseq. argum. sed dato etiam tali antec.

Res. 2. neg. conseq. Nam ideò nequit actio immanens non recipi in subiecto, quia hoc importat in sua formali ratione, dicitur enim immanens, quia est in principio, à quo est, hoc autem non importat, actio transiens, quæ solùm dicit transire extra subiectum operans, non verò in suo formali dicit recipi in subiecto; quare ab essentia, & natura actionis immanentis, non deducitur euidenter essentia, & natura actionis transeuntis; neq. eni esse in subiecto illi prouenit ut est actio creaturæ, sed quia est actio immanens, exigens immanentiam in subiecto; atq. adeo exemplum de Deo non est ad rem, operationes enim Dei ad intra sunt ipsa substantia Dei, & ideo immanere non dicuntur, idem enim non manet in se ipso; ad primam probationem consequentiæ dico, falsum esse creaturam non posse operari perfectiùs ad extra, quam ad intra; productio enim substantialis Equi, quæ est operatio transiens, & ad extra, est perfectior, quàm motus, aut sensatio aliqua recepta immanenter in ipso equo, ergo &c.

Coll. 1. ex dictis. Nullam esse implicantiam produci à Deo Creaturam, quæ vt causa principalis possit create. An autem creaturæ de facto productæ habeant potentiam obedientialem, qua possint eleuari ad creandum, nulla in hoc apparet implicantia, .l. enim de sua natura sint ordinatæ ad producendum semper ex præsupposito subiecto, tamen possent eleuari a Deo, nulla facta in essentialibus mutatione, ad producendum virtute diuina, saltem vt instrumẽta, ex non præsupposito subiecto, non est enim necesse, omnem actionem creaturæ, etiam quando agit virtute diuina, esse ex præsupposito subiecto, de facto enim eleuantur verba Sacerdotis ad faciendam transubstantiationem panis in corpus Christi in Eucharistia, & tamen talis actio, non est ex præsupposito subiecto, vt docet D. Thom. 3. par. quæst. 75. art. 3. .l. tamen neque etiam sit creatio. Ratio autem, quæ hoc suadet est, quia potentia obedientialis importat virtutem inchoatam ad effectum, a quem datur huiusmodi potentia. sed talis virtus inchoata est in creatura, ergo &c. min. prob. in creatura enim est virtus producẽdi effectũ ex nihilo effectus, sed hæc est quædam inchoatio ad producendum etiam ex nihilo subiecti, ergo &c. ergo Deus augendo virtutem inchoatam, & illam eleuando, poterit creaturam ad creationem eleuare.

SECTIO XII.

De Causa Ideali.

QVæstio est, an Idea, quæ est ille modus, illa imago, quam in mente artifex habet, iuxta 48
quam operatur, sit causa efficiens, vel formalis. D. Thom. vt apud Morandum 2. Physicorum tract. 5. quæst 9. asserit, Ideam esse solùm causam formalem extrinsecam; Scotus verò, vt apud eumdem, dicit esse causam efficientem; pro cuius solutione. Sit.

Prima Conclusio. Idea est causa efficiens. Ita Scotus in 2. distinc. 2. quæst. 2. & dist. 36. quæst. 1. art. 1.

Prob. 1. Tunc intelligimus esse productum effectum tamquam à causa efficiente, quando in effectu eius similitudinem videmus; sed in effectu ab artifice producto, ideæ similitudinem videmus, ergo idea est causa efficiens.

Prob. 2. Artifex sine idea illum effectum producere non potest quoad talem formam, ergo concurrit cum artifice idea ipsa; quare idea est illa, quæ agens afficiendo, dat illi virtutem taliter rem producendi, vt obiectum per species in oculo impressas, dat oculo virtutem se videndi.

Coll. 1. Ideã esse causam efficientem, concurrentem tamen simul cum artifice ad talem effectum producendum, ipsa enim sola non est sufficiens ad producendum totum effectum.

Coll. 2. Etiam non posse dici causam formalem, quia causa formalis quomodocumq. accipiatur, debet esse in eo, cuius est causa formalis, sed idea non est in effectu, sed solùm in intellectu, ergo non potest esse causa formalis effectus producti. Quòd si pro causa formali extrinseca intelligatur, quod effectus sit talis ab ipsa, quia ad eius similitudinem fit, concederem etiam, esse causam formalem, sed propriè in hoc non consistit causa formalis; quare meliùs cum Scoto asserendum est, esse efficientem.

SECTIO VLTIMA.

De Causis per accidens, & de Casu, Fortuna, & Fato.

40 CVm de omnibus causis egerimus, remanet ut etiam de caussis per accidens pro complemento huius secundi libri, cum Philosopho, agamus, & quia Aristoteles tales uocat, Fortunam, Casum, & Fatum, de his quædam, & communiora hic explicabimus.

Fortuna igitur apud Gentiles pro quadam Dea sumebatur præside, & bonis, & malis euentibus imminentibus, de qua plura est uidere apud Amicum, tract. 12. quæst. 6. relictis tamen antiquæ superstitionis somnijs, definitur ab Aristotele secundò Physicorum text. 52. quòd sic *Causa per accidens in ijs, quæ secundum electionem eueniunt, quæ propter aliquid sunt* & clariùs à recentioribus. *Fortuna est causa per accidens effectus, raro contingentis in agentibus propter finem cum electione.*

Dicitur *causa per accidens* respectu effectus, qui cum nō intēdatur principaliter, ideò fortuitò, & accidentaliter dicitur euenire; dicitur *effectus raro contingentis*, quia si effectus ordinariè à tali causa procederet, nō diceretur fortuitus, dicitur *in Agentibus, &c.* quia fortuna solùm reperitur in Agentibus intellectualibus quæ agunt cum electione, in quibus tamē, vt effectus dicatur fortuitus, necesse est, quòd accidat præter opinionem, vt si quis fodiens terram ad inueniēdam aquam, thesaurum reperiat, & hæc est differentia inter Fortunam, & Casum, quòd Fortuna est solum causa, &c. in his, quæ agunt propter finem cum electione, non verò Casus, qui sic definitur.

Casus est *Causa per accidens effectus raròcontingentis, in Agentibus propter finem, absque electione,* quare casus propriè conuenit Brutis, & etiam rebus inanimis, .i. non tam propriè, vt si cadens lapis ab aliquo tecto aliquem occidat, talis dicitur casu occisus.

Hic aduerten. solùm respectu causarum secundarū posse dici effectus fortuitos, & casuales, nam respectu Dei omnia iuxta suam voluntatem disponuntur, & ordinantur, & .i. Deus dicatur causa per accidens peccati, peccatum tamen non potest dici illius effectus casualis, aut fortuitus, quia illud Deus antequam committatur, agnoscit, & nollet esse, .i. permittat; quare peccatum non potest dici propriè effectus respectu Dei, quatenùs est peccatum, sed solum quatenùs habet esse physicum.

Aduert. 2. Fortunam, & Casum posse etiam appellari. effectus prouenientes à talibus causis per accidens, propriè tamen loquendo tales effectus, fortuiti, & casuales debent appellari, illorumque causæ, Fortuna, & Casus.

Aduert. 3. Omnē effectum fortuitum, & casualem prouenientem ab aliqua ex causis per accidēs, debere necessariò habere causam per se, cum enim sit effectus realis, etiam causam realem, & per se debet habere; talis autem, vel potest esse eademmet causa per accidens, vel alia; & ita quando quis, v.g. volens occidere inimicum, illum vulnerando in aliquo interno apostemate, sanat, talis sanitas dicitur effectus fortuitus, proueniens à vulneratione, quæ quia nō erat ad sanandū, sed ad occidendum, dicitur talis sanitatis causa per accidens, quia verò physicè influxit in talem effectum, dicitur causa per se.

Fatum opponitur Fortunæ, & Casui; sumebatur autem ab antiquis, & à recentioribus Astrologis, & Hæreticis pro quadam ineuitabili necessitate, orta à syderibus, tales vel tales effectus causante, qui Fatales ideò vocantur; quare omninò Catholicis quodlibet nomen Fati fuit semper vetitum; posset tamen etiam apud Orthodoxos Fatum nominari, illud vocando complexionem quamdam causarū secundarum, quæ licèt ex se incertæ sint, ac variabiles, prout tamen subsunt prouidentiæ diuinæ, infallibiliter producunt effectus, Deus enim quascumque causas iuxta vniuscuiusq. naturam ordinat, & disponit, alias necessariò, alias liberè; & hinc est, duplex esse Fatum, formale, & obiectiuum, obiectiuum est ipsa causarū secundarum series, cōplexio, & concatenatio, à qua proueniunt huiusmodi effectus; formale verò est actus ipse diuinus, quo res omnes modo supradicto ordinat, & disponit, appellaturq. diuina illius Prouidentia à nonnullis Fatum casuale, definitumq. fuit à Boetio 4. de consol. pro. 6. *Fatum est rebus mobilibus, immobilis inhærens dispositio, iuxta quam diuina prouidentia suis quæq. nectit ordinibus.* 50

Quæres. Quid sit Monstrum, & an sit effectus casualis, vel fortuitus.

Resp. Monstrum esse peccatum naturæ, ita definitur ab Aristot. 2. Physicorum tex. 82. communiter autem definitur *effectus naturalis a recta, & solita, secundum speciem dispositione, degenerans,* vt si quis, v. g. nascatur cum duobus capitibus, cum enim secundùm speciem humanam, quilibet cum vno solo capite nasci soleat, nascens cum duobus capitibus, vt potè degenerans à solita, & recta dispositione secundùm speciem, dicitur monstrum, Ponuntur autem in definitione particulæ *recta, & solita,* per ly *recta* intelligendo rectam, seu consonam dispositionem speciei, à qua degenerat nascens, vt dictum est cum duobus capitibus; per ly verò *solita* significando talem, dispositionem sumendam esse respectu locorum, &c. quia si v.g. in Æthiopia nascatur Æthiops, nō dicitur mōstrum, quia secundum solitum illius regionis, taliter homines nascuntur.

Resp. 2. Monstrum respectu Dei non esse effectum fortuitum, nec casualem, omnia enim disponit ad sui beneplacitum; respectu verò causarū secundarum posse dici aut fortuitum, aut casualem, cum rarò contingant huiusmodi effectus, & non præintendantur à causis eas producentibus. Et hæc dicta sint in secundùm librum physicorum.

DISPVTATIO PRIMA

In tertium lib. Physicorum Aristotelis De Actione, Passione, & Motu.

IN primis duobus libris vidimus cum Aristotele principia intrinseca, & extrinseca corporis naturalis, nunc cum eodem à nobis expendendæ sunt corporis naturalis passiones, & quia prima, & principalis est motus, ideo de hac in præsenti disputationem instituimus. Quia autem Aristoteles nedùm in hoc tertio libro, sed etiam in alijs libris physicis, aliqua semper agit de motu, nos vt omnia ad motum in communi spectantia in uno colligamus, in hoc tertio libro omnia expendemus; quæ uerò spectant ad quemcumq. motum in particulari, suo cuiusque loco uidebimus; & quia secundum ferè communem, motus est idem realiter ac actio, & passio, prius de his agemus. Quare sit

SECTIO PRIMA.

Quid sit Actio, & Passio, & An distinguantur inter se, & ab Agente, & Passo.

ACtio, ut ipsum nomen sonat, est actus Agentis, seu causæ efficientis, quo agit, operatur, producit, aut conseruat effectum, passio uerò est recipi esse ab Agente, fieri, produci, aut conseruari ipsius effectus; ferè autem omnes D.D. constanter defendunt, actionem, & passionem à parte rei esse eamdemmet entitatem, solùm distinctam ratione, & per diuersa connotata, quatenùs .s. ut respiciens agens, actio dicitur, passio uerò, ut passum connotans, hocq. tam firmiter sustinent innixi clarissima auct. Philosophi, qui tertiò Physicorũ tex. 18. & seq. præter morem suum, hoc clarissimè ostendit; ad hanc igitur difficultatem ennodandam,

Supp. est. Actionem, & passionem diuersimodè posse sumi, ratione cuius æquiuocationis forsam aliqui in uanum altercantur D. D. primò ergo, actio potest sumi pro operatione physicè ab Agente producta, quæ est quoddam accidens se habens ueluti uia, & transitus, quo Agens naturale producit effectum, & cessante Agente ab operari, corrumpitur; passio è contra, potest sumi pro eo, quo effectus patitur, & fit, hoc est pro fieri, & uia, qua ab Agente attingitur effectus. & secundum hanc acceptionem explicauit actionem, & passionem Aristotoles hic tex. 21. dicens, eodem modo se habere actionem, & passionem, ac se habet via, quæ ducit Thebis Athenas, & Athenis Thebas; secundò, licèt non tàm propriè potest sumi actio, pro quodam modo, pendentia, & fluxu, quo nedũ effectus, sed & ipsa actio supra explicata est ab Agẽte, in quo supra statuimus causalitatẽ causæ efficiẽtis; passio verò pro fluxu, & pendentia, qua nedũ effectus, sed & fieri effectus recipitur in subiecto, ab eoq. vt à causa materiali pendet, qui fluxus, & pendentia est quidam modus. Hæc autem diuersa acceptio actionis, & passionis, præter quã quòd clara, & euidens est, deducitur etiam ex ipso Aristotele hic tex. 21. quem infra adducemus, .l. tamen aliqui existiment ex ijs duabus actionibus, & passionibus vnam constitui actionem, & passionem, constitutam, ex absoluto, & relatiuo, vt videre est apud Morandum hic tract. 1. de Motu quæst. 8. & Atesium 1. de Generatione dis. 5. quæst. 3. quòd tamen nequit dici, cum, lic. entitatiuè actio primo modo sumpta, non distinguatur à secundo modo sumpta, attamen habeat diuersum conceptum formalem, & secundùm talem, sit absoluta, sicuti neque potest dici accidens constitui ex absoluto, & relatiuo, .l. tamen dicat ordinem ad subiectum; Tum etiam quia una actio potest esse sine alia, sicuti & passio, Hoc itaq. supposito. Sit.

Prima Conclusio. Actio, & passio primo modo sumpte, entitatiuè, & realiter non distinguuntur. Est ferè communis sententia, .l. tamen Ouiedo contr. 12. in Phys. punct. 2. conetur ostendere hanc cõclusionem fundari in sola auctoritate, tum Aristotelis, tum ferè omnium Philosophorum.

Prob. 1. Auctoritate Aristotelis hic tex. 18 vbi demonstrans mouẽtis, & mobilis, vnum, & eumdem esse actum ait *quare similiter vnum est amborum actus*, & inde adducit exemplum de spatio, quod

inter

inter duo loca intercedit, quod idem est respectu vtriusq. loci.

Prob. 2. ratione. Per id omninò, per quod A. gens efficit terminum, terminus efficitur, & dicitur factus, sed id per quod Agens efficit, est actio, & per quod terminus efficitur, est passio, ergo actio, & passio sunt idem, atq. adeo realiter non distinguuntur, mai. prob. eadem enim actione, qua ego v. g. Petrum video, Petrus videtur à me, eadem actione, qua ignis producit alium ignem, talis ignis producitur.

Neq. dicas ex Ouiedo, hoc totum verum esse, attamen non esse primum principium, & quid sâ. ctum asserere, eam entitatem, per quam terminus constituitur effectus, esse dicendam Passionem, cum talis solummodo possit appellari, quia talis entitas passiuè significatur, quæ tamen acceptio vero philosopho indecora omninò est, quate, licet per eamdem actionem, per quam Agens producit effectum, etiam effectus producatur; attamen talis productio passiua non potest propriè dici passio, cum passio formalis non fit id, per quod producitur effectus, sed id per quod recipitur effectus in passo, vt patet in actione creatiua, per quam, licet Angelus v. g. efficiatur, tamen non constituitur receptus, ex eo quia non fit subiectũ in quo &c.

Resp. enim, hoc pacto sumi passionem ab omnibus philosophis, ipsum Aristotelem sequentibus, quare indignum Philosopho non est fieri effectus, passionem appellare, cum respectu ipsius effectus tale fieri, actio formaliter nequeat dici: Concedo tamen, adhuc aliam passionem dari posse, quæ sit receptio ipsiusmet effectus, de qua in supposito; & in sequenti conclusione. Quare, dari passionem realiter, & entitatiuè identificatam cum actione, sumendo passionem hoc pacto pro fieri effectus, clarum, & euidens debet esse. Ad id autem de actione creatiua, dico, quòd si passio sumatur pro fieri effectus, etiam respectu entia creati, potest dari passio, si verò accipiatur pro receptione in subiecto, tunc, cum creatio sit independenter à subiecto, nullo pacto potest dari.

8 Secunda Conclusio. Actio, & passio, secundo modo acceptæ, distinguuntur realiter modaliter. Videtur esse Scotistarum.

Prob. primò autori. Arist. hic tex. 21. vbi ait *At verò neq. si doctio, & disciplina sint idem, & discere, & docere idẽ erunt; sicuti neq. si spatiũ vnum distanrium sit, & distare hinc illuc, & illinc huc, vnum, & idem est;* vbi conatur ostendere, quòd sicut, licet spatium intermedians inter Athenas, & Thebas sit idem spatium realiter, & entitatiuè, tamen si consideretur Athenis Thebas, quàm si Thebis Athenas, attamen distare quod habent Athenæ à Thebis, non est idem distare, ac quod habent Thebæ ab Athenis, cum distare, quod habent Athenæ, sit quidam modus indistinctus ab Athenis; distare verò quod habent Thebæ sit alius modus ab ipsis Thebis indistinctus; Sic etiam, licet actio accidentaliter sumpta, & pro vt est motus, non distinguatur à passione sumpta pro effici effectus, seu moueri, attamen dependere à causa efficiente quod est esse actionis pro vt hic eam sumimus, distingui à dependere à causa materiali, in qua dependentia diximus consistere passionem, vt in Cõclusione eam accipimus.

Neq. valet. Aristot. loqui solùm de distinctione rationis, vt paulò post demonstrat cum dicit *nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.*

Resp. enim. Arist. per hoc quòd dicat distingui ratione, non negare distingui etiam realiter, maximè quòd talis distinctio realis demonstratur in exemplo ab ipso allato, cum enim, vt diximus in Logica cum de Relatione, relatio sit totaliter in fundamento realiterq. distincta à termino, ideo, cũ distare Athenarum à Thebis iportet quã 'à relatione, debet esse identificata cum ipso fundamento realiterq. distingui à termino, sicuti fundamentum distinguitur à termino.

Prob. 2. ratione. Tunc duo modi distinguuntur realiter modaliter, quando eorum subiecta distinguuntur realiter, sed subiecta actionis, & passionis pro vt hic sumuntur, distinguuntur realiter, ergo &c. mai patet, cum enim modus non importet entitatem distinctam ab entitate subiecti, ideo si subiecta distinguuntur realiter, pariter & modi. min. prob. subiectum enim actionis, seu fluxus, & pendentiæ ab Agente, est effectus, qui fluit, & producitur, subiectum verò passionis, seu dependentiæ, vt à causa materiali, est subiectum, in quo recipitur effectus, sed tale subiectum, & effectus realiter distinguuntur, ergo &c.

Prob. 3. Potest dari actio sine passione, ergo realiter modaliter distinguuntur, consequentia est clara; prob. antecedens. Tum respectu creationis, creatio enim, vt suo loco dicebamus, consistit in fluxu, & modo pendentiæ effectus à causa creante, qui tamen non importat passionem, seu dependentiam à subiecto, cum creatio sit independens à subiecto. Tum quia, potest Deus effectiuè sustentare operationem Agentis, vt potè accidens, sicuti eodem pacto sustentat accidentia Eucharistica, sed in tali casu esset fluxus, & pendentia talis operationis ab Agente, non verò passio in subiecto, ergo, &c.

Neq. dicas, eamdem esse dependentiam, qua effectus fluit à causa efficiente, ac qua dependet à causa materiali, & ratione solùm distingui penes diuersa connotata.

Resp. enim, nullo pacto esse eãdem dependentiã, nam dependentia qua effectus pendet à causa materiali, vtiq. alia non est, nisi receptio illius in causa materiali, sed talis receptio, vtiq. non est esse, & fluere à causa, cum vt supra dicebamus, quidam effectus possint fluere à causa, & tamen non recipi in subiecto, ergo &c.

Data ergo hac diuersa acceptione actionis, & passionis, facilè concordari possunt D.D., qui enim admittunt distinctionem inter actionem, & passionem, intelligendi sunt de actione, & passione secundo modo acceptis. s. pro quibusdam modis, quibus effectus, & fluit ab Agente, & recipitur in passo: qui verò nullam distinctionem admittũt, loquuntur de actione, & passione primo modo sũ-

ptis,

ptis, quæ propriè, & secundùm communem loquendi modum vocantur actiones, & passiones, quæq. non distinguuntur a motu, vt infra: an autem saltem ratione huiusmodi actio, & passio distinguantur, ferè omnes concedunt distingui ratione ratiocinata, & penes diuersa connotata, quòd etiam deducitur ex ipso Aristotele.

Aduer. autem Quòd pro actione, & passione secundo modo explicatis, non intelligimus relationem transcendentalem, qua effectus refertur ad causam, aut efficientem, à qua est, aut materialem, in qua recipitur, licet enim eas explicemus per nomen dependentiæ, & fluxus, & dixerimus in Logica Relationē transcendentalem esse dependentiā &c. attamē dupliciter potest sumi hoc nomen dependentiæ, & per hoc, quòd aliquid sit ab alio, ab illoq. fluat, & per hoc, quòd ad illud referatur, & dicat ordinem, quatenus fluxit, & recepit esse ab illo; primo modo, importat actionem hic explicatam, quæ tamen formaliter non est relatio, sed fundamentum relationis; secundo verò modo, relationem significat, & ideo cum loqueremur de creatione, licet negauerimus creationem formaliter consistere in relatione transcendentali, illius tamen essentiam statuimus in necessaria dependentia, qua creaturæ fluunt, & dependent a Deo. hoc est in dependentia, non importante relationem formaliter, sed actionem, de qua in præsenti loquimur.

4 Quæres primò. Per quamnam actionem, & passionem constituatur prædicamentum actionis, & passionis.

Resp. per vtramq. constitui prædicamenta Actionis, & Passionis, cum respectu actionis vtroque modò sumptæ, habeatur primus conceptus actionis .f. esse ab alio; Tum etiam passionis, vtroq. modo acceptæ, habeatur primus conceptus passionis .f. pati; Benè verum est, quòd actio, & passio primo modo acceptæ, reducuntur postea ad prædicamentum Accidentis, secundo verò modo sumptæ ad prædicamentum Modi; neq inconueniens est genera subalterna alicuius prædicamenti subordinati, reduci, alia ad vnum prædicamentum, alia verò ad aliud, cum etiam hoc faciant aduersarii admittentes actionem, aliam substantialem, & aliā accidentalem; Verum est etiam secundùm communem, & ordinarium modum loquendi, nomine actionis, & passionis ferè semper intelligi actionem, & passionem vt in primo modo, & de his erit ferè semper sermo, cum conuertantur cum motu, vt infra videbimus; quare hæc poterit appellari actio, & passio accidentalis, sicuti è contra alia, actio, & passio modalis.

Quæres 2. Quomodo diuidatur actio accidentalis.

Resp. huiusmodi actionem multipliciter diuidi, primò, in immanentem, & transeuntem, immanens est, quæ non recipitur in subiecto distincto ab Agente, sed in eodem, vt intellectio, quæ in intellectu recipitur, hæcque nullum habet terminum distinctum, sed ipsa est terminus sui ipsius; transiens vero est, quæ in subiectum extrinsecum, seu distinctum ab Agente, recipitur. vt actio productiua formæ, secundò, diuiditur in substantialem, & accidentalem, substantialis est, quæ habet terminum substantialem, vt eductio formæ ignis; accidentalis verò, quæ ad terminum accidentalem tendit; deniq. in successiuam, & instantaneam, successiua est illa, qua successiuè Agens agit, & producitur terminus, vt v.g. nutritio, & augmentatio, instantanea verò, quæ tota simul exit in actum secundum, seu qua ponitur æquè primò totus terminus, vt sunt ferè omnes actiones immanentes.

His ergò determinatis, remanet inquirenda alia pars quæsiti positi in titulo sectionis, an .f. actio, & passio distinguantur ab Agente, & passo; ad quod demonstrandum priùs expendendum est, quodnam sit subiectum actionis. Pro quo

Supp. est ex suprapositis doctrina, Aliquam esse actionem, quæ distinguitur à suo effectu, qualis est actio accidentalis, vt actio eductiua cuiuscumque formæ, aliā verò, quæ non distinguitur ētitatiuè, sed solùm modaliter à suo effectu, qualis est actio modalis, quod etiam optimè notauit Auersa quæst. 26. sect. 3. de actione, &c. huiusmodi est creatio, quæ cū nō sit nisi fluxus, & depēdentia creaturæ à Deo, vt suo loco dicebamus, ideo est quidam modus entitatiuè indistinctus ab ipsis creaturis, huiusmodi est etiam actio, seu fluxus, per quem producuntur actiones immanentes a suis principiis. Hoc supposito. Sit.

Prima Conclusio. Nulla actio formaliter subiectatur in Agente. Ita communiter recentiores, Amicus tract. 19. quæst. 8 Sanchez in Logica Tomo 3. quæst. 66. Compiu. disp. 17. in Phys. quæst 4. & 5. Auers. quæst. 26. sect. 4 Spinula disp. 6. in Phys. sect. 3. Ouiedo controu. 12. in Phys. punct. 3. & aliis contra Scotistas.

Prob. 1. Actio emanat ab ipso met Agente, ergo in ipso non subiectatur, consequentia prob. quod enim est ab alio, secundùm illam rationem, secundùm quam est ab illo, non est in in illo, esse enim, Ab, & esse, In, formaliter distinguuntur.

Prob. 2. Actio, & passio entitatiuè sunt idem, ergo in vno solo debet subiectari, sed subiectantur in passo, vt patet, ergo non in Agente.

Neq. valet, actiones immanentes subiectari in ipso Agente.

Resp. enim, Quòd licet sint in Agente realiter, tamen non sunt in ipso formaliter, quatenus est Agens, sed quatenus est etiam passum, & ideo addidi in cōclusione ly *formaliter*; quare hæc est distinctio inter actionem immanentem, & transeuntem, quòd immanens est in Agente realiter sumpto, non autem formaliter, transiens verò, nullo pacto potest esse in Agente, & si aliquando est prius in ipso, est non formaliter, vt in Agente, sed vt in passo.

Secunda Conclusio. Actio, quæ distinguitur ab effectu, non subiectatur tanquam in passo in effectu, sed in subiecto, in quo producitur effectus. Est Auersæ loco supracit. & aliorum.

Prob. prima pars. Actio, saltem natura, debet præcedere effectum, ergo in effectu non potest subiectari, consq. prob. si enim in illo priori naturæ est actiens, in aliquo quod sit, debet subiectari, sed in illo priori effectus non est, ergo in ipso non potest subiectari.

Alias Prob. 2.

Prob. 2. Productio, v.g. formæ igneæ non potest subiectari in ipsa forma, sed productio est actio cuius effectus est forma producta, ergo actio non potest subiectari in effectu, mai. prob. productio enim saltem natura, antecedit suum effectum.

Prob. 2. pars. Auct. Aristotelis, qui secundo de Anima tex. 24. ait *Videntur enim in patiente, & disposito actiuorum inesse actus*: Item lib. 3. tex. 140. *sicuti enim actio, & passio in patiente est, sed non in Agente, sic &c.* Item 3. de Anima tex. 139. *motus, & actio, & passio est in eo, quod mouetur, actiuus enim, & motiui actus in patiente fit*, & denique hic clarissimè tex. 18.

Prob. 2. ratione. Actio non subiectatur ex dictis in Agente, neq. in effectu, sed in aliquo debet subiectari, cum sit accidens, ergo cum nihil aliud sit, quàm subiectum, in ipso, tamquam in passo subiectatur.

Tertia Conclusio. Actio, quæ non distinguitur ab effectu, nec subiectum habet, est omninò in ipso effectu, non tamquam in subiecto, sed tamquam modus illi essentialis. Est Auersæ loco supracit. & aliorum.

Patet Conclusio. Cum enim tales effectus non producantur per actionem distinctam; sed sint ipsæ entitates creatæ, à Deo dependentes, ideo in ipsis actio non erit, nisi modus substantialis dependentiæ, quem habent Creaturæ ab ipso Deo creante.

Ob. 1. contra primam Conclusionem. Si actio formaliter non subiectaretur in Agente, sequeretur formaliter non distingui à passione, sed distinguitur, ergo &c. mai. prob. nam distinguitur à passione formaliter, respectu diuersi subiecti, in quo inest, & subiectatur.

Resp. neg. mai. & ad probationem dico. Non distingui formaliter actionem à passione, ratione diuersi subiecti, sed ratione diuersi respectus, quem habet ad Agens, & passum; nam quia respectu Agentis dicitur ab ipso esse, & emmanare, ideo dicitur actio, quia verò respectu patii, dicitur in ipso recipi, & subiectari, passio appellatur; quare actio cum emmanet ab Agente est ipsi extrinseca, quod autem est extrinsecum, non inest, & ideò in solo passo inest, non in Agente, passum enim per receptionem actionis, verè dicitur immutari, recipiendo .s. talem formam, secus verò Agens, licèt agat, numquam intrinsecè immutatur.

Ob. 2. Per actionem formaliter denominatur Agens, ergo in ipso debet esse, cons. prob. illud enim denominatur à forma, quod habet in se formam denominantem, alioquin si actio esset in passo, ipsum denominaretur Agens.

Res. Denominationem Agentis esse extrinsecã, non autem intrinsecam, Agens enim agendo influit extrinsecè, & ideo nullo pacto per actionem intrinsecè mutatur. Quare non est necesse, quòd forma in ipso sit, cum hoc solum requiratur quãdo denominatio est intrinseca; passum uerò non denominatur Agens, .l. recipiat actionem, quia recipere actionem, non est propriè producere actionem, atq. adeo propriè denominatur passum, non Agens.

Coll. 5. ex dictis. Solutio alterius partis quæsiti positi in titulo sectionis, vtrum .s. actio, & passio distinguantur ab Agente, & passo. Ab Agente semper distingui tamquam rem à re, cum enim in ipso non sit, nec subiectetur, sed in passum transeat, ab ipso vtiq. distinguitur; (loquor de actione, quæ non sit immanens) à passo verò, aliquando distinguitur, aliquando non, tunc non distinguitur, nisi modaliter, quando actio entitatiuè est eadem, ac effectus dependens, & in nullo subiecto inhærẽs, sed soli effectui adhæret, et est in creatione; Tunc verò distinguitur, quando passum est subiectum, cum enim in ipso sit tamquam aliquod accidens, & accidens sit distinctum à subiecto ideò ab ipso distinguitur; sed iterum de hoc in tertia sectione.

Multa essent dicenda de actione, & passione, sed & in tertio anno in libris de Generatione, & in sequentibus sectionibus de Motu expendentur.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit Motus.

Licet motus localis principaliter vocetur motus .s. per quem quælibet res de vno loco trãsit ad alium, sumitur tamen hìc ab Aristotele, & communiter magis amplè pro omni transitu de vno subiecto in aliud, de vna forma in aliam, vel de non subiecto ad subiectum, & secundùm hanc acceptionem in præsenti, & nos illum sumimus.

Prima Conclusio. Motus *est actus eius quod est in potentia secundum quod huiusmodi est*, Ita Aristoteles tertiò Physicorum tex. 6. seu clariùs communiter ab omnibus *motus est actus entis in potentia, quatenus est in potentia*.

Explicatur Conclusio. Dicitur *actus* loco generis, magis enim patet, quàm motus, est autem actus imperfectus .s. imperfectè actuans, & ideo dicitur *entis* idest rei existentis, & perfectè actuatæ, seu rei mobilis; dicitur *in potentia* quia mobile debet esse in potentia ad formam, ad quam recipiendam datur motus; dicitur tandem *quatenus est in potentia* quia per motum formaliter non aufertur talis potentia in mobili ad formam, sed remanet in potentia ad talem formam, & si auferatur potentia, aufertur ratione formæ introductæ, non ratione motus, qui de se habet relinquere mobile in potentia ad formam.

Secunda Conclusio. Multipliciter diuiditur motus. Ita communiter cum Aristotele.

Prob. ex diuisione; primò igitur diuiditur in motum instantaneum, & successiuum; instantaneus est, qui non habet partes post partes, sed totus simul est in instanti, vel sit diuisibilis, vt illuminatio instantanea, vel indiuisibilis, vt generatio, & hic motus propriè vocatur mutatio, licet enim Aristoteles sumat nomen motus, & mutationis indifferenter pro omni specie motus, tamen vt ex ipso aliquo pacto deducitur 5. physicorum, motus instantaneus propriè dicitur mutatio; motus verò successiuus est, qui ne dum plures partes habet, sed

vnam

vnam post aliam, vt motus localis, alterationis, &c. & hic propriè vocatur motus, & de hoc præcipuè in præsenti agimus.

Secundò, diuiditur motus instantaneus, in generationē, & corruptionem, vel enim fit transitus de non esse ad esse alicuius formæ, & hæc dicitur generatio, vel fit transitus de esse alicuius formæ ad non esse eiusdem, & dicitur corruptio.

Tertiò, motus successiuus, qui propriè dicitur motus, diuiditur in augmentum, & decrementum, alterationem, & lationem, seu motum localem; vel enim per motum acquirit mobile quantitatem maiorem, vel deperdit partem quantitatis, quam habebat, si acquirit, dicitur habere motum augmētationis, si deperdit, motum decrementi; vel acquirit, aut deperdit qualitatem, & dicitur habere motum alterationis; vel tandem acquirit nouum locum, & dicitur moueri motu locali, seu lationis.

Ob. primò. Motus est actus entis in potentia, &c. sed motus instātaneus nō est talis, siquidem nō habet partes, ergo non est appellandus motus, min. prob. de ratione enim motus est partim actuare subiectum, partim relinquere in potentia, quòd non facit motus instantaneus.

Resp. neg. min. & ad probationem dico, de ratione motus esse actuare imperfectè subiectum relinquendo in potentia ad formam, quæ actuatio cum in motu instantaneo præcedat saltem natura ipsam formam, ideo potest saluare essentiam motus in motu instantaneo.

Ob. 2. Generatio non fit in instanti, sed successiuè, ergo non datur motus instantaneus, antecedens prob. quia priùs introducuntur dispositiones, & postea forma, ergo &c.

Resp. disting. antecedens: generatio, &c. pro vt importat solam introductionem formæ, & nego antecedens, prout dicit aggregatum introductionis formæ, & alterationis præcedentis necessariæ ad introductionem formæ, & conc. antecedens; cum enim non possit introduci forma, nisi per alterationem disponatur materia, ideo videtur generatio fieri successiuè per introductionem .s. talium dispositionum, at generatio propriè dicta, & vt sumitur à Philosophis, cōsistit solùm in introductione formæ, quæ cum fiat in instanti, ideo generatio erit motus instantaneus, non tamen propriè dictus, sed potiùs mutatio instantanea, vt sup.

Coll. primò. Assignatam diuisionem motus non esse in species atomas, seu vltimas, sed in immediatas, & principales, quæ in alias possunt subdiuidi.

Coll. 2. Assignatam definitionem motus conuenire omnibus speciebus motus vniuocè, cum enim habeant eandem rationem motus, & vnus non dicatur motus ratione alterius, ideo vniuocè illis conuenit tradita definitio.

Coll. 3. Motū propriè dictū dari solùm ad tria Prædicamenta .s. ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, pro vt autem dicitur etiam mutatio, datur ad Substantiam; ad alias verò Categorias si datur, datur consequenter, quatenus .s. sunt coniunctæ illis, ad quas fit motus per se, & propriè .s. Quantitati, Qualitati, & Vbi.

SECTIO III.

An motus sit aliquid distinctum ab Actione, & Passione, & ab Agente, & Passo.

SVpp. realiter à parte obiecti non distingui actionem, passionem, & motum; cum enim actio sit quidam transitus ab Agente in passum, & passio idem transitus receptus in passo, & hic transitus sit quidam motus, ideo motus non distinguitur à parte obiecti ab actione, & passione, vt deducitur ex Aristotele hic tex. 19. & seq. & ferè communiter vt certum conceditur. Hic ergo quærendum est, cum motus inuoluat à parte obiecti actionem, & passionem, an saltem per intellectum possit distingui ab actione, & passione. Sit ergo.

Prima Conclusio. Motus per intellectum distinguitur cum fundamento ab actione, & passione. Est. P. Morandi, in 3. Physicorum trac. primo de motu quæst. 8. Toleti, Ruuii, Conimb. & Aliorum.

Prob. Motus non distinguitur realiter ab actione, & passione, ergo ratione, sed non ratione ratiocinātæ, idest sine fundamento, ergo ratione ratiocinatæ .s. cum fundamento, antecedens prob. nam quæ distiguuntur realiter, vel distinguuntur tāquam res à re, vel tamquam modus à re, sed neque tamquam res à re distinguitur motus ab actione, & passione, siquidem destructo motu, non potest conseruari actio, sicuti neq. destructa actione potest perseuerare motus, ergo &c. neq. etiam distinguitur tamquam modus à re, seu modus à modo, non enim potest, neq. concipi, aut actio sine motu, aut motus sine actione, ergo nullo modo realiter distinguitur; prob. vltima consequentia, quia ea distinguuntur ratione ratiocinatæ, & cum fundamento, quæ habent diuersas rationes conceptibiles, sed actio, & passio, & motus habent diuersas rationes conceptibiles, ergo ratione ratiocinata distinguuntur, hæc min. prob. actio enim concipitur vt aliquid proueniens ab Agente, passio vt fieri, & pati effectus, motus denique vt aliquid tendens in passum.

Ob. Moueri est pati, mouere est Agere, ergo agere, & pati includūt motū, ergo nullo pacto distinguuntur.

Resp. Realiter, & à parte rei hoc totum verum esse, per intellectum verò diuersas importare formalitates, agere enim importat emanationem ab Agente, mouere transitum talis emanationis, pati verò fieri talis emanationis, quę omnia, licet à parte rei, & verbis distingui non possint, intellectus tamen subtilissima acie distinguuntur.

Secunda Conclusio. Omnis motus, siue recipiatur in ipso Agente, siue transeat in aliud, distinguitur ab Agente distinctione reali, tamquam res à re. Deducitur ex dictis.

Prob. prima pars. Motus potest transire de subiecto in subiectum, ergo est aliquid distinctum ab agente; consequentia clara est, antecedens prob. si aliqua pila cadens incidat in aliquod corpus quiescens, illud mouet, ipsaq. tardiùs mouetur, ergo quia in illud imprimit partem sui motus, ergo &c. Tum, aqua mouens se motu alterationis, ad pristinam frigiditatem v. g. se reducendo, etiam infrigidat corpus vicinum, ergo &c.

Prob. secunda pars. Motus si non recipitur in Agente, transit in subiectum extrinsecum, ergo distinguitur ab Agente, consequentia patet, subiectū enim extrinsecum distinctum est ab Agente.

7 Tertia Conclusio. Motus realiter distinguitur à passo. Deducitur etiam ex dictis.

Prob. Motus potest transire de passo in passū, ergo realiter distinguitur à passo, antecedens ex suprà dictis constat, ergo & consequentia.

Quæres. Cū motus sit accidēs, in quo subiectetur.

Resp. Subiectari in mobili, ratio autem est, quia motus est in eo, quod mouetur, sed mobile mouetur, ergo motus est in mobili; res clara est, nec in ea immorandum, maximè quod iam probata est in superioribus cum de subiecto actionis.

SECTIO IV.

An de ratione motus sit successio, & continuitas.

8 SVpp. est. Continuum importare vnionem pluriū partium eiusdem rationis; huiusmodi est linea, superficies, & omne corpus Quantum; successiuum verò est, quod, licet connotet pluralitatem partiū, quarū quælibet succedat alteri, in suo tamē cōceptu formali præscindit, an sit partes eiusdem, an verò diuersæ rationis, an sint immediatè succedentes, an vero mediatè, & cum earum diuisione; successiuum constans ex partibus mediatè succedentibus, sunt v. g. guttæ cadentes vna post aliam ab aliquo tecto, motus alicuius mobilis, quandoq. interruptus, sic etiam dicuntur successiui lapides eminentes positi ad faciliter transeundum aliquam viam lutuosam; successiuum autem constans ex partibus immediatè succedentibus est v. g. tempus, & motus, cuius partes absq. vlla mediatione succedunt. Hoc autem successiuum vocatur etiam ferè communiter successiuum continuum, cum Aristotele diuidente quantitatē continuam, in quantitatem habentem positionem, qualis est linea, superficies, &c. & in nō habentēpositionē, qualis est tēpus, & motus, &c. quod tamen solùm impropriè continuum debet dici, cum non importet vnionem partium, sed solum successionem, quare continuum propriè, & rigorosè sumptum, conuenit solum quantitati per se, .s. rebus quantis, & permanentibus, non verò quantitatibus per accidens, vt sunt motus, & tēpus, vt infrà probabimus.

Supp. 2. Continuitatem, & successionem, in motu posse considerari, & respectu temporis, & respectu termini ipsius motus, potest enim inquiri, an motus sit successiuus, ex eo quia exigat necessariò successionem temporis, vel successionem termini acquisibilis, & etiam, an sit continuus, vel ratione termini continui, vel ratione temporis continui; cum enim ad motum requirantur duo termini, à quo .s. & ad quem, an ratione talium terminorum sibi succedentium possit dici continuus, vel successiuus inquirendum est.

Supp. 3. Quæstionem non esse de mutatione, quæ propriè non dicitur motus, cum enim ipsa fiat in instanti, & non habeat ambos terminos positiuos, sed vnū priuatiuum, alium positiuum, qui cum non sint in eadem ratione, nō possunt dici neq. continui, neq. successiui, ideo exclusa est à sensu quæstionis.

Prima Conclusio. Motus ratione termini est successiuus, & continuus. Est forsam, illorum, qui absolutè continuitatem, & successionem tribuunt motui, quos videre est apud P. Morandum in Phi. Trac. primò, de Motu quæst. 3. Tellez libro 3. in 2. partem Philosophiæ Disp. 30. sec. 1. & alios. 9

Prob. 1. In quolibet motu necessariò requiruntur duo termini, à quo .s. mobile mouetur, & ad quem mouetur, sed huiusmodi termini sunt successiui, & continui, ergo ratione ipsorum motus est cōtinuus, & successiuus, mai. patet, min. prob. Tum respectu motus localis, cum enim partes spatii sint inuicem, & essentialiter coniunctæ, & continuæ, non potest fieri transitus de vna parte ad aliam, nisi tangendo medium continuum: prob. etiam respectu motus alterationis, & augmentationis quælibet enim pars aut quantitatis, aut qualitatis, quæ per tales motus acquiritur, succedit, & continuatur partibus eiusdem rationis, primò in mobili existētibus, ergo &c. Aduerte tamen, quòd huiusmodi successio, & continuitas impropriè, & non tam strictè debet dici de motu, cum rigorosè, & propriè illius continuitas, & successio desumenda sit in ordine ad tempus.

Secunda Conclusio. Quilibet motus ratione tēporis non est essentialiter successiuus, benè verò accidentaliter. Videtur esse Soncin. 5. Met. sec. 24. videntur etiam in hanc conclusionem consentire, Spinula disp. 12. de Tempore sec. prima, Pontius disp. 18. in Physica de Continuo quæst. 5. conclusione 3. Serb. disp. 3. in Physica quæst. prima de Motu art. 6. ex quibus, aliqui dicunt, successionem esse distinctam à motu, alii verò, dari posse primū indiuisibile motus, licet tamē de quocumq. motu non loquantur.

Prob. 1. Motus potest esse in instanti, ergo non est essentialiter successiuus ratione temporis, consequentia patet, quia quod est in instanti, non est successiuum ratione temporis, antecedens prob. vel in primo instāti potest esse motus, vel nō potest esse; si primum, ergo vera conclusio, si non potest, ergo numquam erit, eadem enim difficultas, quæ reperiretur in primo instanti, esset etiā in secundo.

Prob. 2. idem antecedens. In qualibet forma acquisibili per motum, dantur indiuisibilia, & consequenter, & primum indiuisibile, sed primum indiuisibile nō potest acquiri nisi per īdiuisibile motus, ergo datur īdiuisibile motus, seu motus in instāti, mai. patebit cum de Quantitate, minor prob. termino enī debet correspōdere actio illius pductiua.

Prob. 3.

Prob. 3. idem antecedens. Tunc aliqua res dicitur esse, quando verum est dicere, in hoc instanti existit, sed etiam in primo instanti, in quo mobile mouetur, verum est dicere, motus existit in mobili, ergo in primo instanti motus existit, ergo datur primum instans, & indiuisibile motus.

Prob. 4. idem antecedens. Si non daretur primum principium, & instans motus, ergo motus esset infinitus, sed implicat, ergo &c.

Neq. dicas ex Pontio negante in motu locali primum indiuisibile, neq. dicas inquam, motum localem non habere principium intrinsecum positiuum, benè verò extrinsecum, in quo verificatur non esse motum.

Resp. enim, ergo intrinsecè, & secundùm propriam entitatem non haberet principium, atque adeo infinitus esset, principium enim extrinsecum solùm se habet vt terminus à quo, vt dicebamus cum de priuatione in primo lib.

Neq. dicas secundò, Aristotelem pluribus in locis asserere, non dari in motu primum mutatum esse, ergo, &c.

Resp. enim, Aristotelem intelligere non de motu, sed de mutato, cum enim omne mutatum esse supponat ante se motum, ideo dicebat Aristoteles mutatum esse, non esse primum, quia ante mutatum esse, supponitur motus, sicuti factum esse, supponit fieri.

Neq. dicas tertiò, motum alterationis v.g. non posse fieri in instanti, cùm ad productionem primi gradus qualitatis non statim alteretur mobile, ad productionem enim v.g. primi gradus caloris, non calefit mobile.

Resp. primò. Hoc falsum esse supernaturaliter. Deinde, conc. non posse fieri alterationem totalem in instanti, nego vero inchoatiuè, quòd mihi sufficit, tale enim mobile per primum gradum qualitatis mouetur ad illum gradum, licet per ipsum, cum sit remissus, non possit totaliter alterari.

Prob. secunda pars. Accidit motui, quòd fiat in instanti, vel in pluribus instantibus, ergo accidentaliter respectu temporis est successiuus.

10 Tertia Conclusio. Motus ratione temporis non potest dici continuus. Videtur esse Ariminensis in secundo, dist. secunda quæst. prima, art. primo, dum probat tempus non esse rem distinctam à corpore regulariter moto, hac ratione, quia prius, & posterius non possunt constituere quid continuum.

Prob. Id quod est, non potest dici continuum cum eo quod non est, sed partes temporis aliquæ sunt, aliquæ non sunt, ergo non possunt dici continuæ, ergo pariter motus respectu temporis nequit dici continuus, mai. patet, continuum enim propriè sumptum importat vnionem inter partes continuas, at vnio non potest reperiri inter id quod est, & quod non est, vt patet, ergo &c. min. etiam prob. temporis enim, ex Aristotele, non habemus nisi instans præsens, ergo instantia antecedentis non sunt, & consequentis nondum sunt producta, ergo illis continuè nequit aciti tale instans, atq. adeo solùm successiuum, non vero continuum potest dici tempus, & per consequens etiam talis, ratione illius, motus.

Coll. ex dictis. Posse dari motum instantaneum, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, ad Substantiam enim nulla est difficultas; quare tota differentia inter mutationem, & motum propriè dictũ solùm consistit in hoc, quòd mutatio habet vnum solùm terminum positiuum, alium verò priuatiuum; vel enim est generatio, & sic à priuatione fit motus ad formam, vel est corruptio, & motus tũc fit à forma ad priuationem; Motus verò propriè dictus ambos terminos habet positiuos, quòd etiã deducitur ex ipso Aristotele 5. physicorum tex. 9. vbi ait, motum esse qui fit de subiecto in subiectum, hoc est de vno termino positiuo in alium positiuum, mutationem verò, quæ fit, vel de non subiecto in subiectum, hoc est de priuatione in formam, qualis est generatio, vel de subiecto in nõ subiectũ, qualis est corruptio, de forma, ad priuationẽ formæ.

SECTIO V.

Vnde motus sumat suum esse specificum, & numericum.

11 EX dictis disp. 2. sec. 3. in secundum librum de specificatione causæ, & potentiæ, faciliter patebit solutio quæstionis præsentis: cum enim à modo tendendi quamcumq. specificationem rei Agentis dixerimus sumendam esse, etiam à modo tendendi, actionem, seu motum specificari erit dicendum. Quare sit.

Prima Conclusio. Motus sumit suam specificationem à modo tendendi. Ita cont. communiter D.D. citati cum de specificatione potentiæ, & causæ.

Prob. primò. Specificatiuum debet esse intrinsecum rei specificatæ, at solùm modus tendendi est intrinsecus motui, ergo solùm modus tendendi est illius specificatiuum; mai. est certa, min. prob. terminus enim à quo, seu ad quem, à quibus communiter specificari motum asseritur, sunt extrinseci ipsi motui.

Prob. 2. Actus amoris, & odij sunt motus specificè diuersi, sed tales non sunt, nisi ratione diuersæ tendentiæ in obiectum, ergo vera conclusio; min. prob. non enim sunt tales respectu termini à quo, qui semper est idem, non respectu termini ad quẽ, odium enim, & amor obiecti specificè inter se differunt, quia voluntas per amorem tendit in obiectum, per odium verò recedit ab obiecto. ergo tendentia diuersa, est ratio cur specificentur tales motus, amoris, & odii.

Prob. 3. Motus sursum, & motus deorsum, motus rectus, & circularis, motus violentus, & naturalis, motus augmenti in palmo, & decrementi in palmo, habent eosdem terminos specificos, & tamen sunt motus diuersæ speciei, ergo specificatio eorum desumenda est nõ ex terminis, sed ex modo tendẽdi.

Ob. 1. Dealbatio, & denigratio sunt motus specificè diuersi, & tamen non habent diuersũ modũ tẽdendi, ergo modus tendendi non specificat motum.

Resp. neg. secundam partem antecedentis, diuersimodè enim agit agens naturale dealbando subiectum, ac illud denigrando, dealbando enim, ab adustione illud liberat, secùs vero denigrando, qui modi sunt diuersi, sed.

Inst. Sol eodem modo tendendo cum calore denigrat Aethiopes, dealbat vero lanas illi expolitas, ergo dealbatio, & denigratio, non sunt motus specificè diuersi, ratione diuersæ tendentiæ.

Resp. tales motus dealbationis, & denigrationis prouenire non à solo calore solis, sed etiam ab alijs concausis simul concurrentibus, sic Aethiopes denigrantur, quia maximo calore naturali aduruntur, à cibis calidis, & adustis comburuntur, &c. sic lanæ dealbantur, quia etiam abluuntur ab aquis mundis, & purificatis, quia sternuntur in glareis candicantibus, &c. quare cum hæ omnes causæ diuerso modo concurrant, cumq. constituant vnum comprincipium, constituitur etiam diuersus modus tendendi, atq. adeo, & diuersi specie effectus producuntur.

Ob. 2. Quodlibet specificatur ab eo, ad quod dicit ordinem, sed motus dicit ordinem essentialem ad terminum ad quem, formaliter sumptum, ergo ab illo specificatur, non verò à modo tendendi.

Resp. dist. mai. specificatur intrinsecè, & nego, specificatur extrinsecè, & transeat, cum enim dixerimus cum de relatione, quemcumq. terminum esse extrinsecum fundamento, ideo et potè extrinsecum non potest intrinsecè specificare. Quòd si.

Instes. Licet terminus sit extrinsecus materialiter, formaliter tamen est intrinsecus, sicut, licet obiecta materialiter sint extrinseca potentijs, intentionaliter tamen sunt intrinseca.

Resp. neg. formaliter esse intrinsecum, si enim esset intrinsecus formaliter motui, esset in illo tanquam forma: at terminus non est forma motus, cum motus saltem prioritate naturæ, præcedat terminum, ergo &c. Ad id autem quòd dicunt de obiecto intentionaliter existente in potentia, dico secundariò se habere talem existentiam intentionalem in potentia, cum habeatur solùm ex eo quia potentia in illud tendat; quare primariò, essentialiter, & formaliter, & potentia specificatur à modo tendendi in obiectum, vt dicebamus cum de causis.

12 Ob. 3. Illud est specificatiuum, quod est etiam denominatiuum intrinsecè, sed terminus ad quē intrinsece denominat motum, ergo, terminus ad quem est specificatiuum motus, non uerò modus tendendi.

Resp. disting. mai. illud est specificatiuum, &c. si inest in re specificata tamquam aliqua forma, uel physica, vel metaphysica, & conc. si hoc modo nō existit, & nego, terminus autem hoc modo non existit in motu. Quare &c.

Supp. pro secunda Conclusione. Vnitatem numericam motus aliam esse entitatiuam, aliam successiuā, seu cōtinuā, ut cōmuniter loquūtur; Vnitas entitatiua est, qua motus est tale ens, hoc numero, & non aliud, & de hac hic non loquimur, ex dictis enim in Logica, sicuti quodlibet ens indiuiduatur per se ipsum, sic etiam, & motus. Vnitas successiua, seu continua est, per quam vnus motus successiuus dicitur esse distinctus ab alio motu successiuo, & de hac loquetur Conclusio.

Secunda Conclusio. Omnis motus sumit suum esse numericum à mobili in quo est, à termino ad quem est, & a tempore in quo fit. Ita cum Aristotele 5. physicorum tex. 34. ferè communiter omnes. 13

Prob. primò auc. Aristotelis, qui loco cit. ait; *tria enim sunt numero circa quæ dicimus motum vnum. Quid, & in Quo, & Quando.*

Prob. 2. ratione. Motus est actus mobilis, sed idem numero actus, nequit in duplici subiecto esse, ergo neq. motus, ergo ad multiplicationem subiectorum, multiplicabitur & numero motus.

Prob. 3. Motus est fieri formæ, & termini, ergo ex diuersitate numerica formæ, multiplicabitur numericè motus, ergo etiam à forma, & termino desumit motus suum esse numericum.

Prob. 4. Si motus interrumpatur ex eo, quia mobile postquam produxit motum moratur, & postea producit alium motum, talis non potest dici vnus motus, sed duo motus, ergo ad unitatem motus, requiritur etiam unitas saltem successiua temporis.

Neq. dicas, eumdem numero futurum motum, si aliquod animal cadens ab aliqua turri in medio aere moreretur, & tamen non futurum idem mobile, animal enim essentialiter differt à cadauere, ergo &c. Item, in quolibet motu successiuo acquiri diuersas partes formæ, ergo non ab vnitate formæ desumere suum esse numericum motum.

Resp. enim, ad primum, idem futurum mobile quoad materiam, animal viuum, & cadauer; ad secundum, illas omnes partes formæ ad inuicem cōtinuari, atq. adeo vnam solam futuram formam, licet ex partibus diuersis constitutam.

Neq. dicas, 2. ex Guarino, terminum esse extra motum, ergo illi non posse tribuere esse numericum. Item, ascensum, & descensum lapidis eumdem esse numero motum, & tamen esse diuersos terminos, ergo à terminis non posse sumi vnitatem numericam motus. 14

Resp. enim ad primum; hìc solummodo loqui de vnitate numerica, quam ab aliquo extrinseco desumit motus, ab intrinseco enim indiuiduatur, sicut cæteræ aliæ entitates, vt dicebamus in logica, à suo proprio esse, ratione cuius intrinsecè, formaliter, & essentialiter est distinctus a quocumq. alio, quare, licet terminus sit extrinsecus, tamē potest tribuere motui, hanc vnitatem numericam; ad secundum dico, ascensum, & descensum duos esse motus ne dum numero, sed & specie diuersos, etiam dato quòd nulla intercedat quies; sicuti alteratio, & generatio in communi sententia duo sunt motus specie, & numero distincti, licet vnus immediate, nulla interposita quiete, succedat alteri.

Tertia Conclusio. Ad vnitatem motus, non est necessaria vnitas motoris, seu Agentis. Ita cum multis Serb. disp. 3. quæst. prima de motu art. 8. Guarinus, & alij.

Prob. Motus non intelligitur interrumpi præci-

se

sè, ex eo quia mutetur primum Agens, & aliud substituatur, ergo potest esse idem numero motus à Agentia, seu motores sint diuersi.

Conf. ex eo quia, si quis, v.g. vertat aliquam rotam, & deinde alter adueniat, certè talis motus dicetur vnus successiuus motus, ergo ad vnitatem numericam successiuam motus, de qua hic agimus, non est necessaria vnitas Agentis.

Ob. ex Morando. Vnus effectus non potest esse à pluribus Agentibus, ergo neq. idem num. motus à pluribus motoribus, ergo &c.

Res. dist. ant. Vnus effectus indiuisibilis, &c. à se as, vnus effectus diuisibilis, & nego, motus autem est effectus successiuus, & diuisibilis; Quare non implicat plures motores, & Agentia habere.

Quæres. Quomodo quies opponatur motui.

Resp. Quietem opponi motui priuatiuè, quatenus s. quies importat priuationem, & non esse motus, dum enim mobile non mouetur, permanentia, & quies non est in ipso aliquid positiuum distinctum, sed solum priuatio, & negatio motus ad quem habet potentiam, quare priuatiuè, &c.

DISPVTATIO SECVNDA

In eumdem Tertium librum Physicorum Aristotelis, de Infinito.

CVm motus sit quid successiuum, cui conuenit, vel esse finitum, vel infinitum, ideò Aristoteles postquam egit in hoc tertio libro de natura motus, à tex. 24. incipit naturam infiniti explicare, quod & nos, ordinem Aristotelicum hic seruantes, in præsenti disputatione faciemus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Infinitum.

1 INfinitum est id, quod caret fine; antiquitùs autem definitum fuit, quòd sit *id cuius nihil est extra*, .s. illud esse infinitum, quod continet omne, quod est possibile in eo genere, ita quòd nihil aliud extra illud sit, aut excogitari possit; at quia huiusmodi definitio, non tam claré explicat quidditatem infiniti, ideo aliam tradidit Aristoteles in hoc lib. tex. 63. quem communiter sequuntur, estq. *Infinitum est id cuius semper est aliquid extra accipere* .s. illud esse infinitum, à quo, s. quæcumq. partes accipiantur, remanent semper accipiendæ in infinitum, ita vt numquam possit deueniri ad eam vltimam, extra quam non sit aliud extra accipere.

Multipliciter autē diuiditur infinitum, aliud dicitur infinitum simpliciter, aliud secūdùm quid. infinitum simpliciter est illud, quod in omni genere, & secundùm omnes perfectiones, quæ sunt possibiles, infinitum est, huiusmodi autem est Deus; infinitum secundùm quid est, quod in aliquo solo genere est infinitum.

Insuper infinitum secundùm quid dupliciter diuiditur, in cathegorematicum, & syncathegorematicum, primum est infinitum totum actu, secundum uerò in potentia; ita quòd, id quod est actu finitum sit, quod uerò addibile est, infinitum sit, .s. semper quod additur finitum sit: tam autem infinitum cathegorematicum, quam syncathegorematicum diuiditur in infinitum in Magnitudine, in Intensione, in Numero, in Duratione, & Perfectione; cū enim qualibet res, quæ infinita potest esse, uel possit taliter esse respectu magnitudinis, intensionis, &c. ideo respectu ipsarum multiplicantur infinita.

Ad hoc autem, ut aliquid sit infinitum, tres necessariò (ut communiter loquuntur) illi debentur conditiones; prima est, quòd infinitum non habeat terminum in eo genere, in quo est infinitum; contra tamen Arriagam disp. 13. de Infinito, Spin. disp. 9. de Infin. sect. 1. Ratio autem est, quia quod terminum habet, tandem finiri potest, sed quod finiri potest, non est infinitum, ergo &c.

Neq. ualet ex Arriaga, non posse infinitum claudi inter duos terminos, bene uerò inter duo puncta.

Resp. enim. Vel sint puncta, uel termini, semper ualere extra illa puncta, non esse amplius accipere; 2
quare neq. esse infinitum, sed finitum dicendum est, ut poté finem habens, siue postea inter puncta, siue inter terminos clauderetur, uerbis enim hæc duo solummodo differunt.

Secunda Conditio est, quòd vnum infinitum non debet esse maius alio, contra eumdem Arriagam eodem loco, Oui. contr. 14. punct. 6. Spinulã loco supracit. Ratio autem est, quia infinitum non debet habere finem, sed si vnum esset maius alio, haberet finem, ergo &c. min. prob. quia vbi inciperet vnum infinitum esse maius alio, ibi quod esset minus, deficeret, & sic haberet finem.

Neq. valet. Quòd si Deus crearet infinitum hominum, in tali casu maius esset infinitum capillorum, aut oculorum eorumdem hominum, ergo &c.

Res. enim. Non posse dari hoc infinitum, vt inferiùs prob. quare, &c.

Tertia conditio est, quod Infinitum non potest constare ex partibus finitis æqualibus, ratio autem est, quia finitum additum finito non facit infinitũ, vt communiter omnes Philosophi loquuntur, ergo si partes essent finitæ, additæ aliæ aliis, non possent facere aliquid infinitum, sed semper aliquid finitum facerent. Hæ sunt præcipuæ conditiones infiniti; aliæ sunt, sed non tam ab omnibus admissæ, videantur apud Mastriũ disp. 10. in Phys. quæst. 1. art. 2.

His ergo suppositis, vt ferè ab omnibus concessis, inquirendum est, an detur aliquid infinitum in rerum natura. Quare sit.

SECTIO II.

An detur, vel dari possit Infinitum in rerum natura.

3 Supp. est. Communiter ab omnibus concedi, de facto dari infinitum simpliciter, .s. Deum, & etiam infinitum secundùm quid syncathegorematicum; cum enim huiusmodi infinitum consistat in hoc, quòd enti finito, semper in infinitum aliquid sit addibile, & Deus semper in infinitum, cuicumq. enti aliquid addere possit, ideo saltem respectu omnipotentiæ diuinæ, quodcumq. ens, infinitum syncathegorematicum dici potest, neq. de illo intelligitur axioma, quod finitum additum finito, non facit infinitum, nam de solo infinito cathegorematico, seu in actu, intelligendum est.

Hoc supp. Remanet inquirendum de infinito, secundùm quid cathegorematico. Quare sit.

Prima Conclusio. Infinitum actu, seu cathegorematicum respectu cuiuscumq. generis, nec de facto datur, nec de possibili potest dari. Est ferè communis cum Aristotele, D. Tho. & Scot. vt videre est apud Mastr. disp. 10. in Phys. quæst. 1. variis in articulis, Tellez. disp. 31. de Inf. Contra tamen aliquos paucos, quos refert, & sequitur Serbell. disp. 4. in Physica quæst. 3. de Quantitate, varijs in art.

Prob. 1. Quodcumq. ens, aut actu existens, aut actu producibile à Deo, vel in magnitudine, vel in intensione, &c. adhuc à Deo semper potest augeri, sed quod potest augeri, finitum est, ergo quodcũq. ens actu producibile à Deo finitum est, ergo non datur, nec dari potest infinitum cathegorematicum.

Prob. 2. Deus nõ potest facere actu omne possibile, & factibile, ergo neq. potest facere infinitũ actu in quocũq. genere, ergo non datur, nec dari potest infinitum actu; antecedens patet, si enim Deus posset facere actu omne factibile, & producibile, post illius productionem remaneret exhausta omnipotentia diuina, si quidem aliud non esset, quod fieri posset, sed ad infinitatẽ diuinæ omnipotentiæ spectat, non posse exhauriri, ergo &c. supposito hoc antecedenti prob. consequentia; si Deus produceret infinitum actu in aliquo genere, iam non posset aliquid illi addere, nihil enim esset addibile, vt potè totum in actu, sed repugnat omnipotentiæ diuinæ cuicumque enti non posse addere, & addere in infinitum, ergo &c.

Prob. 3. Finitum additum finito non facit infinitum, ergo quæcumq. partes adderentur enti finito, semper illud finitũ facerent, non infinitũ, ergo &c.

Prob. 4. Si daretur, aut fieri posset infinitum actu, sequeretur esse infinitum, & non esse infinitum, hoc implicat, ergo & infinitum actu; sequela prob. esset infinitum, vt supponitur, non esset autem infinitum, quia omne quod est productum, saltem penes Deũ, determinatum est, sed omne quod est determinatum, saltem à Deo extrahendo partem, & partem, tandem exhauriri potest, attingiq. ultima pars, ergo omne quod productũ est exhauri potest, ergo finitum, non infinitum.

Neq. dicas. Non repugnat infinitum, neq. ex parte Dei, neque ex parte termini producibilis, ergo produci potest; non ex parte Dei, in ipso enim est infinita virtus sufficiens ad producẽdum infinitum effectum actu, dum non implicet; Non ex parte entis producibilis, est enim secundùm suum conceptum indifferens ad esse infinitum, uel finitum.

Resp. enim. Totam implicantiam oriri ex parte entis producibilis, & ex parte Dei; ex parte inquam entis producibilis, quia cum totum productum actu, non possit esse non determinatum, saltem penes cognitionem diuinam, ideo & finitum est; ex parte Dei etiam implicat, exhauriretur enim omnipotentia infinita, si alicui enti producto, semper in infinitum non posse addere.

Neq. dicas secundo. Scientia Dei terminat actu ad omne cognoscibile, ergo & omnipotentia diuina terminare potest actu ad omne factibile, ita ut 4
sicuti Deus omnia actualiter cognoscit, sic & omnia possibilia actu producere possit.

Res. neg. conseq., & ratio est. Quia Deus cognoscendo omne cognoscibile, cognoscit nedum quæ sunt futura, sed etiam, quæ solum sunt possibilia, quæ quia nullum esse habent in se, sed sunt ipsemet Deus, potens ea producere, ideo ea cognoscendo cognoscit se ipsum, suamq. omnipotentiam; quare cum etiam omnipotentia diuina nedum respiciat omnia futura, sed omnia possibilia, & hæc possibilia non sint, nisi ipsemet Deus potens ea producere, ideo respicit quoad possibilia se ipsum, qui cum per quamcumq. productionem actu, non possit exhauriri, inde est, quod .i. possit producere infinitum syncathegorematicè, .i. cui per infinitum

tum

am possit addere, nequit tamen cathegorematicum, & totum actu producere.

Neq. dicas 3. Spatium imaginarium extra cælum est infinitum, siquidem infinitos mundos potest Deus in illo creare, sed actu datur tale spatium imaginarium, ergo infinitum actu cathegorematicum.

Res. enim. Argumētū de spatio imaginario imaginariū, & chimericū esse: quid enim est aliud spatium imaginarium, quàm nihil, aut negatio entis realis? quare Argumentum solum concludit, nihil esse infinitum, oh ridiculum infinitum. Alia argumenta adducuntur à contrariam sententiam sequentibus, sed quia solùm chimericum fundamentum habent, illisq. ex implicantiis adductis in probationibus facilè est respondere, apud Auctores videre relinquo, si enim sumatur infinitum pro vt est explicatum, prout q. ab Aristotele, & ab ingenuis Philosophis accipitur, nihil aliud de ipso, nisi quæ hucusq. dicta sunt, dici possunt.

Quòd si quæras, cùr sit definitum infinitum, cum actu nequeat dari.

Res. Etiam Chimeram, etiam impossibilia definiri, & tamen actu non dari, definitum ergo fuit ex suppositione si possibile esset.

5 Secunda Conclusio. Infinitum syncathegorematicum sunt omnes res finitæ, prout dicunt connexionem cum infinitis addibilibus ab omnipotentia diuina. Est conclusio ferè communis contra aliquos, quos fusè refert, & impugnat Oui. contr. 14. de Infin. punct. 3. asserentes, Deum non posse in infinitum, sed solùm tot determinatè creaturas producere.

Prob. 1. auct. Conc. Const. sess. 15. in quo damnati sunt Ioannes Hus, & VViclefus, qui hanc blasphemiam ascrebant, *Deum nihil potest anihilare, nec mundum maiorare, vel minorare, sed animas vsq. ad certum numerum creare, & non vltra* quòd est idem ac dicere, solùm finitas producere posse.

Prob. 2. Implicat, omnipotentiam diuinam non posse in infinitum suos actus multiplicare, sed non posset, si solùm tot determinatæ creaturæ essent producibiles, & non in infinitum, ergo, &c. min. prob. productis enim, v. g. 1100000. hominibus, si alii non essent producibiles, Deus, actus creationis nequiret producere, ergo &c.

Prob. 3. Post iudiciū vniuersale potest Deus per totā æternitatē mouere cælos, ergo in infinitū, & sine termino producere. Hæc sunt ita clara, vt nesciā, quomodo nisi fallacibus argumentis, qualia sūt, quæ præcipuè adducit Arriag. impugnata hic ab Oui. contraria sententia sustineri possit: quare.

Coll. 1. Cogitationes hominum, & Angelorum, & vniuersaliter omnes res futuras per totā æternitatem à parte post, esse infinitas syncathegor. quatenus, licèt semper actu finitæ, quia tamen per totam æternitatem Deo concurrente sunt aliæ, & aliæ illis addibiles, in potentia, & synchategorematicè infinitæ sunt.

Collig. 2. Cuicumq. argumento, quod fieri possit, & contra hanc, & contra primam Conclusionem, facilè responderi posse ex implicantiis fusè allatis in probationibus Conclusionis.

SECTIO III.

An Deus possit producere Creaturam omnium possibilium perfectissimam. Item & imperfectissimam.

IAm diximus, à Deo produci non posse actū aliquod infinitum, atq. adeo. neq. creaturam simpliciter infinitam: quare hic solum inquirimus, vtrum, l. infinitam creaturam nequeat producere, attamen creare possit talem Creaturam, adeo perfectam, vt perfectiorem nequeat creare. & insuper etiam, an producere possit creaturam, ita omninò imperfectam, vt imperfectiorem nequeat creare. 6

Prima Conc. Non potest à Deo produci creatura, quin semper in infinitum alia perfectior sit à Deo creabilis. Ita conc. Aureo. in primo. dis. 44. quæ vnica art. 6. Durand. in prim. dis. 44. quæst. 2. Bacconius in pri. disp. 44. quæst. 1. art. 2. Arriag. dis. 13. sect. 3. ferè omnes Scotistæ, & Thomistæ cū recentioribus Oui. controu. 14. punct. 7. Spinula disp. 9. sect. 7. Scribell. dis. 4. quæst. 3. de Quantitate, anq. Guarin. Mal. Compton. & alijs.

Prob. Quodcumq. ens creatum, licèt perfectissimum, finitum semper est. sed quod est finitum, potest ab alio superari in perfectione. ergo quodcumq. ens creatū, licèt perfectissimum, potest ab alio perfectiori producto à Deo, superari, atq. adeo nunquam poterit creari, imperfectum, quin à Deo perfectius creari posset.

Prob. 2. Quodcumque ens creatum, l. perfectissimum, infinitè distat à Deo, ergo poterit aliud perfectius produci, medium inter illud, & Deum, quod tale ens, ipsum primò creatum perfectione superet, l. etiam ipsum longè inferius sit Deo, ergo &c.

Prob. 3. Quilibet numerus finitus, potest in infinitum crescere, & quolibet dato semper illi in infinitum alius est addibilis, ergo ita à pari, qualibet creatura, l. omnimodè perfecta, producta, adhuc semper alia perfectior est producibilis.

Ob. ex Arriaga. Sumpta tota collectione creaturarum, non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione excedentur à creaturis, ergo aliqua est, quæ non exceditur, ergo illa erit suprema, supra quam, &c. conseq. vtraq. est euidens, antec. prob. repugnat, omnes creaturas excedi à creaturis, daretur enim mutuus excessus in perfectione in ea collectione, quod omninò repugnat, ergo non omnes excedantur.

Resp. Argumentum esse de subiecto non supponente, quare nullam efficaciam habet, supponit enim Arriaga, omnes creaturas possibiles considerari posse per modum vnius collectionis, quòd tamen falsū est, solum enim creaturæ possibiles cōsiderari possunt per modū pluriū, & plurium collectionum in infinitum & sic in quacumq. collectione, certo erit vna creatura, quæ non excedetur, excedetur tamen respectu alterius collectionis aliarum creaturarum in infinitum producibilium.

Ob. 2.

inter duo loca intercedit, quòd idem est respectu vtriusq. loci.

Prob. 2. ratione. Per id omninò, per quod Agens efficit terminum, terminus efficitur, & dicitur factus, sed id per quod Agens efficit, est actio, & per quod terminus efficitur, est passio, ergo actio, & passio sunt idem, atq. adeo realiter non distinguuntur, mai. prob. eadem enim actione, qua ego v. g. Petrum video, Petrus videtur à me, eadem actione, qua ignis producit alium ignem, talis ignis producitur.

Neq. dicas ex Ouiedo, hoc totum verum esse, attamen non esse primum principium, & quid factum asserere, eam entitatem, per quam terminus constituitur effectus, esse dicendam Passionem, cum talis solummodo possit appellari, quia talis entitas passiuè significatur, quæ tamen acceptio vero philosopho indecora omninò est, quare, licet per eamdem actionem, per quam Agens producit effectum, etiam effectus producatur; attamen talis productio passiua non potest propriè dici passio, cum passio formalis non sit id, per quod producitur effectus, sed id per quod recipitur effectus in passo, vt patet in actione creatiua, per quam, licet Angelus v. g. efficiatur, tamen non constituitur receptus, ex eo quia non sit subiectũ in quo &c.

Resp. enim, hoc pacto sumi passionem ab omnibus philosophis, ipsum Aristotelem sequentibus, quare indignum Philosopho non est fieri effectus, passionem appellare, cum respectu ipsius effectus tale fieri, actio formaliter nequeat dici: Concedo tamen, adhuc aliam passionem dari posse, quæ sit receptio ipsiusmet effectus, de qua in supposito, & in sequenti conclusione. Quare, dari passionem realiter, & entitatiuè identificatam cum actione, sumendo passionem hoc pacto pro fieri effectus, clarum, & euidens debet esse. Ad id autem de actione creatiua, dico, quòd si passio sumatur pro fieri effectus, etiam respectu entis creati, potest dari passio, si verò accipiatur pro receptione in subiecto, tunc, cum creatio sit independẽter à subiecto, nullo pacto potest dari.

8 Secunda Conclusio. Actio, & passio, secundo modo acceptæ, distiguuntur realiter modaliter. Videtur esse Scotistarum.

Prob. primò auctori. Arist. hic tex. 21. vbi ait *At verò neq. si doctio, & disciplina sint idem, & discere, & docere idẽ erunt; sicuti neq. si spatiũ vnum distantium sit, & distare hinc illuc, & illinc huc, vnum, & idem est;* vbi conatur ostendere, quòd sicut, licet spatium intermedians inter Athenas, & Thebas sit idem spatium realiter, & entitatiuè, tam si consideretur Athenis Thebas, quàm si Thebis Athenas, attamen distare quod habent Athenæ à Thebis, non est idem distare, ac quod habent Thebæ ab Athenis, cum distare, quod habent Athenæ, sit quidam modus indistinctus ab Athenis; distare verò quod habent Thebæ sit alius modus ab ipsis Thebis indistinctus; Sic etiam, licet actio accidentaliter sumpta, & pro vt est motus, non distinguatur à passione sumpta pro effici effectus, seu moueri, attamen dependere à causa efficiente quod est esse actionis pro vt hic eam sumimus, distingui à dependere à causa materiali, in qua dependentia diximus consistere passionem, vt in Cõclusione eam accipimus.

Neq. valet. Aristot. loqui solùm de distinctione rationis, vt paulò post demonstrat cum dicit *nam huius in hoc, & huius ab hoc actum esse, ratione diuersum est.*

Resp. enim. Arist. per hoc quòd dicat distingui ratione, non negare distingui etiam realiter, maximè quòd talis distinctio realis demonstratur in exemplo ab ipso allato, cum enim, vt diximus in Logica cum de Relatione, relatio sit totaliter in fundamento realiterq. distincta à termino, ideo, cũ distare Athenarum à Thebis importet quã 'à relationẽ, debet esse identificata cum ipso fundamento realiterq. distingui à termino, sicuti fundamentum distinguitur à termino.

Prob. 2. ratione. Tunc duo modi distinguuntur realiter modaliter, quando eorum subiecta distinguuntur realiter, sed subiecta actionis, & passionis pro vt hic sumuntur, distinguuntur realiter, ergo &c. mai patet, cum enim modus non importet entitatem distinctam ab entitate subiecti, ideo si subiecta distinguuntur realiter, pariter & modi, min. prob. subiectum enim actionis, seu fluxus, & pendentiæ ab Agente, est effectus, qui fluit, & producitur, subiectum verò passionis, seu dependentiæ, vt à causa materiali, est subiectum, in quo recipitur effectus; sed tale subiectum, & effectus realiter distinguuntur, ergo &c.

Prob. 3. Potest dari actio sine passione, ergo realiter modaliter distinguuntur, consequentia est clara; prob. antecedens. Tum respectu creationis, creatio enim, vt suo loco dicebamus, consistit in fluxu, & modo pendentiæ effectus à causa creante, qui tamen non importat passionem, seu dependentiam à subiecto, cum creatio sit independens à subiecto. Tum quia, potest Deus effectiuè substentare operationem Agentis, vt potè accidens, sicuti eodem pacto substentat accidentia Eucharistica, sed in tali casu esset fluxus, & pendentia talis operationis ab Agente, non verò passio in subiecto, ergo, &c.

Neq. dicas, eamdem esse dependentiam, qua effectus fluit à causa efficiente, ac qua dependet à causa materiali, & ratione solùm distingui penes diuersa connotata.

Resp. enim, nullo pacto esse eãdem dependentiã, nam dependentia qua effectus pendet à causa materiali, vtiq. alia non est, nisi receptio illius in causa materiali, sed talis receptio, vtiq. non est esse, & fluere à causa, cum vt supra dicebamus, quidam effectus possint fluere à causa, & tamen non recipi in subiecto, ergo &c.

Data ergo hac diuersa acceptione actionis, & passionis, facilè concordari possunt D.D., qui enim admittunt distinctionem inter actionem, & passionem, intelligendi sunt de actione, & passione secundo modo accepta i. pro quibusdam modis, quibus effectus, & fluit ab Agente, & recipitur in passo: qui verò nullam distinctionem admittũt, loquuntur de actione; & passione primo modo sũ-

pus,

ptis, quæ propriè, & secundùm communem loquendi modum vocantur actiones, & pasiones, quæq. non distinguuntur a motu, vt infra; an autem saltem ratione huiusmodi actio, & pasio distinguantur, ferè omnes concedunt distingui ratione ratiocinata, & penes diuersa connotata, quòd etiam deducitur ex ipso Aristotele.

Aduer. autem. Quòd pro actione, & pasione secundo modo explicatis, non intelligimus relationem transcendentalem, qua effectus refertur ad causam, aut efficientem, à qua est, aut materialem, in qua recipitur, licet enim eas explicemus per nomen dependentiæ, & fluxus, & diximus in Logica Relationẽ transcendentalem esse dependentiā &c. attamẽ dupliciter potest sumi hoc nomen dependentiæ, & per hoc, quòd aliquid sit ab alio, ab illoq. fluat, & per hoc, quòd ad illud referatur, & dicat ordinem, quatenus fluxit, & recepit esse ab illo; primo modo, importat actionem hic explicatam, quæ tamen formaliter non est relatio, sed fundamentum relationis; secundo verò modo, relationem significat, & ideo cum loqueremur de creatione, licet negauerimus creationem formaliter consistere in relatione transcendentali, illius tamen essentiam statuimus in necessaria dependentia, qua creaturæ fluunt, & dependent a Deo. hoc est in dependentia, non importante relationem formaliter, sed actionem, de qua in præsenti loquimur.

4 Quæres primò. Per quamnam actionem, & pasionem constituatur prædicamentum actionis, & pasionis.

Resp. per vtramq. constitui prædicamenta Actionis, & Pasionis, cum respectu actionis vtroque modo sumptæ, habeatur primus conceptus actionis .s. esse ab alio; Tum etiam pasionis, vtroq. modo acceptæ, habeatur primus conceptus pasionis .s. pati; Benè verum est, quòd actio, & pasio primo modo acceptæ, reducuntur postea ad prædicamentum Accidentis, secundo verò modo sumptæ ad prædicamentum Modi; neq inconueniens est genera subalterna alicuius prædicamenti subordinati, reduci, alia ad vnum prædicamentum, alia verò ad aliud, cum etiam hoc faciant aduersarii admittentes actionem, aliam substantialem, & aliā accidentalem. Verum est etiam secundùm communem, & ordinarium modum loquendi, nomine actionis, & pasionis ferè semper intelligi actionem, & pasionem vt in primo modo, & de his erit ferè semper sermo, cum conuertantur cum motu, vt infra videbimus; quare hæc poterit appellari actio, & pasio accidentalis, sicuti è contra alia, actio, & pasio modalis.

Quæres 2. Quomodo diuidatur actio accidentalis.

Resp. huiusmodi actionem multipliciter diuidi, primò, in immanentem, & transeuntem, immanens est, quæ non recipitur in subiecto distincto ab Agente, sed in eodem, vt intellectio, quæ in intellectu recipitur, hæcque nullum habet terminum distinctum, sed ipsa est terminus sui ipsius; transiens vero est, quę in subiectum extrinsecum, seu distinctum ab Agente, recipitur. vt actio productiua formæ, secundò, diuiditur in substantialem, & accidentalem, substantialis est, quæ habet terminum substantialem, vt eductio formæ ignis; accidentalis verò, quæ ad terminum accidentalem tendit; deniq. in successiuam, & instantaneam, successiua est illa, qua successiuè Agens agit, & producitur terminus, vt v. g. nutritio, & augmentatio, instantanea verò, quæ tota simul exit in actum secundum, seu qua ponitur è què primò totus terminus, vt sunt ferè omnes actiones immanentes.

His ergò determinatis, remanet inquirenda alia pars quæsiti positi in titulo sectionis, an .s. actio, & passio distinguantur ab Agente, & passo; ad quod demonstrandum prius expendẽdum est, quodnam sit subiectum actionis. Pro quo

Supp. est ex supraposita doctrina, Aliquam esse actionem, quæ distinguitur à suo effectu, qualis est actio accidentalis, vt actio eductiua cuiuscumque formæ, aliā verò, quæ non distinguitur ẽtitatiuè, sed solùm modaliter à suo effectu, qualis est actio modalis; quod etiam optimè notauit Auersa quæst. 26. sect. 3. de actione, &c, huiusmodi est creatio, quæ cū nō sit nisi fluxus, & depẽdentia creaturæ à Deo, vt suo loco dicebamus, ideo est quidam modus entitatiuè indistinctus ab ipsis creaturis, huiusmodi est etiam actio, seu fluxus, per quem producuntur actiones immanentes à suis principiis. Hoc supposito. Sit.

Prima Conclusio. Nulla actio formaliter subiectatur in Agente, Ita communiter recentiores, Amicus tract. 19. quæst. 8 Sanchez in Logica Tomo 2. quæst. 66. Complu. disp. 17. in Phys. quæst. 4. & 5. Auers. quæst. 16. sect. 4 Spinula disp. 6. in Phys. sect. 3. Ouiedo controu. 12. in Phys. punct. 3. & aliis contra Scotistas.

Prob. 1. Actio emanat ab ipsomet Agente, ergo in ipso non subiectatur, consequentia prob. quod enim est ab alio; secundùm illam rationem, secundùm quam est ab illo, non est in illo, esse enim Ab. & esse In, formaliter distinguuntur.

Prob. 2. Actio, & passio entitatiuè sunt idem, ergo in vno solo debēt subiectari, sed subiectantur in passo, vt patet, ergo non in Agente.

Neq. valet, actiones immanentes subiectari in ipso Agente,

Resp. enim. Quòd licet sint in Agente realiter, tamen non sunt in ipso formaliter, quatenus est Agens, sed quatenus est etiam passum, & ideo addidi in cōclusione ly *formaliter*; quare hæc est distinctio inter actionem immanentem, & transeuntem, quòd immanens est in Agente realiter sumpto, non autem formaliter, transiens verò, nullo pacto potest esse in Agente, & si aliquando est pri. de in ipso, est non formaliter, vt in Agente, sed vt in passo,

Secunda Conclusio. Actio, quæ distinguitur ab effectu, non subiectatur tāquam in passo in effectu, sed in subiecto, in quo producitur effectus. Est Auersæ loco supracit. & aliorum.

Prob. prima pars. Actio, saltem natura, debet præcedere effectum, ergo in effectu non potest subiectari, cons. q prob. si enim in illo priori naturæ est actio, in aliquo quod sit, debet subiectari, sed in illo priori effectus non est, ergo in ipso non potest subiectari. Prob. 2.

Prob. 2. Productio, v.g. formæ igneæ non potest subiectari in ipsa forma, sed productio est actio cuius effectus est forma producta, ergo actio non potest subiectari in effectu, mai. prob. productio enim saltem natura, antecedit suum effectum.

Prob. 2. pars. Auct. Aristotelis, qui secundo de Anima tex. 24. ait *Videntur enim in patiente, & disposito actiuorum inesse actus*; Item lib. 3. tex. 140. *sicuti enim actio, & passio in patiente est, sed non in Agente, sic &c.* Item 3. de Anima tex. 139. *motus, & actio, & passio est in eo, quod mouetur, actiuum enim, & motiui actus in patiente fit*, & denique hic clarissimè tex. 18.

Prob. 2. ratione. Actio non subiectatur ex dictis in Agente, neq. in effectu, sed in aliquo debet subiectari, cum sit accidens, ergo cum nihil aliud sit, quàm subiectum, in ipso, tamquam in passo subiectatur.

Tertia Conclusio. Actio, quæ non distinguitur ab effectu, nec subiectum habet, est omninò in ipso effectu, non tamquam in subiecto, sed tamquam modus illi essentialis. Est Auersæ loco supracit. & aliorum.

Patet Conclusio. Cum enim tales effectus non producantur per actionem distinctam; sed sint ipsæ entitates creatæ, à Deo dependentes, ideo in ipsis actio non erit, nisi modus substantialis dependentiæ, quem habent Creaturæ ab ipso Deo creante.

Ob. 1. contra primam Conclusionem. Si actio formaliter non subiectaretur in Agente, sequeretur formaliter non distingui à passione, sed distinguitur, ergo &c. mai. prob. nam distinguitur à passione formaliter, respectu diuersi subiecti, in quo inest, & subiectatur.

Resp. neg. mai. & ad probationem dico. Non distingui formaliter actionem à passione, ratione diuersi subiecti, sed ratione diuersi respectus, quem habet ad Agens, & passum; nam quia respectu Agentis dicitur ab ipso esse, & emmanare, ideo dicitur actio, quia verò respectu passi, dicitur in ipso recipi, & subiectari, passio appellatur; quare actio cum emmanet ab Agente est ipsi extrinseca, quod autem est extrinsecum, non inest, & ideò in solo passo inest, non in Agente, passum enim per receptionem actionis, verè dicitur immutari, recipiendo .s. talem formam, secùs verò Agens, licèt agat, numquam intrinsecè immutatur.

Ob. 2. Per actionem formaliter denominatur Agens, ergo in ipso debet esse, cons. prob. illud enim denominatur à forma, quod habet in se formam denominantem, alioquin si actio esset in passo, ipsum denominaretur Agens.

Res. Denominationem Agentis esse extrinsecã, non autem intrinsecam, Agens enim agendo influit extrinsecè, & ideo nullo pacto per actionem intrinsecè mutatur. Quare non est necesse, quòd forma in ipso sit, cum hoc solum requiratur quãdo denominatio est intrinseca; passum verò non denominatur Agens, .l. recipiat actionem, quia recipere actionem, non est propriè producere actionem, atq. adeo propriè denominatur passum, non Agens.

Coll. 5. ex dictis. Solutio alterius partis quæsiti positi in titulo sectionis, vtrum .s. actio, & passio distinguantur ab Agente, & passo. Ab Agente semper distingui tamquam rem à re, cum enim in ipso non sit, nec subiectetur, sed in passum transeat, ab ipso vtiq. distinguitur; (loquor de actione, quæ non sit immanens) à passo verò, aliquando distinguitur, aliquando non, tunc non distinguitur, nisi modaliter, quando actio entitatiuè est eadem, ac effectus dependens, & in nullo subiecto inhærēs, sed soli effectui adhæret, vt est in creatione; Tunc verò distinguitur, quando passum est subiectum, cum enim in ipso sit tamquam aliquod accidens, & accidens sit distinctum à subiecto ideò ab ipso distinguitur; sed iterum de hoc in tertia sectione.

Multa essent dicenda de actione, & passione, sed & in tertio anno in libris de Generatione, & in sequentibus sectionibus de Motu expendentur.

SECTIO II.

Quid, & quotuplex sit Motus.

Licet motus localis principaliter vocetur motus .s. per quem quælibet res de vno loco trãsit ad aliud, sumitur tamen hic ab Aristotele, & communiter magis amplè pro omni transitu de vno subiecto in aliud, de vna forma in aliam, vel de non subiecto ad subiectum, & secundùm hanc acceptionem in præsenti, & nos illum sumimus.

Prima Conclusio. Motus *est actus eius quod est in potentia secundùm quod huiusmodi est*, Ita Aristoteles tertiò Physicorum tex. 6. seu clariùs communiter 5
ab omnibus *motus est actus entis in potentia, quatenus est in potentia.*

Explicatur Conclusio. Dicitur *actus* loco generis, magis enim patet, quàm motus, est autem actus imperfectus .s. imperfectè actuans, & ideo dicitur *entis* idest rei existentis, & perfectè actuatæ, seu rei mobilis; dicitur *in potentia* quia mobile debet esse in potentia ad formam, ad quam recipiendam datur motus; dicitur tandem *quatenus est in potentia* quia per motum formaliter non aufertur talis potentia in mobili ad formam, sed remanet in potentia ad talem formam, & si auferatur potentia, aufertur ratione formæ introductæ, non ratione motus, qui de se habet relinquere mobile in potentia ad formam.

Secunda Conclusio. Multipliciter diuiditur motus. Ita communiter cum Aristotele.

Prob. ex diuisione; primò igitur diuiditur in motum instantaneum, & successiuum; instantaneus est, qui non habet partes post partes, sed totus simul est in instanti, vel sit diuisibilis, vt illuminatio instantanea, vel indiuisibilis, vt generatio, & hic motus propriè vocatur mutatio, licet enim Aristoteles sumat nomen motus, & mutationis indifferenter pro omni specie motus, tamen vt ex ipso aliquo pacto deducitur 5. physicorum, motus instantaneus propriè dicitur mutatio; motus verò successiuus est, qui non dum plures partes habet, sed

vnam

vnam post aliam, vt motus localis, alterationis, &c. & hic propriè vocatur motus, & de hoc præcipuè in præsenti agimus.

Secundò, diuiditur motus instantaneus in generationem, & corruptionem, vel enim fit transitus de non esse ad esse alicuius formæ, & hæc dicitur generatio, vel fit transitus de esse alicuius formæ ad non esse eiusdem, & dicitur corruptio.

Tertiò, motus successiuus, qui propriè dicitur motus, diuiditur in augmentum, & decrementum, alterationem, & lationem, seu motum localem; vel enim per motum acquirit mobile quantitatem maiorem, vel deperdit partem quantitatis, quam habebat, si acquirit, dicitur habere motum augmétationis, si deperdit, motum decrementi; vel acquirit, aut deperdit qualitatem, & dicitur habere motum alterationis; vel tandem acquirit nouum locum, & dicitur moueri motu locali, seu lationis.

Ob. primò. Motus est actus entis in potentia, &c. sed motus instãtaneus nõ est talis, siquidem nõ habet partes, ergo non est appellandus motus, min. prob. de ratione enim motus est partim actuare subiectum, partim relinquere in potentia, quod non facit motus instantaneus.

Resp. neg. min. & ad probationem dico, de ratione motus esse actuare imperfectè subiectum, relinquendo in potentia ad formam, quæ actuatio cum in motu instantaneo præcedat saltem natura ipsam formam, ideo potest saluare essentiam motus in motu instantaneo.

Ob. 2. Generatio non fit in instanti, sed successiuè, ergo non datur motus instantaneus, antecedens prob. quia priùs introducuntur dispositiones, & postea forma, ergo &c.

Resp. disting. antecedens: generatio, &c. pro vt importat solam introductionem formæ, & nego antecedens, prout dicit aggregatum introductionis formæ, & alterationis præcedentis necessariæ ad introductionem formæ, & conc. antecedens; cum enim non possit introduci forma, nisi per alterationem disponatur materia, ideo videtur generatio fieri successiuè per introductionem s. talium dispositionum, at generatio propriè dicta, & vt sumitur à Philosophis, cõsistit solùm in introductione formæ, quæ cum fiat in instanti, ideo generatio erit motus instantaneus, non tamen propriè dictus, sed potiùs mutatio instantanea, vt sup.

Coll. primò. Assignatam diuisionem motus non esse in species atomas, seu vltimas, sed in immediatas, & principales, quæ in alias possunt sub diuidi.

Coll. 2. Assignatam definitionem motus conuenire omnibus speciebus motus vniuocè, cum enim habeant eamdem rationem motus, & vnus non dicatur motus ratione alterius, ideo vniuocè illis conuenit tradita definitio.

Coll. 3. Motũ propriè dictũ dari solùm ad tria Prædicamenta s. ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, pro vt autem dicitur etiam mutatio, datur ad Substantiam; ad alias verò Categorias si datur, datur consequenter, quatenus s. sunt coniunctæ illis, ad quas fit motus per se, & propriè s. Quantitati, Qualitati, & Vbi.

Io. Bonif. Bagatta Curs. Phi.

SECTIO III.

An motus sit aliquid distinctum ab Actione, & Passione, & ab Agente, & Passo.

SVpp. realiter à parte obiecti non distingui actionem, passionem, & motum; cum enim actio sit quidam transitus ab Agente in passum, & passio idem transitus receptus in passo, & hic transitus sit quidam motus, ideo motus non distinguitur à parte obiecti ab actione, & passione, vt deducitur ex Aristotele hic tex. 19. & seq. & ferè ab omnibus vt certum conceditur; Hic ergo quærendum est, cum motus inuoluat à parte obiecti actionem, & passionem, an saltem per intellectum possit distingui ab actione, & passione. Sit ergo. 6

Prima Conclusio. Motus per intellectum distinguitur cum fundamento ab actione, & passione. Est. P. Morandi, in 3. Physicorum trac. primo de motu quæst. 8. Toleti, Rubij, Conimb. & Aliorum.

Prob. Motus non distinguitur realiter ab actione, & passione, ergo ratione, sed non ratione ratiocinãte, idest sine fundamento, ergo ratione ratiocinata s. cum fundamento, antecedens prob. nam quæ distinguuntur realiter, vel distinguuntur tãquam res à re, vel tamquam modus à re, sed neque tamquam res à re distinguitur motus ab actione, & passione, siquidem destructo motu, non potest conseruari actio, sicuti neq. destructa actione potest perseuerare motus, ergo &c. neq. etiam distinguitur tamquam modus à re, seu modus à modo, non enim potest, neq. concipi, aut actio sine motu, aut motus sine actione, ergo nullo modo realiter distinguitur; prob. vltima consequentia, quia ea distinguuntur ratione ratiocinata, & cum fundamento, quæ habent diuersas rationes conceptibiles, sed actio, & passio, & motus habent diuersas rationes conceptibiles, ergo ratione ratiocinata distinguuntur, hæc min. prob. actio enim concipitur vt aliquid proueniens ab Agente, passio vt fieri, & pati effectus, motus denique vt aliquid tendens in passum.

Ob. Moueri est pati, mouere est Agere, ergo agere, & pati includũt motũ, ergo nullo pacto distinguuntur.

Resp. Realiter, & à parte rei hoc totum verum est, per intellectum verò diuersas importare formalitates, agere enim importat emanationem ab Agente, mouere transitum talis emanationis, pati verò fieri talis emanationis, quę omnia, licet à parte rei, & verbis distingui non possint, intellectus tamen subtilissima acie distinguuntur.

Secunda Conclusio. Omnis motus, siue recipiatur in ipso Agente, siue transeat in aliud, distinguitur ab Agente distinctione reali, tamquam res à re. Deducitur ex dictis.

Prob. prima pars. Motus potest transire de subiecto in subiectum, ergo est aliquid distinctum ab agente; consequentia clara est, antecedens prob. si aliqua pila cadens incidat in aliquod corpus quiescens, illud mouet, ipsaq. tardiùs mouetur, ergo quia in illud imprimit partem sui motus, ergo &c. Tum, aqua mouens se motu alterationis, ad pristinam frigiditatem v. g. se reducendo, etiam infrigidat corpus vicinum, ergo &c.

Prob. secunda pars. Motus si non recipitur in Agente, transit in subiectum extrinsecum, ergo distinguitur ab Agente, consequentia patet, subiectū enim extrinsecum distinctum est ab Agente.

7 Tertia Conclusio. Motus realiter distinguitur à passo. Deducitur etiam ex dictis.

Prob. Motus potest transire de passo in passū, ergo realiter distinguitur à passo. antecedens ex superdictis constat, ergo & consequentia.

Quæres. Cū motus sit accidēs, in quo subiectetur.

Resp. Subiectari in mobili, ratio autem est, quia motus est in eo, quod mouetur, sed mobile mouetur, ergo motus est in mobili; res clara est, nec in ea immorandum, maximè quod iam probata est in superioribus cum de subiecto actionis.

SECTIO IV.

An de ratione motus sit successio, & continuitas.

8 Supp. est. Continuum importat vnionem pluriū partium eiusdem rationis; huiusmodi est linea, superficies, & omne corpus Quantum; successiuum verò est, quod, licet connotet pluralitatem partiū, quarū quælibet succedat alteri, in suo tamē cōceptu formali præscindit, an sit partes eiusdem, an verò diuersæ rationis, an sint immediatè succedentes, an vero mediatè, & cum earum diuisione; successiuum constans ex partibus mediatè succedentibus, sunt v. g. guttæ cadentes vna post aliam ab aliquo tecto, motus alicuius mobilis, quandoq. interruptus, sic etiam dicuntur successiui lapides eminentes positi ad faciliter transeundum aliquam viam lutuosam; successiuum autem constans ex partibus immediatè succedentibus est v. g. tempus, & motus, cuius partes absq. vlla mediatione succedunt. Hoc autem successiuum vocatur etiam ferè communiter successiuum continuum, cum Aristotele diuidente quantitatē continuam, in quantitatem habentem positionem, qualis est linea, superficies, &c. & in nō habentē positionē, qualis est tēpus, & motus, &c. quod tamen solùm impropriè continuum debet dici, cum non importet vnionem partium, sed solùm successionem, quare continuum propriè, & rigorosè sumptum, conuenit solum quantitati per se, .s. rebus quantis, & permanentibus, non verò quantitatibus per accidens, vt sunt motus, & tēpus, vt infrà probabimus.

Supp. 2. Continuitatem, & successionem, in motu posse considerari, & respectu temporis, & respectu termini ipsius motus, potest enim inquiri, an motus sit successiuus, ex eo quia exigat necessariò successionem temporis, vel successionem termini acquisibilis, & etiam, an sit continuus vel ratione termini continui, vel ratione temporis continui; cum enim ad motum requirantur duo termini, à quo .s. & ad quem, an ratione talium terminorum sibi succedentium possit dici continuus, vel successiuus inquirendum est.

Supp. 3. Quæstionem non esse de mutatione, quæ propriè non dicitur motus, cum enim ipsa fiat in instanti, & non habeat ambos terminos positiuos, sed vnū priuatiuum, alium positiuum, qui cum non sint in eadem ratione, nō possunt dici neq. continui, neq. successiui, ideo exclusa est à sensu quæstionis.

Prima Conclusio. Motus ratione termini est successiuus, & continuus. Est forsam, illorum, qui absolutè continuitatem, & successionem tribuunt motui, quos videre est apud P. Morandum in Phi. Trac. primò; de Motu quæst. 3. Tellez libro 3. in 2. partem Philosophiæ Disp. 30. sec. 3. & alios. 9

Prob. 1. In quolibet motu necessariò requiruntur duo termini, à quo .s. mobile mouetur, & ad quem mouetur, sed huiusmodi termini sunt successiui, & continui, ergo ratione ipsorum motus est continuus, & successiuus, mai. patet, min. prob. Tum respectu motus localis, cum enim partes spatii sint inuicem, & essentialiter coniunctæ, & continuæ, non potest fieri transitus de vna parte ad aliam, nisi tangendo medium continuum; prob. etiam respectu motus alterationis, & augmentationis, quælibet enim pars aut quantitatis, aut qualitatis, quæ per tales motus acquiritur, succedit, & continuatur partibus eiusdem rationis, primò in mobili existētibus, ergo &c. Aduerte tamen, quòd huiusmodi successio, & continuitas impropriè, & non tam strictè debet dici de motu, cum rigorosè, & propriè illius continuitas, & successio desumenda sit in ordine ad tempus.

Secunda Conclusio. Quilibet motus ratione tēporis non est essentialiter successiuus, benè verò accidentaliter. Videtur esse Soncin. 5. Met. sec. 24. videntur etiam in hanc conclusionem consentire Spinula disp. 12. de Tempore sec. prima, Pontius disp. 18. in Physica de Continuo quæst. 5. conclusione 3. Serb. disp. 3. in Physica quæst. prima de Motu, art. 6. ex quibus, aliqui dicunt, successionem esse distinctam à motu, alii verò, dari posse primū indiuisibile motus, licet tamē de quocumq. motu non loquantur.

Prob. 1. Motus potest esse in instanti, ergo non est essentialiter successiuus ratione temporis, consequentia patet, quia quod est in instanti, non est successiuum ratione temporis, antecedens prob. vel in primo instāti potest esse motus, vel nō potest esse; si primum, ergo vera conclusio, si non potest, ergo numquam erit, eadem enim difficultas, quæ reperiretur in primo instanti, esset etiā in secundo.

Prob. 2. idem antecedens. In qualibet forma acquisibili per motum, dantur indiuisibilia, & consequenter, & primum indiuisibile, sed primum indiuisibile nō potest acquiri nisi per indiuisibile motus, ergo datur indiuisibile motus, seu motus in instāti, mai. patebit cum de Quantitate, minor prob. termino eni debet correspōdere actio illius productiua.

Prob. 3.

Prob. 3. idem antecedens. Tunc aliqua res dicitur esse, quando verum est dicere, in hoc instanti existit, sed etiam in primo instanti, in quo mobile mouetur, verum est dicere, motus existit in mobili, ergo in primo instanti motus existit, ergo datur primum instans, & indiuisibile motus.

Prob. 4. idem antecedens. Si non daretur primum principium, & instans motus, ergo motus esset infinitus, sed implicat, ergo &c.

Neq. dicas ex Pontio negante in motu locali primum indiuisibile, neq. dicas inquam, motum localem non habere principium intrinsecum positiuum, benè verò extrinsecum, in quo verificatur non esse motum.

Resp. enim, ergo intrinsecè, & secundùm propriam entitatem non haberet principium, atque adeo infinitus esset, principium enim extrinsecum solùm se habet vt terminus à quo, vt dicebamus cum de priuatione in primo lib.

Neq. dicas secundò, Aristotelem pluribus in locis asserere, non dari in motu primum mutatum esse, ergo, &c.

Resp. enim, Aristotelem intelligere non de motu, sed de mutato, cum enim omne mutatum esse supponat ante se motum, ideo dicebat Aristoteles mutatum esse, non esse primum, quia ante mutatum esse. supponitur motus, sicuti factum esse, supponit fieri.

Neq. dicas tertiò, motum alterationis v.g. non posse fieri in instanti, cùm ad productionem primi gradus qualitatis non statim alteretur mobile, ad productionem enim v.g. primi gradus caloris, non calescit mobile.

Resp. primò. Hoc falsum esse supernaturaliter. Deinde, conc. non posse fieri alterationem totalem in instanti, nego verò inchoatiuè, quòd mihi sufficit, tale enim mobile per primum gradum qualitatis mouetur ad illum gradum, licet per ipsum, cum sit remissus, non possit totaliter alterari.

Prob. secunda pars. Accidit motui, quòd fiat in instanti, vel in pluribus instantibus, ergo accidentaliter respectu temporis est successiuus.

19 Tertia Conclusio. Motus ratione temporis non potest dici continuus. Videtur esse Ariminensis in secundo, dist. secunda quæst. prima, art. primo, dum probat tempus non esse rem distinctam à corpore regulariter moto, hac ratione, quia priua, & posterius non possunt constituere quid continuum.

Prob. Id quod est, non potest dici continuum cum eo quod non est, sed partes temporis aliquæ sunt, aliquę non sunt, ergo non possunt dici continuæ, ergo pariter motus respectu temporis nequit dici continuus, mai. patet, continuum enim propriè sumptum importat vnionem inter partes continuas, at vnio non potest reperiri inter id quod est, & quod non est, vt patet, ergo &c. min. etiam prob. temporis enim, ex Aristotele, non habemus nisi instans præsens, ergo instantia antecedentia non sunt, & consequentia nondum sunt producta, ergo illis continuè nequit actu tale instans, atq. adeo solùm successiuum, non verò continuum potest dici tempus, & per consequens etiam talis, ratione illius, motus.

Coll. ex dictis. Posse dari motum instantaneum, ad Quantitatem, Qualitatem, & Vbi, ad Substantiam enim nulla est difficultas; quare tota differentia inter mutationem, & motum propriè dictũ solùm consistit in hoc, quòd mutatio habet vnum solùm terminum positiuum, alium verò priuatiuum; vel enim est generatio, & sic à priuatione fit motus ad formam, vel est corruptio, & motus tùc fit à forma ad priuationem; Motus verò propriè dictus ambos terminos habet positiuos, quòd etiã deducitur ex ipso Aristotele 5. physicorum tex. 9. vbi ait, motum esse qui fit de subiecto in subiectum, hoc est de vno termino positiuo in alium positiuum, mutationem verò, quæ fit, vel de non subiecto in subiectum, hoc est de priuatione in formam, qualis est generatio, vel de subiecto in nõ subiectũ, qualis est corruptio, de forma, ad priuationẽ formæ.

SECTIO V.

Vnde motus sumat suum esse specificum, & numericum,

EX dictis disp. 2. sec. 3. in secundum librum de specificatione causæ, & potentiæ, faciliter patebit solutio quæstionis præsentis: cum enim à modo tendendi quamcumq. specificationem rei Agentis dixerimus sumendam esse, etiam à modo tendendi, actionem, seu motum specificari erit dicendum. Quare sit. 11

Prima Conclusio. Motus sumit suam specificationem à modo tendendi. Ita cont. communiter D.D. citati cum de specificatione potentiæ, & causæ.

Prob. primò. Specificatiuum debet esse intrinsecum rei specificatæ, at solùm modus tendendi est intrinsecus motui, ergo solùm modus tendendi est illius specificatiuum; mai. est certa, min. prob. terminus enim à quo, seu ad quem, à quibus communiter specificari motum asseritur, sunt extrinseci ipsi motui.

Prob. 2. Actus amoris, & odij sunt motus specificè diuersi, sed tales non sunt, nisi ratione diuersæ tendentiæ in obiectum, ergo vera conclusio; min. prob. non enim sunt tales respectu termini à quo, qui semper est idem, non respectu termini ad quẽ, odium enim, & amor obiecti specificè inter se differunt, quia voluntas per amorem tendit in obiectum, per odium verò recedit ab obiecto ergo tendentia diuersa, est ratio cur specificentur tales motus, amoris, & odii.

Prob. 3. Motus sursum, & motus deorsum, motus rectus, & circularis, motus violentus, & naturalis, motus augmenti in palmo, & decrementi in palmo, habent eosdem terminos specificos, & tamen sunt motus diuersi specie, ergo specificatio eorum desumenda est nõ ex terminis, sed ex modo tendẽdi.

Ob. 1. Dealbatio, & denigratio sunt motus specificè diuersi, & tamen non habent diuersũ modũ tẽdendi, ergo modus tendendi non specificat motum.

Resp. neg. secundam partem antecedentis, diuersimodè enim agit agens naturale dealbando subiectum, ac illud denigrando, dealbando enim, ab adustione illud liberat, secùs vero denigrando, qui modi sunt diuersi, sed.

Inst. Sol eodem modo tendendo cum calore denigrat Aethiopes, dealbat vero lanas illi expositas, ergo dealbatio, & denigratio, non sunt motus specificè diuersi ratione diuersæ tendentiæ.

Resp. illos motus dealbationis, & denigrationis prouenire non à solo calore solis, sed etiam ab alijs concausis simul concurrentibus, sic Aethiopes denigrantur, quia maximo calore naturali aduruntur, à cibis calidis, & adustis comburuntur, &c. sic lanæ dealbantur, quia etiam abluuntur ab aquis mundis, & purificatis, quia sternuntur in glareis candicantibus, &c. quare cum hæ omnes causæ diuerso modo concurrant, cumq. constituant vnum comprincipium, constituitur etiam diuersus modus tendendi, atq. adeo, & diuersi specie effectus producuntur.

Ob. 2. Quodlibet specificatur ab eo, ad quod dicit ordinem, sed motus dicit ordinem essentialem ad terminum ad quem, formaliter sumptum, ergo ab illo specificatur, non verò à modo tendendi.

Resp. dist. mai. specificatur intrinsecè, & nego, specificatur extrinsecè, & transeat, cum enim diximus cum de relatione, quemcumq. terminum esse extrinsecum fundamento, ideo vt potè extrinsecum non potest intrinsecè specificare. Quòd si.

Instes. Licet terminus sit extrinsecus materialiter, formaliter tamen est intrinsecus, sicut, licet obiecta materialiter sint extrinseca potentijs, intentionaliter tamen sunt intrinseca.

Resp. neg. formaliter esse intrinsecum, si enim esset intrinsecus formaliter motui, esset in illo tāquam forma; at terminus non est forma motus, cum motus saltem prioritate naturæ, præcedat terminum, ergo &c. Ad id autem quòd dicunt de obiecto intentionaliter existente in potentia, dico secundariò se habere talem existentiam intentionalem in potentia, cum habeatur solùm ex eo quia potentia in illud tendit; quare primariò, essentialiter, & formaliter, & potentia specificatur à modo tendendi in obiectum, vt dicebamus cum de causis.

12 Ob. 3. Illud est specificatiuum, quod est etiam denominatiuum intrinsecè, sed terminus ad quē intrinsecè denominat motum, ergo terminus ad quem est specificatiuum motus, non verò modus tendendi.

Resp. disting. mai. illud est specificatiuum, &c. si inest in re specificata tamquam aliqua forma, vel physica, vel metaphysica, & conc. si hoc modo nō existit, & nego, terminus autem hoc modo non existit in motu. Quare &c.

Supp. pro secunda Conclusione. Vnitatem numericam motus aliam esse entitatiuam, aliam successiuā, seu cōtinuā, vt cōmuniter loquūtur; Vnitas entitatiua est, qua motus est tale ens, hoc numero, & non aliud, & de hac hic non loquimur, ex dictis enim in Logica, sicuti quodlibet ens indiuiduatur per se ipsum, sic etiam, & motus. Vnitas successiua, seu continua est, per quam vnus motus successiuus dicitur esse distinctus ab alio motu successiuo, & de hac loquetur Conclusio.

Secunda Conclusio. Omnis motus sumit suum
esse numericum à mobili in quo est, à termino ad 13
quem est, & à tempore in quo fit. Ita cum Aristotele 5. physicorum tex. 34. ferè communiter omnes.

Prob. primò auc. Aristotelis, qui loco cit. ait; *Tria enim sunt numero circa quæ dicimus motum vnum. Quid, & in Quo, & Quando.*

Prob. 2. ratione, Motus est actus mobilis, sed idem numero actus, nequit in duplici subiecto esse, ergo neq. motus, ergo ad multiplicationem subiectorum, multiplicabitur & numero motus.

Prob. 3. Motus est fieri formæ, & termini, ergo ex diuersitate numerica formæ, multiplicabitur numericè motus, ergo etiam à forma, & termino desumit motus suum esse numericum.

Prob. 4. Si motus interrumpatur ex eo quia mobile postquam produxit motum moratur, & postea producit alium motum, talis non potest dici vnus motus, sed duo motus, ergo ad vnitatem motus, requiritur etiam vnitas saltem successiua temporis.

Neq. dicas, eumdem numero futurum motum, si aliquod animal cadens ab aliqua turri in medio aere moreretur, & tamen non futurum idem mobile, animal enim essentialiter differt à cadauere, ergo &c. Item, in quolibet motu successiuo acquiri diuersas partes formæ, ergo non ab vnitate formæ desumere suum esse numericum motum.

Resp. enim, ad primum, idem futurum mobile quoad materiam, animal viuum, & cadauer; ad secundum, illas omnes partes formæ ad inuicem cōtinuari, atq. adeo vnam solam futuram formam, licet ex partibus diuersis constitutam.

Neq. dicas, 2. ex Guarino, terminum esse ex- 14
tra motum, ergo illi non posse tribuere esse numericum. Item, ascensum, & descensum lapidis eumdem esse numero motum, & tamen esse diuersos terminos, ergo à terminis non posse sumi vnitatem numericam motus.

Resp. enim ad primum; hic solummodo loqui de vnitate numerica, quam ab aliquo extrinseco desumit motus, ab intrinseco enim indiuiduatur, sicut cæteræ aliæ entitates, vt dicebamus in logica, à suo proprio esse, ratione cuius intrinsecè, formaliter, & essentialiter est distinctus a quocumq. alio; quare, licet terminus sit extrinsecus, tamē potest tribuere motui, hanc vnitatem numericam; ad secundum dico, ascensum, & descensum duos esse motus non dum numero, sed & specie diuersos, etiam dato quòd nulla intercedat quies; sicuti alteratio, & generatio in communi sētentia duo sunt motus specie, & numero distincti, licet vnus immediatè, nulla interposita quiete, succedat alteri.

Tertia Conclusio. Ad vnitatem motus, non est necessaria vnitas motoris, seu Agentis. Ita cum multis Serb. disp. 3. quæst. prima de motu art. 8. Guarinus, & alij.

Prob. Motus non intelligitur interrumpi præci-

se

sè, ex eo quia mutetur primum Agens, & aliud substituatur, ergo potest esse idem numero motus .l. Agentia, seu motores sint diuersi.

Conſ. ex eo quia, si quis, v.g. vertat aliquam rotam, & deinde alter adueniat, certè talis motus dicetur vnus successiuus motus, ergo ad vnitatem numericam successiuam motus, de qua hic agimus, non est necessaria vnitas Agentis.

Ob. ex Morando. Vnus effectus non potest esse à pluribus Agentibus, ergo neq. idem num. motus à pluribus motoribus, ergo &c.

Res. dist. ant. Vnus effectus indiuisibilis, & transeat, vnus effectus diuisibilis, & nego, motus autem est effectus successiuus, & diuisibilis. Quare non implicat plures motores, & Agentia habere.

Quæres. Quomodo quies opponatur motui.

Resp. Quietem opponi motui priuatiuè, quatenus .s. quies importat priuationem, & non esse motus, dum enim mobile non mouetur, permanentia, & quies non est in ipso aliquid positiuum distinctum, sed solum priuatio, & negatio motus ad quem habet potentiam, quare priuatiuè, &c.

DISPVTATIO SECVNDA

In eumdem Tertium librum Physicorum Aristotelis, de Infinito.

CVm motus sit quid successiuum, cui conuenit, vel esse finitum, vel infinitum, ideò Aristoteles postquam egit in hoc tertio libro de natura motus, à tex. 24. incipit naturam infiniti explicare, quod & nos, ordinem Aristotelicum hic seruantes, in præsenti disputatione faciemus.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Infinitum.

1 INfinitum est id, quod caret fine; antiquitus autem definitum fuit, quòd sit *id cuius nihil est extra*, .s. illud esse infinitum, quod continet omne, quod est possibile in eo genere, ita quòd nihil aliud extra illud sit, aut excogitari possit; at quia huiusmodi definitio, non tam claré explicat quidditatem infiniti, ideo aliam tradidit Aristoteles in hoc lib. tex. 63. quem communiter sequuntur, estq. *Infinitum est id cuius semper est aliquid extra accipere* .s. illud esse infinitum, à quo, .l. quæcumq. partes accipiantur, remanent semper accipiendæ in infinitum, ita vt numquam possit deueniri ad eam vltimam, extra quam non sit aliud extra accipere.

Multipliciter autē diuiditur infinitum, aliud dicitur infinitum simpliciter, aliud secūdùm quid, infinitum simpliciter est illud, quod in omni genere, & secundùm omnes perfectiones, quæ sunt possibiles, infinitum est, huiusmodi autem est Deus; infinitum secundùm quid est, quod in aliquo solo genere est infinitum.

Insuper infinitum secundùm quid dupliciter diuiditur, in cathegorematicum, & syncathegorematicum, primum, est infinitum totum actu, secundū uerò in potentia; ita quòd, id quod est actu finitum sit, quod u rò addibile est, infinitum sit, .l. semper quod additur finitum sit: tam autem infinitum cathegorematicum, quam syncathegorematicum diuiditur in infinitum in Magnitudine, in Intensione, in Numero, in Duratione, & Perfectione; cū enim quælibet res, quæ infinita potest esse, uel possit taliter esse respectu magnitudinis, intensionis, &c. ideo respectu ipsarum multiplicantur infinita.

Ad hoc autem, ut aliquid sit infinitum, tres necessariò (ut communiter loquuntur) illi debentur conditiones: prima est, quòd infinitum non habeat terminum in eo genere, in quo est infinitum; contra tamen Arriagam disp. 13. de Infinito, Spin. disp. 9. de Infin. sect. 1. Ratio autem est, quia quod terminum habet, tandem finiri potest, sed quod finiri potest, non est infinitum, ergo &c.

Neq. ualet ex Arriaga, non posse infinitum claudi intee duos terminos, bene uerò inter duo puncta.

Resp. enim. Vel sint puncta, uel termini, semper ualere extra illa puncta, non esse amplius accipere; quare neq. esse infinitum, sed finitum dicendum est, ut poté finem habens, siuè postea inter puncta, siuè inter terminos clauderetur, uerbis enim hæc duo solummodo differunt. 2

Secun.

am possit addere, nequit tamen cathegorematicum, & totum actu producere.

Neq. dicas 3. Spatium imaginarium extra cælum est infinitum, siquidem infinitos mundos potest Deus in illo creare, sed actu datur tale spatium imaginarium, ergo infinitum actu cathegorematicum.

Res. enim. Argumentū de spatio imaginario, imaginariū, & chimericū esse: quid enim est aliud spatium imaginarium, quàm nihil, aut negatio entis realis? quare Argumentum solum concludit, nihil esse infinitum, oh ridiculum infinitum. Alia argumenta adducuntur à contrariam sententiam sequentibus, sed quia solùm chimericum fundamentum habent, illisq. ex implicantiis adductis in probationibus facilè est respondere, apud Auctores videre relinquo: si enim sumatur infinitum pro vt est explicatum, prout q. ab Aristotele, & ab ingenuis Philosophis accipitur, nihil aliud de ipso, nisi quæ hucusq. dicta sunt, dici possunt.

Quòd si quæras, cùr sit definitum infinitum, cum actu nequeat dari.

Res. Etiam Chimeram, etiam impossibilia definiri, & tamen actu non dari; definitum ergo fuit ex suppositione si possibile esset.

5 Secunda Conclusio. Infinitum syncathegorematicum, sunt omnes res finitæ, prout dicunt connexionem cum infinitis addibilibus ab omnipotentia diuina. Est conclusio ferè communis contra aliquos, quos fusè refert, & impugnat Ouie. contr. 14. de Infin. punct. 3. asserentes, Deum non posse in infinitum, sed solùm tot determinatè creaturas producere.

Prob. 1. auct. Conc. Const. sess. 15. in quo damnati sunt Ioannes Hus, & VVicleffus, qui hanc blasphemiam asserebant, *Deus nihil potest annihilare, nec mundum maiorare, vel minorare, sed animas vsq. ad certum numerum creare, & non vltra* quòd est idem ac dicere, solùm finitas producere posse.

Prob. 2. Implicat, omnipotentiam diuinam non posse in infinitum suos actus multiplicare, sed non posset, si solùm tot determinatæ creaturæ essent producibiles, & non in infinitum, ergo, &c. min. prob. productis enim, v. g. 1100000. hominibus, si alii non essent producibiles, Deus, actus creationis nequiret producere, ergo &c.

Prob. 3. Post iudiciū vniuersale potest Deus per totā æternitatē mouere cælos, ergo in infinitū, & sine termino producere. Hæc sunt ita clara, vt nesciā, quomodo nisi fallacibus argumentis, qualia sūt, quæ præcipuè adducit Arriag. impugnata hic ab Oui. contraria sententia sustineri possit: quare.

Coll. 1. Cogitationes hominum, & Angelorum, & vniuersaliter omnes res futuras per totā æternitatem à parte post, esse infinitas syncathegor. quatenus, licèt semper actu finitæ, quia tamen per totam æternitatem Deo concurrente sunt aliæ, & aliæ illis addibiles, in potentia, & synchategorematicè infinitæ sunt.

Collig. 2. Cuicumq. argumento, quod fieri possit, & contra hanc, & contra primam Conclusionem, facilè respondere posse ex implicantiis fusè allatis in probationibus Conclusionis.

SECTIO III.

An Deus possit producere Creaturam omnium possibilium perfectissimam. Item & imperfectissimam.

IAm diximus, à Deo produci non posse actu aliquod infinitum, atq. adeo. neq. creaturam simpliciter infinitam: quare hic solum inquirimus, vtrum, licèt infinitam creaturam nequeat producere, attamen creare possit talem Creaturam, adeo perfectam, vt perfectiorem nequeat creare. & insuper etiam, an producere possit creaturam, ita omnimodè imperfectam, vt imperfectiorem nequeat creare. 6

Prima Conc. Non potest à Deo produci creatura, quin semper in infinitum alia perfectior sit à Deo creabilis. Ita cont. Aureo. in primo, dist. 44. quæ vnicà art. 6. Durand. in prim. dist. 44. quæst. 2. Bacconum in pri. disp. 44. quæst. 1. art. 2. Arriaga disp. 13. sect. 3. ferè omnes Scotistæ, & Thomistæ cū recentioribus, Ouie. controu. 14. punct. 7. Spinola disp. sect. 7. Scribit. dist. 4. quæst. 3. de Quantitate, atq. Guarin. Mal. Compton. & aliis.

Prob. Quodcumq. ens creatum, licèt perfectissimum, finitum semper est, sed quod est finitum, potest ab alio superari in perfectione, ergo quodcumq. ens creatum, licèt perfectissimum, potest ab alio perfectiori producto à Deo, superari, atq. adeo nullum poterit creari ita perfectum, quin à Deo perfectius creari possit.

Prob. 2. Quodcumque ens creatum, licèt perfectissimum, infinitè distat à Deo, ergo poterit aliud perfectius produci medium inter illud, & Deum, quod tale ens iam primò creatum perfectione superet, licèt etiam ipsum longè inferius sit Deo, ergo &c.

Prob. 3. Quilibet numerus finitus, potest in infinitum crescere, & quolibet dato semper illi in infinitum alius est addibilis, ergo ita à pari, qualibet creatura, licèt omnimodè perfecta, producta, adhuc semper alia perfectior est producibilis.

Ob. ex Arriaga. Sumpta tota collectione creaturarum, non omnes creaturæ, quæ sunt in hac collectione excedentur à creaturis, ergo aliqua est, quæ non exceditur, ergo illa erit suprema, supra quam, &c. conseq. vtraq. est euidens, antec. prob. repugnat, omnes creaturas excedi à creaturis, daretur enim mutua excessiua in perfectione in ea collectione, quod omninò repugnat, ergo non omnes exceduntur.

Resp. Argumentum esse de subiecto non supponente, quare nullam efficaciam habet, supponit enim Arriaga, omnes creaturas possibiles considerari posse per modum vnius collectionis, quòd tamen falsū est, solum enim creaturæ possibiles cōsiderari possunt per modū pluriū, & plurium collectionum in infinitum, & sic in quacumq. collectione, certo erit vna creatura, quæ non excedetur, excedetur tamen respectu alterius collectionis aliarum creaturarum in infinitum producibilium.

Ob. 2.

Ob. 2. ex eodem. Nulla eſt repugnãtia quo 3 huiuſ. modi creatura, producatur, ergo poterit produci.

Reſp. Retorquendo argumentum, nulla eſt repugnantia quacumque creatura cum quacumque perfectione producta, adhuc aliam perfectiorem ab omnipotentia creari, ergo poterit creari.

Reſ. 2. directè, neg. ant, repugnantia enim oritur, tum ex omnipotentia diuina, quæ per productionem cuiuſcumq. creaturæ, licèt perfectiſsimę, non poteſt ita exhauriri, vt perfectiorem nequeat producere: Tum ex creatura, quæ cum ſit finita, adhuc alia perfectior produci poteſt, quæ vt ita dicã, vnum gradum perfectionis ſupra ipſam habeat, ſicuti, dato quocumq. numero, ſemper alius eſt excogitabilis, & addibilis in infinitum, ita vt numquam deueniri poſsit ad vltimum, cui amplius addi non poſſit. Alia argumẽta adducit Arriaga, quæ quia ſimilibus reſponſionibus impugnari poſſunt, ideo ſuperfluum eſt illa hic addocere.

Secunda Concluſio. Poteſt Deus facere crea-
7 ram ita imperfectam, vt imperfectiorem nequeat producere. Ita Arriaga loco ſuprac. cum DD. cum ipſo citatis, contra ſuprac. noſtram concluſionem, Guarinus, & alii pauci.

Prob. 1. Implicat ens finitum ſemper in infinitum diminui, ergo tandem deueniendum eſt ad vltimam diminutionem, vltra quã nequeat ampliùs diminui, ergo Deus poterit facere hoc ens ita diminutum, vltra quod, aliud magis diminutũ, & imperfectũ, producere nequeat; antecedens patet, ſi enim ab ente finito in infinitum demi poſſet, abſq. illius finitione, ergo infinitum, non finitum eſſet.

Prob. 2. Nulla ex aſſignatis implicantiis pro alia cõcluſione hic militat, ergo l. Deus non poſſit facere creaturam ita perfectam, vltra quam perfectiorem nequeat producere, tamẽ poteſt facere ita imperfectam, vt imperfectiorem non poſſit producere; antecedens prob. non enim militat prima, ex eo quia nõ eſt acceſſus, ſed receſſus ab infinito: non ſecunda, quia licèt non poſſit dari numerus, cui alius ſemper in infinitum non ſit addibilis, attamen datur primus, ſ. vnitas, ante quam, nullus alius excogitari poteſt, ergo, &c.

Ob. tamen primò. Non ſunt alligandæ manus diuinæ omnipotentiæ, ita quòd quacũmq. creatura imperfecta producta, imperfectiorem non poſſit producere, ergo &c. 8

Reſp. Non alligari manus diuinæ omnipotentiæ, ſicuti non alligantur ex eo, quod dicatur non poſſe producere Chimeram, quæ implicat: quare cum & implicet ens finitum, in infinitum diminui, ideo producta à Deo creatura, cum vltima diminutione, & conſtituta, vt ita dicam, immediatè propiè non ens, aliam imperfectiorem, ex defectu ipſiuſmet creaturæ, nequit producere.

Ob. 2. Inter ens, & nihil, eſt infinita diſtantia, ergo producta quacumq. creatura imperfectiſſima, ſempe diſtabit infinitè à nihilo, ergo ſemper alia imperfectior poterit à Deo produci.

Reſ. negando antecedens, vt diximus in primo libro, quare corruit conſequentia, atq. adeo producta creatura imperfectiſſima, ſi Deus illam vellet minuere, & imperfectiorem facere, non poſſet facere, niſi illam annihilando, cum ratione ſuæ vltimæ finitatis, non poſſit pati aliam diminutionem, ſicut in numeris ante vnitatem, niſi negatio vnitatis, & non eſſe vnitatis, excogitari poteſt.

Et hæc ſufficiant de Infinito, ne in infinitas difficultates dilabamur, de Infinito enim vt ait Arriaga, quò plus mouetur, minùs percipitur, & homo magis confunditur.



DISPVTA.

DISPVTATIO VNICA.

In Quartum librum Physicorum Aristotelis, de Loco, & Vacuo.

AGit Aristoteles in hoc libro de termino ipsius motus, hoc est de Loco; cum enim motus fiat ferè semper in loco, ideò postquam pertractauit quę ad motum spectant, de Loco disputationem pertexit, cuius occasione etiam de Vacuo quædam inquirit; quare Philosophum, & nos sequuturi, in hoc libro de Loco, & Vacuo disput. texemus. Quare sit,

SECTIO PRIMA.

Quid sit Locus

SVpp. primò. Locum communiter diuidi in intrinsecum, & extrinsecum; Locus extrinsecus, qui & propriè dicitur locus, est id, in quo aliquod corpus locatur; locus verò intrinsecus, est ipsamet Locatio, quæ *Vbi intrinsecum* etiam vocatur, ad differētiam *Vbi extrinseci*; hic ergo primò definiemus extrinsecum, postea de alio erit sermo.

Supponendum 1. Absq. fictione Intellectus dari à parte rei Spatium, quod duplex est, aliud reale, aliud verò imaginarium; spatium reale est quodcumq. corpus reale extensum in sua magnitudine, & cum sua distantia ab vno ad aliud extremum, quale est v. g. tota regio Aeris, Aer enim extensus per suam regionem, dicitur esse tantum spatium; spatium verò imaginarium est illud, in quo intelligimus esse corpora realia, quale est spatium in quo est mundus, & in quo etiam extra mundum alios mundos in infinitum posse à Deo creari concipimus, in quo etiam intelligimus varia corpora in mundo sibi inuicem succedere, & in quo, si non esset corpus, adesse ibi vacuum argueretur; hocq. verè spatium appellatur, primum enim est potiùs id, quod est in spatio, non spatium. Quòd autem detur à parte rei hoc spatium, quod imaginarium vocatur ad distinctionem spatii realis, licet negetur ab aliquibus, patet ex eo quia potest Deus creare alium mundum in alio spatio ac est mundus iam creatus, ergo datur tale spatium, & in illo mundus de facto creatus potuisset creari, tum quia, si Deus auferret corpus, & aerem ab aliqua aula, verè in ipsa esset spatium inter vnum, & alium parietem, tum deniq. quia corpori quod de facto hic est, aliud corpus succedit, ergo quia ibi est spatium.

Supponendum 3. Quod tale spatium imaginatium non est quid reale positiuum, sed solum quædam capedo, vacuitas, & inanitas, cui de facto correspondet quidquid est in loco, estq. non repugnantia ad recipiendum locabile; differt autem ab aliis negationibus, quia in aliis nequit contineri vel locari quidquam, at in spatio non repugnat, vt de facto mundus est in spatio: licet autem corpus in spatio existens, non sit in aliquo reali, sed in nihilo reali, dicitur tamen realiter in hac inanitate existere, quia suo modo est apta res locabiles continere, nam res non debent esse in spatio subiectiuè,

quasi quod spatium sit illarum subiectum, sed solummodo coexistendo tali spatio, & hoc pacto quando res dicitur alicubi esse, intelligitur in aliquo spatio, quando nullibi, in nullo spatio.

2 Supp. 4. Definitum fuisse locum ab Aristotele quartò physic. textu 41. esse *Continentis terminum immobilem, primum*, seu clariùs vt à recentioribus esse *superficiem corporis continentis, immobilem*, talis autem definitio ita explicatur; dicitur *superficies* scilicet illa vltima pars, seu terminus vnius corporis, quòd ambit corpus locatum, vt v. g. vltima pars aeris, quæ circumquaque ambit Petrum locatum, dicitur *corporis*, quia superficies non est sumenda mathematicè prout est abstracta à corpore, sed prout est cum corpore, scilicet pro vltima parte corporis à quo est circumdatum corpus locatum; dicitur *continentis* quia locus siue hæc superficies corporis debet vndequaque ambire locatum, non est tamen necesse, quòd sit superficies eiusdem corporis, sumitur enim ly *corporis* genericè, scilicet pro hoc, vel illo corpore, quare si quis esset partim in aqua, & partim extra aquam, licet à superficie corporis aquei partim circumdaretur, & partim à superficie corporis aerei, in vno solo tamen diceretur esse loco; dicitur tandem *immobilis* scilicet superficies immobilis, sumendo immobilitatem secundùm communiorem explicationem, quam refert Tellez in physica disp. 32. sec. prima, num. 12. per respectum ad partes Mundi fixas, scilicet ad centrum terræ, & ad polos mundi, vel veros, vel imaginarios, nam. l. superficies ābiens moueatur ipsi sa vēto vt superficies alicuius turris, ipsa tamen turris non dicitur mutare locum, quia perseuerat cum eadem distantia ad partes mundi fixas; sicuti è contra dicitur quis mutare locum, licet superficies ambiens non moueatur, vt v. g. dum quis inclusus in cubiculo nauis, dum nauis mouetur habet diuersam distantiam à polis mundi, & per consequens mutat locum, licet immobilis in cubiculo ab eadem superficie aeris circumdetur; Quare locum semper manere immobilem dicendum est, eo quòd pro superficie, quæ locum constituit, non intelligitur superficies talis, vel talis corporis, sed superficies quatenus est distans à polis, vel à centro. Hic ergo uidendum est, an talis definitio cōpetat cuicumque loco.

3 Prima Conclusio. Locus vniuersalissimè acceptus, non est superficies corporis ambientis, immobilis, sed est spatium, siue imaginarium, siue reale occupatum à re, quæ est in loco. Ita multi philosophi antiqui, quos refert Auersa quæst. 27. de Loco sec. prima, quos etiam ipse aliquo pacto sequitur quoad secundam partem; est tamen contra Aristotelem, & communiter omnes.

Prob. prima pars. Entia spiritualia verè sunt in loco, sed non sunt in loco quatenus circumdata à superficie corporis, &c. ergo locus vniuersalissimè sumptus non est superficies corporis, &c. ma. est certa; min. prob. nam entia spiritualia vt Angeli, & Anima sunt in eodem spatio, ac est corpus, ergo ab ipso non circumdantur.

Neq. valet, illud corpus in quo sunt, esse circumdatum ab alio corpore constituente illum locum & ideo etiam respectu ipsorum, locum esse superficiem corporis &c.

Resp. enim, talem locum esse respectu corporis locati, non respectu entis spiritualis locati, nam licet ens spirituale sit in eodem loco, ac est corpus, tamen non circumdatur à loco vt corpus, cum ens spirituale sit totum in toto, & totum in qualibet parte loci.

Prob. 2. Deus in spatiis imaginariis potest ponere tanquam in loco Angelum, & etiam corpus, ita vt possit dici, hic est Angelus, hic est corpus, sed in spatijs imaginarijs non est superficies corporis, &c. ergo locus non est superficies, min. est certa, mai. prob. Deus de facto creauit mundum in spatijs imaginariis, ergo & alium poterit creare, & etiam Angelum, sed talis Angelus talis mundus non esset nullibi, ergo alicubi, ergo in aliquo loco, ergo locus vniuersalissimè sumptus, non est superficies corporis, &c.

Prob. 3. Deus potest destruere totum Aerem aulæ, in qua est Petrus, non destructo Petro: in tali casu Petrus esset in loco, & tamen non circumdaretur à superficie corporis, &c. ergo locus vniuersalissimè sumptus non est superficies; mai. est certa, min. prob. quia tunc Petrus non esset nullibi, ergo alicubi, ergo in aliquo loco.

Neq. valet dicere, tunc Petrum futurum in aliquo loco, quia licet non esset circumdatus à superficie corporis &c. realiter, esset tamen circumdatus aptitudinaliter, quatenus .s. circa ipsum apta esset poni talis superficies, & per talem superficiem aptitudinalem diceretur esse tantum distans à partibus mundi fixis, centro scilicet, & polis.

Resp. enim, argumentum solùm probare tunc Petrum futurum in loco aptitudinaliter, non tamen realiter, hoc tamen est falsum, cum enim Petrus esset de facto in illa aula, etiam de facto esset in loco, quòd enim sit aptus, & possit circumdari à superficie corporis ambientis, non tollit quin tunc sit realiter in loco, sed facit solùm, quòd possit esse in loco reali, quod nos non negamus, concedimus enim, tunc Petrum non futurum in loco reali, sed in spatio imaginario, & tamen dicimus in tali spatio realiter esse scilicet secundùm suam realitatem coexistere tali spatio, & inanitati.

Neq. dicas secundò, existens reale non posse coexistere alicui negationi. 4

Resp. enim, hoc esse falsum, coexistentia enim non importat similitudinem identicam coexistentium, quare sicuti actus intellectus realis potest coexistere enti rationis, ita corpus reale potest coexistere spatio inani, & imaginatio, cum tale corpus coexistere spatio nihil aliud sit, nisi coexistere cuidam negationi, quæ est capax, negatiuè tamen, ad recipiendum corpus.

Prob. quartò. Corpus in vacuo, si daretur, posset moueri, sed per motum acquireret nouum

locum, & non etiam superficiem, ergo in vacuo esset in loco, & non in superficie, ergo locus non est superficies: ma. prob. cum enim corpus non extenderetur toti vacuo, & non esset medium impediens, non est assignabilis ratio, cur de vno extremo ad aliud extremum non posset moueri saltem ab Agente extrinseco, min. prob. quia ibi non esset superficies nisi aptitudinalis, quæ non est sufficiens, vt iam probatum est, ad faciendum, quòd corpus non sit realiter locatum, ergo &c.

Prob. secunda pars. Tum ex impugnatione contrariæ sententiæ, tum quia quodcumq. corpus de facto est in spatio inani, & vacuo, ergo spatium est locus vniuersalissimè sumptus; antecedēs est certum, vnum enim corpus non est penetratum cum alio, ergo vbi est vnum corpus, aliud nō est, ergo solummodo spatium: consequentia prob. quia locus est id, in quo est locatum; quòd autem corpus existens in hoc spatio sit circumdatum ab alio corpore, vt de facto semper est in mundo, vel non sit circumdatum, vt est totus mundus, & esset aliud corpus positum à Deo in spatiis imaginariis extra mundum, non facit quòd tale corpus sit vel non sit locatum, cum realiter abīq. tali corpore dicatur locatum, sed solùm facit, quòd sit locatum in aliquo reali, quòd & nos postea concedemus.

5 Aduertendum primò. Dixisse in conclusione, quòd locus est spatium, siue imaginatium, siue reale, pro ly *reale* intelligendo solùm de loco entium spiritualium, cum enim sint in loco simul cum alio corpore, ideò eorum locus potest esse spatium reale.

Aduertendum 2. Entia spiritualia diuersimodè esse in loco, ac corpora, corpora enim sunt in loco circumscriptiuè, & definitiuè, quia scilicet loco circumscribuntur, & certo loco definiuntur, ita vt qualibet pars locati correspondeat partibus loci, & totus locus toti locato; entia verò spiritualia sunt in loco definitiuè, & incircumscriptè, quatenus scilicet habent certum definitum locum, à quo tamen non circumscribuntur, cum tota sint in toto loco, & tota in singulis partibus loci; qualis modus essendi in loco, licet sit admodum difficilis ad intelligendum, cum ad illum declarandum nullum exemplum materiale clarum sit in rebus materialibus, attamen cum res spirituales sint indiuisibiles, id de illis dicendum est, ex eo enim quòd loco extendantur, & sint indiuisibiles, debent extendi loco tali modo, vt suum esse indiuisibile non deperdant, & ita sint totæ in toto, & totę in qualibet parte loci; hic autem modus essendi in loco aliquo grossiori exemplo patet in voce, quæ tota quanta est, in auribus audientium reperitur, & tamen tota est in singulis auribus, patet etiam in aliqua imagine, quæ, licet sit in multis speculis, est etiam tota in ipsis singulis; sic ergo etiam res spirituales totæ sūt in singulis partibus loci, & totæ in toto. Deus verò nec circumscriptiuè, nec definitiuè est in loco, sed indefinitè, quia est vbiq.

Ob. Locus ita explicatus non est quid reale, sed locus debet esse quid reale, ergo locus non est spatium, sed superficies corporis, &c.

Resp. neg. min. sufficit enim quòd locus sit quædam vacuitas, & inanitas, cui possint correspondere quæcumq. sunt locabilia, seu quædam capedo dicens non repugnātiam ad capienda corpora, & alia locabilia, quæ quidem nihil est reale, sed mera negatio, diuersa tamen ab aliis negationibus, quia in his repugnat contineri, vel locari quidquam, at in spatio non est talis repugnantia, immò de facto in tali spatio est mundus; quare quando diximus locum vniuersalissimè sumptum esse spatium, non intelleximus de loco reali, sed solùm de loco, quatenus in ipso aliquid existere possit, sit realis, vel negatiuus, & etiam de loco quatenus in ipso est quodcumq. locabile, tàm spirituale, quàm corporeum. Et ideo sit.

Secunda Conclusio. Locus realis corporis naturalis, benè definitus fuit ab Aristotele quòd sit *superficies corporis continentis, immobilis*. Ita communiter omnes, nec secundùm talem explicationē indiget probatione.

Aduertendum solùm. Locum realem non esse superficiem quatenus extenditur, aut est corpus, sed quatenus extrinsecè continet, & in se includit rē locatam. 6

Item aduertendum secundò. Locum realem non esse internallum, seu spatium, & dimensionem inter latera continentis, hoc enim pacto, vt iam dictum est, est aliquid negatiuum, sed esse superficiem realem continentem ipsum corpus, quatenus per ipsam corpus realiter dicitur distans à polis, & à centro mundi.

Col. primò. Vltimam sphæram non posse dici esse in loco reali secundùm se totam, benè verò secundùm sui partes; non secundùm se totam, quia circum non habet corpus à quo circumdetur, benè verò secundùm sui partes, quia cum vna pars à partibus circumābientibus aliquo pacto circumdetur, & habeat diuersam distantiam à polis, ac alia pars, quæ sit propinquior, ideo respectu partium, à quibus vna pars circumdatur, potest dici esse aliquo pacto in loco reali, & hoc pacto dicitur moueri de loco ad locum, quia scilicet acquirit successiuè diuersam distantiam à polis respectu aliarum partium, intra quarum superficiem cōtinetur.

Coll. 2. Omne existens, siue sit substantia spiritualis, siue corporea, siue etiam accidens, miraculosè à Deo substentatum sine substantia, vt accidentia Eucharistica, non posse absolui ab omni loco, ita vt nullibi sit, non esse tamen necesse, quòd sit semper in loco reali: ratio autem est, quia sicuti non potest intelligi aliquod existens, & non cōexistens tempori, vel reali, vel imaginatio, ita neq. potest existere, & non coexistere aut spatio, aut loco reali, cum enim sit productum extra causam, imperceptibile est, nullibi esse, quòd tamen aliqui imprudenter concedunt; non est autem necesse quòd sit semper in loco reali, quia si Deus auferret aerem ambietem aliquod corpus, tunc illud corpus verè diceretur esse in loco, licet non reali.

7 Coll. 3. Locum realem reduci ad prædicamentum Quantitatis, cum enim sit superficies corporis, & talis sit quantitas, ideò locus realiter sumptus reducitur ad prædicamentum quantitatis.

Coll. 4. Proprietates, seu attributa loci realisquiq. communiter assignati, prima est, quòd locus contineat locatum, ita tamen vt non sit aliquid illius intrinsecum, quare neq. superficies propria alicuius corporis erit illius locus, neq. etiam tegumentum intrinsecum, vt pellis in animali, cortex in arbore, neq. etiam vestimentum, quo quis operitur, si quidem reputatur tamquam aliquid ipsius, reduciturq. ad prædicamentum habitus, quare solùm corpus ambiens extrinsecè locatum cum omnibus illius adiacentibus, & vestibus, dicetur locus; secunda est, quòd locus sit æqualis locato, si enim vndequaq. illud debet ambire, illi debet esse æqualis; tertia est, quòd locus sit separabilis à quocumq. locato, distributiuè tamen, non collectiuè, quòd scilicet in tali loco, modò possit esse vnum corpus, modò aliud; quarta, quòd sit terminus motus localis extrinsecus tamen, ad locum enim fit motus localis; quinta deniq. quòd sit immobilis, quæ immobilitas intelligenda est, vt supra explicauimus.

Coll. ultimò. Locum realem posse dici esse in alio loco, non formaliter respectu sui, sed respectu corporis cuius est superficies, quare idem respectu diuersorum potest esse, & locus, & locatum, aer enim v.g. secundùm superficiem qua circumdat terram, dicitur locus terræ, secundùm verò cæteras sui partes vt potè contentas, vel ab igne, vel à cœlo, dicitur locatum, & ideò secundùm hanc rationem omnia quæ sunt in mundo sunt in aliquo loco reali; ipse verò mundus est in loco imaginario, seu spatio, ipsum verò spatium non est in alio spatio, quia cum non sit quid reale, sed solùm negatiuum, non est quædam res, quæ in alio necessariò debeat esse.

SECTIO II.

Quid sit Vbicatio, seu Vbi intrinsecum.

CErtum est, præter locum extrinsecum, & corpus locabile nos concipere aliquid quando tale corpus locatur, hoc autem dicitur Vbicatio, seu locatio corporis in Vbi extrinseco; ipsa verò Vbicatio, Vbi intrinsecum appellatur. Quid autem sit hoc Vbi intrinsecum, seu Vbicatio, in præsenti inquirimus. Sit ergo.

8 Vnica Conclusio. Vbicatio, seu Vbi intrinsecũ est quidam modus, qui iuxta alios modos non distinguitur à re cuius est modus. Quoad primam partem est communis contra Arriagam; quoad secundam, est cum Auct. citatis cum de modo.

Prob. prima pars. Ille est modus, qui non potest esse nec concipi sine re cuius est modus, sed huiusmodi est Vbicatio, & Vbi intrinsecum, ergo &c. min. prob. quæ enim locatio erit, si nihil locatum erit? quæ locatio concipietur, si nihil locatum concipietur?

Prob. secunda pars. Tùm rationibus allatis cũ de modo in Logica cum de prædicamentis, tùm peculiari ratione huius loci. Posita aliqua entitate in aliquo loco, absq. eo quòd ne dum producatur, sed nec concipiatur noua entitas distincta producta, intelligitur talis entitas in tali loco locata, & Vbicata, ergo Vbicatio, seu Vbi intrinsecum non est aliqua entitas superaddita; consequentia patet; antecedens probatur, absq. enim tali entitate superaddita, concipitur coexistentia talis entitatis tali loco, at huiusmodi est vera locatio, ergo &c.

Argumentis, quæ contra secundam partem fieri possunt, facile erit respondere, considerando quæ diximus cum de Modo in communi.

Coll. primò. Hoc Vbi intrinsecum constituere prædicamentum Vbi, quod postea reducitur ad prædicamentum Modi.

Coll. 2. Hoc Vbi non prout est simpliciter Vbi, sed prout est tale Vbi constituere etiam prædicamentum Situs, hoc enim prædicamentum nihil aliud est, quàm præsentia in loco secundùm certam dispositionem partium corporis locati, & ita homo dicitur stare in diuerso situ, si stet genuflexus, ac si rectus, vel sedens.

SECTIO III.

Vtrum duo corpora possint esse in eodem loco.

SVpp. est. Nedum duo, sed plura entia spiritualia posse esse in eodem loco, cum enim nõ circumscribantur loco, nec illi extendantur, vt faciunt corpora, ideo in eodem loco poterunt plura locari, & eadem ratione poterunt etiam locari in loco, in quo sit locatum corpus aliquod; quare solùm quæstio est de corporibus in ordine ad quemcumq. locum, siue realem, siue imaginatiuum. 9

Prima Conclusio. Duo corpora naturaliter non possunt esse in eodem loco, Ita communiter contra aliquos relatos à Mastrio disp. 11. physicæ quæ. 7. num. 101. & ab Auersa loco supracita. quæ. 5.

Prob primò. Experientia, ex qua hoc clarè patet. Item ratione. Non possunt duo corpora trinæ dimensionis esse in eodem loco, nisi penetrentur, sed penetratio corporũ est naturaliter ĩpossibilis, ergo, & existẽtia duorum corporum ĩ eodem loco, min. prob. quantitas enim, ex qua constant corpora quantitatiua, habet, vt eius partes extendantur vna extra aliam, ergo non possunt naturaliter simul existere, & penetrari, ergo tantò minus poterunt naturaliter penetrari cum partibus alterius corporis, ergo &c.

Ob. primò. Ignis existit penetratus in ferro, item lumen penetratur cum corpore lucido; item panis, vel pannus imbuitur aqua, quæ simul cum illis pe-

lis pe-

lis penetratur; item alii liquores penetrantur cum multis corporibus, ergo datur naturalis penetratio, & sic duo corpora in eodem loco.

Resp. neg. talem penetrationem, l. enim talia corpora videantur oculis cum aliis penetrari, reuera tamen cum ipsis non penetrantur, benè verò in illorum poris, a quibus excluditur aer, & sic est in ferro, pane, panno, & huiusmodi; lumen verò penetratur cum corpore luminoso, at ipsum non est corpus, sed qualitas, de qua non est quæstio.

Ob. 2. Possunt plures partes eiusdem corporis penetrari, vt fit in condensatione, ergo & simul plura corpora; item in augmentatione, & nutritione, alimentum distribuitur, & penetratur per omnes partes corporis, per quas iam simul discurrunt spiritus vitales, ergo potest dari penetratio corporum.

Resp. neg. antecedens. In condensatione enim non penetrantur partes quantitatiuæ, vt suo loco; alimentum autem distribuitur per partes vitales, & spiritus vitales excurrunt per poros, qui frequentissimi sunt in corpore animato, quare nullo pacto datur penetratio corporum naturaliter.

Secunda Conclusio. Supernaturaliter possunt plura corpora esse in eodem loco. Est communis vt apud Mastrium, Auersam in locis supracit. & alios, & contraria sententia, quam sequitur Durandus in 4 dist. 44. quæst. 6. VVendelinus, Kiperus, & alij pauci, communiter existimatur parum tuta in fide.

Prob. 1. experientiis. De facto Christus egressus est de vtero Virginis illæsa illius virginitate; postquam resurrexit clauso sepulcro, egressus est ab illo; ad discipulos ianuis clausis intrauit; item corpora Beatorum cum aliis corporibus poterunt penetrari, ergo supernaturaliter potest dari penetratio corporum, & sic plura esse in eodem loco.

Prob. 2. Impenetrabilitas actualis, est quoddam accidens quantitatis, sed omne accidens potest à Deo impediri, ne actualiter præbeat suum effectum, ergo Deus potest auferre actualem impenetrabilitatem, seu impedire effectum talis accidentis, & ita facere, quòd duo corpora simul penetrentur, & in eodem sint loco, mai. clara est, nam dato, quòd essentia quantitatis esset impenetrabilitas, non importaret actu esse impenetratam, sed ex natura sua esse impenetrabilem; min. prob. nam Deus potest impedire actionem cuiuscumq. Agentis, ergo, &c.

Prob. 3. Quòd vnum corpus ab alio expellatur, ne sint ambo in eodem loco, vel prouenit à quantitate in genere causæ efficientis, vel in genere causæ formalis; si primum, ergo talis expulsio poterit à Deo impediri, cum enim ad omnem effectum causæ efficientis sit necessarius concursus Dei, saltem per subtractionem sui concursus, talis effectus poterit impediri; Si secundum, itidem à Deo poterit impediri, cum enim talis expulsio esset effectus formalis, non primarius qui est occupare locū, sed secundarius, & quilibet effectus secundarius possit à Deo impediri, ideo & talis expulsio potest a Deo impediri, ratione cuius ablationis impedimenti possent simul penetrari, & simul stare in eodem loco.

Obiic. Impenetrabilitas est proprietas quantitatis in quarto modo, sed huiusmodi proprietates non possunt à Deo tolli, ergo &c. 10

Res. disting ma. Impenetrabilitas, &c. aptitudinalis, & conc. actualis, & nego; quare Deus potest auferre actum talis impenetrabilitatis, sicuti potest impedire actum ridendi, non destructa risibilitate, ergo hoc pacto duo corpora possent locari in eodem loco.

Quæres. Vtrum si duo corpora essent penetrata, posset vnum moueri sine alio.

Resp. Negatiuè naturaliter, benè verò per nouum concursum diuinum. Ita sustinent Ouiedo hic punct. 11, Spin. dis. 10. in Phy. quæst. 7. Vasquez, & alii. Ratio autem est, quia quando duo corpora penetrarentur, vna pars vnius corporis, non penetraretur cum omnibus partibus alterius corporis, sed cum vna sola parte, quare ad hoc, vt moueretur sine alio, vna pars, v. g. A, quæ est penetrata cum alia parte alterius corporis B, deberet transeundo per partem C, cum illa penetrari, hoc autem sine nouo concursu Dei non potest fieri, ergo naturaliter non posset vnum moueri sine alio; Beati tamen possunt per quemcumq. locum excurrere penetrando corpora, quia habent dotem subtilitatis ad penetranda nedum aliqua, sed omnia, & quæcumque corpora.

Neq. dicas ex Serbell. contrariam sētentiam sustinente dis. 5. in Phy. quæst. 1. art. 6. 9. 107. Per penetrationem, non essent ita alligata corpora inter se, vt ab actu secundo suæ virtutis impedirentur, ergo naturaliter vnum moueri posset sine alio; per hoc enim, quòd ab illis ablata esset impenetrabilitas actualis, non repugnaret, quòd partes, quæ priùs non erant penetratæ cum aliquibus partibus, cum illis penetrarentur, vtpote quia etiam ipsæ spoliatæ essent impenetrabilitate actuali. Resp. enim, quòd non ex alligatione propriæ virtutis impediretur, ne quodlibet ex his corporibus, alio immoto, moueretur, sed ex eo quòd nequiret vna pars naturaliter penetrari cum alia; nam .l. verum sit, sublatam fore impenetrabilitatem ab omnibus partibus, tamen non sublata esset ab omnibus partibus, respectu cuiuscunque partis, sed solum respectu illarum, cum quibus essent penetratæ, alioquin hoc pacto sequeretur, quod quodlibet ex his corporibus, nedum posset moueri, sed & naturaliter penetrari cum quocumq. alio corpore, sicut faciunt Spiritus, & Corpora Beatorum.

Quæres 2. Quomodo agerent illa corpora penetrata, & an viderentur. 11

Res. Actura eodem modo, ac si non essent penetrata, nisi tamen inter se essent contraria, tunc enim vnum impediret operationem alterius, atq. adeò agerent remissè. Viderentur autem talia corpora confusè, quia vnius species confunderentur cum alterius speciebus, sicuti videmus species confundi alicuius existentis in aqua cum speciebus eiusdem aquæ.

SECTIO IV.

An vnum corpus possit esse circumscriptiuè in pluribus locis.

12 SVpp. 1. Naturaliter idem corpus non posse esse in duplici loco adæquato, vt conceditur ab omnibus, & hoc propter limitationem suæ quãtitatis, quæ vnum solum potest occupare; potest tamen esse in pluribus inadæquatis, qui integrent vnum adæquatum, quare solùm quæstio procedit, an hoc possit fieri per diuinam omnipotentiam.

Supp. 2. Idem corpus supernaturaliter posse esse in vno loco circumscriptiuè, & in aliis definitiuè, hocq. etiam conceditur ab omnibus Catholicis, ex eo quia Corpus Christi existens circumscriptiuè in Cœlo, definitiuè, seu Sacramentaliter, est etiam in omnibus hostiis consecratis in singulisque illarum partibus, vt contra Hæreticos definitum fuit in Concilio Tridentino sess. 13. can. 1. quare solùm quærendum est, an etiam circumscriptiuè per diuinam omnipotentiam, possit idem corpus in pluribus reperiri locis eodem tempore. His suppositis. Sit.

Prima Concl. Idem corpus per diuinam omnipotentiam potest esse simul, & eodem tempore in pluribus locis circumscriptiuè. Ita Scotistæ, contra Thomistas, vt apud Mastrium disp. 11. phy. quæst. 8. Conimbricenses 4. Phy. cap. 5. art. 2, Morandus in 4. Physic. Tract. 1. quæst. 3. Guarinus dis. 10. in Phy. exp. 6. Tellez. 2. par. in Phi. dis. 32. tract. 4. Auersa quæst. 27. de loco sect. 6. Serbell. dis. 5. quæst. 1. de Loco art. 4. Spinula disp. 10. sect. 5. Rubius, Hurtadus, Ouiedo, Arriaga, & ferè recentiores omnes.

Prob. 1. Potest idem corpus supernaturaliter esse in pluribus locis definitiuè, ergo etiam circumscriptiuè, cons. prob. magis enim est præter naturam corporis existere ad modum rerum spiritualium, quàm replicatum, secundùm propriam naturam, ergo si Deus de facto facit, quòd idem corpus existat ad modum rerum spiritualium definitiuè in pluribus locis, poterit etiam facere, quòd circumscriptiuè.

Prob. 2. Christus sub Hostia consecrata existens potest se præbere visibilem circumstantibus, sed in tali casu deberet esse localiter, & circumscriptiuè extensus, ergo in tali casu, & in cœlo, & vbi talis esset Hostia, circumscriptiuè existeret, ergo &c.

Prob. 3. Exemplis aliquorum Sanctorum, & etiam eiusdem met Christi, qui non per visionem, sed realiter in pluribus locis extensiuè, visi & operati sunt, ergo &c.

Ob. 1. Si idem corpus posset esse circumscriptiuè in pluribus locis, sequeretur, quòd idem esset diuisum à se ipso, sed idem non potest esse diuisum à se ipso, cum de ratione indiuidui sit esse indiuisum in se, ergo non potest &c. mai. prob. quia corpus, v.g. quod esset Veronæ, esset diuisum ab eodem existente Venetijs.

Res. Hoc argumentum posse etiam militare in diuersis præsentijs definitiuis, ratione quarum idem existens definitiuè in vno loco, diceretur diuisum à se ipso existente in alio loco definitiuè, & tamen de hoc non est controuersia, cum sit de fide, quare dist. ma. idem corpus esset diuisum à se ipso entitatiuè, & nego, localiter, & con. hoc autem nullam dicit implicantiam, supernaturaliter loquendo, cum indiuisio se debeat necessariò solùm tenere respectu entitatis, quę vna semper esset, quare sicuti corpus ita est diuisum ab aliis, vt non possit fieri unum entitatiuè cum illis, & tamen cum illis potest existere penetratum in eodem loco, ita & pariter poterit idem corpus existere in pluribus locis.

Ob. 2. Existentia circumscriptiua in loco consistit in eo, quòd corpus ita sit in loco, vt non sit extra illum, sed si posset esse circumscriptiuè in pluribus locis, esset extra illos, & non esset, quod importat contradictionem, ergo non potest, &c. mi. prob. non esset extra, quia de ratione præsentiæ circumscriptiuæ est, quòd non sit extra, esset verò extra, quia esset in alio loco, ergo esset, & non esset extra. 13

Resp. negando maiorem. Nedum enim præsentia circumscriptiua, sed etiam definitiua exigit, quòd res existens in loco, non sit extra, hoc enim est esse in loco quocumq. modo sumatur, quod sc. res correspondeat, vel definiatur tali loco, quòd idem est ac non esse extra illum locum, quare neq. etiam supernaturaliter, per eãdẽ præsentiam, qua est in vno loco, potest esse extra illum, benè verò per aliam, & ideò si argumentum non est contra diuersam præsentiam definitiuam, neque militat contra diuersam circumscriptiuam.

Ob. 3. Si corpus posset simul esse in pluribus locis, ergo & in omnibus, ergo esset immẽsum sicuti est Deus, quòd repugnat.

Resp. neg. sequel. Quia Deus est immensus per essentiam, tale autem corpus esset solum per participationem, & tales præsentiæ ab eo possent auferri ab ipsomet Deo, quòd non repugnat.

Ob. 4. Sequeretur quòd illud corpus replicatum in duplici loco, posset hic amare, v.g. Petrum, Romæ verò odio habere, sed hoc implicat, ergo &c. sequela prob. quia cum esset replicatum posset, secundùm vnam præsentiam, odio habere, secundùm aliam, amare.

Resp. neg. sequelam, ad probationem dico, tale corpus non fore replicatum in se, quasi quod esset vna, & alia substantia, sed respectu loci, vnde posset ea omnia contradictoria recipere, quæ se tenerent ex parte loci, non verò ea quæ se tenerent ex parte substantiæ; quare sc. tale corpus per suam uirtutem correspondere duplici loco, cum tamen esset unum, & idem respectu substãtiæ, non posset recipere contradictoria, quæ respectu substantiæ uerificarentur. Vnde sicut Anima licet sit tota replicata in corpore, quia tamen eadem est in substantia, ideo non potest odio habere in pede, & amare aliquem in capite, quia amare, & odio habere

bere verificarentur respectu Animæ, non respectu suæ virtualis replicationis, potest autem sentire in neruis, & non in ossibus, quia cum sentire sit quoddam accidens, quod spectat ad Animam ratione corporis, secundùm diuersas partes in quibus replicatur, potest hæc contradictoria subire; ita pari modo dicendum est respectu corporis locati in duplici loco, quòd .s. corpus in duplici loco locatum, possit habere ea omnia contradictoria, quæ illi conueniunt ratione loci, non verò ea quæ illi conueniunt ratione substantiæ, cum illud corpus esset replicatum ratione loci, non ratione sui; sicuti enim si vna imago esset replicata in pluribus speculis, si vna moueretur per motum speculi, ceteræ remanerent immotę, quia cum hunc motum haberet ratione speculi, non ratione sui, & talis motus illi conueniret ratione loci, posset secundùm vnam præsentiam moueri, non secundùm alias, quòd sic non eueniret, si imago vnius speculi moueret brachium, in tali enim casu omnes mouerent brachium, quia talis motus illis conueniret ratione sui, ita ergo dicendum est de corpore in duplici loco existente, quod haberet in omni loco accidentia, & affectiones illi conuenientes ratione sui, non ratione loci, quare.

Coll. Quòd si idem corpus esset in duplici loco,
14 si in vno moreretur, etiam in alio deberet mori, si in vno vulnus acciperet, vulneratum etiam esset in alio, & ita dicendum de omnibus alijs accidentibus, quæ illi conuenirent respectu sui, non verò quæ respectu loci; quidquid dicat cum aliquibus recentioribus Serbell. loco suprac. art. 5.

Quæres. Quomodo Deus possit ponere idem corpus in duplici loco.

Res. Secundùm communiorem doctrinam, quòd Deus in tali casu replicaret præsentiam localem, seu Vbi ipsius corporis, quod per nos idem est, ac dicere, quòd Deus multiplicaret modos accidentales essendi in loco, quòd .l. difficile sit captu, cum hoc tamen habeamus de fide respectu diuersæ præsentiæ Sacramentalis, & eadem replicatio præsentiæ requiratur necessariò etiam quoad replicationẽ corporis in diuerso loco circumscriptiuè, ideo res tenenda est, & captiuandus intellectus in obsequiũ fidei; in tractatu etiam de Eucharistia, hoc diffusiùs agetur.

Coll. 1. Quòd quæ diximus de corporibus, multò magis possunt dici de substantijs spiritualibus, & Angelis, sed quia physica solùm agit de rebus corporeis, ideò in tractatu de Angelis, quæ ad ipsos pertinent, dilucidabuntur.

Coll. 2. Quòd quando diximus, idem corpus non posse naturaliter simul esse in duplici loco circumscriptiuè, intelleximus de locis adæquatis, non autem inadæquatis, cum enim secundum aliquos possit dari motus in instanti, & motus saltem supponat duos terminos, à quo .s. & ad quem, qui sunt loci inadæquati, vnum adæquatum constituentes, ideo in instanti mobile potest esse in termino à quo, & ad quem, hoc autem prouenit ratione motus, certum est enim, se mouens, maius spatium occupare, quàm quiescens.

SECTIO VLTIMA.

De Vacuo.

15 Occasione loci, agit hic Aristoteles etiam de Vacuo. Vacuum igitur definitur hic ab eodem Philosopho textu 57. quòd sit sic *locus corpore non repletus, aptus tamen repleri*, qua definitione Vacui excluduntur spatia imaginaria, si quidem in illis naturaliter non est possibile corpus, quare Vacuum propriè diceretur, si ab aliquo gymnasio omne corpus auferretur etiam aer, & loco illius, nullum aliud subintraret, & de hoc in præsenti est quæstio.

Vacuum autem in rerum natura, .l. supernaturaliter dari possit, naturaliter tamen, nec dari de facto, nec de potentia, ferè communiter ab omnibus, & & ab ipsa experientia docemur, quidquid dicant aliqui, præcipuè Serbellon. dis. 5 in Phy. quæst. 2. art. 1. Ideò enim contra naturalem inclinationem ascendit sursum aqua, attracto per fistulam aere, caro in cucurbitulis extincto igne eleuatur, folles obturato orificio aperiri nulla vi possunt, & alia huiusmodi eueniunt, quæ videre est diffusè apud Authores, & præcipuè Conimbr. c. 9. quæst. 1. ne detur vacuum; in fistula enim, si dum attrahitur aer inclusus, aqua statim non ascenderet, daretur vacuum, in cucurbitulis cum aer ibi inclusus ratione ignis rarefactus, extincto igne condenseretur, & per consequens minus spatium occupet, si caro non eleuaretur ad occupandum spatium relictum ab aere, daretur vacuum, & ita dicendum de follibus, quare cum hoc certum sit, & contrarium asserere sit contra totam Philosophiam, solùm quærendum est quænam sit huius ratio à priori, experientijs enim solum hoc deducitur à posteriori.

Neq. dicas, experientijs solùm probari naturam 16
abhorrere vacuum, atq. adeo totis viribus semper conari declinare à vacuo, non autem pro aliquo instanti saltem, .l. cum violentia naturæ, dari non posse, hoc enim posse dari, & ipsa experientia teste comprobatur; si enim v.g. ictu securis diuideretur in instãti durissim⁹ lapis bipalmaris in duas partes, vtraq. medietas lapidis in eodem instanti, & signo tota simul diuiditur, ita vt non vna prius, quàm alia, alioquin partes non diuiderentur, ergo in illo instanti, in quo illæ duæ partes diuelluntur, datur inter illas vacuum, saltem ad breue tempus; hæc conseq. prob. spatium enim, quod relinquitur inter illas duas partes, cum sit aliquo pacto extensum, non potest repleri in istanti ab aere, qui subintrare debet, successiuè enim, & per motum localem prius occupat vnã partẽ, & deinde aliam. Item repleatur vas entum aqua calidissima, rectèq. occludatur, ita vt neq. aer, neq. aliud corpus ingredi possit, illa aqua post breue tempus se reducet ad pristinam frigiditatem, atq. adeo minorem locum occupabit, quàm antea, quæ enim sunt calida, vtpotè rarefacta maiorem locum occupant, ergo ille locus, a quo recedet aqua

se

se condensando, remanebit vacuus, neque enim aliquod corpus propter densitatem vasis, ingredi potest.

Res. Neq. pro instanti posse dari vacuum, cum enim omnia corpora ex decreto Dei, vt infra, naturali quadam adhæræscentia sint inuicem quodammodo connexa, & colligata, ideo ad motum vnius corporis immediatè illi succedit aliud corpus, quod illi erat contiguum; quare ad exemplum allatum dico, vel in instanti indiuisibili non inuicem diuelli medietates marmoris incisi, vt cum multis affirmat Auersa, vel si in instanti, etiā in instāti ab aere vicino occupari spatium, quod resultat inter partes marmoris secti; Neq. valet, aerem occupare locum per motū localem successiuè, partem .s. post partem, non verò in instanti. Nam sicuti dicunt aduersarij, quamlibet medietatem marmoris secti in instanti, saltem per spatium palmare inuicem segregari, dico ego, quòd sicuti tales partes marmoris, nō acquirendo partem post partem spatij successiuè, sed omnes simul in instanti, per spatium palmare inuicem segregantur, sic eodem modo in instanti, aer vicinus occupat omnes partes spatij resultantis inter medietates secti marmoris, neq. enim est maior ratio de medietatibus marmoris secti, ac de aere. Quare nescio quomodo hac experientia, tātū terreatur Spinula, vt quasi illi cædendum esse asserat, & Serbellonus ita illi cedat, vt propterea, saltem ad breue tempus, dari vacuum, constanter deffendat. Ad secundam experientiam.

Res. Quòd .s. aqua calida inclusa in vase æneo, citò se reduceret ad naturalem frigiditatem, attamen non minorem occuparet locū, non enim in tali casu magis condensaretur, sed à natura ita rarefacta, vt prius erat, etiam reducta ad frigiditatem, conseruaretur ad impediendum vacuum, non enim raritas, & calor conuertuntur, ita quòd solùm calida sint rara, aer enim .s. summam raritatem habeat, attamen in multorum sententia de sua natura est frigidus. Hoc ergo supposito, quærendum est quænam sit causa à priori, cur non detur vacuum.

17 Prima Conclusio. Implicantia Vacui in rerum natura non prouenit ex intrinseco creaturarum, sed ab extrinseco, à Decreto .s. Dei. Hæc Conclusio est Auersæ quæst. 27. Phil. sec. 8. de Vacuo, Mastrij disp. 12. de Vacuo quæst. 2. & aliorum.

Prob. prima pars. Si Vacuum non posset dari in rerum natura ex intrinseca exigentia ipsiusmet naturę, vel esset quia impediretur influxus cœlorū, qui cum directus semper debeat esse, si daretur Vacuū, non esset directus, cum enim per ipsum nō posset transire, à lateribus ipsius in corpus ipsi immediatum deberet descendere; vel quia locus habet de suo intrinseco trahere ad se locatum; vel quia res exigunt ad propriam conseruationem esse vnitas non separatas, essent autem separatæ, si inter ipsas mediaret Vacuum; vel denique quia daretur penetratio corporum, cum enim Deus à principio tantam materiam condiderit, quæ mundum impleat, si daretur vacuum in vna parte, deberet corpus locari vbi esset aliud, sed ex his omnibus non potest deduci implicantia vacui, ergo talis implicantia non prouenit ex intrinseco creaturarum, min. prob. de singulis.

Et primò quidem, etiam si daretur vacuum non impediretur influxus cœlorum, nam non est certum quòd necessariò directè influāt, quare in tali casu influerent à lateribus vacui; deinde si per breue tempus aliquod corpus non reciperet influxus cœlorum, per hoc non subuerteretur ordo Vniuersi. 18

Neq. prouenit implicantia Vacui, quia locus trahat locatum, ex eo quia communiter locus non effectiuè, sed finaliter concurrit ad motum; Deinde si locus talem haberet uim, esset locus naturalis, nō violentus, at ad tollendum vacuum, etiam extra locum naturalem ascendit aqua, ergo, &c.

Neq. implicat vacuum, quia res propter suam conseruationem exigant esse vnitas, quia res magis conseruantur in proprio, & naturali loco, quàm in violento, at ad tollendum vacuum ad violentum ascendunt, ergo non propter propriam conseruationem; Deinde ad tollendum vacuum aliquando vniuntur rebus, à quibus destruuntur, ergo signum est, non illis vniri propter conseruationem propriam.

Non deniq. est implicantia Vacui, quia daretur penetratio corporum, nam datur rarefactio, & condensatio corporum, & tamen non datur penetratio, ergo etiāsi daretur Vacuum, absq. eo quòd corpora penetrarentur, possent condensari, quare clarè innotescit, ab intrinseco Creaturæ nullo pacto prouenire implicantiam Vacui.

Prouenit ergo (& sit probatio secundæ partis) ab extrinseco, & à decreto Dei, quia ob bonum totius Vniuersi, ita determinauit, cum enim maxima perfectio sit Vniuersi, quòd semper permaneat integrum, & per suas partes connexum, atque coniunctum, ex eo quia perfectior sit unitas, quàm pluralitas, ideò ad talem perfectionem Vniuersi decreuit Deus, ut nullum esset Vacuum in rerum natura, à quo esset distinctum, & separatum totum Vniuersum, & hæc est ratio à priori tutior, & probabilior.

Quæres 1. A quo moueantur corpora ad impediendum vacuum, & an talis motus sit violentus, an naturalis, quando v.g. aqua sursum ascendit in fistula ad impediendum vacuum. 19

Res. Quidquid dicant aliqui, vt videre est apud Mastrium disp. 12. quæst. 2. talia corpora moueri ab Agente, & motore mouente corpus, cuius loco succedunt, cū enim ex decreto Dei omnia corpora sint colligata, ideo agens quod mouet vnū corpus, mouet & corpus annexum, & ita qui attrahit, v.g. aerem à fistula, etiam eleuat efficienter aquam ad impediendum uacuum; talis autem motus si sumatur in ordine ad id, cuius est motus, potest dici uiolentus, ut ascensus aquæ, si uerò attendatur in ordine ad bonū totius Vniuersi, erit naturalis, cum respectu boni Vniuersi quodcumq. corpus habeat uirtutem motiuam ad quemcumq. locum, quando opus est replere uacuum.

Quæres 2. An si per Dei omnipotentiam daretur Vacuum, in eo posset fieri motus, & præcipuè localis, & si fieret, an esset successiuus, uel instantaneus.

Resp. primò. Motum omnem posse dari in Vacuo; ita fere communiter vt videre est apud Auersam quæ. 5. supracitata sec. 9. Mastrium disp. 12. quæ. 3. art. primo, Spinulam, Serbell., Morandum, Guarinum, & alios. De generatione, corruptione, alteratione, & augmentatione patet, cum enim tales motus non dependeat à loco reali, ideò in Vacuo possent dari, si enim ignis esset in Vacuo, & combustibile lignum proximum haberet, quis prohiberet ne combureret? motus etiam localis posset dari, quia si Angelus qui non pendet à pleno, esset in ipso, cur moueri non posset & secum trahere lapidem? cur non posset emittere sagittam? cum enim Vacuum non esset actiuum, neq. esset resistitiuum. Verum tamen est, quòd si corpus existens in Vacuo tangeret superficiem corporis circumambientis, tunc naturaliter non posset moueri in vacuo, quia corpus tangens illud attraheret, quare si aliquis vellet ambulare super pauimentum cubiculi vacui, non posset pedes mouere, quia pauimentum illos mordicùs retineret, ne s. cum pedes attolleret, inter pedes, & pauimentum, vbi non erat Vacuum, de nouo daretur.

Resp. 2. Motum in Vacuo futurum successiuum, cum enim successio motus non oriatur à resistentia medii, sed à spatio, quod vtiq. ibi esset, ideò talis motus posset esse successiuus; quare si mobile non haberet virtutem motiuam sufficientem ad transeundum totum illud Vacuum in instanti temporis, esset motus successiuus, & respectu spatii, & respectu temporis.

Aduert. tamen, quòd motus localis non esset ad locum realem, cum in vacuo non esset superficies corporis, &c. sed ad locum negatiuum, seu spatiũ. Et hæc sufficiant de Vacuo.

Agit hic Aristoteles de Tempore, cum enim corpus nedum sit in loco, sed etiam in tempore, ideò postquam pertractauit, quæ ad locum, postea quæ ad tempus spectant, perquirit, sed quia tempus est mensura motus localis, ideò cognosci non potest perfectè tempus, si ignoretur qui: sit motus localis; quare vt temporis perfecta cognitio habeatur, post disputationem de motu locali, in sequenti libro examinandam, etiam naturam temporis perquiremus. Et hæc satis sint dicta in hoc quarto libro Physicorũ.



DISPVTATIO PRIMA

In Quintum librum Physicorum Aristotelis, de Motu Locali.

MVlta in hoc libro definit Aristoteles de motu, præcipuè tamen de speciebus ipsius motus sermonem habet, cum ergo nos quæ conueniunt motui communiter accepto, explicauerimus in tertio libro, remanent solùm videnda, quæ ad quemcumq. motum in specie spectant, & quia de motu alterationis, & augmentationis in suo loco erit agendum, ideò hìc solùm quæ ad Motum Localem spectant dilucidabimus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Motus Localis.

PRima Conclusio. Motus localis est actus, seu transitus connotans coexistẽt à mobilis ad diuersas partes spatii. Ita communiter.

Prob. Motus localis saltè debet esse inter terminum à quo, & inter terminum ad quem, ergo mobile se mouendo debet coexistere diuersis partibus spatii, ergo motus localis consistit in actu, seu transitu mobilis connotante coexistentiam, &c. antecedens prob. si enim mobile sisteret in vno spatio, licet produceret virtutem motiuam, tamen non diceretur moueri localiter, cum non acquireret nouum terminum localem, sed potius moueretur motu alterationis, cũ intenderetur talis virtus.

Secunda Conclusio. Mobile in instanti per motum localem potest esse in duplici loco inadæquato. Est Ariminensis in secundo, distinct. 6. quæst. 3. Art. 2. ad primum, & alibi, & aliorum paucorum.

Prob. 1. Moueatur Angelus in instanti, vel acquiret nouum terminum, vel non; si non, ergo non mouebitur localiter, & ita nunquam poterit moueri, qui enim in primo instanti non mouetur, nec in secundo poterit moueri, si acquiret, hic erit terminus ad quem, sed in eodem instanti est in termino à quo, ergo mobile per motum localem poterit esse in duplici loco inadæquato, in termino s. & à quo, & ad quem.

Prob. 2. de mobili quantitatiuo exigente locũ circũscriptiuè. Vel potest moueri in instãti, mobile quantitatiuum, vel non potest moueri; si potest moueri, ergo ad terminum ad quem, & ita in eodem instanti erit in duplici spatio; si non potest moueri, ergo nunquam mouebitur, qui enim in primo instanti non potest moueri, nec in secundo mouebitur cum eadem sit ratio de secundo, ac de primo.

Prob. 3. Moueatur in aliquo instanti aliquod mobile, à loco A, ad locum B; vel in tali instanti est totum in loco A, vel totum in loco B, vel in vtroq. vel in neutro; non totum in loco A, quia non esset mutatum, non totum in B, quia non diceretur mutari ad B, sed esse in B, contra suppositum; non in neutro, omne enim quod est, etiam in motu, alicubi est, ergo in vtroq. si enim in eodẽ instanti non mutaretur ex A, non posset dici mutatum in B, ergo &c.

a Tertia Conclusio. Motus locales varii sunt; Ita ferè communiter.

Prob. Quia diuiditur motus localis, in motũ ante, & retro, in motũ sursum, & deorsũ, in motum destrorsum, & sinistrorsum, in motum circularem, & rectum, & in alios huiusmodi. Res est parui momenti, nec diutiùs in ea immorandum.

Quæres. Quænam possint moueri localiter.

Resp. Omne diuisibile, & etiam indiuisibile, siue incorporeum, siue corporeum posse moueri localiter. De primo, & de indiuisibili incorporeo nulla est difficultas; de secundo, seu de indiuisibili corporeo prob. indiuisibile potest ab extrinseco modò poni in vno spatio, modò in alio, sed hoc importat motum localem, ergo &c. mai. prob. quia nulla est implicantia vt suo loco; min. patet, ergo, & consequentia.

SECTIO II.

A quo proueniat Velocitas, & tarditas motus Localis.

g VArii varias architectati sunt machinas ad verã velocitatis, & tarditatis motus localis inquirendam rationem, quæ, quia potiùs aereæ, nec vllo philosophico fundamento suffultæ, faciliter philosophicis rationibus prolabentur, ex earumq. ruina, inexpugnabilis consurget vera, & germana ratio. Quia ergo crediderunt, quodlibet mobile ad productionem cuiuscumq. minimæ partis, seu indiuisibilis motus, acquirere tot puncta indiuisibilia spatii, ita vt ad primum indiuisibile motus acquirat primum indiuisibile spatii, ad secundum, secundum, & sic de cæteris, ita tamen vt productio cuiuscumq. indiuisibilis motus correspondeat instanti, seu indiuisibili temporis; ideò non intelligentes quomodo Aquila, v. g. & Testudo incipientes se mouere in vno instanti, & ab vno puncto spatii v. g. A, in quadrante tamen horæ, Aquila percurrat vnum milliarium, Testudo verò tres passus, cum enim ambæ ad omne instans temporis, solùm vnum indiuisibile motus producant, & illo, acquirant solùm vnum indiuisibile spatij, eodem tempore eũdem terminum videntur debere attingere.

Alij dixerunt, tardiùs peruenire ad terminum præfixum Testudinem, quàm Aquilam, quia Aquila post vnum indiuisibile motus, immediatè, & statim aliud indiuisibile promit, & post hoc aliud, & aliud celeriter; Testudo verò postquam unum indiuisibile motus fecit, aliquantisper moratur, & postea aliud indiuisibile promit, & post hoc iterum moratur, & sic deinceps, & ideò propter has morulas, quas interponit inter indiuisibilia motus, tardiùs attingit terminum.

Alii dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinẽ quàm Aquilam, quia cum tàm vna, quàm alia, constet ex indiuisibilibus quantitatiuis inflatia, vnumquodq. quorum correspondet, vel vni, vel pluribus indiuisibilibus spatii, potest Aquila in instanti se mouendo, per vnum indiuisibile quantitatiuum inflatum relinquere simul plura indiuisibilia spatii, quæ occupabat, & alia plura in instanti acquirere, ita vt v. g. si vno suo indiuisibili quantitatiuo inflato A v. g. occupat 4. indiuisibilia spatii B. C. D. E. in instanti possit hoc suo indiuisibili inflato relinquere hæc 4. indiuisibilia spatii, & alia 4. acquirere, Testudo verò, licet etiam ipsa constet ex indiuisibilibus quantitatiuis inflatis, quia tamen non habet magnam virtutem motiuam, ideò solùm vnum indiuisibile spatii, vel duo, in instanti relinquit, & acquirit.

Alii dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinem quàm Aquilam, quia Aquila velociter se mouendo saltat quædam indiuisibilia spatii, quòd non facit Testudo quę omnia percurrit.

Alii dixerunt, Aquilam, & quodcumq. aliud mobile, celeriùs moueri respectu maioris virtutis, & minoris resistentiæ medii, Testudinem verò, & quodcumq. aliud lentum mobile tardè moueri respectu minoris virtutis, & maioris resistentiæ medii.

Alii deniq. dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinem, quàm Aquilam ad terminum præfixum, quia Aquila producendo primum indiuisibile motus propter suam magnam virtutem ita illud producit intensum, vt correspondeat pluribus indiuisibilibus spatii, & ita v. g. per tria indiuisibilia intensa motus, acquirit 9. indiuisibilia spatii, sicq. celeriùs attingit terminum, quòd non potest facere Testudo, quæ cum paruam virtutem motiuam habeat, ideò producit tot indiuisibilia motus solùm correspondentia tot indiuisibilibus spatii. Vtrum ergo aliqua ex his rationibus sit assignabilis pro celeritate, & tarditate motus, examinandum est. Quare sit.

Prima Conclusio. Velocitas, vel tarditas motus non prouenit formaliter à morulis interceptis 4
in ipso motu: Est contra Galenum lib. primo de dignoscendis pulsibus, Ouiedum cont. 17. physicæ punc. 9. §. 2. Arriagam disp. 16. physicæ sec. 11. num. 223. Spinulam in disp. 15. sect. 3.


Prob.

Prob. primò. Si hoc esset, sequeretur aliquod mobile seu velociter mouens in vna hora, magis quiescere, quàm moueri, sed hoc videtur improbabile ergo, & id ex quo sequitur; sequela prob. moueatur Aquila velocissimè, & etiam eodem tempore moueatur sol, & vltima sphæra, certè si Aquila in spatio vnius horæ peruolabit vnum milliarium, sol in eodem tempore percurret 20. milliaria, & quadruplo magis vltima sphæra, si ergo Aquila tardiùs mouetur, quia interponit morulas in suo motu, necesse esset, quòd postquam produxit primum indiuisibile motus correspondens primo indiuisibili motus producto à sole, sisteret per tot indiuisibilia motus, per quot plura indiuisibilia spatii acquireret sol, & quia sol (ex supposito quòd omne milliarium solùm per mille indiuisibilia motus acquiratur) 20. millia indiuisibilia motus promeret in vna hora. Aquila verò solùm mille, ideò per 19. millia indiuisibilia temporis, in quibus sol produceret 19. millia indiuisibilia motus, Aquila deberet quiescere, seu 19. millia morulas promere, & tantò magis, si compararetur illius motus ad motum vltimę sphæræ, quo quid absurdius? cum maior esset quies, quam motus, quòd erat probandum.

Neq. valet dicere, quòd nullum ex hoc sequeretur absurdum, cum enim illæ morulæ non perciperentur sensibus, sed motus videretur successiuus, ideò maior non videretur quies, quàm motus: tùm quia primæ non coniungerentur postremis, vt faceret vnum indiuisibile motus aliis indiuisibilibus, cum enim morula sit negatio motus, postquam cessauit, non potest coniungi cum subsequenti.

Resp. enim, dato etiam quòd sensibus non perciperentur morulæ, sicuti neq. per aliquos percipitur ipse motus, cum solùm cognoscatur ex distantia acquisita à mobili, per hoc tamen non arguitur, non futuram maiorem quietem, quàm motum, cum enim Aquila post omne indiuisibile motus deberet quiescere per 19. indiuisibilia temporis, in quorum successione 19. indiuisib. lia motus sol produceret, ideò transacto spatio horæ, 19. mi lia fuissent indiuisibilia quietis, & mille indiuisibilia motus. Neq. per hoc quòd non coniunguntur hæ morulæ, sicuti facit motus, arguendum est, non futuram maiorem quietem quàm motum, nam solù posset argui, quòd nō perciperetur maior quies quàm motus, non verò quòd de facto non esset; immo etiam dico, quòd si tot interciperentur morulæ inter vnum indiuisibile motus, & aliud, perciperentur, si non sensu, saltem intellectu, sicuti enim intellectus potest percipere has morulas, seu quietem durantem per 19. indiuisibilia temporis in aliquo ente permanente, ita etiam posset cognoscere, si essent, in aliquo ente successiuo, sicuti optimè eas cognoscit in motu, quo aliquod fluidū guttatim descendit ab aliquo eminenti loco.

5 Prob. 2. Si à morulis proueniret tarditas, & velocitas motus, sequeretur aliquod continuum, in motu discontinuari; sed hoc non est dicendum, ergo nec &c. Sequela prob. voluatur celeriter solida rota, in qua designati sint circuli, certò ex omnium cōsensu celeriùs mouebitur pars rotæ extrema, & distans à centro, quàm proximior centro, & eo tempore, quo v. g. circulus remotus tria puncta acquiret, circulus propè centrum vnum punctum solùm pertransiet; si ergo pars rotæ proxima centro tardiùs mouetur, quia postquam produxit vnum indiuisibile motus correspondens vni indiuisibili spatii v. g. A (vt apparet in præsēti figura.)



correspōdēti in dēspatio A, acquisita à parte remota rotæ, deberet sistere, & producere tot morulas, quot indiuisibilia motus, & spatii produceret, & acquireret pars rotæ distans à centro, ad hoc vt pertingeret ad punctum tertium spatii B circuli superioris correspondens primo puncto A acquisito à parte rotæ inferiori, sequeretur quòd linea ducta inter punctū primum A rotæ inferioris, & punctum primum B rotæ superioris, inflecteretur vsq. ad tertium B. rotæ superioris, & sic discontinuari continuum, quòd erat probandum.

Neq. valet dicere, produci quidem morulas à parte rotæ proximiori centro, non verò discontinuari continuum, nec inflecti lineas, quia cum vnum punctum quantitatis rotæ inferioris correspondeat tribus rotæ superioris, inde est, quòd in eodem instanti, in quo vnū pertransit rota inferior, tria pertranseat rota superior, & sic pars rotæ inferior non mouetur tardiùs parte superiori respectu temporis, sed respectu minoris spatii acquisiti.

Resp. enim, ridiculum esse admittere morulas in motu, & non admittere respectu temporis, cum morula nihil aliud sit, quàm quies in instanti, i quo pertransit tempus; sed dato quòd in eodem instāti pars inferior moueatur per vnum punctum, pars verò superior per 3. puncta, vel pars superior rotæ se mouens per 3. puncta, hoc facit per 3. indiuisibilia motus, vel per vnum; si per 3. ergo, & per 3. indiuisibilia temporis, & ita per tot indiuisibilia rota inferior deberet quiescere; vel hoc facit per vnum indiuisibile motus, & hoc non potest esse, quia omne indiuisibile motus, ex ipsis, solùm vni indiuisibili spatij correspondet, ergo &c.

6 Neq. dicas ex Spinul. disp. 15. in libro Phy. sec. 3. etiam dato quòd pars rotæ inferioris per aliquas morulas cessaret à motu dum pars superior moueretur, non per hoc futuram discontinuationem continui, seu inflexionem linearum, ex eo quia ex quocumq. motu partium continuatum nō sequitur localis distantia vt patet in arundine, papiro, manu hominis, &c. quæ possunt moueri secundùm vnam partem, non secundùm aliam, & tamen inter ipsas remanet continuatio; quare ad summum sequeretur, vnum indiuisibile, quod priùs alteri ex vno latere erat præsens, fieri præsens ex alio, quòd non arguit discontinuationem. Res. enim, datis morulis, imperceptibile esse non futuram discontinuationem rotę solidæ, & inflexionem linearum in ipsa descriptarum, dum moueretur, in tantùm enim in arundine, papiro, &c. non datur discontinuitas, licet moueatur vna pars, immota alia, in quantùm tales res sunt flexibiles, atq. adeo in motu ipsarum potest moueri vna pars, immota alia, & non discontinuari. l. tamē ad huiusmodi motum inflecterentur lineæ in ipsis descriptæ. Hoc autem nequit dici de solida, & lapidea tota, in qua nullam flexibilitatem habent partes, sed omnes firmiter, & solidè inuicem adhærent, quare neq. in ipsa rota, indiuisibilia, illā cōponētia possūt modò secundū vnū latus esse præsētia alijs īdiuisibilibus, modò secūdū aliud, vt fusè, siuè cōfusè ipse conatur ostēdere, cū propter summā vnionem, & reciprocam adhærescentiam vnum non possit esse motum, immoto alio.

Prob. 3. Si tarditas, vel velocitas motus prouenirect à morulis, sequeretur, idem in eodem motu & eodem tempore producere plures, & minores morulas, sed hoc est absurdum, ergo &c. sequela prob. moueatur Testudo in spatio vnius horæ, & etiam Aquila, si Aquila percurret vnum milliarium, 10 passus faciet Testudo, ex eo quia secundū Aduersarios postquam Testudo produxit in vno instanti vnum passum, seu vnum indiuisibile motus, sistit per 90. indiuisibilia temporis, in quibus percurrit Aquila; si ergo in eadem hora cōparetur motus Testudinis cum motu Solis, qui plus spatii acquirit in vna hora, quàm Aquila, maiores deberent esse morulæ Testudinis, ergo per solam comparationem, multiplicarentur, & minuerentur morulæ in aliquo determinato motu; quo, quid absurdius.

Prob. 4. Si hoc esset, sequeretur solùm primum mobile moueri continuè, & absq. morulis, sed hoc videtur improbabile, ergo &c. sequela clarè patet, ergo &c. Item sequeretur, quòd si Deus crearet aliud cælum supra primum mobile, quòd illo velociorem haberet motum, tunc primum mobile, licet eodem modo ac nunc moueretur, attamen per solam comparationem ad cælum de nouo creatum diceretur interponere morulas in suo motu, quo, quid absurdius.

Neq. dicas, has morulas necesse esse admittere, cum enim mobile non possit se mouere nisi acquirendo spatium occupatum ab alio corpore, necesse est vt illud impellat, vt expellat, à loco, quare si corpus resistit, tot indiuisibilibus moratur, quoadvsq. superetur resistentia, si non resistit, motatur saltem illo indiuisibili, quo recedit, sic quando est maior resistentia, & debilis virtus, tardior est motus, quando minor resistentia, & intensa virtus, celerior est motus,

Resp. enim primò, hoc solùm probare aliquando tarditatem motus prouenire ab interpositione motularum, quòd & nos concedimus, cum videamus aliquod animal se tardè mouens, priùs mouere pedem, paulisper sistere, & postea alium mouere; item aquam guttatim descendentem ab eminenti loco, inter vnam guttam, & aliam interponere motulam, sed tamen ex hoc non deducitur hanc esse rationem cuiuscumq. tarditatis. Secundò, falsum est priùs tempore debere recedere corpus à loco, vt in illo mobile sit, cum hoc possit esse in eodem instanti, præcipuè quando motus est velox, & corpus paruæ resistentiæ, vt est aer. Tertiò, non potest saluari velocitas, & tarditas motus solùm respectu maioris, vel minoris virtutis mobilis, & maioris vel minoris resistentiæ corporis intermedii, nam moueantur duo mobilia, vnū habens virtutem vt duo, aliud vt quatuor, vel ambo in primo instanti temporis producent, vnum indiuisibile motus correspondens vni indiuisibili spatii, vel plura; si vnum, ergo æqualiter mouebuntur, si plura, est contra ipsos, cuicumq. enim indiuisibili motus, per ipsos, debet correspondere instans temporis; Neq. maior, vel minor resistentia corporis intermedii officit, quia, vel resistit, & sic motus non est localis, cum non sit acquisitio spatii, vel non resistit, & ita solùm vnum indiuisibile post aliud acquiritur, quare primum mobile inueniens resistentiam intermedii, non potest dici tardiùs moueri, quàm non inueniens resistentiam, cum enim non moueatur, neq. tardè potest dici moueri. Et hac responsione remanet impugnata quarta sententia.

Secunda Conclusio. Velocitas, & tarditas motus non consistit in eo, quòd mobile constans ex indiuisibilibus quantitatiuis inflatis, in aliquo instanti applicat vnum indiuisibile inflatum pluribus indiuisibilibus spatii, aliquando verò paucioribus. Est contra aliquos citatos ab Ouiedo loco supracitato. 8

Prob. Quantitas non constat ex his indiuisibilibus inflatis, ergo corruit tota ratio Aduersariorum antecedens enidentissimum est, gratis enim omninò finguntur in quantitate huiusmodi indiuisibilia inflata habentia virtualem diuisibilitatem, qualem ponunt Theologi in substantia indiuisibili spirituali, quod cum optimè, & fusè probetur ab Hurtado in Phy. disp. 15. sec. 5. Arriaga disp. 16. sec. 9. Ouiedo, Serbellon. & aliis communiter, apud illos videre est. Sed dato etiam, quòd talia indiuisibilia inflata quantitatiua darentur, neque ex illis posset saluari uelocitas, & tarditas motus; patet, nam si mobile constaret ex indiuisibilibus inflatis, etiam spatiū esset extensū, & correspondens talibus indiuisibilibus inflatis, quare si īdiuisibilem obilis v.g. A moueretur, non posset simul occupare 4. indiuisibilia spatii u. g. B. C. D. E. quia hæc quatuor indiuisibilia essent etiam ipsa extensa, & quodcumq. ex illis corresponderet uni indiuisibili inflato

flato

flato mobilis, & ideò adhuc esset inquirendum, cur vnũ indiuisibile inflatum posset occupare plura indiuisibilia extensa in eodem instanti.

9 Tertia Conclusio. Neq. velocitas, aut tarditas motus consistit in eo, quòd mobile velox saltet aliqua puncta spatij, quod non facit mobile tardum. Est etiam contra aliquos relatos ab Ouiedo.

Patet Conclusio. Cum enim corpus necessariò debeat moueri per medium, ideò omne mobile debet percurrere quæcumq. puncta spatij, per quæ transit.

Ad stabiliendam nostram Conclusionem. Notãdum est, quòd potest causa motus producendo motum indiuisibiliter, & in instanti indiuisibili, non tamen indiuisibilem, sed diuisibilem motum producere quoad intensionem, quandoque. s. maiorẽ, quãdoq. minorem, hoc patet in productione aliquorum accidẽtium, vt v.g. in calore producto ab igne, si enim ignis sit vehemens, vt in ferro ignito, indiuisibiliter, & in instãtaneo contactu producit quatuor, & quinque gradus caloris, quòd sic non facit ignis minus vehemens, vt in carbone, qui ad instantaneum contactum, vel vnum solùm gradum indiuisibilem caloris producit, vel solùm duo, sic ergo dicendum est de motu, hocq. prouenit, quia motus potest intendi, & remitti ad modum aliarum qualitatum, & accidentium. Hoc supposito. Sit.

10 Quarta Conclusio. Velocitas, vel tarditas motus localis formaliter consistit in eo, quòd mobile per intensiorem, vel remissiorem virtutem, producit in quocumq. instanti indiuisibili motum. i. indiuisibilẽ quoad tempus, & quoad productionem, magis, vel minùs diuisibilem quoad intensionem, ratione cuius maiora, vel minora indiuisibilia spatij acquirit; ita vt motus sit summè velox, quando in quocumq. instanti indiuisibili producitur motus maximè intensus, & diuisibilis, & per eum in instãti acquiruntur plura indiuisibilia spatij, summè verò tardus, quando vel nihil, vel parum intensus producitur, & solùm vnum, aut duo indiuisibilia spatij acquiruntur. Hæc conclusio aliquo pacto defenditur à Tellez parte 2. Philos. disp. 35. sect. 2. num. 26. ita tamen explicatam penes neminem vidi, esse tamen probabilem, & euidentem, subsequentes rationes mihi suadent.

Prob. 1. Data hac sententia optimè saluatur respectu cuiuscumq. mobilis in eodem instanti celeritas, & tarditas motus, ergo est amplectenda; antecedens prob. ideò in spatio vnius horæ Testudo mouetur per tres passus, Aquila per vnum milliarium, Sol per plura. &c. quia ad omne instans temporis quodcumq. mobile iuxta proportionem suę virtutis producit indiuisibiliter motum, magis, vel minùs, vel nihil intensum, ratione cuius, vel plura, uel pauciora acquirit indiuisibilia spatij, ergo &c.

Neque dicas, hoc implicare, cum enim vnumquodq. indiuisibile quantitatiuum mobilis correspondeat indiuisibili spatij, ita vt si mobile constet ex 20. indiuisibilibus quãtitatiuis, in tot indiuisibilibus spatii debeat sẽper morari, si esset uera hæc sententia, unum indiuisibile quantitatiuum in pluribus indiuisibilibus spatii eodẽ tempore maneret, quòd repugnat.

Resp. enim. Verum esse, mobile quiescens tot debere correspõdere indiuisibilibus spatii, quot indiuisibilibus quantitatiuis ipsum constat, non tamen hoc uerificari in mobili se mouente, cum enim possit dari motus in instanti, & de ratione motus sit saltem relinquere unum indiuisibile spatii, & aliud acquirere, ideò in instanti idem indiuisibile quantitatiuũ potest esse in duplici indiuisibili spatii, & tũc in duplici loco, inadæquato tamen, quòd non repugnat; quòd si potest esse in duplici, cur non in multiplici, quando maxima, & intensa est uirtus Agentis?

11 Neq. redicas 2. Nõ posse in multiplici, quia tũc non esset motus instantaneus, sed successiuus, cum enim deberet acquiri unum indiuisibile post aliud, ideò talis motus esset successiuus.

Res. enim. Quòd in tali casu non acquireretur unum indiuisibile post aliud, posterioritate temporis, sed solùm ordinis, eodem enim tempore, & instanti, omnia indiuisibilia spatii correspondentia intensioni motus producti, uel impressi in mobili, acquirerentur à mobili, ita ut si mobile u.g. constaret ex 10. indiuisibilibus quãtitatiuis, & ab omnibus produceretur, uel omnibus imprimeretur seorsim motus sufficiens ad acquirẽdũ in instanti 3. indiuisibilia spatii, in instãti, in quo moueretur tertiũ indiuisibile quantitatiuum proximum spatio acquirendo, per talemque motum acquireret tria indiuisibilia spatii, in eodem instanti indiuisibilia remotiora, & relinquerent spatium, quod occupabant, & pariter tria indiuisibilia spatii acquirerent, quod vtiq. fieri potest in instanti ob intensionem ipsius motus producti, vel impressi in mobili.

Neq. dicas tertiò. Non posse dari tale indiuisibile motus instantaneum, cum de ratione motus sit successio, nec possit fieri in instanti.

12 Resp. enim. Verum esse motum debere esse essentialiter successiuum, quoad acquisitionem spatii, non autem quoad tempus; l. enim quasi semper sit successiuus quoad tempus, tamen talis motus successiuus constat ex multis motibus instantaneis, nã (& hæc sit ratio ad hoc probandum contra authores contrariæ sententiæ) vel ad primum indiuisibile motus mobile mouetur, vel non: si mouetur, ergo in instanti mouetur, & in instãti saltem in duobus indiuisibilibus spatij reperitur, s. in eo à quo discedit, & in eo, ad quod accedit: si non mouetur, ergo numquam mouebitur, quod enim in primo nõ mouetur, nec in secundo potest moueri, & ex hoc deducitur esse falsũ, quod dicunt aliqui, nõ dari primũ indiuisibile motus, vt etiã supra probabamus.

13 Neq. redicas quartò, mobile quidem moueri in primo instãti, non tamen in instãti reperiri in utroque termino, à quo. s. & ad quem, nam sicuti materia. l. in eodem instanti, & expolietur forma substantiali, & noua forma informetur, attamen in eodem instanti non dicitur esse sub duplici forma substantiali totali. si. l. mobile in eodem instanti, & relinquat terminum à quo, & acquirat terminum ad quem, non dicitur esse in utroq. extremo. Tum quia, sicuti materia nequit, nec in instanti stare cum duplici forma substantiali totali, quia est incapaillas

7 Coll. 3. Locum realem reduci ad prædicamentum Quantitatis, cum enim sit superficies corporis, & talis sit quantitas, ideò locus realiter sumptus reducitur ad prædicamentum quantitatis.

Coll. 4. Proprietates, seu attributa loci realisquiq. communiter assignari; prima est, quòd locus contineat locatum, ita tamen vt non sit aliquid illius intrinsecum, quare neq. superficies propria alicuius corporis erit illius locus, neq. etiam tegumentum intrinsecum, vt pellis in animali, cortex in arbore, neq. etiam vestimentum, quo quis operitur; si quidem reputatur tamquam aliquid ipsius, reduciturq. ad prædicamentum habitus, quare solùm corpus ambiens extrinsecè locatum cum omnibus illius adiacentibus, & vestibus, dicetur locus; secunda est, quòd locus sit æqualis locato, si enim vndequaq. illud debet ambire, illi debet esse æqualis; tertia est, quòd locus sit separabilis à quocumq. locato, distributiuè tamen, non collectiuè, quòd scilicet in tali loco, modò possit esse vnum corpus, modò aliud; quarta, quòd sit terminus motus localis extrinsecus tamen, ad locum enim fit motus localis; quinta deniq. quòd sit immobilis, quæ immobilitas intelligenda est, vt supra explicauimus.

Coll. ultimò. Locum realem posse dici esse in alio loco, non formaliter respectu sui, sed respectu corporis cuius est superficies, quare idem respectu diuersorum potest esse, & locus, & locatum, aer enim v.g. secundùm superficiem qua circumdat terram, dicitur locus terræ, secundùm verò cæteras sui partes vt potè contentas, vel ab igne, vel à cœlo, dicitur locatum, & ideò secundùm hanc rationem omnia quæ sunt in mundo sunt in aliquo loco reali; ipse verò mundus est in loco imaginario, seu spatio, ipsum verò spatium non est in alio spatio, quia cum non sit quid reale, sed solùm negatiuum, non est quædam res, quæ in alio necessariò debeat esse.

SECTIO II.

Quid sit Vbicatio, seu Vbi intrinsecum.

Certum est, præter locum extrinsecum, & corpus locabile nos concipere aliquid quando tale corpus locatur, hoc autem dicitur Vbicatio, seu locatio corporis in Vbi extrinseco; ipsa verò Vbicatio, Vbi intrinsecum appellatur. Quid autem sit hoc Vbi intrinsecum, seu Vbicatio, in præsenti inquirimus. Sit ergo.

8 Vnica Conclusio. Vbicatio, seu Vbi intrinsecū est quidam modus, qui iuxta alios modos non distinguitur à re cuius est modus. Quoad primam partem est communis contra Arriagam; quoad secundam, est cum Auct. citatis cum de modo.

Prob. prima pars. Ille est modus, qui non potest esse nec concipi sine re cuius est modus, sed huiusmodi est Vbicatio, & Vbi intrinsecum, ergo &c. min. prob. quæ enim locatio erit, si nihil locatum erit? quæ locatio concipietur, si nihil locatum concipietur?

Prob. secunda pars. Tùm rationibus allatis cū de modo in Logica cum de prędicamentis, tùm peculiari ratione huius loci. Posita aliqua entitate in aliquo loco, absq. eo quòd ne dum producatur, sed nec concipiatur noua entitas distincta producta, intelligitur talis entitas in tali loco locata, & Vbicata, ergo Vbicatio, seu Vbi intrinsecum non est aliqua entitas superaddita; consequentia patet; antecedens probatur, absq. enim tali entitate superaddita, concipitur coexistentia talis entitatis tali loco, at huiusmodi est vera locatio, ergo &c.

Argumentis, quæ contra secundam partem fieri possunt, facile erit respondere, considerando quæ diximus cum de Modo in communi.

Coll. primò. Hoc Vbi intrinsecum constituere prædicamentum Vbi, quod postea reducitur ad prædicamentum Modi.

Coll. 2. Hoc Vbi non prout est simpliciter Vbi, sed prout est tale Vbi constituere etiam prædicamentum Situs, hoc enim prædicamentum nihil aliud est, quàm præsentia in loco secundùm certam dispositionem partium corporis locati, & ita homo dicitur stare in diuerso situ, si stet genuflexus, ac si rectus, vel sedens.

SECTIO III.

Vtrum duo corpora possint esse in eodem loco.

Supp. est. Nedum duo, sed plura entia spiritualia posse esse in eodem loco, cum enim nō circumscribantur loco, nec illi extendantur, vt faciunt corpora, ideo in eodem loco poterunt plura locari, & eadem ratione poterunt etiam locari in loco, in quo sit locatum corpus aliquod; quare solùm quæstio est de corporibus in ordine ad quemcumq. locum, siue realem, siue imaginarium. 9

Prima Conclusio. Duo corpora naturaliter non possunt esse in eodem loco, Ita communiter contra aliquos relatos à Mastrio disp. 11. physicæ quæ. 7. num. 101. & ab Auersa loco supracita. quæ. 5.

Prob primò. Experientia, ex qua hoc clarè patet. Item ratione. Non possunt duo corpora trinæ dimensionis esse in eodem loco, nisi penetrentur, sed penetratio corporū est naturaliter īpossibilis, ergo, & existētia duorum corporum ī eodem loco, min. prob. quantitas enim, ex qua constant corpora quantitatiua, habet, vt eius partes extendantur vna extra aliam, ergo non possunt naturaliter simul existere, & penetrari, ergo tantò minus poterunt naturaliter penetrari cum partibus alterius corporis, ergo &c.

Ob. primò. Ignis existit penetratus in ferro, item lumen penetratur cum corpore lucido, item panis, vel pannus imbuitur aqua, qua simul cum illis pe-

ſis penetratur ; Item alii liquores penetrantur cum multis corporibus, ergo datur naturalis penetratio, & ſic duo corpora in eodem loco.

Reſp. neg. talem penetrationem, .I. enim talia corpora videantur oculis cum aliis penetrari, reuera tamen cum ipſis non penetrantur, benè verò in illorum poris, à quibus excluditur aer, & ſic eſt in ferro, pane, panno, & huiuſmodi ; lumen verò penetratur cum corpore luminoſo, at ipſum non eſt corpus, ſed qualitas, de qua non eſt quæſtio.

Ob. 2. Poſsunt plures partes eiuſdem corporis penetrari, vt fit in condenſatione, ergo & ſimul plura corpora ; item in augmentatione, & nutritione, alimentum diſtribuitur, & penetratur per omnes partes corporis, per quas iam ſimul diſcurrunt ſpiritus vitales, ergo poteſt dari penetratio corporum.

Reſp. neg. antecedens. In condenſatione enim non penetrantur partes quantitatiuæ, vt ſuo loco; alimentum autem diſtribuitur per partes vitales, & ſpiritus vitales excurrunt per poros, qui frequentiſſimi ſunt in corpore animato, quare nullo pacto datur penetratio corporum naturaliter.

Secunda Concluſio. Supernaturaliter poſſunt plura corpora eſſe in eodem loco. Eſt communis vt apud Maſtrium, Auerſam in locis ſupracit. & alios, & contraria ſententia, quam ſequitur Durandus in 4 diſt. 44. quæſt. 6. VVendelinus, Kiperus, & alij pauci, communiter exiſtimatur parum tuta in fide.

Prob. 1. experientiis. De facto Chriſtus egreſſus eſt de vtero Virginis illæſa illius virginitate ; poſtquam reſurrexit clauſo ſepulcro, egreſſus eſt ab illo ; ad diſcipulos ianuis clauſis intrauit; item corpora Beatorum cum aliis corporibus poterunt penetrari, ergo ſupernaturaliter poteſt dari penetratio corporum, & ſic plura eſſe in eodem loco.

Prob. 2. Impenetrabilitas actualis, eſt quoddam accidens quantitatis, ſed omne accidens poteſt à Deo impediri, ne actualiter præbeat ſuum effectum, ergo Deus poteſt auferre actualem impenetrabilitatem, ſeu impedire effectum talis accidentis, & ita facere, quòd duo corpora ſimul penetrentur, & in eodem ſint loco, mai. clara eſt, nam dato, quòd eſſentia quantitatis eſſet impenetrabilitas, non importaret actu eſſe impenetratam, ſed ex natura ſua eſſe impenetrabilem ; min. prob. nam Deus poteſt impedire actionem cuiuſcumq. Agentis, ergo, &c.

Prob. 3. Quòd vnum corpus ab alio expellatur, ne ſint ambo in eodem loco, vel prouenit à quantitate in genere cauſæ efficientis, vel in genere cauſæ formalis ; ſi primum, ergo talis expulſio poterit à Deo impediri, cum enim ad omnem effectum cauſæ efficientis ſit neceſſarius concurſus Dei, ſaltem per ſubtractionem ſui concurſus, talis effectus poterit impediri ; Si ſecundum, itidem à Deo poterit impediri, cum enim talis expulſio eſſet effectus formalis, non primarius qui eſt occupare locũ, ſed ſecundarius, & quilibet effectus ſecundarius poſſit à Deo impediri, ideo & talis expulſio poteſt à Deo impediri, ratione cuius ablationis impedimenti, poſſent ſimul penetrari, & ſimul ſtare in eodem loco.

Obiic. Impenetrabilitas eſt proprietas quantitatis in quarto modo, ſed huiuſmodi proprietates non poſſunt à Deo tolli, ergo &c. 10

Reſ. diſting ma. Impenetrabilitas, &c. aptitudinalis, & conc. actualis, & nego ; quare Deus poteſt auferre actum talis impenetrabilitatis, ſicuti poteſt impedire actum ridendi, non deſtructa riſibilitate, ergo hoc pacto duo corpora poſſent locari in eodem loco.

Quæres. Vtrum, ſi duo corpora eſſent penetrata, poſſet vnum moueri ſine alio.

Reſp. Negatiuè naturaliter, benè verò per nouum concurſum diuinum. Ita ſuſtinent Ouiedo hic punct. 11. Spin. diſ. 10. in Phy. quæſt. 7. Vaſquez, & alii. Ratio autem eſt, quia quando duo corpora penetrarentur, vna pars vnius corporis, non penetraretur cum omnibus partibus alterius corporis, ſed cum vna ſola parte, quare ad hoc, vt moueretur ſine alio, vna pars, v. g. A, quæ eſt penetrata cum alia parte alterius corporis B, deberet tranſeundo per partem C, cum illa penetrari, hoc autem ſine nouo concurſu Dei non poteſt fieri, ergo naturaliter non poſſet vnum moueri ſine alio; Beati tamen poſſunt per quemcumq. locum excurrere penetrando corpora, quia habent dotem ſubtilitatis ad penetranda nedum aliqua, ſed omnia, & quæcumque corpora.

Neq. dicas ex Seibell. contrariam ſẽtentiam ſuſtinente diſ. 5. in Phy. quæſt. 1. art. 6. 9. 107. Per penetrationem, non eſſent ita alligata corpora inter ſe, vt ab actu ſecundo ſuæ virtutis impedirentur, ergo naturaliter vnum moueri poſſet ſine alio; per hoc enim, quòd ab illis ablata eſſet impenetrabilitas actualis, non repugnaret, quòd partes, quæ prius non erant penetratæ cum aliquibus partibus, cum illis penetrarentur, vtpote quia etiam ipſæ ſpoliatæ eſſent impenetrabilitate actuali. Reſp. enim, quòd non ex alligatione propriæ virtutis impediretur, ne quodlibet ex his corporibus, alio immoto, moueretur, ſed ex eo quòd nequiret vna pars naturaliter penetrari cum alia; nam .I. verum ſit, ſublatam fore impenetrabilitatem ab omnibus partibus, tamen non ſublata eſſet ab omnibus partibus, reſpectu cuiuſcumque partis, ſed ſolum reſpectu illarum, cum quibus eſſent penetratæ, alioquin hoc pacto ſequeretur, quod quodlibet ex his corporibus, nedum poſſet moueri, ſed & naturaliter penetrari cum quocumq. alio corpore, ſicut faciunt Spiritus, & Corpora Beatorum.

Quæres 2. Quomodo agerent illa corpora penetrata, & an viderentur. 11

Reſ. Actura eodem modo, ac ſi non eſſent penetrata, niſi tamen inter ſe eſſent contraria, tunc enim vnum impediret operationem alterius, atq. adeò agerent remiſsè. Viderentur autem talia corpora confuſè, quia vnius ſpecies confunderentur cum alterius ſpeciebus, ſicuti videmus ſpecies confundi alicuius exiſtentis, in aqua cum ſpeciebus eiuſdem aquæ.

SEC-

SECTIO IV.

An vnum corpus poſſit eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis.

12 SVpp. 1. Naturaliter idem corpus non poſſe eſſe in duplici loco adæquato, vt conceditur ab omnibus, & hoc propter limitationem ſuæ quãtitatis, quæ vnum ſolum poteſt occupare; poteſt tamen eſſe in pluribus inadæquatis, qui integrent vnum adæquatum, quare ſolùm quæſtio procedit, an hoc poſſit fieri per diuinam omnipotentiam.

Supp. 2. Idem corpus ſupernaturaliter poſſe eſſe in vno loco circumſcriptiuè, & in aliis definitiuè, hocq. etiam conceditur ab omnibus Catholicis, ex eo quia Corpus Chriſti exiſtens circumſcriptiuè in Cœlo, definitiuè, ſeu Sacramentaliter, eſt etiam in omnibus hoſtiis conſecratis in ſingulisque illarum partibus, vt contra Hæreticos definitum fuit in Concilio Tridentino ſeſſ. 13. can. 1. quare ſolùm quærendum eſt, an etiam circumſcriptiuè per diuinam omnipotentiam, poſſit idem corpus in pluribus reperiri locis eodem tempore. His ſuppoſitis. Sit.

Prima Concl. Idem corpus per diuinam omnipotentiam poteſt eſſe ſimul, & eodem tempore in pluribus locis circumſcriptiuè. Ita Scotiſtæ, contra Thomiſtas, vt apud Maſtrium diſp. 11. phy. quæſt. 8. Conimbricenſes 4. Phy. cap. 5. art. 2. Morandus in 4. Phyſic. Tract. 1. quæſt. 3. Guarinus diſ. 10. in Phy. exp. 6. Tellez. 2. par. in Phi. diſ. 38. tract. 4. Auerſa quæſt. 27. de loco ſect. 6. Serbell. diſ. 5. quæſt. 1. de Loco art. 4. Spinula diſp. 10. ſect. 5. Rubius, Hurtadus, Ouiedo, Arriaga, & ferè recentiores omnes.

Prob. 1. Poteſt idem corpus ſupernaturaliter eſſe in pluribus locis definitiuè, ergo etiam circumſcriptiuè, conſ. prob. magis enim eſt præter naturam corporis exiſtere ad modum rerum ſpiritualium, quàm replicatum, ſecundùm propriam naturam, ergo ſi Deus de facto facit, quòd idem corpus exiſtat ad modum rerum ſpiritualium definitiuè in pluribus locis, poterit etiam facere, quòd circumſcriptiuè.

Prob. 2. Chriſtus ſub Hoſtia conſecrata exiſtens poteſt ſe præbere viſibilem circumſtantibus, ſed in tali caſu deberet eſſe localiter, & circumſcriptiuè extenſus, ergo in tali caſu, & in cœlo, & vbi talis eſſet Hoſtia, circumſcriptiuè exiſteret, ergo &c.

Prob. 3. Exemplis aliquorum Sanctorum, & etiam eiuſdem met Chriſti, qui non per viſionem, ſed realiter in pluribus locis extenſiuè, viſi & operati ſunt, ergo &c.

Ob. 1. Si idem corpus poſſet eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, ſequeretur, quòd idem eſſet diuiſum à ſe ipſo, ſed idem non poteſt eſſe diuiſum à ſe ipſo, cum de ratione indiuidui ſit eſse indiuiſum in ſe, ergo non poteſt &c. mai. prob. quia corpus, v.g. quod eſset Veronę, eſſet diuiſum ab eodem exiſtente Venetijs.

Reſ. Hoc argumentum poſse etiam militare in diuerſis præſentijs definitiuis, ratione quarum idem exiſtens definitiuè in vno loco, diceretur diuiſum à ſe ipſo exiſtente in alio loco definitiuè, & tamen de hoc non eſt controuerſia, cum ſit de fide, quare diſt. ma. idem corpus eſset diuiſum à ſe ipſo entitatiuè, & nego, localiter, & con. hoc autem nullam dicit implicantiam, ſupernaturaliter loquendo, cum indiuiſio ſe debeat neceſsariò ſolùm tenere reſpectu entitatis, quę vna ſemper eſset, quare ſicuti corpus ita eſt diuiſum ab alijs, vt non poſſit fieri unum entitatiuè cum illis, & tamen cum illis poteſt exiſtere penetratum in eodem loco, ita & pariter poterit idem corpus exiſtere in pluribus locis.

Ob. 2. Exiſtentia circumſcriptiua in loco conſiſtit in eo, quòd corpus ita ſit in loco, vt non ſit extra illum, ſed ſi poſſet eſſe circumſcriptiuè in pluribus locis, eſſet extra illos, & non eſſet, quod importat contradictionem, ergo non poteſt, &c. mi. prob. non eſset extra, quia de ratione præſentiæ circumſcriptiuæ eſt, quòd non ſit extra, eſset verò extra, quia eſset in alio loco, ergo eſset, & non eſset extra. 13

Reſp. negando maiorem. Nedum enim præſentia circumſcriptiua, ſed etiam definitiua exigit, quòd res exiſtens in loco, non ſit extra, hoc enim eſt eſse in loco quocumq. modo ſumatur, quod .i. res correſpondeat, vel definiatur tali loco, quòd idem eſt ac non eſse extra illum locum, quare neq. etiam ſupernaturaliter, per eãdẽ præſentiam, qua eſt in vno loco, poteſt eſse extra illum, benè verò per aliam, & ideò ſi argumentum non eſt contra diuerſam præſentiam definitiuam, neque militat contra diuerſam circumſcriptiuam.

Ob. 3. Si corpus poſset ſimul eſse in pluribus locis, ergo & in omnibus, ergo eſset immẽſum ſicuti eſt Deus, quòd repugnat.

Reſp. neg. ſequel. Quia Deus eſt immenſus per eſſentiam, tale autem corpus eſset ſolùm per participationem, & tales præſentiæ ab eo poſsent auferri ab ipſomet Deo, quòd non repugnat.

Ob. 4. Sequeretur quòd illud corpus replicatum in duplici loco, poſset hìc amare, v.g. Petrum, Romæ verò odio habere, ſed hoc implicat, ergo &c. ſequela prob. quia cum eſset replicatum poſset ſecundùm vnam præſentiam, odio habere, ſecundùm aliam, amare.

Reſp. neg. ſequelam, ad probationem dico, tale corpus non fore replicatum in ſe, quaſi quod eſſet vna, & alia ſubſtantia, ſed reſpectu loci, vnde poſset ea omnia contradictoria recipere, quæ ſe tenerent ex parte loci, non verò ea quæ ſe tenerent ex parte ſubſtantiæ; quare .i. tale corpus per ſuam uirtutem correſponderet duplici loco, cum tamen eſset unum, & idem reſpectu ſubſtãtiæ, non poſset recipere contradictoria, quæ reſpectu ſubſtantiæ uerificarentur. Vnde ſicut Anima .i. ſit vbiquiti replicata in corpore, quia tamen eadem eſt in ſubſtantia, ideo non poteſt odio habere in pede, & amare aliquem in capite, quia amare, & odio habere

bere verificarentur respectu Animæ, non respectu suæ virtualis replicationis. potest autem sentire in neruis, & non in ossibus, quia cum sentire sit quoddam accidens, quod spectat ad Animam ratione corporis, secundùm diuersas partes in quibus replicatur, potest hæc contradictoria subire; ita pari modo dicendum est respectu corporis locati in duplici loco, quòd scilicet corpus in duplici loco locatum, possit habere ea omnia contradictoria, quæ illi conueniunt ratione loci, non verò ea quæ illi conueniunt ratione substantiæ, cum illud corpus esset replicatum ratione loci, non ratione sui; sicuti enim, si vna imago esset replicata in pluribus speculis, si vna moueretur per motum speculi, cæteræ remanerent immotæ, quia cum hunc motum haberet ratione speculi, non ratione sui, & talis motus illi conueniret ratione loci, posset secundùm vnam præsentiam moueri, non secundùm alias, quòd sic non eueniret, si imago vnius speculi moueret brachium, in tali enim casu omnes mouerent brachium, quia talis motus illis conueniret ratione sui; ita ergo dicendum est de corpore in duplici loco existente, quod haberet in omni loco accidentia, & affectiones illi conuenientes ratione sui, non ratione loci, quare.

Coll. Quòd si idem corpus esset in duplici loco,
14 si in vno moreretur, etiam in alio deberet mori, si in vno vulnus acciperet, vulneratum etiam esset in alio, & ita dicendum de omnibus aliis accidentibus, quæ illi conuenirent respectu sui, non verò quæ respectu loci; quidquid dicat cum aliquibus recentioribus Serbell. loco suprac. art. 5.

Quæres, Quomodo Deus possit ponere idem corpus in duplici loco.

Res. Secundùm communiorem doctrinam, quòd Deus in tali casu replicaret præsentiam localem, seu Vbi ipsius corporis, quod per nos idem est, ac dicere, quòd Deus multiplicaret modos accidentales essendi in loco, quod licet difficile sit captu, cum hoc tamen habeamus de fide respectu diuersæ præsentiæ Sacramentalis, & eadem replicatio præsentiæ requiratur necessariò etiam quoad replicationē corporis in diuerso loco circumscriptiuè, ideo res tenenda est, & captiuandus intellectus in obsequiū fidei; in tractatu etiam de Eucharistia, hoc diffusiùs agetur.

Coll. 1. Quòd quæ diximus de corporibus, multò magis possunt dici de substantiis spiritualibus, & Angelis, sed quia physica solùm agit de rebus corporeis, ideò in tractatu de Angelis, quæ ad ipsos pertinent, dilucidabuntur.

Coll. 2. Quòd quando diximus, idem corpus non posse naturaliter simul esse in duplici loco circumscriptiuè, intelleximus de locis adæquatis, non autem inadæquatis, cum enim secundum aliquos possit dari motus in instanti, & motus saltem supponat duos terminos, à quo scilicet & ad quem, qui sunt loci inadæquati, vnum adæquatum constituentes, ideo in instanti mobile potest esse in termino à quo, & ad quem, hoc autem prouenit ratione motus, certum est enim, se mouens, maius spatium occupare, quàm quiescens.

SECTIO VLTIMA.

De Vacuo.

15 OCcasione loci, agit hic Aristoteles etiam de Vacuo. Vacuum igitur definitur hic ab eodem Philosopho textu 57. quòd sit sit *locus corpore non repletus, aptus tamen repleri*, qua definitione Vacui excluduntur spatia imaginaria, si quidem in illis naturaliter non est possibile corpus. quare Vacuum propriè diceretur, si ab aliquo gymnasio omne corpus auferretur etiam aer, & loco illius, nullum aliud subintraret, & de hoc in præsenti est quæstio.

Vacuum autem in rerum natura, licet supernaturaliter dari possit, naturaliter tamen, nec dari de facto, nec de potentia, ferè communiter ab omnibus, & & ab ipsa experientia docemur, quidquid dicant aliqui, præcipuè Serbellonus l. 5. in Phy. quæst. 2. art. 1. Ideò enim contra naturalem inclinationem ascendit sursum aqua, attracto per fistulam aere, caro in cucurbitulis extincto igne eleuatur, folles obturato orificio aperiri nulla vi possunt, & alia huiusmodi eueniunt, quæ videre est diffusè apud Authores, & præcipuè Conimbr. c. 9. quæst. 1. ne detur vacuum; in fistula enim, si dum attrahitur aer inclusus, aqua statim non ascenderet, daretur vacuum, in cucurbitulis cum aer ibi inclusus ratione ignis rarefactus, extincto igne condensetur, & per consequens minus spatium occupet, si caro non eleuaretur ad occupandum spatium relictum ab aere, daretur vacuum, & ita dicendum de follibus, quare cum hoc certum sit, & contrarium asserere sit contra totam Philosophiam, solùm quærendum est quænam sit huius ratio à priori, experientiis enim solum hoc deducitur à posteriori.

Neq. dicas, experientiis solùm probari naturam 16
abhorrere vacuum, atq. adeo totis viribus semper conari declinare à vacuo, non autem pro aliquo instanti saltem, & cum violentia naturæ, dari non posse; hoc enim posse dari, & ipsa experientia testes comprobant: si enim v.g. ictu securis diuidatur in instāti durissimus lapis bipalmaris in duas partes, vtraq. medietas lapidis in eodem instanti, & signo tota simul diuiditur, ita vt non vna priùs, quàm alia, alioquin partes infinitè dicerentur, ergo in illo instanti, in quo illæ duæ partes diuelluntur, datur inter illas vacuum, saltem ad breue tempus: hæc conseq. prob. spatium enim, quod resultat inter illas duas partes cum sit aliquo pacto extensum, non potest repleri in istanti ab aere, qui subintrare debet, successiuè enim, & per motum localem priùs occupat vnā partē, & deinde aliam. Item repleatur vas eneum aqua calidissima, rectèq. occludatur, ita vt neq. aer, neq. aliud corpus ingredi possit, illa aqua post breue tempus se reducet ad pristinam frigiditatem, atq. adeo minorem locum occupabit, quàm antea, quæ enim sunt calida, vtpotè rarefacta maiorem locum occupant, ergo ille locus, à quo recedet aqua

se

ſe condenſando, remanebit vacuus, neque enim aliquod corpus propter denſitatem vaſis ingredi poteſt.

Reſ. Neq. pro inſtanti poſſe dari vacuum, cum enim omnia corpora ex decreto Dei, vt infra, naturali quadam adhæreſcentia ſint inuicem quodammodo connexa, & colligata, ideo ad motum vnius corporis immediatè illi ſuccedit aliud corpus, quod illi erat contiguum; quare ad exemplum allatum dico, vel in inſtanti indiuiſibili non inuicem diuelli medietates marmoris inciſi, vt cum multis affirmat Auerſa, vel ſi in inſtanti, etiā in inſtāti ab aere vicino occupari ſpatium, quod reſultat inter partes marmoris ſecti; Neq. valet, aerem occupare locum per motū localem ſucceſſiuè, partem .ſ. poſt partem, non verò in inſtanti. Nam ſicuti dicunt aduerſarij, quamlibet medietatem marmoris ſecti in inſtanti, ſaltem per ſpatium palmare inuicem ſegregari, dico ego, quòd ſicuti tales partes marmoris, nō acquirendo partem poſt partem ſpatij ſucceſſiuè, ſed omnes ſimul in iſtanti, per ſpatium palmare inuicem ſegregantur, ſic eodem modo in inſtanti, aer vicinus occupat omnes partes ſpatij reſultantis inter medietates ſecti marmoris, neq. enim eſt maior ratio de medietatibus marmoris ſecti, ac de aere. Quare neſcio quomodo hac experientia, tātū terreatur Spinula, vt quaſi illi cædendum eſſe aſſerat, & Serbellonus ita illi cedat, vt propterea, ſaltem ad breue tempus, dari vacuum, conſtanter deffendat. Ad ſecundam experientiam.

Reſ. Quòd .l. aqua calida incluſa in vaſe æneo, citò ſe reduceret ad naturalem frigiditatem, attamen non minorem occuparet locū, non enim in tali caſu magis condenſaretur, ſed à natura ita rareſacta, vt priùs erat, etiam reducta ad frigiditatem, conſeruaretur ad impediendum vacuum, nun enim raritas, & calor conuertuntur, ita quòd ſolùm calida ſint rara, aer enim .l. ſummam raritatem habeat, attamen in multorum ſententia de ſua natura eſt frigidus. Hoc ergo ſuppoſito, quærendum eſt quænam ſit cauſa à priori, cur non detur vacuum.

17 Prima Concluſio. Implicantia Vacui in rerum natura non prouenit ex intrinſeco creaturarum, ſed ab extrinſeco, à Decreto .ſ. Dei. Hæc Concluſio eſt Auerſæ quæſt. 27. Phis. ſec. 8. de Vacuo, Maſtrij diſp. 12. de Vacuo quæſt. 2. & aliorum.

Prob. prima pars. Si Vacuum non poſset dari in rerum natura ex intrinſeca exigentia ipſiuſmet naturę, vel eſset quia impediretur influxus cœlorū, qui cum directus ſemper debeat eſse, ſi daretur Vacuū, non eſset directus, cum enim per ipſum nō poſſet tranſire, à lateribus ipſius in corpus ipſi immediatum deberet deſcendere; vel quia locus habet de ſuo intrinſeco trahere ad ſe locatum; vel quia res exigunt ad propriam conſeruationem eſſe vnitas non ſeparatas, eſſent autem ſeparatæ, ſi inter ipſas mediaret Vacuum; vel denique quia daretur penetratio corporum, cum enim Deus à principio tantam materiam condiderit, quæ mundum impleat, ſi daretur vacuum in vna parte, deberet corpus locari vbi eſſet aliud, ſed ex his omnibus non poteſt deduci implicantia vacui, ergo talis implicantia non prouenit ex intrinſeco creaturarum, min. prob. de ſingulis.

Et primò quidem, etiam ſi daretur vacuum non impediretur influxus cœlorum, nam non eſt certum quòd neceſſariò directè influāt, quare in tali caſu influerent à lateribus vacui; deinde ſi per breue tempus aliquod corpus non reciperet influxus cœlorum, per hoc non ſubuerteretur ordo Vniuerſi. 18

Neq. prouenit implicantia Vacui, quia locus trahat locatum, ex eo quia communiter locus non efficitiuè, ſed finaliter concurrit ad motum; Deinde ſi locus talem haberet uim, eſſet locus naturalis, nō violentus, at ad tollendum vacuum, etiam extra locum naturalem aſcendit aqua, ergo, &c.

Neq. implicat vacuum, quia res propter ſuam conſeruationem exigant eſſe vnitas, quia res magis conſeruantur in proprio, & naturali loco, quàm in violento, at ad tollendum vacuum ad violentum aſcendunt, ergo non propter propriam conſeruationem; Deinde ad tollendum vacuum aliquando vniuntur rebus, à quibus deſtruuntur, ergo ſignum eſt, non illis vniri propter conſeruationem propriam.

Non deniq. eſt implicantia Vacui, quia daretur penetratio corporum, nam datur rarefactio, & condenſatio corporum, & tamen non datur penetratio, ergo etiāſi daretur Vacuum, abſq. eo quòd corpora penetrarentur, poſſent condenſari, quare clarè innoteſcit, ab intrinſeco Creaturæ nullo pacto prouenire implicantiam Vacui.

Prouenit ergo (& ſit probatio ſecundæ partis) ab extrinſeco, & à decreto Dei, quia ob bonum totius Vniuerſi, ita determinauit, cum enim maxima perfectio ſit Vniuerſi, quòd ſemper permaneat integrum, & per ſuas partes connexum, atque coniunctum, ex eo quia perfectior ſit unitas, quàm pluralitas, ideò ad talem perfectionem Vniuerſi decreuit Deus, ut nullum eſſet Vacuum in rerum natura, à quo eſset diſtinctum, & ſeparatum totum Vniuerſum, & hæc eſt ratio à priori tutior, & probabilior.

Quæres 1. A quo moueantur corpora ad impediendum vacuum, & an talis motus ſit violentus, an naturalis, quando v.g. aqua ſurſum aſcendit in fiſtula ad impediendum vacuum. 19

Reſ. Quidquid dicant aliqui, vt videre eſt apud Maſtrium diſp. 12. quæſt. 2. talia corpora moueri ab Agente, & motore mouente corpus, cuius loco ſuccedunt, cū enim ex decreto Dei omnia corpora ſint colligata, ideo agens quod mouet vnū corpus, mouet & corpus annexum, & ita qui attrahit, v.g. aerem à fiſtula, etiam eleuat efficienter aquam ad impediendum vacuum; talis autem motus ſi ſumatur in ordine ad id, cuius eſt motus, poteſt dici uiolentus, ut aſcenſus aquæ, ſi uerò attendatur in ordine ad bonū totius Vniuerſi, erit naturalis, cum reſpectu boni Vniuerſi quodcumq. corpus habeat uirtutem motiuam ad quemcumq. locum, quando opus eſt replere uacuum.

Quæres 2. An ſi per Dei omnipotentiam daretur Vacuum, in eo poſset fieri motus, & præcipuè localis, & ſi fieret, an eſset ſucceſſiuus, uel inſtantaneus.

Reſ-

Resp. primò. Motum omnem posse dari in Vacuo; ita fere communiter vt videre est apud Auer. sam quæ. 5. supracitata sec. 9. Mastrium disp. 12. quæ. 3. art. primo, Spinulam, Serbell., Morandum, Guarinum, & alios. De generatione, corruptione, alteratione, & augmentatione patet, cum enim tales motus non dependeāt à loco reali, ideò in Vacuo possent dari, si enim ignis esset in Vacuo, & combustibile lignum proximum haberet, quis prohiberet ne combureret? motus etiam localis posset dari, quia si Angelus qui non pendet à pleno, esset in ipso, cur moueri non posset & secum trahere lapidem? cur non posset emittere sagittam? cum enim Vacuum non esset actiuum, neq. esset resistitiuum. Verum tamen est, quòd si corpus existens in Vacuo tangeret superficiem corporis circumambientis, tunc naturaliter non posset moueri in vacuo, quia corpus tangens illud attraheret, quare si aliquis vellet ambulare super pauimentum cubiculi vacui, non posset pedes mouere, quia pauimentum illos mordicùs retineret, ne s. dum pedes attolleret, inter pedes, & pauimentum, vbi non erat Vacuum, de nouo daretur.

Resp. 2. Motum in Vacuo futurum successiuum, cum enim successio motus non oriatur à resistentia medii, sed à spatio, quod vtiq. ibi esset, ideò talis motus posset esse successiuus; quare si mobile non haberet virtutem motiuam sufficientem ad transeundum totum illud Vacuum in instanti temporis, esset motus successiuus, & respectu spatii, & respectu temporis.

Aduert. tamen, quòd motus localis non esset ad locum realem, cum in vacuo non esset superficies corporis, &c. sed ad locum negatiuum, seu spatiū. Et hæc sufficiant de Vacuo.

Agit hic Aristoteles de Tempore, cum enim corpus nedum sit in loco, sed etiam in tempore, ideò postquam pertractauit, quæ ad locum, postea quæ ad tempus spectant, perquirit, sed quia tempus est mensura motus localis, ideò cognosci non potest perfectè tempus, si ignoretur quid sit motus localis; quare vt temporis perfecta cognitio habeatur, post disputationem de motu locali, in sequenti libro examinandam, etiam naturam temporis perquiremus. Et hæc satis sint dicta in hoc quarto libro Physicorū.



DISPVTATIO PRIMA

In Quintum librum Physicorum Aristotelis, de Motu Locali.

Multa in hoc libro definit Aristoteles de motu, præcipuè tamen de speciebus ipsius motus sermonem habet, cum ergo nos quæ conueniunt motui communiter accepto, explicauerimus in tertio libro, remanent solùm videnda, quæ ad quemcumq. motum in specie spectant, & quia de motu alterationis, & augmentationis in suo loco erit agendum, ideò hic solùm quæ ad Motum Localem spectant dilucidabimus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Motus Localis.

Prima Conclusio. Motus localis est actus, seu transitus connotans coexistēt ā mobilis ad diuersas partes spatii. Ita communiter.

Prob. Motus localis saltē debet esse inter terminum à quo, & inter terminum ad quem, ergo mobile se mouendo debet coexistere diuersis partibus spatii, ergo motus localis consistit in actu, seu transitu mobilis connotante coexistentiam, &c. antecedens prob. si enim mobile sisteret in vno spatio, licet produceret virtutem motiuam, tamen non diceretur moueri localiter, cum non acquireret nouum terminum localem, sed potiùs moueretur motu alterationis, cū intenderetur talis virtus.

Secunda Conclusio. Mobile in instanti per motum localem potest esse in duplici loco inadæquato. Est Ariminensis in secundo, distinct. 6. quæst. 3. Art. 2. ad primum, & alibi, & aliorum paucorum.

Prob. 1. Moueatur Angelus in instanti, vel acquiret nouum terminum, vel non; si non, ergo non mouebitur localiter, & ita nunquam poterit moueri, qui enim in primo instanti non mouetur, nec in secundo poterit moueri, si acquiret, hic erit terminus ad quem, sed in eodem instanti est in termino à quo, ergo mobile per motum localem poterit esse in duplici loco inadæquato, in termino s. & à quo, & ad quem.

Prob. 2. de mobili quantitatiuo exigente locũ circũscriptiuè. Vel potest moueri in instãti, mobile quantitatiuum, vel non potest moueri; si potest moueri, ergo ad terminum ad quem, & ita in eodem instanti erit in duplici spatio; si non potest moueri, ergo nunquam mouebitur, qui enim in primo instanti non potest moueri, nec in secundo mouebitur cum eadem sit ratio de secundo, ac de primo.

Prob. 3. Moueatur in aliquo instanti aliquod mobile, à loco A, ad locum B; vel in tali instanti est totum in loco A, vel totum in loco B, vel in vtroq. vel in neutro; non totum in loco A, quia non esset mutatum, non totum in B, quia non diceretur mutari ad B, sed esse in B, contra suppositum; non in neutro, omne enim quod est, etiam in motu, alicubi est, ergo in vtroq. si enim in eodẽ instanti non mutaretur ex A, non posset dici mutatum in B, ergo &c.

Tertia Conclusio. Motus locales varii sunt; Ita ferè communiter.

Prob. Quia diuiditur motus localis, in motũ ante, & retro, in motũ sursum, & deorsũ, in motum destrorsum, & sinistrorsum, in motum circularem, & rectum, & in alios huiusmodi. Res est parui momenti, nec diutiùs in ea immorandum.

Quæres. Quænam possint moueri localiter.

Resp. Omne diuisibile, & etiam indiuisibile, siue incorporeum, siue corporeum posse moueri localiter. De primo, & de indiuisibili incorporeo nulla est difficultas; de secundo, seu de indiuisibili corporeo prob. indiuisibile potest ab extrinseco modò poni in vno spatio, modò in alio, sed hoc importat motum localem, ergo &c. mai. prob. quia nulla est implicantia vt suo loco; min. patet, ergo, & consequentia.

SECTIO II.

A quo proueniat Velocitas, & tarditas motus Localis.

VArii varias architectati sunt machinas ad verã velocitatis, & tarditatis motus localis inquirendam rationem, quæ, quia potiùs aereæ, nec vllo philosophico fundamento suffultæ, faciliter philosophicis rationibus prolabentur, ex earumq. ruina, inexpugnabilis consurget vera, & germana ratio. Quia ergo crediderunt, quodlibet mobile ad productionem cuiuscumq. minimæ partis, seu indiuisibilis motus, acquirere tot puncta indiuisibilia spatii, ita vt ad primum indiuisibile motus acquirat primum indiuisibile spatii, ad secundum, secundum, & sic de cæteris, ita tamen vt productio cuiuscumq. indiuisibilis motus correspondeat instanti, seu indiuisibili temporis; ideò non intelligentes quomodo Aquila, v. g. & Testudo incipientes se mouere in vno instanti, & ab vno puncto spatii v. g. A, in quadrante tamen horæ, Aquila percurrat vnum milliarium, Testudo verò tres passus, cum enim ambæ ad omne instans temporis, solùm vnum indiuisibile motus producant, & illo, acquirant solùm vnum indiuisibile spatij, eodem tempore eũdem terminum videntur debere attingere.

Alij dixerunt, tardiùs peruenire ad terminum præfixum Testudinem, quàm Aquilam, quia Aquila post vnum indiuisibile motus, immediatè, & statim aliud indiuisibile promit, & post hoc aliud, & aliud celeriter; Testudo verò postquam unum indiuisibile motus fecit, aliquantisper moratur, & postea aliud indiuisibile promit, & post hoc iterum moratur, & sic deinceps, & ideò propter has morulas, quas interponit inter indiuisibilia motus, tardiùs attingit terminum.

Alii dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinẽ quàm Aquilam, quia cum tàm vna, quàm alia constet ex indiuisibilibus quantitatiuis inflatia, vnumquodq. quorum correspondet, vel vni, vel pluribus indiuisibilibus spatii, potest Aquila in instanti se mouendo, per vnum indiuisibile quantitatiuum inflatum relinquere simul plura indiuisibilia spatii, quæ occupabat, & alia plura in instanti acquirere, ita vt v. g. si vno suo indiuisibili quantitatiuo inflato A v. g. occupat 4. indiuisibilia spatii B. C. D. E. in instanti possit hoc suo indiuisibili inflato relinquere hęc 4. indiuisibilia spatii, & alia 4. acquirere, Testudo verò, licet etiam ipsa constet ex indiuisibilibus quantitatiuis inflatia, quia tamen non habet magnam virtutem motiuam, ideò solùm vnum indiuisibile spatii, vel duo, in instanti relinquit, & acquirit.

Alii dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinem quàm Aquilam, quia Aquila velociter se mouendo saltat quædam indiuisibilia spatii, quòd non facit Testudo quę omnia percurrit.

Alii dixerunt, Aquilam, & quodcumq. aliud mobile, celeriùs moueri respectu maioris virtutis, & minoris resistentiæ medii, Testudinem verò, & quodcumq. aliud lentum mobile tardè moueri respectu minoris virtutis, & maioris resistentiæ medii.

Alii deniq. dixerunt, ideò tardiùs peruenire Testudinem, quàm Aquilam ad terminum præfixum quia Aquila producendo primum indiuisibile motus propter suam magnam virtutem ita illud producit intensum, vt correspondeat pluribus indiuisibilibus spatii, & ita v. g. per tria indiuisibilia intensa motus, acquirit 9. indiuisibilia spatii, sicq. celeriùs attingit terminum, quòd non potest facere Testudo, quæ cum paruam virtutem motiuam habeat, ideò producit tot indiuisibilia motus solùm correspondentia tot indiuisibilibus spatii. Vtrum ergo aliqua ex his rationibus sit assignabilis pro celeritate, & tarditate motus, examinandum est. Quare sit.

Prima Conclusio. Velocitas, vel tarditas motus non prouenit formaliter à morulis interceptis 4
in ipso motu; Est contra Galenum lib. primo de dignoscendis pulsibus, Ouiedum cont. 17. physicæ punc. 9. §. 2. Arriagam disp. 16. physicæ sec. 11. num. 223. Spinulam in disp. 15. sect. 3.

Prob.

Prob. primò. Si hoc esset, sequeretur aliquod mobile se velociter mouens in vna hora, magis quiescere, quàm moueri, sed hoc videtur improbabile ergo, & id exquo sequitur; sequela prob. moueatur Aquila velocissimè, & etiam eodem tempore moueatur sol, & vltima sphæra, certè si Aquila in spatio vnius horæ peruolabit vnum milliarium, sol in eodem tempore percurret 20. milliaria, & quadruplo magis vltima sphæra, si ergo Aquila tardiùs mouetur, quia interponit morulas in suo motu, necesse esset, quòd postquam produxit primum indiuisibile motus correspondens primo indiuisibili motus producto à sole, sisteret per tot indiuisibilia motus, per quot plura indiuisibilia spatii acquireret sol, & quia sol (ex supposito quòd omne milliarium solùm per mille indiuisibilia motus acquiratur) 20. millia indiuisibilia motus promeret in vna hora. Aquila verò solùm mille, ideò per 19. millia indiuisibilia temporis, in quibus sol produceret 19. millia indiuisibilia motus, Aquila deberet quiescere, seu 19. millia morulas promere, & tantò magis, si compararetur illius motus ad motum vltimę sphæræ, quò quid absurdius? cum maior esset quies, quam motus, quòd erat probandum.

Neq. valet dicere, quòd nullum ex hoc sequeretur absurdum, cum enim illæ morulę non perciperentur sensibus, sed motus videretur successiuus, ideò maior non videretur quies, quàm motus: tùm quia primæ non coniungerentur postremis, vt faceret vnum indiuisibile motus aliis indiuisibilibus, cum enim morula sit negatio motus, postquam cessauit, non potest coniungi cum subsequenti.

Resp. enim, dato etiam quòd sensibus non perciperentur morulæ, sicuti neq. per aliquos percipitur ipse motus. cum solùm cognoscatur ex distantia acquisita a mobili, per hoc tamen non

2 argui, non futuram maiorem quietem, quàm motum, cum enim Aquila post omne indiuisibile motus deberet quiescere per 19. indiuisibilia temporis, in quorum successione 19. indiuisibilia motus sol produceret, ideò transacto spatio horæ, 19. millia fuissent indiuisibilia quietis, & mille indiuisibilia motus. Neq. per hoc quòd non coniungantur hæ morulæ, sicuti facit motus, arguendum est, non futuram maiorem quietem quàm motum, nam solū posset argui, quòd nō perciperetur maior quies quàm motus, non verò quòd de facto non esset; immo etiam dico, quòd si tot interciperentur morulæ inter vnum indiuisibile motus, & aliud, perciperentur, si non sensu, saltem intellectu, sicuti enim intellectus potest percipere has morulas, seu quietem durantem per 19. indiuisibilia temporis in aliquo ente permanente, ita etiam posset cognoscere, si essent, in aliquo ente successiuo, sicuti optimè eas cognoscit in motu, quo aliquod fluidū guttatim descendit ab aliquo eminenti loco.

5 Prob. 2. Si à morulis proueniret tarditas, & velocitas motus, sequeretur aliquod continuum, in motu discontinuari; sed hoc non est dicendum, ergo nec &c. Sequela prob. voluatur celeriter solida rota, in qua designati sint circuli, certò ex omnium cōsensu celeriùs mouebitur pars rotæ extrema, & distans à centro, quàm proximior centro, & eo tempore, quo v. g. circulus remotus tria puncta acquiret, circulus propè centrum vnum punctum solùm pertransiet; si ergo pars rotæ proxima centro tardiùs mouetur, quia postquam produxit vnum indiuisibile motus correspondens vni indiuisibili spatii v.g. A (vt apparet in præsēti figura.)

correspōdēti itidē spatio A, acquisito à parte remota rotæ, deberet sistere, & producere tot morulas, quot īdiuisibilia motus, & spatij produceret, & acquireret pars rotæ distans à centro, ad hoc vt pertingeret ad punctum tertium spatii B circuli superioris correspondens primo puncto A acquisito à parte rotæ inferiori, sequeretur quòd linea ducta inter punctū primum A rotæ inferioris, & punctum primum A rotæ superioris, inflecteretur vsq. ad tertium B. rotæ superioris, & sic discontinuari continuum, quod erat probandum.

Neq. valet dicere, produci quidem morulas à parte rotæ proximiori centro, non verò discontinuari continuum, nec inflecti lineas, quia cum vnum punctum quantitatis rotæ inferioris correspondeat tribus rotæ superioris, inde est, quòd in eodem instanti, in quo vnū pertransit rota inferior, tria pertranseat rota superior, & sic pars rotæ inferior non mouetur tardiùs parte superiori respectu temporis, sed respectu minoris spatii acquisiti.

Resp. enim, ridiculum esse admittere morulas in motu, & non admittere respectu temporis, cum morula nihil aliud sit, quàm quies in instanti, ī quo pertransit tempus; sed dato quòd in eodem instāti pars inferior moueatur per vnum punctum, pars verò superior per 3. puncta, vel pars superior rotæ se mouens per 3. puncta, hoc facit per 3. indiuisibilia motus, vel per vnum: si per 3. ergo, & per 3. indiuisibilia temporis, & ita per tot indiuisibilia rota inferior deberet quiescere; vel hoc facit per vnum indiuisibile motus, & hoc non potest esse, quia omne indiuisibile motus, ex ipsis, solùm vni indiuisibili spatij correspondet, ergo &c.

flato mobilis, & ideò adhuc esset inquirendum, cur vnũ indiuisibile inflatum posset occupare plura indiuisibilia extensa in eodem instanti.

9 Tertia Conclusio. Neq. velocitas, aut tarditas motus consistit in eo, quod mobile velox saltet aliqua puncta spatij, quod non facit mobile tardum. Est etiam contra aliquos relatos ab Ouiedo.

Patet Conclusio. Cum enim corpus necessariò debeat moueri per medium, ideò omne mobile debet percurrere quæcumq. puncta spatij, per quæ transit.

Ad stabiliendam nostram Conclusionem. Notãdum est, quòd potest causa motus producendo motum indiuisibiliter, & in instanti indiuisibili, non tamen indiuisibilem, sed diuisibilem motum producere quoad intensionem, quandoque.s. maiorẽ, quãdoq. minorem, hoc patet in productione aliquorum accidẽtium, vt v.g. in calore producto ab igne, si enim ignis sit vehemens, vt in ferro ignito, indiuisibiliter, & in instãtaneo contactu producit quatuor, & quinque gradus caloris, quòd sic non facit ignis minùs vehemens, vt in carbone, qui ad instantaneum contactum, vel vnum solùm gradum indiuisibilem caloris producit, vel solùm duo, sic ergo dicendum est de motu, hocq. prouenit, quia motus potest intendi, & remitti ad modum aliarum qualitatum, & accidentium. Hoc supposito. Sit.

10 Quarta Conclusio. Velocitas, vel tarditas motus localis formaliter consistit in eo, quòd mobile per intensiorem, vel remissiorem virtutem, producit in quocumq. instanti indiuisibili motum .s. indiuisibilẽ quoad tempus, & quoad productionem, magis, vel minùs diuisibilem quoad intensionem, ratione cuius maiora, vel minora indiuisibilia spatij acquirit, ita vt motus sit summè velox, quando in quocumq. instanti indiuisibili producitur motus maximè intensus, & diuisibilis, & per eum in instãti acquiruntur plura indiuisibilia spatij, summè verò tardus, quando vel nihil, vel parum intensus producitur, & solùm vnum, aut duo indiuisibilia spatij acquiruntur. Hæc conclusio aliquo pacto defenditur à Tellez parte 2. Philos. dis. 35. sect. 2. num. 26. ita tamen explicatam penes neminem vidi, esse tamen probabilem, & euidentem, subsequentes rationes mihi suadent.

Prob. 1. Data hac sententia optimè saluatur respectu cuiuscumq. mobilis in eodem instanti celeritas, & tarditas motus, ergo est amplectenda; antecedens prob. ideò in spatio vnius horæ Testudo mouetur per tres passus, Aquila per vnum milliarium, Sol per plura. &c. quia ad omne instans temporis quodcumq. mobile iuxta proportionem suę virtutis producit indiuisibiliter motum, magis, vel minùs, vel nihil intensum, ratione cuius, vel plura, vel pauciora acquirit indiuisibilia spatij, ergo &c.

Neque dicas, hoc implicare, cum enim vnum quodq. indiuisibile quantitatiuum mobilis correspondeat indiuisibili spatij, ita vt si mobile constet ex 20. indiuisibilibus quãtitatiuis, in tot indiuisibilibus spatii debeat sẽper morari, si esset uera hæc sententia, unum indiuisibile quantitatiuum in pluribus indiuisibilibus spatii eodẽ tempore maneret, quòd repugnat.

Resp. enim. Verum esse, mobile quiescens tot debere correspõdere indiuisibilibus spatii, quot indiuisibilibus quantitatiuis ipsum constat, non tamen hoc uerificari in mobili se mouente, cum enim possit dari motus in instanti, & de ratione motus sit saltem relinquere unum indiuisibile spatii, & aliud acquirere, ideò in instanti idem indiuisibile quantitatiuũ potest esse in duplici indiuisibili spatii, & sic in duplici loco, inadæquato tamen, quòd non repugnat; quòd si potest esse in duplici, cur non in multiplici, quando maxima, & intensa est uirtus Agentis?

Neq. redicas 2. Nõ posse in multiplici, quia tũc non esset motus instantaneus, sed successiuus, cum enim deberet acquiri unum indiuisibile post aliud, ideò talis motus esset successiuus. 11

Res. enim. Quòd in tali casu non acquireretur unum indiuisibile post aliud, posterioritate temporis, sed solùm ordinis, eodem enim tempore, & instanti, omnia indiuisibilia spatii correspondentia intensioni motus producti, uel impressi in mobili, acquirerentur à mobili, ita ut si mobile u.g. constaret ex 10. indiuisibilibus quãtitatiuis, & ab omnibus produceretur, uel omnibus imprimeretur seorsim motus sufficiens ad acquirẽdũ in instanti 3. indiuisibilia spatii, in instãti, in quo moueretur tertiũ indiuisibile quantitatiuum proximum spatio acquirendo, per talemque motum acquireret tria indiuisibilia spatii, in eodem instanti indiuisibilia remotiora, & relinquerent spatium, quod occupabant, & pariter tria indiuisibilia spatii acquirerent, quod vtiq. fieri potest in instanti ob intensionem ipsius motus producti, vel impressi in mobili.

Neq. dicas tertiò. Non posse dari tale indiuisibile motus instantaneum, cum de ratione motus sit successio, nec possit fieri in instanti.

Resp. enim. Verum esse motum debere esse essentialiter successiuum, quoad acquisitionem spatii, non autem quoad tempus; .s. enim quasi semper sit successiuus quoad tempus, tamen talis motus successiuus constat ex multis motibus instantaneis, nã (& hæc sic ratio ad hoc probandum contra authores contrariæ sententiæ) vel ad primum indiuisibile motus mobile mouetur, vel non: si mouetur, ergo in instanti mouetur, & in instãti saltem in duobus indiuisibilibus spatij reperitur .s. in eo à quo discedit, & in eo, ad quod accedit: si non mouetur, ergo numquam mouebitur, quod enim in primo nõ mouetur, nec in secundo potest moueri, & ex hoc deducitur esse falsũ, quod dicunt aliqui, nõ dari primũ indiuisibile motus, vt etiã supra probabamus. 12

Neq. redicas quartò, mobile quidem moueri in primo instãti, non tamen in instãti reperiri in utroque termino, à quo .s. & ad quem, nam sicuti materia .s. in eodem instanti, & expolietur forma substantiali, & noua forma informetur, attamen in eodem instanti non dicitur esse sub duplici forma substantiali totali, si .s. mobile in eodem instanti, & relinquat terminum à quo, & acquirat terminum ad quem, non dicitur esse in utroq. extremo. Tum quia, sicuti materia nequit, nec in instanti stare cum duplici forma substantiali totali, quia est incapax 13

alias

illas ſuſcipiendi, ſic mobile, aut indiuiſibile, aut quãtitatiuum cum ſit incapax, ut in duplici loco, etiã inadæquato, locetur, non poteſt neq. duplici loco etiam inadæquato commenſurari.

Reſ. negando, mobile ſe mouens in inſtanti non futurum in duplici loco inadæquato; nam in tantum materia non ſtat in inſtanti cum duplici forma ſubſtantiali totali, quia in inſtãti in quo eſt forma noua, antecedens iam eſt corrupta, non quòd in eodem inſtanti, & corrumpatur forma antecedens, & noua generetur, ſed quòd in inſtanti antecedenti ad productionem formæ, antecedens corrumpitur, .I. enim expulſio talis formæ ſit effectus formalis formæ de nouo introductæ, attamen ſufficit, quòd ab ipſa dependeat, .I. non ſit in materia dum ipſa exiſtit; dependet autem quia in tantùm corrumpitur forma antecedens, in quantùm noua producitur, quòd importat dependentiam formæ corruptæ à forma de nouo genita; ſic autem non euenit in mobili inſtantaneè ſe mouente, ſi enim in eodem inſtanti diſcedit à termino à quo, ſeu ab Vbi, in quo quieſcendo reperiebatur, & ad terminum ad quem accedit, ſeu nouum Vbi acquirit, ideò in eodem inſtanti dum mouetur, in duplici Vbi reperitur, .I. poſtea in inſtanti ſubſequenti, in quo quieſcit, in vno ſolo reperiatur. Ratiò autem præter aſſignatas eſt, quia ſi in tali inſtãti non eſt in duplici Vbi, ergo quia iam deperdidit primum Vbi, ſi ergo deperdidit, uel deperdidit in illo inſtanti, vel in inſtãti antec., non in antecedenti, quia in antecedenti mouebatur, atq. adeo in tali vbi locabatur, neq. etiam in illo inſtanti, in principio enim inſtantis erat in illo, ergo & in fine inſtantis, cum inſtans non habeat partes, & idem ſit principium, & finis: quare abſolutè aſſerendum eſt, non implicare, mobile in motu poſſe eſſe in duplici loco, non permanenter tamen, ſed tranſeunter, in illo ſiquidem, à quo diſcedit, illũ relinquendo, & in illo ad quem accedit, illum acquirendo, ſicuti dum quis actualiter exit ab aliquo oſtio. .I. ceſſet ubicari ſub tali oſtio, in actu tamen quo deſerit talem ubicationem, non eſt totaliter excluſus à tali ubicatione ſub tali oſtio, quòd. Confirm. ex implicantia uacui, quę communiter conceditur: quando diſcedit ab aliquo loco corpus, uel in eodem inſtanti ſubintrat in eo loco aer ad impediendum uacuum, vel in inſtanti ſubſequenti, non in eodem inſtanti, quia ille locus, .I. ceſſet vbicari, tamen non eſt inubicatus, atque adeo neq. capax duplicis corporis, ergo in inſtanti ſubſequenti, ſi ergo in iſtanti ſubſequenti, ergo in iſtanti in quo diſcedit corpus ab illo, & ad alium accedit eſt in vtroq. in illo .ſ. quem relinquit, per diſceſſum, & in illo quẽ acquirit, per acceſſum, quæ omnia .I. captu difficilia ſint, cum tamen ſint conſona rationi, firmiter, & indubitanter tenenda sũt. Ex hoc autem non ſequitur aliquod mobile locari in duplici loco, locatio enim importat commenſurationem, ſeu definitionem locati ad locum, quæ non eſt dum mobile à loco, illum relinquendo, diſcedit, eſt enim in illo, non per vbicationem formaliter, ſed per hoc quòd relinquat illam vbicationem, ſicuti ſi ab aliquo vaſe fluat aliquis liquor .I. exeat à vaſe, & relinquat continen in uaſe, attamen in inſtanti, in quo relinquit vas, eſt in uaſe, neque enim vas relinqueret, niſi in uaſe eſſet, nec poſſet dici actualiter exire à uaſe, ni in uaſe eſset, benè uerò iam exiiſse. Hoc ergo dicito, & de corpore reſpectu loci, quem relinquit, quòd .ſ., licet non ſit formaliter in illo ubicatum, dum illum relinquit, tamen in illo ſit, in quantùm illum relinquit. Quare ceſsando poſtea à motu, in uno ſolo locò formaliter ubicatur,

Prob. 2. Concluſio. Si daretur vacuum in aliqua aula, & à tecto ipſius deſcenderet corpus, vel deſcenderet in inſtanti, vt volunt aliqui, vel ſi ſucceſſiuè, ſaltem breuiori tempore, ac deſcendiſſet, ſi in illa fuiſſet plenum, ſed hoc proueniret, quia deficiente reſiſtentia medii ad omne inſtans temporis, maiora ſpatii indiuiſibilia tranſiret, ergo tantò magis ratione virtutis mobilis, & intenſioris motus velociter illud impellentis, poterit eodem inſtanti plura indiuiſibilia ſpatii acquirère, & ſic velocitas motus conſiſter in acquiſitione maioris ſpatii eodem tempore, tarditas verô minoris ob intenſiorem, vel remiſiorem motum.

Neq. dicas, in Vacuo non futurum ſpatium. r4

Reſ. enim quòd licet in uacuo non foret ſpatium reale, eſset tamen ſpatium imaginarium, utpotè incluſum inter duos terminos, ualeret enim dicere à tecto, u. g. Aulæ uſq. ad pauimentum tot paſsus intercedunt.

Prob. 3. Ad poſitionem corporis luminoſi in inſtanti illuminatur totum ſpatium intra illius ſphæram, .I. lux conſtet ex pluribus indiuiſibilibus, ergo etiam in inſtanti poterunt occupari plura indiuiſibilia ſpatij à mobili per intenſiorem motum ſe mouente, antecedens .I. negetur ab aliquibus, patet tamen, nam non poteſt conſiderari corpus luminoſum, quin conſideretur etiam illuminatio ſaltem in aliquib' proximioribus indiuiſibilibus ſpatij, ergo in inſtanti in quo eſt corpus luminoſum, eſt etiam illuminatio, conſequentia prima prob. nam ſicuti Quantitas, ita & Qualitas, qualis eſt lux, debet tranſire per medium, ergo ſi qualitas in inſtanti aliqua indiuiſibilia medij tranſit, hoc poterit etiam præſtare quantitas.

Prob. vltimò. Ex hac ſententia effugiuntur abſurda, quę ſequerentur in alijs ſententijs, ergo &c. antecedens prob., nam ex hoc non ſequitur maiorem eſſe quietem in aliquo mobili, quàm motum, moueatur enim aliquod mobile lentiſſimè, Teſtudo, v. g. ſemper mouebitur, & ſolùm tardius perueniet ad aliquem terminum, quàm aliquòd ſe mouens velociter, quia in quocumq. indiuiſibili temporis ſolùm vnum indiuiſibile ſpatij acquirit, per indiuiſibile motus nihil intenſum, quod non facit velociter ſe mouens. Item non ſequitur, diſcontinuari aliquam ſolidam rotam dum mouetur, cum circulus inferior deberet ſiſtere, &c. nam .I. virtus motiua impreſſa in tota ſit æqualis in quacumque parte totæ, attamen, quia pars proximior centro eſt intimè connexa cum parte remotiori, ideò ab illa impeditur, ne tantum ſpatium percurrat quantum, ſi eſſet ſeparata, cum eadem virtute percurreret, aliquando enim tarditas motus poteſt prouenire à corpore vicino reſiſtente, quod patet in im-

pel-

pellente eodem impetu duas æquales rotulas, vnā per viam planam, alteram per saxosam, .l. enim ambæ haberent eamdem virtutem intensam, propter impedimentum, tardiùs vna moueretur, quàm alia. Item nō sequitur, idem mobile producere maiores, vel minores morulas comparatione diuersorum mobilium diuersimodè se mouentium, nam ideò quodcumq. mobile, comparetur cum quocumq. mobili, semper tardè, vel velociter dicitur moueri, quia in vno instanti maiora, vel minora indiuisibilia spatii acquiret.

25 Obi. contra hanc Conclusionem. Moueatur in instanti corpus constans 10. indiuisibilibus quantitatiuis, quorū vltimum sit O, & acquirat 3. indiuisibilia spatij v.g. A, B, C; vel vltimum indiuisibile quātitatiuum mobilis, O, proximū primo indiuisibili spatij A acquirendi, pertingendo ad indiuisibile C, transitet per indiuisibile B, vel non, si non, ergo sine medio occuparet terminum, quòd est contra omnes Philosophos, si transiret, ergo successiuè, ergo non in instanti.

Resp. Quòd tale indiuisibile quantitatiuum mobilis transiet per medium, sed in instanti, ita quòd in eodem instanti erit in principio, in medio, & in fine, acquisitio verò talium indiuisibilium spatij erit successiua, ordine, aut respectu spatij, non tempore, cum enim primum, & secundū sit preuium ad tertium, ideò prioritate ordinis, non tamen temporis, primum, & secundum erit attingendum ante tertium.

Coll. 1. Quòd etiam tarditas motus potest prouenire, ab extrinseco tamen, à maiori, vel minori resistentia medij, quando enim mobile paruam virtutem motiuam habet, tunc in superanda resistentia medii parum debilitatur, ita vt, si non resistente medio, vno indiuisibili temporis acquisiisset duo indiuisibilia spatii, resistente medio, solum vnum indiuisibile acquirat, immo etiam aliquando nullum indiuisibile spatii acquirit, .l. promat virtutem motiuam, & talis casus est, quando tarditas aliqua motus prouenit à morulis, vt supra diximus.

Coll. 2. Quòd etiam per indiuisibile motus potest mobile moueri, nam sicut mobile sistens in tot indiuisibilibus spatii solùm potest stare, & in motu potest habere pro loco adæquato plura, quàm occupabat, dum sistebat, ita, per vnum indiuisibile motus potest mobile correspondere saltem duobus indiuisibilibus spatii, & hoc ratione allata, quia ad primum indiuisibile motus debet posse assignari motus, alioquin non esset ratio cur assignaretur ad secundum, cum currat paritas de primo, ac de secundo.

Coll. 3. Motum hoc pacto posse esse summè velocem, quia semper potest habere mobile maiorē virtutem, ratione cuius, ad omne instans temporis producat indiuisibilia motus ita intensa, vt pluribus, & pluribus correspondeant indiuisibilibus spatii.



SECTIO III.

De Motu Locali, Grauium, Leuium, & Proiectorum.

ALiquos diximus in secundo Physicorum esse motus violentos, aliquos naturales; naturales sunt, qui prouenjunt a principio intrinseco illius quod mouetur: violenti verò, qui ab extrinseco contra naturam, &c. secundùm ergo hos diuersos motus, mouentur localiter mobilia, quando ergo grauia descendunt, & leuia ascendunt, mouentur naturaliter propter principium intrinsecum, quando verò grauia ascendunt, & leuia descendunt propter violentiam ab extrinseco illis impressam, mouentur violentè, & quia ab Agente extrinseco violentè proiciuntur extra propriam sphæram, ideò vocantur tunc proiecta; à quo ergo proueniat talis motus violentus proiectorum, & naturalis grauium, & leuium, hìc nobis est inquirendum; pro quo. 16

Suppon. 1. Graue, & leue sic definiri ab Aristotele 4. de Cœlo tex. 6. *Graue est illud, quod mouetur deorsum, & ad medium; leue quod sursum, & ad extremum*, quare secundùm nostra principia nihil aliud est grauitas, nisi qualitas immanens, qua aliquid impellitur deorsum, leuitas verò, qualitas immanens, qua aliquid sursum impellitur.

Neq. enim valet, quòd quidem dicunt, leuitatem non esse qualitatem; sed solùm priuationem grauitatis, vt qualitatis positiuæ. Nam si hoc esset, ratione ipsius nō mouerētur sursum leuia, priuationes enim non sunt actiuæ, at videmus leuia sursum cieri, vt ignem, fumum, exhalationes, & huiusmodi, ergo ratione leuitatis, tāquā qualitatis actiuæ in ipsis existētis. Neq. enim potest dici, huiusmodi leuia moueri ab extrinseco, non verò ab intrinseco, nam quodnā potest esse agens extrinsecū impellens, u.g. sursum ignem, aut fumum, quando aer est in summa quiete, & tranquillissimus? recurrere autem ad influxus syderum attrahentium ad se talia leuia, est merum figmentum, quare &c.

Suppon. 2. Duplicem esse grauitatem, aliam intensiuam, & aliam extensiuam. i. intensiua est, quæ in eadem parte subiecti reperitur, extensiua, quæ in diuersis partes. grauitas autem motiua grauium ad centrum est grauitas intensiua, non verò extensiua. Hoc patet experientia, si enim ex aliqua turri eodem tempore descendant lapis vnius libræ, & alter lapis 1000. librarum, in eodem tempore uterq. centrum attingit, ergo quia .l. lapis ponderosior maiorem grauitatem extensiuam habeat, ac alter lapis, attamen similem habet quoad intensionem, ita quòd tanta sit grauitas, in quocumq. indiuisibili lapidis ponderosioris, quanta in quocumq. indiuisibili alterius lapidis. Ratio autem cur grauitas extēsiua, non sit motiua grauium ad centrū, est quia, grauitas, ut extensa habet plures partes, quas moueat, quare quilibet gradus grauitatis

tatis suam partem mouet, & sic augmentum grauitatis extensiuæ compensatur magnitudine corporis mobilis, atq. adeo non ratione suæ extensionis, motum causare dicendum est.

Supp. 3. Grauia, & leuia non moueri à cœlo, quæ fuit opinio quorumdam Antiquorum, si enim esset hoc verum, sequeretur, grauia, quantò magis distant à cœlo, vtpotè ab illorum motore, tardiùs moueri, hoc autem experientia falsum est, ergo &c.

Neq. etiam mouentur à locis, ad quos tendunt, vt lapis à centro, nam si hoc esset, ille motus esset potiùs attractionis, quàm actiuus.

17 Suppos. 4. Neq. propriè moueri à generante, neq. à remouente prohibens, nam hæ potiùs sunt causæ remotæ, & extrinsecæ, non proximæ, & intrinsecæ, .I. enim verum sit, quòd generàns tribuat genito grauitatem, & leuitatem, ratione quarum, ascendit, vel descendit, nisi impediatur à prohibente talem motum naturalem, tamen talis motus non conuenit genito immediatè, nisi ratione formæ illi à generante impressæ, quare generans cum aliquando sit etiam corruptum, quando mouentur grauia, & leuia, non potest dici causa proxima, & immediata illorum motus; neq. itidem remouens prohibens, nam sicuti non dicitur causa proxima, & immediata visionis, qui aufert pannum oculos adumbrantem, quia .f. formaliter visio non prouenit ab ablatione talis impedimenti, sed à principio intrinseco, & vitali; ita neq. potest dici causa immediata motus grauium, & leuium, qui aufert solum impedimentum, à quo retinebantur grauia, & leuia, ne motum suum naturalem exercerent. His suppositis. Sit.

18 Prima Conclusio. Grauia, & leuia mouentur à se ipsis, ratione formæ substantialis, tamquam ratione causæ principalis, media tamen grauitate, & leuitate, veluti causa instrumentali. In hanc sententiã uidentur cõuenire Scotus in 2. dist. 2. quæst. 20. Zabarella lib. de motu Grauium, & Leuium cap. 12. Arefius 1. de Generatione disp. 5. quæst. 42. sect. 2. Morandus in 8. Phy. quæst. 1. Sect. dis. 1. de Ortu, & Interitu, quæst. 2. art. 3. Lalemandet disp. 9. partic. 6. de Motu Grauium, & Leuium, & alii.

Prob. 1. Forma substantialis, est principium productiuum accidentium, quæ sunt necessaria ad perfectionem, seu conseruationem compositi, cuius est, sed motus grauium, & leuium sunt accidentia necessaria ad conseruationem, seu perfectionem eorum, ergo talium motuum est principium forma substantialis, vt causa principalis: & Conf. quia motus grauium, & leuium non excedũt uirtutem, & perfectionem formæ substantialis, ergo poterunt ab ipsa produci, tamquam à causa principali.

Prob. 2. Grauia, & leuia mouentur ratione grauitatis, & leuitatis, sed hæ qualitates sunt in rebus grauibus, & leuibus, ergo grauia, & leuia mouentur à se ipsis ratione grauitatis, & leuitatis in ipsis existentium, tamquam ratione causæ instrumentalis.

Prob. 3. Ratione illius mouentur grauia, & leuia, quo remisso, vel intenso, augetur, uel minuitur eorum motus, sed remissa, aut intensa grauitate, aut leuitate, augetur, & minuitur eorum motus, ergo ratione grauitatis, uel leuitatis mouentur grauia, & leuia; ratione quidem grauitatis, tamquam ratione causæ instrumentalis subordinatæ principali .f. formæ substantiali; sicut enim ignis mediante calore, ut causa instrumentali calefacit, sic forma substantialis mediante grauitate, & leuitate causat in composito, cuius est forma, motum, uel sursum, uel deorsum.

Ob. 1. Dans esse, dat consequenter ad esse, & quod est necessarium ad sui conseruationem, sed grauibus, & leuibus ad sui conseruationem, necessaria est acquisitio loci naturalis, quæ non potest esse, nisi per motum, quando sunt in statu violento, ergo generans debet dici causa talis motus, cum det esse grauibus, & leuibus.

Resp. distinguendo mai. mediatè, vel immediatè, conc. immediatè solùm, & nego. in casu autem nostro dat consequenter ad esse mediante forma, quæ ratione grauitatis, vel leuitatis est causa motus, vel sursum, vel deorsum in grauibus, & leuibus.

Ob. 2. Omne quod mouetur, ab alio mouetur, ergo grauia, & leuia non mouentur à se ipsis, ergo à generante.

Res. Dato pro nunc antecedenti, quòd an sit verum videbitur suo loco, neg. conseq. nam .I. à generante, seu ab aliquo alio extrinseco non mouentur grauia, & leuia, mouentur tamen ratione formæ substantialis, quæ in toto composito causat talem motum, & hoc pacto saluatur Axioma, quòd omne, quod mouetur ab alio mouetur.

Ob. 3. Si grauia, & leuia mouerentur à se ipsis, sequeretur idem esse mouens, & motũ, sed hoc importat contradictionem, ergo dicendum est, non moueri à se ipsis, sed à generante.

Res. disting. anteced. Esset idem, &c. secundùm eamdem rationem, & nego, secundùm diuersam rationem, & conc. nam graue, & leue de se est mouens in actu primo, quia .f. habet grauitatem, & leuitatem, quando verò mouetur, est in actu secundo, quare in actu primo dicitur mouens, motum verò in actu secundo; sicuti enim, v.g. aqua calida, quando se reducit ad frigiditatem, dicitur se ab actu primo frigiditatis reducere ad actum secundum, ita quando graue, aut leue mouetur, ab actu primo reducitur ad secundum. Aduertendum est tamen, aliquando grauia, & leuia moueri à generante, mouentur inquam per primum motum, quem habent statim ac receperunt à generãte formas grauitatis, & leuitatis, ponuntur enim ab ipso generante, si nõ sit prohibẽs, in loco proprio naturali, quæstio autem fuit de secundo motu, qui illis conuenit, quando ampliùs non est generans, & hac distinctione saluatur Aristoteles, qui dixit à generante prouenire motum grauium, & leuium.

Secunda Conclusio. Proiecta mouentur tamquam à causa instrumentali ab impulsu in ipsis impresso à causa principali proiiciente. Ita ferè communiter contra Pererium asserentẽ lib. 14. physicæ impulsum imprimi in aere, à quo impellantur postea proiecta. 19

Prob. 1. Proiecta mouentur violenter, sed quod mouetur violenter mouetur ab alio, ergo proiecta mouentur

mouentur per impulsum à proiiciente in ipsis impressum; consequentia prob. cum enim proiiciens non possit esse semper præsens, & indistans proiecto, ideò per suum impulsum, tanquam per instrumentum, illi impressum, illud mouet, & impellit. Hic autem impulsus, est quædam qualitas, quæ producitur ab ipsomet proiiciente, & imprimitur in ipso proiecto, & mobili.

Prob. 2. quod impulsus imprimatur proiecto, & non aeri. Si impulsus imprimeretur aeri, sequeretur, proiecta paruo tempore moueri, licet esset vehemens impulsus, sed hoc experientia falsum est, ergo &c sequela prob. nam ille impulsus diffunderetur per aerem vicinum, & ita citò deficeret.

Confirmatur experientia. Si quis existens in naui demittat paleam, si ventus erit, licet minimus, in contrarium, certò palea deferretur in contrarium cursum ab ipsa naui, ergo signum est, quòd impulsus mouens nauem non est impressus in aere, si enī impulsus esset impressus in aere, aer deduceret etiā paleam in eundem cursum, quo deduceret nauim. Aliis experientiis hoc confirmant Doctores, & præcipuè Lalemandet disp. 5. part. 7. de Motu proiectorum, quod cum clarum sit, nec vlla efficaci ratione probetur contrarium à Pereno, nec diffusiùs est probandum.

20 Quæres. Cur proiecta moueantur magis in medio, quàm in principio, & in fine; grauia verò magis in fine, quàm in principio, & medio. Hoc autem esse verum experientia patet, si enim lapis descendat ab aliqua turri in terram mollem, profundiùs in illa se figit, ac si caderet à tecto alicuius domus, magis frangit corpus resistens, si ab alto cadat, quàm si à proximo loco, signum euidens illius motum esse in fine velociorem, cum à velocitate motus tales effectus proueniant, è contra verò sagitta, Bombarda, lapis proiectus, & huiusmodi, maiorem efficaciam habent in medio, quàm in principio, aut fine, signum certum, illorum motum esse velociorem in medio.

Resp. (quidquid dicant Authores, quorum sententias videre est apud Aresium lib. 2. de generatione, quæst. 23.) Hoc prouenire in grauibus ab impulsu producto a motu locali simul cum grauitate mobilis. Ita idem Aresius sect. 2. Cabeus lib. 2. Meteorologicorum, textu 3 quæst. 14 ānuit etiam aliquo pacto Spin. in lib. de Generatione disp. 5. sec. 4.

Pro intelligentia cuius Responsionis sciendum est, virtutem motiuam duplicem habere effectum, producit enim ipsum motum, & insuper aliam virtutem motiuam, nam virtus v. g. motiua brachij, & mouet ipsum brachium, & producit virtutem motiuam, seu impetum, & impulsum in proiecto à brachio, Deinde hæc secunda virtus motiua producta, & mouet proiectum, & aliam virtutem producit, & sic successiuè, hoc enim pacto mouentur proiecta, vt optimè varijs experientijs demonstrat supracitatus Cabeus primò lib. Mateorolog. textu 17. quæst. 2. Nec hoc solùm verum est de virtute motiua animalis, sed etiam de virtute producta à grauitate, nam lapis v. g. descendens, mouet lignū intermedium, & illi imprimit impetum, ergo signum est, primum impulsum simul cum grauitate posse producere nouam virtutem motiuam, aut impetum: hoc supp. facilè intelligitur primò, cur motus naturalis grauium, & leuium sit velocior in fine, quàm in medio, & in principio.

Est quidem velocior in fine, quia cum in principio mobile moueatur solùm à grauitate, deinde cum à tali impulsu, & grauitate producatur alia virtus motiua, mouetur, & à grauitate, & à virtute motiua genita, quæ virtus motiua cum aliam producat, & hæc aliam, euenit, vt semper fiat velocior motus per multiplicationem talis virtutis, & ideò cum in fine magis sint multiplicatæ virtutes, seu prima facta intensior, ideò velocior est motus in fine, quàm in principio, & medio. Et hoc Conf. ex ipso Arist. inquirens enim in Quæs. Mechanicis num. 19. cur si quis imponens magnam securim super aliquod lignū, supraq. ipsam maximū pondus ligneum, aut plumbeum superimponat, tamen lignum non scindatur; scinderetur autem si extollens securim, lignum percutiat, Respondet, hoc prouenire, *quia graue ipsum grauitatis magis assumit motum dum mouetur, quam dum quiescit* hic sumendo grauitatem, non pro pondere, hoc enī remanet inuariatum in securi, sed pro virtute motiua, de qua loquimur, sicuti etiā virtutem motiuā, grauitatem vocat, 1. de cœlo, text. 88.

Proiecta verò velociùs mouentur in medio, quā in principio, & fine, quia in principio mouentur à solo impulsu impresso ab Agente, Deinde cum ab eodem impulsu alius producatur, & ab hoc alius, & sic successiuè, per multiplicationem talium impulsuum velociùs mouentur vsq. ad medietatē motus, tunc enim quia impulsus principalis proiicientis incipit diminui, ideò & alij impulsus paulatim deficiunt, & sic motus fit segnior; talis autem defectus non prouenit in mobilibus naturaliter se mouentibus, quia cum semper secum habeant causam virtutis motiuæ, scil. grauitatem, ideò semper multiplicantur impulsus, & sic eorum motus fit semper velocior. 21

Quæres 2. A quo proueniat motus resilientiæ; & an detur quies in puncto reflexionis. Motus autem resilientiæ est ille motus, quem producit aliquod mobile, quando velociter se mouens propter summam resistentiam corporis intermedij, retrogreditur, & mouetur motu contrario illi, quo priùs mouebatur, vt quando pila proiecta in terram, sursum resilit, in quo motu, cum mutentur termini, inquiritur, an mobile v. g. pila, postquam acquisiuit vnum terminum, terram v. g. sistat in aliquo instanti, antequam resiliat, & producat alium motum.

Resp. primæ parti Quæsiti. Motum resilientiæ prouenire ab impulsibus impressis in mobili, cum enim respectu talium impulsuum mobile deberet vlteriùs progredi, & ratione impedimenti, directè non possit continuare motum, illum continuat reflexè, resiliendo, & hæc est probabilior, & verisimilior ratio, quidquid dicant alij.

Resp. secundæ parti Quæsiti. Non dari quietem in puncto reflexionis, quia si daretur quies, sequeretur, aliquod graue mobile in altum proiectum

naturaliter in illo instanti, in quo quiesceret, antequam descenderet, posse morari in aere, sed hoc non potest esse, cum grauitas sit semper uirtus actiua illud impellens deorsum, ergo &c. tum quia proiiciatur paruus lapis sursum, & occurrat maiori lapidi descendenti deorsum, paruus lapis descēdet nulla interposita quiete, ergo in puncto reflexionis non datur quies.

Ob. tamen contra hanc conclusionem. Idem nō potest in eodem instanti accedere, & recedere, ergo in puncto reflexionis datur quies, consequentia prob. quia punctum reflexionis est principium descensus, & finis ascensus, uel è contra: secundò omnem motum quies præcedit, ergo si incipit motus deorsum, uel sursum, debet esse quies antecedens: tertiò, cor quiescit postquam dilatatum est, & deinde restringitur, ergo sic de motu reflexionis.

Resp. ad primum, non esse idem instans, sed duo instantia, in uno peruenit sursum, in alio incipit descendere; ad secundùm, quietem præcedere motum quādo cum alio motu non continuatur; ad tertium, licet posset cōcedi de corde, quod tamen negatur ab Aresio, non tamen hoc deduci dicendum de omni motu resiliētiæ.

Hic non loquimur de motu locali Animalium qui etiam dicitur motus mixtus. s. partim uiolentus, & partim naturalis, de ipso enim loquemur cum de Anima; Quare sufficiant dicta de Motu locali.

DISPVTATIO SECVNDA

In eumdem Quintum librum Physicorum Aristotelis, de Duratione, & Tempore.

Licet de his agat Aristoteles in quarto physic. quia tamen tam Duratio, quàm Tempus pendēt à motu lationis ideò hic postquam egimus de motu lationis, etiam de consequentibus ad ipsum pertractare, necessarium existimauimus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Duratio, & an distinguatur à re Durante.

1 Nomen durationis accipitur pro permanentia, qua res sunt, & permanent in rerum natura, sumendo tamen permanentiam, non strictè quatenus distinguitur à successione, sed latè pro omni perseuerantia in aliquo statu, abstrahendo à permanenti, & successiuo; quærimus ergo hìc, quid propriè importet hæc duratio seu permanentia in rebus, quæ quia in duplici differētia sunt, aliæ enim sunt propriè, & rigorosè permanentes, ut substantiæ, elemēta, animalia &c. aliæ uerò successiuè, ut motus, tempus, & si quæ sūt huiusmodi, ideò quid importet duratio rerum permanētium, & rerum successiuarum est inuestigandum.

Supp. est autem. Verè dari aliquas res permanentes, cōtra quosdam relatos ab Aristotele, quarto Metaphysicæ tex. 22. qui dicebant, omnia in continuo fluxu, & successione esse, nihilque stabiliter permanere; dantur inquam, præter ipsum Deum, aliæ substantiæ ut homines, elementa, &c. quę permanenter durant, quatenus. s. idem ipsarum esse fuit priùs, est nunc, & futurum est posteriùs pro aliquo determinato spatio temporis, quia enim dum fluit tempus, quædam entia non fluunt, sed permanent, ideò dicuntur permanentia, quòd explicatur exemplo alicuius baculi fixi immobiliter in aliquo flumine, licet enim partes fluminis successiuè fluant, ipse tamen permanenter stat, & durat, sic ergo aliquæ res dum fluit tempus, non fluunt ipsæ, nec mutantur, & ideò permanenter dicuntur durare: hoc supposito. Sit.

Prima Conclusio. Duratio rerum permanentiū non est quid superadditum illis, neq. etiam modus, sed est realiter, & positiuè ipsa existentia earumdem rerum, qua tempori successiuè transeunti coexistunt, ita Auersa quæst. 39. de duratione, 2

& tem-

& tempore sect. 3. Mastrius disp. 13. physicæ quæst. 1. Ouiedo Contr. 16 Phy. pun. 1. §. 3. Spin. dis. 12 in Phys. sect. 4. ar. 1. Serbell. disp. 5. in Phys. quæst. 3 art. 3. & aliis ab ipsis citati.

Prob. 1. pars. Si duratio esset aliquid superadditum, posset destrui à Deo; destructo ergo, vel tales res existẽtes dicerẽtur durare, vel nõ; si non, hoc non potest dici, quia cum coexisterent alicui spatio temporis, in illo dicerentur durare; si dicerentur durare, ergo sine hoc superaddito possunt durare, ergo duratio non consistit in aliquo superaddito.

Prob. 2. Si duratio esset entitas superaddita rebus permanentibus, sequeretur ad quodlibet instãs mutari hanc entitatem, sed hoc est absurdum, cum non esset causa productiua talis entitatis, ergo &c. sequela prob. ad quodliber enim instans, cum mutetur tempus, deberet etiam mutari talis entitas, ex eo quia talis non esset respectu temporis successiui.

Prob. 2. pars. Modus aduenit rei, ita vt res possit esse sine illo, sed res existens per aliquod tempus non potest esse sine tali duratione, ergo talis duratio non est modus, sed ipsa existentia rerum permanentium. Tum quia, si esset modus, ad quamcumq. successionem Temporis deberet mutari, ergo esset duratio successiua non permanens; tum quia, improbabile est res omnes permanentes perpetua mutatione agitari per talem modum continuè succedentem.

Prob. tertia pars. Non potest concipi existentia Petri coexistentis vni instanti temporis, quin concipiatur duratio Petri, sed quod non potest concipi siue alio, est omninò idem cum illo, ergo duratio Petri est idem ac existentia Petri, qua coexistit tempori, ergo duratio rerum permanentium consistit in existentia earumdem rerum cum connotatione ad tempus successiuum, seu quód res priùs extiterint.

Prob. 2. Negatio desitionis existentiæ, est ipsamet existentia, sed negatio desitionis existentiæ est duratio, ergo duratio est ipsa existentia rerum permanentium, ma. patet, per hoc enim quòd res existat, habet negationem desitionis existentiæ, min. prob. nam res ideò dicitur durare, quia non desinit esse existens, sed est, ergo negatio desitionis existentiæ est duratio.

Ob. primò. Res permanens in vno instanti, verè existit, & tamen non durat, quòd si existat in secundo instanti dicitur durare, ergo duratio rerum permanentium est aliquid aliud præter existentiam.

Resp. dato antecedenti, quòd tamen negatur à multis, eo quòd Duratio philosoficè, non gramaticaliter sumpta, importat quamcumq. existentiam correspondentem, etiam instanti temporis; Resp. inquam, neg. consequentiam, & ratio est, quia ad hoc, vt res permanens dicatur durare, nedum requiritur ipsius existentia, sed quòd hæc existentia connotet etiam, quod talis res priùs extiterit, quòd cum non possit esse in instanti, ideò in instanti non potest dici res durare, ipsa autem connotatio temporis successiui, seu quòd res prius extiterit non est aliquid superadditum, neq. etiam modus, sed est ipsamet existentia rerum permanentium, quatenus importat prius res fuisse, seu quatenus connotat tempus successiuum præteritum, quòd nihil aliud est, nisi tales res priùs extitisse, & & nunc etiam existere.

Ob. 2. Duratio est extensio quædam, res enim durans dicitur extendi tempori, vnde appellatur duratio longa, & breuis; sed existentia, non est extensio, neq. dicitur longa, aut breuis, ergo duratio non est existentia.

Res. ad mai. Extensionem rerum permanentium esse extensionem, non formalem, sed virtualem, quatenus .s. res durans permanenter, tota simul est præsens toti tempori, & singulis partibus temporis, sicuti anima, licèt sit virtualiter extensa in toto corpore, est tamen tota in singulis partibus corporis; quare ad min. respondeo, etiam existentiam hoc pacto posse dici extensam, potest enim dici res diutiùs, aut breuiùs existere, & ex hoc nullum sequitur inconueniens.

Inst. 1. Si duratio rerum permanentium esset to- 3
tasimul, non posset in ipsa distingui priùs, posterius, & futurum, sed hæc omnia essent idem, at hoc implicat, ergo &c.

Res. distinguendo mai. Non posset distingui, intrinsecè, & quoad ipsam durationem, transeat; quoad connotationem temporis successiui, & extrinsecè, & nego mai. potest enim dici, hæc entitas, quæ in se est semper eadem, priùs fuit tempore præterito, modò est in præsenti, postea erit in futuro.

Inst. 2. Deus solùm potest dici semper idem, cetera enim semper fluunt ad corruptionem, ergo in rebus non datur duratio permanens.

Res. Verum esse, in omnibus creatis semper esse successionem, vel quoad operationes, vel quoad desitionem, attamen de ipsis secundùm eorum prædicta essentialia potest dici, tanto tempore extitisse, v. g. Petrum tanto tempore vixisse, quæ prædicata essentialia cum semper fuerint eadem, talis existentia illorum dicitur duratio.

Ob. 3. Ad hoc vt corpus coexistat loco, requiritur modus, ergo etiam debet requiri modus ad hoc vt res permanens coexistat tempori, ergo duratio rei permanentis connotans tempus erit modus.

Res. dato antecedenti, neg. conseq. primam, & disparitas est, quia ideò corpus exigit per modum constitui in loco, quia cum possit esse in hoc, vel illo loco, eget aliquo, à quo determinetur in tali loco, è contra verò res permanens non potest coexistere huic, vel illi tempori, sed necessariò coexistit illi, quod fluit, quando ipsa existit, cum ergo ex sola coexistentia rei permanentis tempori fluenti, quæ non importat modum, (definitur enim coexistentia, quòd sit duorum extremorum existentia) habeatur duratio, ideò in hac sola ponenda est essentia durationis; tum quia, quando corpus fit præsens loco, indiget præsentia successiua, quia ipsum corpus mutatur, & variatur secundùm præsentiam, at quando res permanens fit præsens nouo tempori, ipsa non mutatur, sed solùm tempus, ergo non indiget aliquo modo ipsam determinante ad nouam mutationem, cum non detur mutatio.

Pro tertia Concl. Supp. est 1. Durationem

ſucceſſiuam, communiter attribui motui, quia enim motus ſucceſſiuè, pars .ſ. poſt partem producitur, ideò propriè illi conuenit duratio ſucceſsiua; non ita tamen conuenit motui, vt etiam non cõueniat aliis, nam etiam conuenit formæ, quæ fit per motum, vt v.g. præſentiæ locali, quæ cum acquiratur ſucceſſiuè, etiam in tali acquiſitione durare ſucceſſiuè dicitur; quia tamen talis ſucceſſio illi prouenit à motu, ideò principaliter motui conuenit duratio ſucceſsiua.

Supp. 2. Succeſſionem motus poſſe conſiderari, & intrinſecè, & extrinſecè; ſucceſſio intrinſeca, eſt quædam veluti extenſio, ſeu extrapoſitio partium, dum enim motus fit ſucceſſiuè, habet partes poſt partes in tempore, ſicuti quantitas habet partes in loco; extrinſeca verò ſucceſſio motus importat coexiſtentiam talis motus, alicui motui extrinſeco, ſeu tempori, quo ipſe motus commenſuratur, & ſic v. g. ſi Aquila ſe moueat in ſpatio vnius horæ, illius motus dicetur ſucceſſiuus intrinſecè, reſpectu productionis indiuiſibilium motus ſucceſſiuè durantis; dicetur verò ſucceſsiuus extrinſecè, reſpectu coexiſtentiæ tempori vnius horæ, quatenus .ſ. motui vnius horæ primi mobilis, coexiſtit motus Aquilæ. His ſupp. Sit.

4 Tertia Concluſio. Duratio rei ſucceſſiuæ, motus .ſ. augmentationis, alterationis, & lationis, vt plurimum eſt quidam modus ipſius motus, diſtinctus à duratione temporis, ſi ſucceſſio ſumatur intrinſecè: ſi verò ſucceſſio motus ſumatur extrinſecè, eſt eadem ac duratio, & ſucceſſio temporis. Eſt Auer. quæſt. 29. de Duratione, & Tempore ſect. 4. & aliorum.

Prob. 1. pars. Succeſſio motus intrinſecè ſumpta eſt extrapoſitio, ſeu extenſio partium eiuſdem motus, ſed talis extenſio poteſt fieri tota ſimul, ergo & motus, ergo quòd fiat ſucceſſiuè in tempore, eſt modus motum afficiens, diſtinctus à duratione temporis; min. prob. nam Deus poteſt facere, quòd per calefactionem producatur ſimul totus calor, quo alteretur ſubiectum mobile, ergo quòd producatur ſucceſſiuè, vnus gradus .ſ. poſt alium, eſt quidam modus ipſius motus; conſeq. prioris argumenti prob., modus enim eſt qui determinat rem ad aliquod eſſe, ergo quòd talis motus determinetur ad eſſe ſucceſſiuũ, & durantem, eſt quidam modus ipſius motus, nõ tamen diſtinctus entitatiuè ab ipſo motu, vt vult Auer., ſed vt ſunt cæteri modi in noſtra ſententia.

Prob. 2. Ignis magnus citiùs alterat ſubiectum alterabile, quàm paruus, ſed hoc prouenit, quia calefactio eſt magis intenſa, & vt talis citiùs, & in minori duratione alterat ſubiectum, ergo quòd hæc calefactio, quæ eſt quidam motus, minus duret, cùm potuiſſet magis durare, ſi fuiſſet minùs intenſa, eſt quidam modus ipſius motus, diſtinctus à motu, ſeu duratione temporis.

Prob. 3. Augmentatio animalis ad certam quãtitatem, poteſt citiùs, vel tardiùs fieri, & ita talis motus magis, vel minùs durare, reſpectu cibi maioris, vel minoris nutrimenti, ergo maior vel minor duratio reſpectu talis motus augmentationis, erit quidam modus ipſum afficiens.

Prob. 4 Motus lationis, licet quoad productionem indiuiſibiliter producatur, ad quamcumq. tamen indiuiſibilem productionem, poteſt produci magis, aut minus intenſus, per hoc quòd plures partes eiuſdem, quæ potuiſſent vna poſt aliam ſucceſſiuè produci, inſtantaneè producantur, ergo quòd producatur inſtantaneè, & non ſucceſſiuè eſt quidam modus. Dixi autem in concluſione *vt plurimum* quia poteſt eſſe talis motus, qui neceſſariò ſucceſſionem exigat, in quo caſu talis ſucceſsio eſſet eadem duratio, ac duratio temporis.

Prob. ſecunda pars. Succeſsio extrinſecè ſumpta correſpondet ſucceſsioni, & durationi temporis, ſingulaq. pars motus connotat partem temporis, ergo duratio, & ſucceſsio motus, eſt eadem ac illa temporis extrinſecè ſumpti, ergo præter modũ ſucceſsionis correſpondentem durationi temporis, alius peculiaris modus non eſt illi attribuendus.

Ob cont. 3. concluſionem. Duratio rei permanentis eſt ipſa exiſtentia rei coexiſtentis tempori, ergo etiam exiſtentia ſucceſsiua rei ſucceſſiuæ, ſiuè motus alterationis, & augmentationis erit eiuſdem duratio, ergo non erit modus.

Reſp. nos non negaſſe exiſtentiam ſucceſsiuam motus aſsignari eſſe durationem, ſed ſolùm dixiſſe talem exiſtentiam determinari ad eſſe talem durationem à modo quodam afficiente ipſummet motum; nam cum motus nullo alio pacto poſsit exiſtere niſi per extrapoſitionem, & extenſionem partium, quæ exiſtẽtia diuerſificatur ab illa rerum permanentium, conſiſtente in eo quòd res eadem exiſtat, & perſeueret in eſſendo, ideo quòd hæ partes motus exiſtant totæ ſimul, vel quòd exiſtant vna poſt aliam, eſt quidam modus, exiſtentiam ipſarũ partium, & motum determinans: exiſtentia autem rerum permanentium non poteſt dici modus, cum res permanens non poſsit eſſe, quin ſit taliter permanens, ad eſſe autem taliter permanentem, non determinatur à tali exiſtentia, ſed eſt ipſamet eſſentia rei, quæ eſſentialiter exigit eſſe permanentem.

Quæres, Quomodo diuidatur Duratio. 5

Reſp. Cõmuniter diuidi Durationem, in Æternitatem, Æuum, & Tempus: Æternitas eſt duratio rei, quæ ita neceſſariò exiſtit, vt ex natura ſua ſẽper fuerit, nec ab aliqua cauſa fieri poteſt, vt deficiat, hæcq. eſt ſolius Dei propria; definitur autem à Boetio lib. de conſ. Philoſ. *interminabilis vitæ, tota ſimul, & perfecta poſſeſsio*, ab alijs autem *duratio indiuiſibilis tota ſimul, inuariabilis, & ex propria natura infinita à parte ante, & à parte poſt.* Æuum eſt duratio rerum, quæ poſtquam productæ ſunt, nequeunt naturaliter deſinere, aut deſtrui, benè verò à cauſa ſuperiori, & hæc eſt propria Angelorum, & aliarum rerum creatarum incorruptibilium. Tempus deniq. eſt duratio rerum omniũ quæ naturaliter deficere poſſunt, ſiuè duratio omnium corruptibilium, quo pacto omnes res defectibiles, dicuntur temporaneæ, ſicuti è contra, incorruptibiles, æternæ, ſumendo æternitatẽ pro æuo quia .ſ. à parte poſt ipſum etiam eſt æternum. Tale autem tempus ſubdiuiditur in durationem rerum

quæ

quæ non solùm possunt deficere, sed necessariò etiam deficiunt, vt est motus, cuius partes successiuè deficiunt; & in durationem rerum, quæ aliquã diù respectu propriæ entitatis, & essentiæ perseuerare, & persistere possunt; primo tamen modo propriè dicitur tempus, de quo in seq. erit videndum, de Æternitate enim dicetur cum de attributis diuinis in Theo. de Æuo sufficiunt dicta de duratione rerum permanentium.

Quæres 2. Per quamnam ex his durationibus constituatur prædicamentum, quod dicitur Quando.

Resp. Prædicamentum Quando propriè constitui per durationem successiuam motus, quæ est tempus intrinsecum, vt videbimus infra; hoc enim prædicamentum, prout importat ens reale, propriè importat tempus, atque adeo durationem successiuam motus; Impropriè autem potest dici constitui hoc prædicamentum per durationem, sumptam pro coexistentia ad tempus extrinsecum, quod est, vt infra videbimus, successio motus primi mobilis; hoc autem modo sumptum est quædam denominatio accidentalis extrinseca ob modum quemdam prædicandi, per quem quæsito facto per Quãdo, Respondemus, vel heri, vel nudiustertius, s. respectu temporis extrinseci.

6 Quæres 3. Quinam sint modi incipiendi, & desinendi, & quibus ex his res incipiant, & desinant.

Resp. 1. Duos communiter assignari modos incipiendi, & duos desinendi; primus est, quo res incipit per sui primum esse, ita vt valeat dicere, nunc primò res est. secundus est, quo res incipit per sui vltimum non esse, ita vt valeat dicere, nunc vltimò res non est, postea erit; primo modo res dicitur incipere intrinsecè, secundo modò extrinsecè; res itidẽ dicitur desinere per vltimum sui esse, ita vt valeat dicere, nunc vltimò res est, postea non erit, secundò dicitur desinere per primum sui non esse, ita vt valeat dicere, nunc primò res non est, immediatè autem ante erat: primo modo, res dicitur desinere intrinsecè, secundo verò modò extrinsecè.

Resp. 2. quidquid dicant Auctores, potiùs obscuras tricas, quàm veram doctrinam afferentes, Omnes res, quę totæ simul producuntur, & etiam destruuntur, totas simul per totum suum esse, & incipere, & desinere; res verò, quæ non totæ simul producuntur, incipere per primum sui esse, desinere verò per vltimum sui esse, sumendo inceptionem, & desitionem intrinsecè, pro vt sumenda est; ratio autem est, quia quòd res in instanti antecedenti non fuerit per hoc non intelligitur, quòd inceperit; neq. per hoc quòd iam non sit, non desinit, sed iam cessauit esse, ergo pro inceptione rerum, debet illi primum sui esse, pro desinere verò, vltimum sui esse assignari.

SECTIO II.

Quid sit Tempus, & an distinguatur à Motu.

7 QVantò familiarius nobis est tempus, tantò difficiliùs, ipso Aristotele teste, illius nobis cognitio innotescit, quare etiam D. Aug. 11. lib. Cõf. cap. 14. aiebat. *Quid est tempus? si nemo ex me quærat, scio: si quærenti explicare vellem, nescio*, ideò in illius inuestiganda natura maxima cum diligentia, & acumine progrediendum est. Pro quo.

Notan. est 1. Dupliciter posse sumi Tempus, & pro tempore intrinseco, & pro tempore extrinseco; tempus intrinsecum est propria cuiuscumq. motus, seu rei durantis adinstar motus, successiua duratio; tempus verò extrinsecum, est illud, in quo dicuntur res existere, seu varios exercere motus. vt v.g. tempus hodiernum, aut crastinum, in quo fiunt actiones singulæ huius diei, & hoc pacto dicitur mensura motus, desumiturque à motu primi mobilis, cum enim in ipso sit principalis motus, ideò ratione ipsius, alij mensurantur motus. Hoc autẽ tẽpus extrinsecũ subdiuiditur in reale, & imaginariũ. Reale est duratio realis alicuius motus realis, quo alij motus mẽsurãtur, vt de facto duratio primi mobilis; imaginariũ verò est duratio alicuius motus nõ realis, & positiui, sed possibilis, & imaginarii, exempli gratia, si hodie cessaret motus cœli, totum hoc spatium, seu interuallum successiuum, in quo fuisset motus cœli, diceretur tempus imaginarium, quatenus s. conciperetur motus possibilis in tali spatio, & capacitate, & hoc pacto fuit tempus ante mundum, eritq. post vltimum diem Iudicij.

Notand. secundò. Tempus definitum fuisse ab Aristotele 4. Physic. tex. 101. *tempus est numerus motus secundum prius, & posterius*, numerus verò hîc sumitur pro mensura, ita vt dicatur numerus seu mensura, &c. quærendum est igitur, quodnam tempus fuit definitum ab Aristotele, extrinsecum, an intrinsecum; pro resolutione cuius quæsiti recolenda sunt quæ diximus de numero, alium s. esse numerum numerantem, alium numerum numeratum; numerus numerans est in intellectu, & est v.g. 5.6.7. qui numeri applicantur aut his, aut alijs indiuiduis, numerus verò numeratus sunt ipsa indiuidua numerata. Huic autem distinctioni numeri, correspondet etiam distinctio mensuræ; alia est enim actiua, alia passiua, actiua est quæ correspõdet numero numeranti, estq. v.g. vlna, palmus, quibus mensuratur alia quantitas; passiua verò est correspondens numero numerato, estq. ipsa quantitas mensurata. Hoc supposito, priùs videndum est, quid importet tempus intrinsecum, & extrinsecum, & postea, an vtrīq. conueniat allata definitio Aristotelica, decidemus. Sit ergo.

Prima Conclusio. Tempus intrinsecum formaliter est existentia alicuius rei successiuè existentis 8

estq.

eſtq. teale. Ita Maſt. diſp. 15. Phyſicè quæſt. 4. art. primò, & alij multi.

Prob. prima pars. Tempus intrinſecum eſt duratio rei ſucceſſiuæ, ſed duratio formaliter dicit exiſtentiam rei durantis, ergo tempus intrinſecum formaliter dicit exiſtentiam rei ſucceſſiuè exiſtentis; mai. ex notabili conſtat, min. ex duratione patet, ergo & conſequentia.

Prob. ſecunda pars. Exiſtentia rei ſucceſſiuè exiſtentis eſt realis, ſed tempus dicit formaliter talem exiſtentiam, ergo eſt quid reale; mai. eſt certa, minor ex antecedenti probatione patet, ergo & conſequentia.

Neq. dicas. Tempus formaliter non exiſtere, ergo formaliter non importare exiſtentiam rei ſucceſſiuè exiſtentis; non exiſtere quidem, quia tempus dicit præteritum, & futurum, ſed nec præteritum, nec futurum exiſtũt, ergo tempus non exiſtit.

Reſp. enim diſting. antecedens non exiſtit permanenter, & conc. antecedens, ſucceſsiuè, & nego antecedens, ad probationem diſting. itidem min. præteritum, & futurum non exiſtũt permanenter con. ſucceſsiuè, & nego min. verum enim eſt, tempus non exiſtere ad modum rerum permanentium, cum ſemper fluat, negandum tamen ex hoc non eſt, ſimpliciter non exiſtere, res enim ſucceſſiuæ hoc pacto exiſtunt .ſ. ſecundùm prius, & poſterius, ſecundùm quod perſeuerantes, dici poſſunt ſucceſſiuæ; quando ergo dicitur tempus non exiſtere, intelligendum eſt de exiſtentia permanenti, non vero ſucceſsiua. Deinde, neq. verum eſt, tempus ſimpliciter non exiſtere, ſecundùm præſens, licet enim non exiſtat vt tempus eſt, exiſtit tamen ſecundùm ſui partem .ſ. ſecundùm inſtans. Quare cum res exiſtentes ſucceſsiuè, etiam in inſtanti dicantur exiſtentes, ſecundùm illud inſtans poteſt dici tempus exiſtens, quatenus importans formaliter exiſtentiam cuiuſcumq. rei ſucceſsiuè exiſtentis: ex quo.

9 Coll. Tempus intrinſecum nullo pacto diſtingui à motu lationis, vt iam ſupra oſtendimus cum de duratione.

Neq. enim valet quòd dicunt aliqui, realiter diſtingui, ex eo quia tempus eſt ſemper idem, motus verò aliquando velox, aliquando tardus.

Reſp. enim, velocitatem motus ſumi reſpectu tēporis extrinſeci, quia enim eo tempore, quo primũ mobile multa milliaria perficit, Aquila minora, & itidem minora illis Aquilæ percurrit Teſtudo, ideo motus Aquilæ dicitur velocior, quã motus teſtudinis, & motus primi mobilis velocior, quàm motus Aquilæ; hoc autem non conſideratur reſpectu temporis intrinſeci, cum enim ipſum ſit formaliter duratio ſucceſsiua rei ſucceſsiuè exiſtentis, conformatur motui eiuſdem rei, nec dicit ordinem ad vllum alium motum, atq. adeo non poteſt dici reſpectu alterius nec velox, nec tardus, quare eſt idem omninò realiter ac motus.

Coll. 2. Tempus intrinſecum multiplicari numero, non verò ſpecie, cum enim ipſum non ſit niſi exiſtentia rei ſucceſsiuè exiſtentis, reſpectu cuiuſq. rei numero diſtinctæ, etiam ipſum erit diſtinctũ, ſpecie verò non multiplicatur, licet res exiſtentes ſint vel ſpirituales, vel materiales, cum enim eodē modo exiſtant res ſpirituales, & materiales, tempus ipſarum non multiplicatur ſpecie.

Coll. 3. Tempus intrinſecum non habere dependentiam ab intellectu, ſeu ab anima, vt loquitur Ariſtoteles, cum enim nullo intellectu cogitante, res ſucceſsiuæ dicantur exiſtentes, ideo tempus inuoluens illarum exiſtentiam erit reale nullo intellectu cogitante.

10 Secunda Concluſio. Tempus extrinſecum eſt duratio, ſeu exiſtentia ſucceſsiua alicuius motus, qua menſurantur alii motus, ſeu res illi coexiſtentes. Ita Auers. quæ. 29. de duratione, & tempore ſec. 6. Maſtrius diſp. 13. Phyſicæ quæ. 4. art. 2. & alii.

Explicatur concluſio dicitur *duratio ſucceſſiua*, &c. quia tempus eſt quædam ſpecies durationis, dicitur *qua menſurantur* &c. quia tempus extrinſecum eſt menſura aliorum motuum, in hoc enim differt ab intrinſeco, quia vt tale, non eſt menſura alterius motus; idem autem tempus, quod reſpectu vnius motus eſt tempus intrinſecum, reſpectu alterius erit extrinſecum, & ſic v. g. motus pulueris deſcendentis in Horologio, reſpectu ſui erit tempus intrinſecum, reſpectu verò aliorum motuum, ſeu actionum, quæ fiunt, dum deſcendit puluis Horologii, dicetur tempus extrinſecum.

Licet autem quilibet motus, quo alij motus cōmenſurantur poſsit dici tempus, principaliter tamen, & in vniuerſali, tempus extrinſecum eſt motus primi Mobilis, ſeu ipſius duratio ſucceſsiua: ſic communiter aſſeritur cum Ariſtotele tex. 133. cũ enim ipſius motus ſit omnium primus, firmiſsimus, regulatiſsimus, indeficiens, & inuariabilis, ideo cum ipſo menſurantur cæteri alii motus: quare de hoc intelligi poteſt illud Apocalyp. 10. *& tempus non erit amplius* ſcilicèt poſt diem iudicij, poſt quem ſiſtet motus primi mobilis: hoc autem tempus, ſeu hic motus primi mobilis ob maiorem commoditatem diſtributus, & diuiſus eſt in æquales partes, ita vt tota integra reuolutio primi mobilis in 24. horas ſit diſtributa, quælibet ex his in 60. minuta, & etiam iſta in alias minores partes; talis autem diſtributio pendet ab intellectu humano, quare per accidens eſt tempori quòd diuidatur, in actu enim primo ſolùm illi cōuenit quod ſit mēſura, qua ſ. cæteri motus poſſint commenſurari, & hac ratione dicimus etiam, tempus extrinſecum in actu primo, & eſſentialiter non pendere ab anima, aut ab intellectu, cum nullo intellectu cogitante ex ſe ſit menſura.

11 Tertia Concluſio. Definitio temporis tradita ab Ariſtotele .ſ. *Tempus eſt numerus ſeu menſura motus ſecundùm prius, & poſterius* conuenit tam tempori intrinſeco, quàm extrinſeco, ita tamen, vt reſpectu temporis intrinſeci ly *menſura* intelligatur pro paſſiua, & numerus pro numero numerato, reſpectu verò temporis extrinſeci, pro menſura actiua, & numero numerante. Eſt Maſtrij diſp. 13. quæ. 4. art. 2. Auerſæ quæ. 29. de Duratione, & Tempore ſect. 6. & Aliorum.

Prob. ſucceſsione intrinſeca motus, quę eſt

tempus,

tempus, non potest mensurari nec numerari ipse motus, cui est intrinseca, sed solùm mensurabilem, & numerabilem constituit, at hoc pacto intelligitur esse mensura passiua, numerus numeratus, seu aptitudinaliter numerabilis, ergo tempori intrinseco, quod est duratio intrinseca motus, conuenit definitio numeri, & mensuræ passiuè sumptæ.

Prob. de tempore extrinseco. Duratio successiua vnius motus potens mensurare, & numerare alios motus, est tempus extrinsecum, sed talis duratio, &c. est mensura actiua, seu numerus numerans, ergo tempus extrinsecum est mensura actiua, seu numerus numerans. Pro numero autem numerante non solùm intelligitur qui pendet ab intellectu numerante, sed pro numero numerante aptitudinaliter quatenus .s. ipso potest numerari, sicuti neq. pro mensura actiua, quæ actualiter mensurat, sed quæ apta est mensurare, sicut vlna, quæ de facto non mensurat, apta est tamen, vt illa aliquid mensuretur.

Explicatur autem quomodo cœteræ particulæ definitionis Aristotelicę vtriq. tempori conueniant: dicitur *motus*, nam siue sumatur tempus pro mensura, & numero actiuò, siue pro passiuo, subiectum talis mensuræ semper est motus, tempus enim primariò refertur ad motum, & per motum explicatur: dicitur *secundum prius & posterius* intelligendo partes successiuas motus, nam mensura, & numerus, siue actiuus, siue passiuus importãt partes mensurabiles, & numerabiles, quare tempus formaliter non potest esse instans, cum tempus debeat importare successionem partium motus, potest tamen componi ex instantibus, cum ipsa possint constituere partes successiuas motus; instans verò præsens est verè pars temporis, & se habet veluti vnio prioris, & posterioris partis motus, ex quibus componitur.

12 Coll. primò ex dictis. Tempus extrinsecum esse etiam ipsum reale, cùm nullo intellectu cogitante existat à parte rei; sumendo tamen tempus pro mẽsura actiua in potẽtia remota ad mensurandum, nam si consideretur vt est mensura in potentia proxima ad mensurationem, cùm talis mensura pendeat ab intellectu, ideò secundùm talem mensurabilitatem actualem, pendebit ab intellectu, & sic designatio Horæ, Diei, Hebdomadæ, Anni, &c. pendet ab Anima, & ab intellectu.

Coll. 2. Tempus extrinsecum non distingui à motu proprio, neq. à motu cuius est mensura, licet motus realiter inter se distinguantur, sumendo tamen tempus extrinsecum pro mensura in potentia proxima ad mensurationem, proutq. est in anima: ratio autem est, quia cum ambo isti motus, & mẽsura, & mensuratus sibi inuicem coexistant, & in tali coexistentia dicantur durare, ideò vna sola duratio in vtroq. subiectata concipitur, & sic vnũ tempus. Neq. valet, mensuram esse distinctam à mensurato, ergo & tempus à motu; Resp. enim, mensuram posse sumi, vel materialiter, vel formaliter, si materialiter, certum est, esse distinctam à mẽsurato, sic vlna est distincta à palmo, si vero formaliter, non est distincta, tam enim mensura, quã mensuratum constituunt formaliter vnam formalem dimensionem, sic ergo in casu nostro, si sumatur tempus materialiter, pro motu .s. concedo distingui ab alio motu, si verò formaliter, pro motu .s. mensurante, tunc tam primus quàm secundus motus constituunt vnam solam dimensionem, seu durationem, & ideò non distinguuntur.

Coll. 3. Tempus esse mensuram cuiuscumq. rei successiuę, tùm materialis, tum spiritualis, tum illarum priuationum. De materialibus conceditur ab omnibus; de spiritualibus, licet ab aliquibus negetur, patet tamen; Angeli enim quoad durationem sunt eiusdem rationis cum tempore, & de ipsis potest dici, tanto tempore duratos esse, vel tanto tempore transisse de vno loco ad alium, cõmensurando illorum motum cũ motu primi mobilis; Neq. valet, motum Angeli posse esse velociorẽ motu primi mobilis, atq. adeò ab eo mensurari non posse. Hoc enim non officit, nam mensura potest esse minor mensurato, possum enim vno palmo, vlnam mensurare. Est etiam mensura priuationum motus, .s. quietis, nam sicuti priuatio cognoscitur per formam oppositam non existentem in subiecto priuato, sic eius duratio mẽsuratur per formã oppositã pariter non existentem in subiecto priuato, & ideò per motum extrinsecum mensuratur ipsa quies, duratio priuationis motus, non solùm per accidens, sed etiam per se, nam cum per se quies possit dici tanta, vel quanta, in quantum est tanti, vel tanti positiui priuatio, ideò per se potest mensurari per tempus extrinsecum.

Coll. 4. Tempus esse mensuram omnium rerum permanentium, etiam spiritualium quatenus hæ tamen habent existentiam virtualiter diuisibilem; de materialibus patet, dicitur enim, Petrum tot annis durasse, extitisse, &c. de spiritualibus etiam dilatum est, nam licet non possint totaliter mensurati, cum anima, & Angeli à parte post non habeãt terminum, possunt tamen mensurari à parte ante, sicq. dici potest, tot anni præterierunt à Creatione Angelorum.

Coll. 5. Deum non mensurari à tempore, cum enim non moueatur, nec sit successiuus, ideò neq. potest mensurari, potest tamen dici quòd coexistat tempori, .s. quòd in hoc tempore sit.

Coll. 6. Quomodo debeat intelligi quod ait Aristoteles 4. physic. textu 112. .s. non solùm tẽpus esse mensuram motus, sed etiam motum mẽsuram temporis: intelligendum est inquam penes intellectum, cui notior fit certus motus, & per talem motum mensuret aliquod tempus, in quo casu ipse motus notus, est tempus extrinsecum, quo mẽsuratur tempus, non formaliter vt tempus, sed tanquam motus. Et hæc sufficiant de Duratione, & Tempore.

DISPVTA.

DISPVTATIO VNICA

In Sextum Librum Physicorum Aristotelis de Continui Essentia, & Compositione, hoc est, de Quantitate.

AGit Aristoteles in hoc libro de motu, quatenus est diuisibilis, & quia illius diuisibilitas oritur, vt ipse ait, ex eo quòd sit de genere Continuorum, ideò multa de Continuo .s. de Quantitate hic ostendit. Cum autem spectantia ad motum alibi dixerimus, hic solum de Continuo quantitatiuo per se, agemus ; occasione cuius elucidabuntur etiam quæ spectant ad Continuum per accidens .s. ad continuationem motus. Reminiscendum est autem, nos dixisse in Logica, quantitatem diuidi in continuam & discretam, tamquam in primas species subalternas, adq. discretam spectantia ibi dilucidasse; quare postquam explicauerimus quantitatis essentiam in communi, solùm hic ad quantitatem continuam spectantia, inquiremus. Sit ergo.

SECTIO I.

Quid sit Quantitas, & in qua consistat eius essentia.

PRimo intuitu se se offert ennodanda difficultas de essentia, & quidditate quantitatis, qua in assignanda, cum ipsemet Philosophus varijs in locis diuersimodè loquatur, liberum cuicumq. reliquit additum hanc, vel illam pro libito assignandi. Pro Quantitate autem communiter intelligunt omnes aliquod extensum, diuisibile, seu mensurabile, quidquid enim habet rationem talis expansionis, vt in eo possint fieri partes, dicitur esse quantum. Differunt verò singuli in assignanda prima ratione formali, seu essentia quantitatis, cum enim multa ab ipsa, vel vt proprietates, vel vt accidentia separabilia fluant, multis, cum eorum pace dicam, erroris occasionem dedere.

Alij ergo dixerunt, essentiam quantitatis consistere in eo, quòd tribuat partes internales substantiæ, de se alioquin impartibili, & non habenti multitudinem, & distinctionem partium. Ita Aureolus in 2. distinct. 12. art. 4. Capreolus, Durandus, Soncinas, & Alij multi, vt videre est apud Auersam quæst. 22. de Quantitate sect. 2.

Alij constituerunt essentiam quantitatis in ratione mensuræ, tàm actiuæ, quàm passiuæ, ita vt ex eo quòd aliquid mensuretur ab alio, vel illo mensuretur aliud, illud tale dicatur quantum. Ita D. Thomas prima parte quæst. 29. artic. 1. & Opusc. 52.

Alij dixere, essentiam quantitatis esse diuisibilitatem in partes, ad differentiam rerum spiritualium, quæ sunt omninò indiuisibiles. Ita Scotus Lauellus, & Alij multi apud Auersam.

Alij, essentiam quantitatis posuerunt in impenetrabilitate, seu in exigentia impenetrabilitatis, ratione cuius plures res quātæ, seu partes vnius quātitatis, non possunt sibi ipsis coexistere simul in eodem loco, sed inuicem se expellunt. Ita Suarez disp. 40. Metaph. sect. 4. Ruuius 1. Physicæ cap. 3 quæst. 2. Morandus in 3. Phy. tract. 2. de Quantit. quæst. 1. & Alij.

Alii existimauerunt, essentiam quantitatis consistere in extensione partium substantiæ in ordine ad locum, ita vt ratione quantitatis, res quanta dicatur esse extensa huic tanto loco, & non alii minori, intelligentes aliqui hanc extensionem ad locum, actualem, aliqui verò solùm extensionem aptitudinalem, vt Fuentes in logica quæst. 15. def. 1. art. 2. Roccus 1. Physico. quæst. 7. & Alii.

Alii tamdem constituerunt essentiam quantitatis in extensione partium in ordine ad se, quam extensionem sic intelligunt, quòd partes rei quantæ ratione quantitatis non sint inter se confusæ, & implicatæ, sed seruent inter se illam connexionem, & ordinem, quem postulat illud totum integrale nullo habito respectu ad locum, .s. quòd prima coniungatur secundæ, secunda tertia, & sic deinceps, quòd in Petro, v.g. caput sit immediatè vnitum collo, & non pectori, brachia sint humeris coniuncta, manus brachiis, & sic de cœteris membris. Ita Fonseca 5. Metaph. cap. 13. Complutenses in Logica disp. 13. quæst. 2. asserentes esse sententiam D. Thomæ

mæ, t.par. quæst. 14. art. 12. ad primum, & multi
alij recentiores, præcipuè Spinula disp. 13. in lib.
Phys. sect. 1. Guar. disp. 9. de Quantit. Exp. 2. & mul.
alii recentiores: ex his ergo opinionibus inquirendum
est; quæ sit vera, & probabilior. Sit ergo.

2 Prima Conclusio. Essentia quantitatis corporeæ, est extensio, seu extreitas partium in ordine ad
se. Ita cum Auth. vltimæ sententiæ, contra reliquos.

Prob. 1. impugnatione cæterorum sententiarum. Non consistit essentia quantitatis in tribuere
partes internales substantiæ tamquam sit aliquid
ab ipsa distinctum, cum enim vt inferiùs probabimus, non distinguatur à substantia, ideo non
potest dici; quod substantia alioquin indiuisibilis, euadat diuisibilis per quantitatem superadditam; posset autem esse vera hæc sententia, &
cum nostra concordare, si intelligeretur, substantiã
reduplicatiuè, vt quantam habere partes, non vt
substantiã, de cuius cõceptu est solùm per se stare.

Secundò, Non consistit essentia quantitatis in
ratione mensuræ, nec actualis, nec aptitudinalis; nõ
actualis, etiamsi enim res quanta actu non mensuretur, adhuc quanta est, nõ aptitudinalis, quia ratio
mensuræ est ad aliud, & quid respectiuum, at essentia quantitatis est quid absolutum; tum quia
ideò quantitas est mensurabilis, quia habet partes
extensas, & extra se positas, ergo talis mensurabilitas quocumque modo sumatur supponit ipsam
quantitatem, ergo non potest esse illius essentia, &
prima ratio formalis.

Tertiò. Non consistit essentia quantitatis in diuisibilitate, quia ideò res est diuisibilis, quia habet partes extra partes positas, ideò enim res est
diuisibilia instrumento corporeo, quia habet partes
ad inuicem connexas vnam extra aliam, quia diuisibilitas est quid consequens rationem formalem
quantitatis; tum quia diuisibilitas potest etiam cõuenire qualitatibus, ergo, &c.

Quartò. Non consistit essentia quantitatis in
impenetrabilitate, quia hæc potest auferri à re
quanta, essentiæ autem non possunt separari; aufertur autem impenetrabilitas à corporibus Beatorum in cælo, item ablata fuit à Christo quando ianuis clausis intrauit ad discipulos, ex vtero Virginis exiuit, & ad cælos ascendit, & tamen habebat
verum corpus physicum quantitatiuum: quare impenetrabilitas est quid consequens ipsam quantitatem, & supernaturaliter ab ipsa separabile.

Quintò deniq. Non consistit essentia quantitatis in extensione substantiæ quoad locum, nam po-
3 test esse res quanta, & non extensa quoad locum,
sed essentia non potest variari, ergo &c. ma. constat in Sacramento Eucharist. ibi enim manet Christus cum tota sua quantitate, & tamen non extenditur loco, sed totus est in toto, & totus in qualibet parte loci, ergo dicendum extensionem ad locum non esse essentiam quantitatis, nec etiam potest dici extensio non actualis, sed aptitudinalis ad
locum, quia hoc pacto etiam substantia per ipsos
distincta à quantitate posset dici quanta, quia .s.
est apta ad poni in loco; est igitur extensio quoad
locum quid consequens ipsam quantitatem, & quædam qualitas distincta, & supernaturaliter separabilis à quantitate. Ex his ergo impugnationibus patet euidens nostra sententia, quæ ratione.

Prob. 2. Illa est prima ratio, & essentia alicuius
rei, à qua emanant cæteræ proprietates, sed omnia
assignata in alienis sententiis proueniunt, & emanant ab extensione partium quantitatiua in ordine
ad se, ergo hæc est prima ratio, & essentia quantitatiua; ma. est certa, min. consideranti patet, ergo &c.

Prob. 3. Si concipiatur substantia habens partes
extra partes, ita vt secunda sit annexa primæ, tertia secundæ &c. habetur conceptus substantiæ quãtæ distictæ à spirituali, sed huiusmodi est primus cõceptus substantiæ, vt quantæ, ergo primus cõceptus,
ratio formalis, & essentia quantitatis est extensio
partium in ordine ad se, ma. patet, per hoc enim
substantia materialis differt à spirituali, quia habet partes; min. prob. admisso enim etiam quòd
quantitas distingueretur tanquam accidens à substantia, deberent priùs concipi partes entitatiuæ
substantiæ, in quibus tale accidens subiectaretur,
ergo cum prima ratio, quæ concipitur in re, sit illius
essentia, in hac constituenda est essentia quãtitatis.

Prob. 4. Quantitas discreta est vera species quãtitatis, dicitur enim in prædicamento, alia est continua; alia discreta, sed tali quantitati nulla alia
essentia potest assignari nisi extensio partium numerabilium in ordine ad se, ergo in tali extensione, &c. ponenda est essentia quantitatiua.

Secunda Conclusio. Exigentiæ impenetrabilitatis, diuisibilitatis, extensionis ad locum, & mensuræ, sunt passiones emanantes ab essentia quantitatis. Ita qui supra. Aduert. tamen, me dicere
exigentias impenetrabilitatis &c. nõ actualẽ impenetrationem, extensionem, &c. hæ enim sunt, vel
qualitates, vel negationes ipsius quantitatis, & diuinitùs separabiles. 4

Prob. 1. Illæ sunt passiones emanantes ab essentia
alicuius, sine quibus illud non potest stare, nec sunt
tamen eius essentia, sed de eius essentia, at hoc pacto sunt exigentiæ impenetrabilitatis, extẽsionis ad
locum, &c. respectu quantitatis, ergo sunt illius
passiones essentiales; ma. patet in quocumq. proprio rigoroso, sic risibilitas non est essentia hominis, est tamen proprietas essentialis, min. prob.
naturaliter enim duæ partes quantitatiuæ non possunt esse in eodem loco, vt experientia patet, ideò
enim serra sciendendo expellit partes ligni, quia simul esse non possunt in eodem loco, sed hoc non
potest esse nisi ratione impenetrabilitatis, & extensionis ad locum, ergo &c. Item quælibet quantitas habet partes, sed quod habet partes exigit
posse diuidi, & mẽsurari, ergo exigẽtiæ diuisibilitatis,
& mẽsurabilitatis sũt ppprietates essẽtiales q̃titatis.

Prob. 2. quòd emanent ab essentia iam assignata
Ratio quidem mensuræ, & diuisibilitatis prouenit à
quantitate in quãtum habet partes, quod enim habet partes est mensurabile, & diuisibile, huiusmodi
autem habitudo partium explicatur in essentia assignata; ratio verò impenetrabilitatis, & extensionis ad locum oritur ex ordinatione partium in ordine ad se .s. in ordine ad illas partes, quòd sic probo; ideò naturaliter partes quantitatiuæ exigunt
impenetrabilitatem, & extensionem ad locum

vt vna pars non ſit vbi eſt alia, ſed ordinatè ſint diſpoſitæ, at hæc diſpoſitio, & ordinatio partium, quoad locum, prouenit ex eo quod ſint ordinatæ, & diſpoſitæ quoad ſe, neq. enim in ordine ad locum poſſent diſponi, ſi quoad ſe non eſſent diſpoſitæ, ergo exigentia impenetrabilitatis, & extenſionis ad locum, ratione cuius ordinantur, & diſponuntur, oritur tamquam paſſio, & proprietas ab eſſentia aſſignata quantitatis, .ſ. ab ordinatione partium in ordine ad ſe.

Neq. dicas, in hac exigentia potiùs ponendam eſſentiam quantitatis, & non proprietatem eſſentialem.

Reſ. enim, ad hoc negandum nos à duplici ratione cogi. Prima eſt, quòd talis exigentia impenetrabilitatis, ſupponit ordinationem partium in ordine ad ſe, ſi enim partes non eſſent ordinatæ, nec exigerent impenetrabilitatem, aut extenſionē, ſicuti quia partes graduales alicuius qualitatis non ſunt ordinatæ quoad ſe, ideò non exigunt impenetrabilitatem, aut extenſionem, & poſſunt eſſe in eodem loco, ſed quod ſupponitur, eſt primum in re, quod autem eſt primum, eſt ratio eſſentialis, ergo non in impenetrabilitate, ſed in extenſione partium in ordine ad ſe, dicendum eſt conſiſtere eſſentiam quantitatis. Secunda ratio eſt, quòd ſi eſſentia quantitatis eſſet exigentia impenetrabilitatis ſequeretur, Beatos futuros aliquo pacto in ſtatu violento, cum enim per Aduerſarios in ipſis conſeruaretur hæc exigentia impenetrabilitatis, & non haberent actualem impenetrationem, ſequeretur eos habere exigentiam ad id, quod actualiter non poſſent habere, & ſic eſſe aliquo pacto in ſtatu violento, quod ſic non euenit ſi illam ſolùm dicamus proprietatem eſſentialem, quia proprietates non ita exigunt actum, ad quem ſunt, ſicuti eſſentia.

5 Ob. contra primam Concluſionem. Etiam ſubſtantia habet partes poſt partes extenſas, ergo in hoc non conſiſtit eſſentia quantitatis.

Reſ. Quantitatem non diſtingui à ſubſtantia, vt inferiùs probabimus, quare nihil probat argumentum.

Ob. 2. Etiam qualitates habent partes extenſas quoad ſe, ergo hæc non eſt propriè eſſentia quantitatis: antecedens prob. ſi enim à ſubiecto bipalmari, v.g. habente quatuor gradus caloris, auferentur à Deo tales gradus caloris, & ponerentur in ſubiecto palmari, tales gradus haberent minorem extenſionem quantitatiuam, & tamen haberent eandem extenſionem entitatiuam, .ſ. quatuor gradus, & partes, vt priùs, ergo non eſt dicendum, eſſentiam quantitatis conſiſtere in extenſione partiū in ordine ad ſe. Item, qualibet qualitas intenſa habet plures partes, & gradus entitatis, ergo &c.

Reſ. Extenſionem gradualem qualitatum, non poſſe dici formaliter quantitatiuam, ſed solummodo entitatiuam, quia .l. ſint diuerſi gradus in aliqua qualitate intenſa, attamen non ſeruant inter ſe ordinem, vt alii ſint medii, alii extremi, vnus ſit ordinatè poſt alium, ſecundus poſt primum, poſt ſecundum, tertius, &c. quòd diximus eſſe de ratione quantitatis, ſed nullum ſeruant ordinem, & ſimul inuicem ſunt, ita vt quilibet coniungatur cum omnibus, & omnes cum quocumq. abſq. vllo ordine, & diſpoſitione, quare ex hoc dicendum non eſt, eſſe ſecundùm tales partes quantitatiuos, nedum enim volumus eſſentiam quantitatis eſſe, habere partes, ſed habere extenſas in ordine ad ſe, .ſ. vt poſt primas ſint ſecundæ, poſt ſecundas, tertiæ, &c. & h. ratione quodcumque ſimile argumentum fieri poteſt, eludetur.

Quæres. A quo proueniat impenetrabilitas in quantitate.

Reſp. Effectum haberi certum ex ipſa euidentia, rationem verò nullam excogitari poſſe, quæ intellectum conuincat; multi multa dixere, ſed his meliùs Ouiedo ingenuè fatetur, nullam rationem philoſophicam aſſignari poſſe, ſed ſolummodo hoc in diuinam voluntatem refundendum eſſe, quæ hoc pacto quantitatem creare voluit, ſicut de multis aliis rebus à Deo creatis, nulla alia ratio aſſignari poteſt, niſi eius liberum, ſapiens, & infinitum velle.

Quæres 2. An quantitas rectè diuidatur in continuam, & diſcretam, & an oratio ſit vera quantitas. 6

Reſ. 1. Cum Suarez in Metaph. diſ. 51. de quantit. ſect. 4. nu. 4. benè diuidi quantitatem tamquam genus, immediatè, vt in ſpecies ſubalternas, in continuam, & diſcretam. de continua non eſt controuerſia, de diſcreta prob. quantitas diſcreta habet ſuo modo extenſionem vnitatum in ordine ad ſe diſtinctam ab illa quantitatis continuæ, ergo dicenda eſt vera quantitas; neque valet, non eſſe vnum ens per ſe, nec habere veram vnitatem, eſt enim ens eodem modo, ac ſunt ſpecies eſſormatæ ex pluribus indiuiduis, quæ indiuidua vt coexiſtentia in aliqua ratione communi ſpecifica poſſunt concipi, & ſcientificè tractari ad modum vnius entis, & ideò ſi ſpecies ponuntur in prædicamentis, etiam huiuſmodi quantitas poteſt poni.

Reſp. 2. Orationem non poſſe eſſe veram ſpeciem quantitatis, ſed ſolum reductiuè, & à longè.

SECTIO II.

Vtrum Quantitas continua ſit Accidens diſtinctum à re quanta.

DE quantitate diſcreta iam diximus in Logica, nunc ergo remanent ſolùm explicanda, quæ ad quantitatem continuam. Pro quo.

Suppon. 1. Quæſtionem procedere tum de materia, tum de forma, tum de cæteris accidentibus exiſtentibus in aliqua re quanta, cum enim hæc omnia ſint quanta, inquirendum eſt, an ſint talia per ſe ipſa, vel per accidens ſuperadditum, quod quantitas vocatur.

Prima

7 Prima Conclusio. Quantitas continua non est accidens distinctum à substantia materiali, seu à materia, sed est ipsamet materia, per se ipsam quanta, & extensa. Ita contra cõmunem Theolog. & Philosophorũ aliqui pauci, Nominales, Ochamus in logica cap. de quantitate, & in 4. quæst. 4. & in tractatu de corpore Christi cap. 17. Gabriel in secũdo distinct. 10 Adamus, & alij, vt videre est apud Auersam quæst. 22. de quantitate sect. 1. hancq. fuisse opinionem Stoicorum refert Alexander Aphrodiseus, vt apud Pererium lib. 10. de quantitate cap. 2. Deffenditur etiam huiusmodi Conclusio à Giannino lib. 3. cap 10 Arriaga disp. 9. in metaph. sect. 1. Guarino disp. 9. de Quantitate Expen. t.

Prob. primò, Substantia materialis, seu materia per se habet partes vnam extra aliam, ergo hoc formaliter non habet propter quantitatem ab ipsa distinctam; consequentia patet, cum enim essentia quantitatis consistat in habere partes extra partes, si hoc habet à se substantia materialis, à se est quãta, & non ab accidente distincto; antecedens prob. dato quòd quantitas esset accidens, omnes illius partes deberent præsupponere partes substantiæ vt in ipsis subiectarentur, tanquam accidens in subiecto, ergo prius natura materia haberet partes, quã haberet quantitatem, ergo si ante quantitatem haberet partes extra partes, & in hoc consistit essentia quantitatis per nos, melius dicendum est esse quantam ex se ipsa; & non ratione accidentis distincti.

Neq dicas, materiam sine accidente quantitatis superaddito, licet haberet partes extra partes, non posse dici quantam, quia tales partes ex se nõ postularent talem extensionem in spatio, cum hoc illi proueniat à quantitate & ex se sit limitata ad solùm esse partem compositi.

Resp. enim, gratis hoe dici, dum enim conceditur habere à se ipsa partes extra partes, ridiculum est postea asserere, extensionem talium partium prouenire a quantitate saltem in ordine ad se, nam quoad spatium, vt iam probatum est, non est de essentia quãtitatis; quare si materia habet partes, illas debet habere quoad se extensas; nec implicat quòd ex se etiam sit quanta, licet tam sit limitata per esse primum subiectum, non enim repugnat eandem rem habere diuersas rationes formales, quare, & vt primum subiectum est pars compositi, & vt habens partes extra partes, est quantitas.

8 Prob. 2. Si quantitas esset accidens distinctum à substantia materiali, posset Deus ipsam conseruare absq. tali accidente, & absq. illius mutatione locali, ponamus ergo Deum auferre talem quantitatem, vt potè aliquod accidens, à substantia materiali, vel in tali casu substantia materialis habebit partes inter se distinctas, vel non; si primum, ergo distinctionem, & ordinationem partium non habet à quantitate, qua supponimus expoliatam, sed à se, & intrinsece, si secundum, hoc non potest esse, cum enim supponamus talem substantiam materialem non mutare locum, partes deberẽt remanere extensæ, & in eodem loco ac prius erant, ergo dicendum, substantiam materialem esse quantam ex se, & non ab accidente superaddito.

Neq. dicas, tunc materiam non futuram quantã quia non haberet impenetrabilitatem, nec repugnaret stare in eodem loco cum alijs corporibus.

Resp. enim, hoc esse quod negamus, gratis enim dicitur, tunc non habituram impenetrabilitatem, eam enim haberet partes extra partes, sicuti tales partes essent sibi inuicẽ impenetrabiles, essent etiã tales respectu aliorum corporum.

Prob. 3. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas admittẽdi hoc accidẽs quãtitatis distinctũ à substãtia materiali, cũ ex se ipsa substãtia materialis habeat partes extensas, ergo tale accidens, & ens distinctum, & superadditum non est admittendum; min. prob. tum ex probationibus, & responsionibus, aduersarijs supra factis, tum ex eo quia nulla ratio philosophica, vt omnes fatentur, inuenitur ad hoc asserendũ, ergo &c. sed.

Ob. ratione Theologica, ferè omnes recentiores in contrariam sententiam impellente. Si quantitas non esset accidens distinctum à substantia, sequeretur, Hostias consecratas non esse quantas, & posse inuicem penetrari, sed hoc contra experientiam, & omnem veritatem est, ergo dicendum quòd distinguantur, sequela prob. cum enim de fide post consecrationẽ omnis substãtia panis desinat, si quãtitas non distingueretur ab ipsa, etiam quantitas desineret, & sic hostiæ non remanerent quantæ, & essent penetrabiles. 9

Resp. disting. sequelam, sequeretur hostias non esse quantas formaliter, & concedo, efficienter, & nego; Explico distinct. non sunt quantæ hostiæ consecratæ formaliter, ex eo quia in ipsis non est quantitas formalis, iam enim desinit esse in desitione substantiæ panis, sunt autem quãtæ efficienter, quia s. accidentia panis, odor, sapor, calor, &c. ratione substantiæ quantę in qua prius erant, fuerunt efficienter extensa quoad locum, quæ extensio quoad locum, cum sit quædam qualitas, seu effectus productus à substantia quanta, vt à causa efficiente, potest à Deo conseruari etiam ipsa non existente. Nõ possũt autem inuicem penetrari hostiæ consecratæ, quia cum ratione quantitatis in qua prius erant tales species simul sumptæ acquisiuerint impenetrabilitatem actualẽ cum alio corpore, quæ est quædam qualitas accidentalis producta à quantitate, tale accidens miraculosè à Deo conseruatur, sicuti cæteræ aliæ qualitates, & accidentia. Sed.

Inst. quantitas non est actiua, ergo non potest efficienter producere hanc extensionem accidentium, & impenetrabilitatem eorumdem cum alio corpore.

Resp. neg antecedens, si sumatur quantitas iam terminata, & completa à forma substantiali, in tali enim casu potest producere accidentia, vt iam supra diximus, substantiam immediatè producere posse accidentia; deinde ex communi sententia vnum corpus expellit aliud ab eodem loco efficienter in illo producendo motum, sed hoc facit ratione quantitatis, quę importat impenetrabilitatem, ergo substantia quanta potest efficienter producere aliqua accidentia, & qualitates.

10 Secunda Conclusio. Nulla forma materialis, tum substantialis, tum accidentalis, est in se quanta formaliter, sed per ordinem ad subiectum, in quo est. Ita cum aliquibus ex supracitatis Doctoribus Arriaga dis.5. Metaph. sect. 1. de Quantitate, subsect.1. num. 7.

Prob. 1. Nulla est forma, quæ non penetretur cum materia, sed quod est formaliter quantum, naturaliter cum alio non penetratur, ergo nulla forma in se est formaliter quanta; mai. est certa ex omnibus Philosophis, min. pr. quantitas enim .l. non habeat pro essentia impenetrabilitatem, illam tamen habet tamquam passionem necessariò ab ipsa emanantem.

Prob. 2. Vna forma penetratur cum alia, sed quod est penetrabile non est formaliter quantum, ergo formæ ex se non sunt formaliter quantæ, ma. patet, in eodem enim subiecto plures reperiuntur formæ, & substantiales, & accidentales, ergo inuicem penetratæ, sunt enim in eodem loco, & parte min, probata est, ergo &c.

Prob. 3. Si formæ ex se ipsis essent formaliter quantæ, semper eamdem extensionem in quocumq. subiecto haberent, sed hoc experientia est falsum, ergo formaliter ex se ipsis non sunt quantæ, maior patet, quia enim substantia materialis est formaliter quanta, quocumq. in loco sit, dummodo non condensetur, semper eamdem habebit extensionē, min. prob. si enim calor extensus in subiecto bipalmari poneretur à Deo in subiecto quadripalmari, per totum se extenderet, ergo signum est has formas, non esse formaliter quantas, sed solùm in ordine ad subiectum, in quo reperiuntur; quare ex hoc deducitur, solùm materiam dicendam esse formaliter quantam, & impenetrabilem, cum enim sit primum subiectum cui commensurantur, & à quo depēdent cœteræ formæ, & in quo Agentia naturalia operantur, oportet ipsam esse quantam, extensam, & impenetrabilem, & hoc à se, reliqua verò per ordinem ad illam, & hoc modo optimè saluantur quæcumq. dici possunt de accidentibus Eucharisticis. Sed.

11 Ob. 1. Adhuc data hac sententia nō saluatur quomodo vna hostia cōsecrata nō penetretur cū alia, ergo recurrit pristina difficultas, anteced. patet, si enim formæ accidentales non sunt quantæ, nisi in ordine ad subiectum, ergo cum non sit amplius subiectum sub hostiis consecratis, nullo pacto erunt quantæ, & sic penetrabiles cum alio corpore.

Resp. neg. antec., & ad probationem dico. Formas accidentales esse quantas in ordine ad subiectum, quatenus. s. à subiecto recipiunt extensionem partium, & impenetrabilitatem actualem, quæ extensio, & impenetrabilitas, cum sit quoddam accidens, quamuis desinat esse subiectum, potest conseruari miraculosè à Deo, sicuti cœtera alia accidentia conseruantur.

Ob. 2. Vel extensio, quam habent qualitates, & accidentia Eucharistica, est in ordine ad se, vel in ordine ad locum, si in ordine ad se, ergo sunt quanta formaliter, si in ordine ad locum, ergo etiam in ordine ad se, hæc consequentia prob. .l. enim extensio ad locum sit aliquid distinctum à quantitate, tamen aliquid non potest habere partes extensas quoad locum, quin hæ partes sint ordinatæ, & vna extra aliam, quod est esse extensas quoad se, ergo &c.

Resp. Accidentia Eucharistica habere partes extensas quoad locum ratione substantiæ quantæ in qua prius erant, quæ ita illa extendit, & postea ita conseruantur à Deo, non verò habere extensas quoad se, cum enim sint inuicem penetrata, & vbi est calor, sit etiā sapor, frigiditas, &c. ideò non habēt partes ordinatas quoad se, sed solùm in ordine ad locum; quòd si dicant, vnam partem albedinis, v.g. habere ordinem cum alia, hanc cum subsequenti, & sic ordinatè, ergo quoad se. Resp. quod, cumq. accidens eiusdem speciei nedum esse ordinatum quoad locum, sed etiam quoad se, non verò ratione sui, sed ratione substantiæ in qua erat, quæ in omnibus accidentibus talem extensionem etiam in ordine ad se tribuit, quæ extensio miraculosè à Deo conseruatur cum cœteris aliis accidentibus.

Ob. 3. Si in accidentibus Eucharisticis non esset quantitas illa substentans, sequeretur talia accidentia non posse naturaliter intendi, sed hoc experientia est falsum, videmus enim cale fieri, frige fieri, &c. ergo &c. sequela prob. cum enim ibi non sit substantia receptiua caloris, v.g. nec etiam quantitas, talis calor cum sit accidens exigens subiectum, non posset produci, vt potè quia deficeret subiectum in quo produceretur.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dico: Accidentia de nouo producta subiectari in aliis accidentibus, & qualitatibus, quæ ibi reperiuntur, eodem enim pacto, quo Aduersarii dicunt subiectari in accidente quantitatis, ita ego respondeo, in aliis accidentibus subiectari, quæ enim maior ratio cur debeant subiectari in quantitate, potiùs quā in cœteris accidentibus, cum enim etiam quantitas, per multos solùm miraculosè habeat substētare accidentia, hoc & nos possumus dicere de cœteris accidentibus, non enim video efficacem rationem ad probandum, potiùs accidens quantitatis, quàm alia accidentia, & qualitates posse substentare quæcumq. accidentia aduenientia.

Ob. 4. In accidentibus Eucharisticis qualitates 12
contrariæ non possunt introduci, puta calor, & frigus, sed hoc non posset prouenire, nisi esset aliquod subiectū, à quo expellerentur, ergo dicendum, quòd cum substantia panis iam ampliùs non sit, vtpote trāsubstātiata in Corpus Christi, tale subiectum sit quantitas, min. prob. calor enim & frigus secundùm se, non sunt duæ qualitates contrariæ, nec se destruunt, nisi quia simul stare non possunt in eodem subiecto.

Resp. Concedendo totum, præter quod tale subiectum sit quantitas, dicimusq. esse alia accidentia, & qualitates Eucharisticas, non enim est maior ratio, cum in hoc casu accidens sit assignandum pro subiecto, quòd sit hoc, aut illud, nam si dicunt Aduersarii debere esse quantitatem, quia cum habeat partes extra partes, in eadem parte contrarius effectus formaliter non potest esse, qualis est effectus frigoris, & caloris, hoc etiam potest dici de

aliis

alijs accidentibus, cum enim ea admittamus subiectum cuiuscumq. accidentis aduenientis, & in eodem subiecto non possit esse contrarius effectus formalis ideò hoc æquè saluamus respectu aliorum accidentium, ac ipsi saluant respectu accidentis quantitatis.

His ergo responsionibus facilè erit euertere quæcũq. alia argumẽta quæ in simili materia fieri poterunt, æque, & bene saluantea cum allata doctrina quantitatem non esse distinguendam à substantia materiali, formas verò omnes materiales esse quantas in ordine ad ipsam materiam.

Ob. 5. Data hac sententia, sequeretur, formas esse in materia ad modum rerum spiritualium .s. totas in tota, & totas in qualibet parte materiæ, sed hoc est contra naturam rerum corporearum, ergo non est admittenda.

Resp. Nequaquam hoc sequi, res enim spirituales ita sunt totæ in toto, & totæ in qualibet parte subiecti, vt per extensionem non acquirant partes, sed semper sint indiuisibiles, at formæ quando extenduntur in materia, licet tota ratio formæ, cõpenetretur, & sit in quacumq. parte materiæ, tamen respectu partium materiæ, etiam ipsæ acquirunt partes, & forma existens in vna materia extensa in magnitudine, dicetur maior, quàm quæ in materia minus extensa existeret.

Ob. 6. Si quantitas non distinguitur à substantia, ergo idem erit mutatio, & motus augmentationis cum in vtroq. eadem entitas acquiratur.

Resp. neg. in tali sententia diuersam non esse mutationem, à motu augmentationis, augmentatione enim formaliter solummodo augetur quantitas per additionem materiæ quantæ, per mutationem verò talis materia quanta spoliatur propria forma, & forma rei augendæ informatur: Quare licet sit idem ens, potest esse terminus, & mutationis, & motus augmenti, sicuti idem ens potest esse capax, & motus ationis, & alterationis.

13 Ob. 7. Si quantitas non distingueretur à materia, ergo materia pertineret ad duo prædicamenta, ad Substantiam scilicet, & ad Quantitatem.

Resp. conc. totum, neq. enim est implicantia; sic materia, vt substantia, est in prædicamento substantiæ, vt vero quanta, & habens molem, & extensionem, reperitur in prædicamento quantitatis, quod prædicamentum in nostra sententia reducitur ad prædicamentum, ne dum accidentis, sed & substantiæ: cum enim tam quantitas discreta, quàm continua, vt sæpè probauimus, non sint aliquod distinctum, & separabile à rebus quantis, ideò si res quantitatiuæ sunt substantiæ, earum quantitas ad prædicamentum substantiæ reducitur, si verò sunt accidentia, v. g. numerus 10. graduum caloris, eius dimensiones, & extensiones ad locum, reducitur harum quantitas ad prædicamentum accidentis.

14 Ob. 8. Si conseruaretur separatum punctum indiuisibile materiæ, (Quòd diuinitus saltem posset fieri) tale punctum certè esset substantia materialis, haberetq. essentiam materiæ, & tamen non esset quantum, ergo quantitas est aliquid distinctum à materia, & substantia materiali.

Resp. disting. secundam partem antecedentis. Tale punctum non esset quantum radicaliter, & aptitudinaliter, & nego antecedens; non esset quãtum actu, & concedo antecedens, ex hoc tamen non sequitur, quantitatem distingui à materia, nã ideò tale punctum materiæ non esset actu quantũ, quia esset indiuisibile, atq. adeo non habens partes, quod est de ratione quantitatis diuisibilis, at per hoc non sequitur radicaliter non esse quantum, cum ex ipso addito alijs, absque alio superaddito accidente, possit constitui substantia materialis quanta, sicuti, licet vnitas vnius indiuidui non sit diuisibilis in plures vnitates, licet non sit quantitas discreta actu, attamen radicaliter, & aptitudinaliter est quantitas discreta, & diuisibilis quatenus addita alijs vnitatibus, talis euadit: quare sicuti etiam anima rationalis separata à corpore non est homo actu, .s. sit aptitudinaliter, & radicaliter, quia apta est constituere hominem, ita licet punctum indiuisibile materiæ non sit quantitas actu, est tamen aptitudinaliter, quia aptum est constituere quantitatem, sicuti etiam, licet materia nullam haberet formam, attamen perseueraret cum sua essentia, quæ consistit in esse quid subiectiuum, licet actu non subiectaret, quia esset apta subiectare.

Quòd autem aliquo pacto .s. radicaliter punctũ indiuisibile materiæ sit quantum patet, ex eo quia, si tale non esset, ex ipso neq. posset, vt fit, componi quantum, ex enim nullo pacto quantis, nequit fieri quantum, sicuti neq. fieret homo substãtia rationalis si nulla ex partibus componentibus esset substantia rationalis quare cum per solam additionem, & vnionem aliorum punctorum habeatur vera substantia quanta actu, & huiusmodi vnio non sit quantitas, dicendum est, quantitatem non esse quid distinctum ab ipsis punctis vnitis, atq. adeo, &c.

Neq. dicas: Essentia quantitatis est per vos habere partes ordinatas quoad se, sed huiusmodi punctum non haberet partes, ergo neq. essentiam quãtitatis.

Resp. enim cũ instantia, Essentia hominis est esse animal rationale, ergo quia anima sola non est animal rationale non potest esse pars hominis? Sed, respondetur directè, etiam in puncto indiuisibili materiæ stare essentiam quantitatis, respectu .s. aptitudinis, quam habet ad cõstituendam rem habẽtem partes ordinatas, &c. sicuti essentia hominis desumitur tàm ab anima, quàm à corpore, .l. nec anima, nec corpus, separatim sũpta, sint totus homo.

Ob. vlt. Hoc pacto sequeretur, substantiam materialem esse sensibilem, sed hoc per omnes videtur falsum, ergo &c. 19

Resp. disting. sequel. Sequeretur substantiam, &c. vt substantiam, nego, substantiam vt quantam, & conc. in hoc ergo nulla accidit implicantia; imo maxima videtur consonantia, cum hoc pacto clarior, & magis adæquata habeatur cognitio totius esse substantiæ materialis, imo nescio quomodo quidam, Morandus præcipuè Suarez, Ouiedo, & Serbellonus sustineant, substantiam materialem de se habere partes entitatiuas extensas, negẽt postea esse per se quantam, ex eo quia tales partes nõ

habeant ex se impenetrabilitatem; benè verò illam recipiant a quantitate; Nam in tantùm naturaliter partes quantitatiuæ habent impenetrabilitatem, in quantùm, cum vna fit extra aliam, non potest naturaliter esse in eodem loco circumscriptiuè, ac est alia, hoc enim importat ratio impenetrabilitatis, ergo si partes substantiæ materialis sunt inuicem extra se, absq. superaddito accidente sunt impenetrabiles, nec possunt esse circumscriptiuè in eodem loco, vna intra aliam. Quòd si dicant etiam in Eucharistia partes corporis Christi esse extensas, & ordinatas quoad se, ab illis tamen ablatam esse impenetrabilitatem, atq. adeo, non ab extensione sola partium, quoad se, prouenire impenetrabilitatem.

Resp. quòd partes corporis Christi, licet non habeāt supernaturaliter īpenetrabilitatē actu, attamē illā exigūt naturaliter, & vt sūt corporeæ, & vna extra aliā, per hoc enī quòd vna pars quātitatiua, & corporea naturaliter exigat esse extra aliam, exigit etiam non posse penetrari cum ipsa, nec cum alijs partibus, neq. enim alia ratio à posteriori excogitari potest impenetrabilitatis, quæ ratio cum sit in substantia materiali, absq. accidente superaddito, ideò per se ipsam esse quantam dicendum est.

16 Coll. tamen, per hoc quod diximus, materiam esse quantam à se, non intelligere materiam esse trinam dimesionē, trina enim dimensio est quidā modus, aut quoddam accidēs receptum in ipsa materia, statq. sub prædicamento, & cathegoria Quātitatis secundùm eam rationem, secundùm quam tale prædicamentum reducitur ad prædicamentum Mōdi, cum enim materia non semper perseueret cū iisdem dimensionibus, ideo hæ dimensiones sunt ab ipsa separabiles atq. adeo modi separabiles, & materiæ superaduenientes.

Et hæc sufficiant ad probandam certam veritatem, quantitatem nullo pacto distingui à substantia materiali, quidquid dicant ferè communiter, quorum rationes numquam ad illorum sententiæ subscribendum me cogere poterunt.

SECTIO III.

An Quantitas constituatur ex punctis indiuisibilibus, vel ex diuisibilibus partibus.

17 NOt. primò. Quòd hæc quæstio nedum de quantitate per se, & propria procedit, verum etiam de omnibus rebus quantis per accidens, cum enim formæ substantiales materiales, & etiam accidentia dicantur quanta per accidens, de his etiam erit quæstio.

Not. 2. Indiuisibile tripliciter posse sumi, physicè, metaphysicè, & mathematicè, indiuisibile physicum est minima pars excogitabilis, & instrumento materiali indiuisibilis, partes tamen designabiles per intellectum habens, qualis esset oculus culicis, cuspis acutissimi acus, &c. indiuisibile metaphysicum est quod nullas partes habet, nec designabiles, sed tamen potest occupare locum diuisibilem per extensionem virtutis, vt sunt res spirituales; indiuisibile verò mathematicum est, quod nullas habet partes, nec designabiles, & nequit neq. per diuinā omnipotentiam diuidi, aut occupare locum diuisibilem, talia sunt puncta, lineæ in latitudine, & superficies in profunditate; quæstio ergo solùm procedit de indiuisibilibus mathematicis, indiuisibilia enim metaphysica cum sint spiritualia neq. possint ex se ipsis constituere partes, ideò neq. continuum efformare possunt, de indiuisibilibus autem physicis clarè cōstat cōstitui quātitatē, potest enim in diuisione quantitatis ad partes adeò minimas deueniri, vt ampliùs in minimas physicè diuidi non possint.

Not. 3. Duas in hac re esse præcipuas sententias; prima est omnium Stoicorum, quibus præiuit Zeno, asserentium, quantitatem continuam cōponi ex solis indiuisibilibus finitis, dixerunt enim lineam ex punctis, superficiem ex lineis, & corpus ex superficiebus componi; Secūda est omnium Peripat. cum Aristotele quā amplexātur communiter omnes quæ asserit, quodlibet cōtinuum componi ex partibus proportionalibus, communicantibus, in infinitum diuisibilibus; hìc ergo quærendum est, quænam ex assignatis sententijs subsistat.

Not. 4. Quòd partes continui aliquæ vocantur ab Aristotelicis determinatæ, seu aliquotæ, & sunt illæ, quæ in continuo certam habent magnitudinē, vt si comparentur cum alijs partibus similibus, quas non includunt, sint illis æquales in magnitudine, sic essent 4. palmi respectu vlnæ, quorum quilibet esset similis alteri, illum tamen non includeret, nec cum illo communicaret; aliæ verò vocantur indeterminatæ, proportionales, & communicantes, & sunt quæ nedum communicant cum toto cuius sunt, sed etiam inter se communicant, ita vt vna pars semper includat partem alterius partis, & sic in vlna v. g. possunt designari, (dicunt ipsi) centum, & infiniti palmi, & tantò magis partes, cum enim quilibet palmus, seu pars possit per suas partes communicare cum alijs palmis, seu partibus designabilibus, ideò in infinitum possunt designari palmi, & partes indeterminatæ, proportionales, & communicantes, & ex his, dicunt ipsi, constituitur quantitas continua.

Prima Conclusio. Quantitas continua constat ex punctis indiuisibilibus finitis, Ita cum Stoicis, & Zenonistis, quàm plurimi recentiores, quos referunt & sequuntur Tellez in sua Philosophia parte secunda lib. 6. de Continuo disp. 35. sectionibus prima, & secunda, & sequentibus. Spinula in lib. Phy. disp. 14. Bassonus in tract. contra Aristotel. Vidétur etiam adhærere huic sententię Arriaga, & Ouiedo d. tamen neuter assertiuè illam deffendat, est autem contra communem.

Prob. primò. Si daretur globus perfectè sphærius super planum perfectum, illud tangeret in pūcto indiuisibili, ergo si moueretur super illud pla- 18

num,

num, illud semper tangeret in punctis, ergo dicendum est, quòd continuum constet ex punctis indiuisibilibus finitis, antecedens docetur ab Euclide lib. primo propos. 16. & ab Aristotele lib. 3. de cœlo cap. 3. textu 69. consequentia optima est, ergo clarè constat, quantitatē componi ex punctis indiuisibilibus finitis.

Neq. dicas ad hanc euertendam efficacissimam rationem, quæ Aduersarios ita excruciat, vt omnes ad diuersa subterfugia hùc illucq. caput vertere .i. frustatoriè, impellantur; neq. dicas inquam, quòd globus qui moueretur per planum, non moueretur nisi per aerem circumscriptum, non verò per planū; vel si moueretur per planum, moueretur per saltus de puncto in punctum ita vt iter vnum, & aliud, tantisper eleuaretur à plano; vel quòd solùm tangeret planum dum quiesceret, non verò quando moueretur; vel quòd tunc punctum plani penetraretur cū puncto globi, vel tangeret in pūcto indeterminato; vel deniq. quòd non possit dari planum, aut globus sphæricus perfectè.

Resp. enim ad primum. Non posse concipi quomodo globus sphæricus non tangeret planum, maximè si talis globus esset maximæ magnitudinis, & ponderis; deinde etiam in aere habet eandē efficaciam allata probatio, nam si etiam moueretur in aere, semper quodlibet punctum globi correspondetet puncto indiuisibili aeris: & hac ratione patet responsio ad secundum & tertium, videtur enim improbabile, & contra experientiam dari saltus in tali motu, vel globum non tangere punctū in motu, si enim dum sistit tangit punctum, ergo dum mouetur ad quodlibet instans motus, puncta successiuè tanget, quibus describet super planum lineam.

Resp. ad quartum. Falsum esse se penetrare illa duo corpora, in puncto se tangentia, nam sicuti duæ superficies, aquæ, & aeris v. g. immediatè vnitæ non se penetrant, & tamen tanguntur, ita illa corpora se tangentia in puncto, non penetrarentur, hæc enim penetratio solum esset, si hæc duo puncta starent in eodem loco, sed non essent in eodem loco, si quidem cum etiam locus haberet hæc indiuisibilia, cuicumq puncto talium corporum se tangentium, correspondere indiuisibile spatii, & loci; Deinde, si illa corpora se penetrarent secundùm aliquas partes, possent & secundum alias cum essent eiusdem rationis, quòd implicat naturaliter.

Res. ad quintum. Quòd si tangeret in puncto, non potest dici quòd non esset determinatum, Deus enim saltem posset cognoscere illud determinatè. Ad vltimum non Respond. cum omnes Philosophi, & Mathematici contra illud assertum reclāment, Deus enim saltem posset talia corpora perfecta creare; quare remanet impugnatum præcipuum argumentum.

Neq. redicas ex Guarino; quòd talis globus sphæricus tangeret quidem planum perfectum in puncto indiuisibili physicè, non verò metaphysicè, & per designationem intellectus; ex eo quia dicit ipse, si huiusmodi globus secaretur per medium, caderetq. sectio in contactum, tumq. mentaliter & per imaginationem auferetur vna pars, altera certè, quæ remaneret, adhuc tangeret planum, sed non in integro puncto, nam & altera pars mentaliter ablata tangebat, ergo in dimidiato, ergo licet physicè tale punctum, cum quo globus sphæricus tangeret planum, esset indiuisibile, metaphysicè tamen, & per designationem esset diuisibile.

Res. enim, tale punctum globi sphærici nè dum physicè, sed & metaphysicè, & per designationem futurum indiuisibile; nam falsum est, sectionem talis globi posse cadere in contactum, nisi designatur punctum contactus, in quo casu, nulla ex medietatibus talis globi tangeret planum; caderet autem sectio solùm immediatè prope punctum cōtactus; neq. ex hoc sequitur, tali pacto globum, aut circulum secari non posse per medium, contra Euclidē, & Mathematicos omnes; nam ad saluandam Mathematicā sectionem circuli per medium sufficit si imaginentur latera, quę hinc, & inde habet linea indiuisibilis diametralis circuli ex punctis indiuisibilibus constans, & in puncta indiuisibilia terminans; Mathematica enim abstrahit à materia sensibili; vel dicatur, non esse de essentia circuli, quod possit diuidi in partes æquales Mathematicè loquendo, cum sensibiliter tamen possit diuidi, vt dicemus infra etiam de linea.

Prob. 2. Si quantitas non constaret ex finitis in- 19
diuisibilibus, haberet partes in infinitum diuisibiles, ita vt facta qualibet diuisione, adhuc infinitæ diuisiones iem essent faciendæ, sed hoc implicat, ergo &c. maior cōceditur, & est opinio Aduersariorū, implicantia prob, post factam quamcumq. diuisionem ac hoc quælibet pars esset in infinitum diuisibilis, ergo dateiur infinitum actu, & quælibet vltima pars esset infinita, hoc autem repugnat, ergo, &c.

Neq. dicas, ex hoc non sequi dari infinitum actu, quia illæ partes quantitatis essent infinitæ syncathegorematicè, non cathegorematicè.

Resp. enim, nullum esse hoc effugium; vel enim Deus posset cognoscere omnes partes, in quas potest diuidi aliqua quantitas, vel non; si primum, ergo essent finitæ, & sic indiuisibiles, si enim Deus cognosceret vltimas, in quas neque diuidi posset, essent finitæ, & indiuisibiles; si secundum, hoc repugnat, Deo enim non est neganda perfectissima cognitio comprehensiua omnium rerum creatarum; quare dicant, & replicent quiquid volunt Aduersarii, semper hac responsione quidquid dixerint, reiicietur, cum enim Deus possit cognoscere omnes minimas partes, & puncta, in quæ potest resolui quælibet quantitas, illam constare ex punctis finitis, & tamden indiuisibilibus, fatendum est.

Neq. redicas, non esse in quantitate partes infinitas simpliciter, sed secundum quid, quatenus s. cum hæ partes sint indeterminatæ, proportionales, & communicantes cum aliis, vna semper includit partem alterius, illa alterius, & sic successiuè in infinitum.

Res. enim, hoc, quod est maximum Aduersariorum refugium, nullius esse momenti; nam saltem à Deo quælibet minima pars est determinabilis, inde

inde, vel vna pars proportionalis communicans debet communicare cum una, uel cum pluribus, si cum una, ergo tandem in designatione partium alicuius continui erit finis; si cum multis, ut uolunt Aduersarii, hoc est dicere eamdem numero partem semper includi secundùm aliquid sui in designatione partium alicuius quantitatis, quod quidem potest fieri in infinitum, ut si 100. nũmis aureis, u.g. numerarentur infiniti, ita tamen, ut ad initiũ cuiuscumque centenarii, iidem numero nũmi aurei ponerẽtur, & connumerarẽtur, sed hoc non est considerare partes quantitatis, ex quibus constat, & in quas diuidi potest, una enim non debet includi in alia, immò illam excludere.

Prob. 3. Tempus (quod est species Quantitatis) est series successiua instantium, sed instantia sunt indiuisibilia, ergo tempus, & qualibet quantitas constat ex indiuisibilibus; prob. ma. datur præsens tempus, ita quòd omne quod est in tempore, aliquando debeat dici esse in tempore præsenti, sed de tempore nihil est præsens nisi *nunc*, *& instans*, ergo tempus constat ex instantibus; min. prob. *nunc* enim, nec constat ex præterito, nec ex futuro, ergo est indiuisibile; prob. secundò ma. si tempus non constaret ex instantibus, sequeretur, Deum postquam creauit Angelum in instanti, non posse in instanti subsequenti alium creare, hæc est implicantia, ergo &c. sequela patet, si enim post instans non succedit per Aduersarios aliud instans, sed pars diuisibilis temporis, ergo in parte temporis, non in instanti deberet Deus creare Angelum.

Neq. dicas, tempus non constare ex solis instan-
20 tibus, sed ex instantibus indiuisibilibus, & ex partibus diuisibilibus, ita vt instantia indiuisibilia, sint veluti intermedia, & continuatiua partium diuisibilium, & earum etiam terminatiua, quòd & potest etiam dici de cæteris quantitatibus. Et hæc est opinio quorumdam asserentium, quantitatem componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, cõtinuatis tamen, & terminatis à punctis indiuisibilibus, quæ opinio impugnabitur responsione.

Resp. ergo, implicare talem compositionem continui ex partibus diuisibilib⁹, & pũctis indiuisibilib⁹, punctum enim indiuisibile nõ potest tangere quod habet partes infinitas, atq. adeo neq. illi continuari, nam duo se tangentia debent inuicem commensurari, ergo quod non habet partes, non potest cõmensurari habenti partes infinitas, ergo implicant indiuisibilia continuatiua, & terminatiua solùm, vel enim puncta indiuisibilia, & instantia in tempore, terminant partem diuisibilem, vel indiuisibilem, si indiuisibilem, habemus intentum, si diuisibilem, quomodo illam possũt tangere, & illi commensurari, cum enim punctum indiuisibile sit, nisi replicetur, non potest tangere partem diuisibilem Neq. dicas, tangere partem indeterminatam: Hoc enim subterfugium nihil valet, quia omne reale indeterminatum nõ est, ergo si illæ partes sunt reales non possunt dici indeterminatæ: dicendum ergo, tempus componi ex instantibus, & sic quamlibet aliam quãtitatem ex indiuisibilibus. Deinde designetur quænam sit pars temporis, & quodnam instans, cum semper in præsenti solùm habeamus *nunc*, *& instans*; asserendum ergo est, instans præsens quatenus connectitur aliquo pacto cum præterito, & futuro instanti, constituere tempus, & partem temporis; quomodo autem hoc possit esse, inferiùs declarabimus, cum rationibus aduersariorum respondebimus.

Prob. 4. Generatio ex communi philosophorũ, fit in instanti, ergo datur instans indiuisibile, ergo & puncta indiuisibilia in veris quantitatibus.

Neq. dicas, non fieri in instanti verè, sed quatenus negatio illa temporis concipitur ad modum entis positiui.

Resp. enim, falsam esse respõsionem, verè enim realiter, non per intellectum sunt generationes in rerum natura, ergo si fiunt in instanti, instantia sunt vera, & realia, non verò negationes temporis.

Prob. 5: Sunt pleraq. quæ in corporibus ĩ sola superficie existunt, vt colores, & lumen in corpore opaco, ergo secundùm superficiem corpora habẽt puncta indiuisibilia, ergo quantitas constat ex punctis indiuisibilibus.

Neq. valet, lumen v. g. in corpore opaco recipi non quatenus tale corpus profundum est, sed quatenus latum, & ideò lumẽ esse diuisibile, vel recipi lumen in corpore opaco etiam aliquo pacto secundùm profunditatem.

Resp. enim ad primum, nobis sufficere saltem secundùm profũditatem esse indiuisibile, ex hoc enim nõ est difficile assignare etiã ĩdiuisibilitatẽ secundũ latitudinem, cũ enim possit esse tale secundùm v. g. vnam rationem, cur non poterit esse secũdùm aliam, cum totus conatus aduersariorum sit in negando quocumq. indiuisibili; quòd autem indiuisibile sit secundùm profunditatem, patet, quia non potest recipi in profunditate (& sit responsio ad secundũ) nam si posset recipi in aliqua parte determinata in profunditate, cum omnes partes sint eiusdem rationis, & homogeneæ, posset in omnibus recipi; recipitur ergo solummodo in superficie, quia cum cõstet ex pũctis ĩdiuisibilibus, illis potest ipsũ lumen iisdem punctis constans, coniungi, & connecti, & hæc est differentia inter corpus opacum, & diaphanum, quòd in diaphano recipitur lumen secundùm profunditatem, non verò in opaco; neq. potest dici, lumen illuminans corpus opacum non esse in illo, sed in aere circumuicino, cum enim corpus opacum, & aer sint distincta subiecta, ideò & distinctum est accidens in ipsis receptum.

Prob. 6. In qualibet quantitate, & sunt partes, 21 & sunt vniones, quibus vniuntur: quòd .l. ab aliquibus negetur, patet tamen euidentissimè in diuisione rei quantæ, quando enim quantitas, v. g. palmaris in duas partes diuiditur, certè aliquid destruitur, & tamen non destruitur quantitas, ergo modus quo erat vnita, ergo &c. hoc ergo supposito sit efformo probationem, in qualibet quantitate sunt partes, & sunt vniones, destruat ergo Deus omnes modos vnionis in aliqua quantitate v. g. palmari, vel partes remanebunt indiuisibiles, vel diuisibiles, non diuisibiles, implicat enim diuisibilitas sine continuatione, & vnione, quam supponimus destructã à Deo, ergo indiuisibiles, ergo

vera

vera nostra conclusio;

Neq. dicas, implicare: destrui à Deo omnes vniones in aliqua quantitate, ipsa non destructa ex eo quia, cum quantitas inuoluat intra se essentialiter plures, & plures partes per consequens inuoluit etiam plures vniones.

Resp. enim quòd cum partes in sua essentia non sint modi, ideò à Deo possent ab illis modi separari, pars enim vt pars reduplicatiuè non importat vnionem, quòd patet, ex eo quia intentionaliter, & per intellectum possunt præscindi quicũq. modi à partibus. Quare, &c.

Prob. 7. Ex impugnatione fundamentorum cõtrariæ sententiæ, quibus mordicùs partes semper in infinitum diuisibiles in qualibet quantitate, & re quanta admittunt aduersarij.

22 Ob. ergo primò: Vel vnum indiuisibile in continuo tangit aliud secundùm se totum, vel non; si primum, ergo penetratur cum illo, & sic non facit extensionem, nec maius continuum, cum enim secundùm se totum tangat, adæquatur, & penetratur cum illo, indiuisibile enim, vt commune axioma est, additum indiuisibili, non facit maius; si secundùm .s. si non tangit secundùm se totum, sed secundùm partem, ergo habet partes, ergo est diuisibile contra præsuppositum: hic est Aduersariorum Achilles, hic Gordius nodus ipsis insolubilis, à nobis tamen Deo fauente non scindendus cum Alexandro, sed soluendus, & enodandus.

Resp. ergo, hoc argumentum militare etiam cõtra Aristotelicos, nam vel partes in continuo se tangunt, vel non; si non, ergo non constituunt continuum, si se tangunt, ergo secundùm id, secundùm quòd se tangunt, penetrantur, nulla enim est differentia inter contactum partium, & punctorum, nisi quòd partes se tangunt secundùm aliquid sui, puncta verò secundùm totum, ergo si à contactu secundùm totum, arguunt Aristotelici penetrationem punctorum, à contactu secundùm aliquid sui, debent, & concedere penetrationem partium secundùm illud sui, secundùm quod se tangunt; immo potiùs se deberet in contactu penetrare partes assignatæ ab Aristotelicis in quantitate, cum enim qualibet pars secundùm ipsos, vt potè diuisibilis habeat prius, & posterius, ideò si vna pars deberet aliam tangere secundùm posterius, deberet cum illa penetrari secundùm sui prius; Resp. ergo directè, punctum indiuisibile tangere aliud secundùm se totum, non autem cum illo penetrari, sed esse immediatè iuxta illud, & ideò posse constituere quantitatem extensam; quod autem tale punctum nõ penetretur cum alio, patet tum ipsa experientia, sicuti enim duæ superficies ligni v. g. & aquæ se inuicem tangentes, non penetrantur, sic nec duo puncta, eodem enim modo se habet superficies ad superficiem, ac punctum ad punctum; tum ratione, vt enim aliqua tangantur requiritur præcisè quòd vnum sit iuxta illud, nõ intra illud, quare cum puncta, hoc pacto sint in quantitate, non se penetrant, licet enim tangantur secundùm se tota, non tamen penetrantur, quia hoc esset verum, si haberent partem exteriorem, & interiorem, tunc enim si deberent tangi secundùm totum, deberet penetrari pars exterior cum alio puncto, ad hoc vt tangeretur pars illius interior; quare cum hæc puncta sint indiuisibilia, omnimodè se tangunt, & tamen non penetrantur, penetratio enim esset, si simul starent in eodem spatio, sed non stant, cum vnum stet immediatè iuxta aliud; contactus enim non est per modum informationis quod, s. res tacta debeat in se recipere tangentem, sed solùm consistit in eo, quòd eam habeat extra se .s. coniunctam, vnde nullo pacto dicenda est penetratio.

Confirmatur responsio. Indiuisibile metaphysicum, seu substantia spiritualis debet posse restringere suam virtutem ad existendum cum minori extensione illi possibili, sed hæc erit indiuisibilis, & illi tunc debebit correspondere pars loci indiuisibilis, ergo datur indiuisibile quantitatiuum; Hoc ergo supposito, collocetur hæc substantia in aliquo indiuisibili loci, & veniat quis ab oriente, transeat per istum locum versùs occidentem, quæro, penetrabit nè in tali transitu talem substantiam, vel non penetrabit? certò si transit per illum locum penetrabit, secus verò si solum accedat, & tangat illud indiuisibile loci; tangat ergo solummodo illud indiuisibile loci, & veniat alius ab occidente, & similiter accedat, & tangat locum absq. eo, quod penetretur cum substantia ibi locata; quis nõ dicet, in tali casu hos duos inuicem non tangi, & solum mediare punctum? ergo etiam si tangerent punctum, cum illo tamen non penetrarentur; quare falsum est quòd tantum replicant Aduersarij, tangit totum, ergo penetratur cum illo. Difficilior autẽ hoc proponitur imaginationi quia non tam facilè cognoscit naturam indiuisibilium, videmus enim etiam quando concipit Deum, Angelum, &c. non sibi posse efformare harum substantiarum indiuisibilium conceptum adæquatum.

Neq. ex hoc dicas, ergo cum punctum indiuisibile respiciat orientem, & occidentem, habet partes, ergo non est indiuisibile. 23

Resp. enim, non habere partes, benè verò latera non illi intrinseca, sed extrinseca respectu .s. loci circum circa diuisibilis, sicuti enim qualibet entitas indiuisibilis metaphysicè, eadem met respicit diuersas partes spatij v. g. Orientem Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, sic qualibet entitas quocũq. modo indiuisibilis aliquod latus habet sibi extrinsecum, dextrum .s. sinistrum, sursum, & deorsum, extrinsecè tamen; quod sic ostenditur, ponatur indiuisibile in aliquo loco, & moueatur uersus orientem, certè in tali motu non acquiret eas vbicationes, quas acquireret, si moueretur uersùs occidentem, ergo dicendum est, quòd .I. nõ habeat partes, habeat tamen à lateribus, & extrinsecè, loca uersus Orientem & Occidentem, Meridiem, & Septentriorem, & insuper sursum, & deorsum illi tamen extrinseca, quare celebris est illa sententia D. Augustini lib. 20. de libero arbitrio cap. 8. *quantulumcumq. illud corpusculum sit, habet sinistram, dexteram, inferiorem, & superiorem.*

ex quo ſequitur quòd ſicuti latus dextrum non dicitur ſiniſtrum, nec penetratur cũ ſiniſtro, ita nec puncta, quæ eſſent in latere dextro, & ſiniſtro penetrarentur cum puncto in medio exiſtente, & vtrumſq. latus reſpiciente .ſ. illud ſecundùm ſe totum tangerent.

Inſt. Si illa duo puncta deberent ſe penetrare, (quòd diuinitùs poteſt fieri) nullus maior contactus poſſet fieri, quàm quòd ſe tangerent ſecundùm totum, ſed per vos hoc modo ſe tangunt, ergo ſunt penetrata.

Reſpondetur, quòd ſi illa puncta ſe diuinitùs penetrarent, eodem modo ſe tangerent ſecundùm totum, ſicuti antea, ſed tunc non eſſent in diuerſo ſpatio, ſed in eodem, penetratio enim nõ cõſiſtit in eo quòd penetrata ſecũdũ ſe tota tãgãtur, ſed in eo quòd tangens, & tactũ correſpondeant eidẽ ſpatio, ſicuti .ſ. duæ manus tangant ſe ſecundùm ſuperficiem, tamen non ſe penetrant, quia ſunt in diuerſis ſpatiis; ſed hac reſponſione preſſi aliqui.

Inſtant ſecundò. Superficies primas ſolùm ſe penetrare, vt potè conſtantes ex punctis indiuiſibilibus; ſed contra.

Reſp. Superficiem eſſe ſpeciem quantitatis, & ideò naturaliter eſſe impenetrabilẽ; At dato quòd primæ ſuperficies ſe penetrarent: quæro, an ſecundæ ſuperficies illorũ corporum tangerentur à primis cum penetratione, vel ſine? ſi dicant tangi ſine penetratione, idem poterit etiam de primis affirmari, cum eadem currat paritas, ſi dicant tangi cum penetratione, ergo dicã ego, hæ ſecũdæ tãgẽtes tertias ſuperficies, cũ ipſis penetrabũtur, iſtæ cũ aliis, & ſic totũ corpus penetrabitur; quòd eſt falſiſſimum.

Inſtant 3. aliqui Punctum poſſe tangere corpus ſine penetratione, non verò aliud punctum quin cum illo penetretur. Sed contra.

Reſp. quòd ſi punctum tangeret corpus ſecundũ totum ſui eſſe, ergo cum illo penetraretur (hæc enim conſequentia valet in via Ariſtotelica, tangit ſecundùm totum, ergo cum illo penetratur) corpus verò cum non tangeret punctum ſecundùm totum ſui eſſe, cũ illo non penetraretur, & ſic eſſet penetratum, & non penetratum; quare vel dicendum etiam penetrari cum corpore, vel nec penetrari cũ puncto: & ex hoc apparet implicantia illorum, qui admittunt aliqua puncta indiuiſibilia terminatiua, & copulatiua partium diuiſibilium; faciliùs enim intelligitur, quomodo indiuiſibili coniungatur indiuiſibile, quã indiuiſibile parti diuiſibili; quomodo enim pũctum indiuiſibile poterit duas partes diuiſibiles omnimodè coniungere, ſi illis non poteſt extendi, vt potè indiuiſibile, illæ diuiſibiles?

24 Neq. valet, quantum non poſſe componi ex rebus non quantis, qualia ſunt indiuiſibilia, quæ nullo pacto ſunt extenſa.

Reſp. enim, hoc eſſe falſum, poſito enim puncto immediatè iuxta aliud, ambo euadunt extenſa, & ſic poſſunt facere quantum. Deinde, reſpõdeant mihi, quomodo corpus conſtituatur ex materia, & forma, ſi nulla ex iſtis, in eorum ſententia, eſt corpus. Item, valebit ne arguere, anima rationalis non eſt diuiſibilis in partes eſſentiales, ergo non poterit conſtituere totum diuiſibile in partes eſſentiales? vel, vnitas non eſt diuiſibilis in plures vnitates, ergo nõ poterit cõſtituere numerum diuiſibilem in partes? vel, vnitas non eſt numerus, ergo non poterit cõſtituere quantitatem diſcretam? ſicut ergo hæc õnia, licet ſecundùm ſe indiuiſibilia, tamen aliquid diuiſibile poſſunt conſtituere, ita punctum, .ſ. ex ſe ſit indiuiſibile, & non quantum, neq. extenſum, per additionem punctorum, conſtituere poteſt rem diuiſibilem, quantam, & extenſam, Patet ergo ex his omnibus falſum eſſe illud axioma quòd indiuiſibile additum indiuiſibili non facit maius, poteſt enim facere, ſi ponatur extra, ſed immediatè iuxta aliud. Deinde hoc etiam poſſet dici in ſententia Aduerſariorum, nam ſi vnum indiuiſibile additum alteri, nõ facit maius, neq. vna pars diuiſibilis in infinitum addita alteri faciet maius; cum ergo non ſoluetur difficultas in ſententia Aduerſariorum, faxit Deus, nullo modo ſubſcribam.

Ob. 2. Quælibet linea, vt demonſtratur ab Euclide 6. Elementorum, poteſt diuidi in partes æquales, ſed hoc non poſſet eſſe ſuppoſita hac ſententia, ergo &c. min. prob. ſi enim linea conſtaret v.g. ex 5. punctis indiuiſibilibus, non poſſet in partes æquales diuidi, punctum enim medium ſupponitur indiuiſibile.

Reſp. hoc demõſtrari ab Euclide ex ſuppoſitione veritatis ſententiæ Ariſtotelicæ, nullo verò modo poſſe demonſtrari in noſtra ſententia, neq. ex hoc ſequitur incõueniens, linea enim non exigit ex ſuo conceptu quòd ſit diuiſibilis in partes æquales mathematicè loquendo, licet tamen ſenſibus poſſit apparere diuiſa in partes æquales, cum enim vna medietas lineæ ſectæ non excederet aliam medietatem niſi in puncto, quòd ſenſibile non eſt, ideò ſenſibiliter huiuſmodi linea diuidi poſſet in partes æquales. Deinde hoc argumentum militat etiam contra ipſos Ariſtotelicos, cum enim admittant vnum infinitum maius alio, ſi diuideretur linea palmaris, & linea digitalis, vna ex his medietatibus deberet ratione partium proportionalium eſſe magis infinita, quàm alia, at eſt contra præſuppoſitũ, volũt eni quòd quælibet ſit ſẽper eodem modo in infinitũ diuiſibilis, ergo & illi ad reſpõſionẽ coguntur; quare reſpondeant quidquid velint, nũquam nobis perſuadere poterunt hoc futile paradoxum, lineam .ſ. vnius palmi habere eaſdem partes proportionales, quas haberet linea, quæ extenderetur ab hac Ciuitate vſq. ad ciuitatem Byſantij, aut unum granum milij, tot partes proportionales habere, quot mundus Vniuerſus.


Ob 3. Ex hac ſententia ſequeretur, datis duobus circulis concentricis, eadem puncta habere circulum exteriorem, ac interiorem, ſed hoc eſt falſum, ergo illud ex quo ſequitur, ſequela prob. quia à cẽtro illorum circulorum poſſunt duci lineæ rectæ ad omnia puncta circuli ſuperioris, ſed illæ lineæ deberent tranſire per ſingula puncta circuli inferioris, ergo tot haberet pũcta circulus ſuperior, ac ĩferior neq. poteſt dici, aliquas lineas in circulo inferiori quaſi coincidere in vnum, ſequeretur enim aliquam ex his lineis fore obliquam, quòd videtur falſum. 25

Reſp.

Resp. primò. Etiam hoc nilitare contra Aduersarios, semper enim debent concedere, maiorem esse circulum primi mobilis, quàm illum paruæ nucis auellanæ, dicant ergo, vel tot lineæ possunt duci à cētro per circulū interiorē ad exteriorē, vel nō; si tot, ergo habet tot partes, ac exterior, quòd est falsum, si verò non possunt duci, ergo aliquæ lineæ confunduntur cum aliis, & sic sunt obliquæ, quod obiiciebant Zenonistis; Respondendum igitur, non posse tot lineas distinctas transire per circulum interiorem, ac per exteriorem, hoc autem rationi consonum est, quidquid dicant mathematici, quia cum lineæ quò magis distant à centro, magis inter se dilatentur, ideò plures poterunt esse in circulo exteriori, ac in interiori, quòd si plures trahantur à centro, ac sunt puncta circuli interioris, in tali casu confundentur cum primis, neq. tamen inflectentur, quia, licet transeant per eadem puncta, possunt tamen rectè tendere in suum terminum, neq. enim ex eo quia duæ lineæ se per modum crucis intersecent, ideò cessant esse rectæ.


Neq. dicas in tali casu penetraturas; Resp. enim quòd si istæ lineæ essent quantitatiuæ, dum confunderētur, extenderentur, & sic non penetrarentur, quare solū abstrahendo à materia, & mathematicē loquendo tales lineæ possunt duci.

16 Ob. 4. Item sequeretur ex hac sententia, lineam diametralem alicuius quadrati quæ transit ab angulo ad angulum non esse maiorem, quàm lineam rectam, quæ transit à costa ad costam eiusdem quadrati, sed hoc experientia est falsum, ergo &c. sequela prob. cum enim hæc linea deberet transire per puncta singularum linearum, quæ trahi possunt à costa ad costam, sequitur habituram tot puncta, quot sunt istæ lineæ, & sic futuram lineæ à costa ad costam ductæ, æqualem.



Resp. hanc difficultatem militare etiam in sententia Aduersariorū, eodē enim pacto quo ipsi volunt, lineas deductas à costa ad costam quadrati constare ex partibus proportionalibus, communicantibus, debent etiam asserere ex illis constare lineam diametralem eiusdem quadrati, vel ergo quælibet pars proportionalis laterum quadrati à qua deducuntur lineæ, correspondet singulis partibus lineæ diametralis, vel non; si non, ergo per illam partem, cui non correspondet posset duci alia linea à costa ad costam, quòd est contra præsuppositum, si correspondet, cur postea est maior linea diametralis, quàm lineæ ductæ à costa ad costam? quare respondemus in nostra sententia, ideò maiorem esse lineam diametralem, quàm laterales, quia cum linea diametralis non descendat rectà, sed aliquantisper inclinetur, sitq. media inter lineas, quæ rectæ descendit à costa superiori, & inter lineas deductas à lateribus quadrati, ideò habet aliqua puncta, quæ infrà descendunt, & aliqua quæ non descendunt, sed ad latus inclinantur, vnde est necesse, vt aliquando communicet cum duobus punctis alicuius lineæ à costa ad costam, & hac ratione crescit talis linea diametralis, ita vt sit longior, quàm lateralis. Neq. sequitur, talem lineam hoc pacto futuram vndosam, vt potè constantem ex punctis descendentibus, & ex accedentibus ad latus quadrati: Non erit inquā vndosa, quia cum sit linea, & descendens ab angulo superiori, & non descendens directè, sed ad latus inclinata, ideò necessariò ex punctis descendentibus, & ex inclinatis, & accedentibus ad latus constare debet, quare cum aliquando per talem inclinationem ad latus duo puncta ipsius corresspondeant vni soli puncto lateris, euenit, vt euadat longior: hocq. sit quod in præsenti Deo dante tali argumento respondere possumus, Aduert. tamen, hanc demonstrationem atramento aut alio simili modo ostendi non posse, cum quælibet linea seu punctum, quod hoc modo perscribatur, semper habeat partes designabiles.

Ob. 5. Item sequeretur data hac sententia, lineam diametralem eiusdem quadrati A, B, C, D, 17



futuram duplò maiorem quacumq. laterali, hoc falsum demonstratur ab Euclide, estq. contra experientiam, ergo &c. Sequela prob. cum enim à quolibet puncto lineæ lateralis A. B. possit duci recta ad lateralem B D. (ex Mathematicis enim, à quolibet puncto ad quodlibet punctum potest duci recta linea) ideò si linea lateralis ex 10. punctis constaret, 10. & lineæ trahi possent, cum quibus omnibus cum linea diametralis communicaret in vno puncto, ideò medietas talis lineæ ex 10. punctis constaret, quot constaret, & lateralis, atq. adeò tota simul sumpta duplò esset maior quacumq. linea laterali.

Reſp. hoc argumentum etiam militare contra Ariſtotelicos, quare ſi illius efficaciam agnoſcerent, non in Zenoniſtas emitterent tela, quę in ipſos eadem facilitate retorqueri poſſunt; cum enim tam lineæ laterales, quam diametrales iiſdem conſtarent partibus proportionalibus. & cõmunicantibus, & quælibet pars lineæ lateralis correſpondeat parti lineæ diametralis, ideò tot deberent eſſe partes lineæ lateralis, ac diametralis, quòd ſi traherentur lineæ à quacumq. parte lateris A. B. ad quamcumq. lateris B. D. quot inuenirentur partes in qualibet laterali, tot reperirentur in medietate diametralis, atq. adeò eſſet duplo maior, quod Zenoniſtis opponunt.

Reſp. ergo directe, quòd aliquæ lineæ ex ductis ab vno latere ad aliud, conueniunt, & communicant cum vno ſolo puncto lineæ diametralis, atq. adeo per hoc non eſt duplo maior illis, quòd eueniret ſi omnes cõmunicarent cum diuerſo puncto; quòd autem hoc ita ſit, non gratis, ſed ratione dicitur, ſicuti enim ſupra dicebamus in ſupra impugnato argumento, lineam diametralem non eſſe æqualem cuicũq. lateri, ex eo quia deſcẽdendo inclinata ad latus, aliquando participat de duobus punctis alicuius lineæ ex ductis à coſta ad coſtam, ſic dicimus, quòd cum lineæ deductæ à punctis lateris A. B. ad latus B. D. deſcendant non rectæ, ſed inclinatæ ad latus, & per conſequens conſtent ex punctis deſcendentibus à ſupremo latere A. B. & ex accedentibus ad latus B. D. ideò aliquando idẽ punctum alicuius ex his lineis poteſt eſſe commune duabus lineis, punctum .ſ. quod accedit ad latus, vel quod deſcendit, quare cum linea diametralis ſecet tales lineas, illas etiam aliquando ſecat in aliquibus punctis, in quibus duæ lineæ conueniunt, & ex hoc euenit, vt non medietas ſola lineæ diametralis conſtet ex 10. punctis, vt conſtat quælibet linea lateralis, ſed ex paucioribus, proportionaliter ad coincidentiam linearum in eodem puncto.

Et Conſ. quia cum linea diametralis ſit minor lineis A. B. & B. D. ſimul ſumptis, ſi enim ambæ protenderentur, & facerent vnam rectam lineam, maiorem extenſionem haberent, ac linea diametralis, ideò à punctis ipſarum ad diametralem, nequeunt duci lineæ, quin inter ſe communicent aliquæ in eodem puncto.

Ob. 6. Item ſequeretur ex hac ſententia, lineas
28 diametrales alicuius pyramidis eſſe maiores, quàm eſſet baſis pyramidis, hoc autem eſſet abſurdum, ergo, &c. ſequela prob. detur pyramis, cuius baſis conſtet tribus punctis, & latera ſex.

deinde incipiendo à cuſpide pyramidis trahantur lineæ diametrales à quocumq. puncto lateris pyramidis ad aliud oppoſitũ. prima linea ſaltem debebit conſtare tribus punctis, ſecunda, quatuor, tertia, quinque, &c. ergo hæ lineæ eſſent maiores, quàm baſis, quæ ſupponitur conſtare tribus pũctis.

Reſp. Hoc argumentum etiam pugnare contra Ariſtotelicos, cũ enim per ipſos quælibet quãtitas ſit in infinitum diuiſibilis, ergo quælibet linea eſſet æqualis baſi, vtpotè quia vtraq. cõſtaret ex partibus infinitis, quod & repugnat; Sit ergo directa reſponſio, tale triangulum repugnare, .l. enim dicat Euclides lib. 1. Element. ſuper quamcumq. rectam, poſſe deſcribi triangulum, intelligit de linea, quæ poſſit importare diuerſam diſtantiam, qualis non eſſet linea trium punctorum, ſupra quam non poteſt deſcribi triangulum; quod deducitur ex alio principio Mathematico, quod ſic habet, *quò lineæ facientes angulum magis eleuatur a baſi, eò magis proxima sũt inter ſe*; quare cũ in caſu allato, lineæ laterales ſolũ diſtarent in baſi per vnum pũctum, ſi eleuarẽtur ad faciendum angulum, minus deberent diſtare, & magis eſſe proximæ, quàm in baſi, non poſſent autem eſſe, quia non datur minùs, quàm punctum, ergo tale triangulum implicat; quòd ſi baſis plura puncta haberet, hoc non ſequeretur, vt patet.

Ob. 7. Cera liqueſacta, & rara occupat maio- 29
rem locum, ac quando eſt condenſata, ſed hoc non poſſet eſſe ſi cõſtaret ex indiuiſibilibus finitis, ergo, &c. min. prob. quodlibet enim indiuiſibile quantitatiuum occupat indiuiſibile loci, ſeu ſpatii, ergo ſi antè rarefactionem habebat, v. g. 10. puncta quantitatiua, & etiam 10. puncta ſpatii occupabat tot etiam deberet occupare poſt rarefactionem.

Reſp. Hoc argumentum contra Ariſtotelicos militare, nam conſtet cera, & quælibet res quanta, vel ex punctis finitis, vel ex partibus in infinitum diuiſibilibus, certum eſt ipſa euidentia teſte, ſolum certum locum occupare, & non maiorẽ, & ſi occupat maiorẽ in rarefactione, hoc prouenire, vel quia aliquæ partes erãt priùs inuicẽ penetratæ, vel quia inter illas interponuntur aliqua corpuſcula, vel vacuitates, alius enim modus non poteſt inueniri, quare nec hoc argumẽtum contra nos militat; quomodo verò detur talis rarefactio, ratione cuius maius ſpatium occupetur, ſuo loco videbimus.

Ob. 8. Nihil conſtituitur ex ſuo contradictorio, ſed hoc eſſet, ſi quantitas cõponeretur ex indiuiſibilibus, ergò, &c. mi. pr. indiuiſibile enim eſſentialiter exigit, non eſſe extenſum, ſeu non habere partes, quantitas verò eſſe extenſam, & habere partes, ergo, &c.

Reſp. Etiam hoc argumentum poſſe militare in ſententia Aduerſariorum, quomodo enim quantitas finita poteſt componi ex partibus in infinitũ diuiſibilibus, cum finitum, & infinitum opponantur? quare Reſpondetur directè argumento, neg. min. nam .l. punctum ratione ſui eſſentialiter dicat negationem partium, reſpectu tamen quantitatis ad quam dicit ordinem, dicit aptitudinem ad conſtituendam extenſionem partium, ſicuti .l. materia ſecundùm ſe eſſentialiter dicat negationem ſubiectationis in alio, quam non dicunt formæ materiales, tamen, quia dicit aptitudinem ad ſubiectandam

dam formam, ex ipsa cum forma fit compositum, sic ergo, .i. punctum ex se dicat negationem extensionis, quia tamen aptum est ad constituendam extensionem additum alijs punctis, ideò ex ipsis potest componi quantitas.

Neq. dicas, ad nullum prædicamentum posse reduci puncta indiuisibilia,

Res. enim, reduci ad prædicamentum, vel substantiæ, vel accidentis; si sunt puncta quantitatis propriæ, reducuntur ad prædicamentum Substantiæ, si verò quantitatis per accidens, reducuntur ad prædicamentum Accidentis.

Neq. dicas tandem ad euitandas difficultates,
30 quæ tam in Peripatetica, quàm in Zenonistica sententia opprimunt intellectum, melius esse asserere, quantitatem componi ex punctis finitis indiuisibilibus physicè, tamē nō metaphysicè, aut mathematicè, ita quòd .i. puncta componentia quantitatem habeant extensionem, & ratione ipsius designari in ipsis possint partes, attamen, talis extensio non sit diuisibilis, nisi extrinsecè ratione partis extrinsecæ, cui continuari possunt, & partes in ipsis sint solum designabiles, non factibiles. Hæc est sententia quorumdam recentiorum, præcipuè Serbelloni dis. 4. de Quantitate quæst. 1. art. 5. Guarini dis. 9. de Quantitate expen. 3. qui acies indiuisibilium Zenonistarum sustinere non valentes, indiuisibilia diuisibilia, ad minùs suis acuminibus extorquendos intellectus, inuenere; sed

Respon. Futile, & omninò vanum esse hoc effugium. Nam, vel hæc indiuisibilia physicè, etiam per Dei omnipotentiam sunt physicè indiuisibilia, vel solùm naturaliter; si solùm naturaliter, ergo nō erunt minima, ex quibus constet quantitas, cum saltem supernaturaliter possint vlterius diuidi, & fieri minora; si etiam per Dei omnipotentiam sunt indiuisibilia physicè; ergo sunt minima, & indiuisibilia mathematica, & Zenonistica, ergo nullam extensionem habent, quod enim habet extensionem, saltem diuinitùs, diuidi potest.

Neq. respondeas; hæc minima physica etiam per Dei omnipotentiam esse indiuisibilia, .i. enim extensa, & habentia partes extrinsecè, & per designationem, possunt esse intrinsecè indiuisibilia, cum non omne extensum sit diuisibile, sicuti omne diuisibile est extensum, extensio enim est priùs, quàm diuisibilitas, quare cum nulla implicantia possit adduci, quare non potuerit Deus creare hæc minima indiuisibilia intrinsecè, .i. extensa, & habentia partes extrinsecè, & per designationem, ex ipsis componi quantitatem asserendum est.

Res. enim, vel hæc minima physica coincidere cum minimis, & indiuisibilibus mathematicis, vel habere partes etiam intrinsecas, & à Deo diuisibiles, nam si partes solummodo, & medietates minimi extensi possunt extrinsecè designari, quatenus .s. vt ait ipse Serbellonus, eadem indiuisibilis physica entitas illis inadæquatè correspondet, idest secundùm diuersas virtualitates, secundùm quas correspondet & diuersæ designationi, ergo subinfero ego, intrinsecè nullam diuisibilitatem habent, ergo & mathematicè sunt indiuisibiles; nam etiam punctum, & indiuisibile mathematicum habet latera extrinseca, quibus correspondet secundùm diuersas designationes, quare huiusmodi puncta neque realiter possunt dici extensa, cum re vera omne extensum sit diuisibile; extensum enim realiter supponit partes intrinsecas realiter, atq. adeo diuisibiles, bene verò solùm virtualiter possunt dici extensa, qualia etiam sunt indiuisibilia mathematica, quatenus .s. ex ipsis quid extensum, .s. quantitas, potest componi; quare &c.

Neq. dicas ex Guarino. Quælibet pars si quanta concipienda est, debet concipi pluribus partibus addibilis, sed nequit taliter concipi, nisi in ea partes concipiantur, ergo in qualibet parte quantitatis, debent esse, & concipi partes, atq. adeò debent esse minima physica, in quibus concipiendæ sint partes, non verò mathematica, min. prob. cum enim possit addi pars ab Oriente, & pars ab Occidente, in ea debent esse partes, & respectu Orientis, & Occidentis.

Res. neg. min. .i. enim punctum mathematicum non habeat partes intrinsecas, illi tamen possunt, & à parte Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis, addi puncta, cum respectu talium partium habeat latera extrinseca, & vbicationes extrinsecas, in quibus cum possint poni alia puncta, & illi vniri, & continuati, ideò & quantitatem extensam possunt continuare, vt supra probabamus.

Neq. dicas vltimò. Admittere huiusmodi puncta mathematica componentia quantitatem esse 31
errorem in fide damnatum à Concilio Constantiensi sess. 15. in quo inter alias propositiones Vviclephi, quas Concilium damnat, huiusmodi est *linea aliqua componitur ex duobus, aut tribus, aut quatuor punctis immediatis, aut etiam ex punctis, &c.* & subsequitur, *Prima pars est error in Philosophia*, ergo &c.

Res. Communiter ab auctoribus, huiusmodi verba, *Prima pars est error in Philosophia* non esse verba Concilii, sed addita ex Codice cuiusdam Canonici Coloniensis, vel à Concilio dicta fuisse, referendo sententiam Hæretici, non verò in hac parte illam damnando, quod

Conf. Ex eo quia non inueniuntur huiusmodi verba in primis editionibus huius Concilij, nec in summa Conciliorum, & ex eo quia Martinus V. Sūmus Pontifex, qui tale Concilium, priùs auctoritate Pontificis non congregatum, confirmauit, recensendo sess. 45. eiusdem Concilii, & condemnando errores Ioannis Vvicleff, & Ioannis Huss. huius propositionis nullam mentionem facit, vt videre est Tom. 3. Concil. pag. 917. in editione Coloniensi anno 1567. Hæc ergo sunt præcipua tela, quæ contra Zenonistas conantur proijcere Aristotelici, quæ cum potiùs contra ipsos retorqueri possint, & à Zenonistis optimè effugiantur, in causa sunt, vt eorum sententia clarior, & certior appareat.

SECTIO

SECTIO IV.

Deducuntur quædam Corollaria ex antecedentibus, & resoluuntur cætera spectantia ad Quantitatem.

Ne prolixiorem extenderemus antecedentem sectionem, nouam instituimus, in ipsa demonstraturi quædam corollaria ex antecedentibus doctrinis.

32 Coll. ergo primò. In quantitate dari indiuisibilia realia terminatiua, & copulatiua, cum enim ex allata doctrina tota quantitas constet ex indiuisibilibus, sequitur etiam habere terminatiua, & copulatiua; copulatiua autem non sunt indiuisibilia vnionis, vt volebant aliqui, cum enim supra negauerimus quamcumq. vnionem superadditam, nec eam admittimus in quantitate, quare indiuisibilia copulatiua sunt eadem met, quæ constituunt quantitatem, quatenus sunt coniuncta, & vnita ab vnionibus, quæ illa vniunt tamquam modi, non tamquam entitates distinctæ.

Coll. 2. Quantitatem continuam diuidi in Lineam, Superficiem, & Corpus: linea constituitur ex punctis, superficies ex lineis, corpus ex superficiebus, cum enim de ratione quantitatis sit extensio, hæc potest esse, vel quoad longitudinem, & dicitur linea, vel quoad latitudinem, & est superficies, vel quoad profunditatem, & corpus appellatur.

Col. 3. Omnes partes cótinui esse finitas, lineã .s. superficiem, & corpus, & ratio est, quia cum constent ex punctis finitis, ergo & ipsæ finitæ debēt esse, finitum enim additum finito non facit infinitum.

Coll. 4. Quòd si punctum indiuisibile posset separari à quantitate, posset naturaliter moueri motu locali, non tamen virtute propria, sed aliena, & ab extrinseco; ratio autem est, quia moueri ex sua ratione formali solùm dicit, quod mobile sit modò in termino à quo, & modò in termino ad quem, sed hoc pacto potest esse punctum, ergo &c. min. prob. in tantum enim non posset hoc pacto moueri; quia quòd mouetur successiuè debet commensurari partibus spatij veri, aut imaginarij, cum autem punctum non posset talibus partibus commensurari non posset moueri, sed hoc in nostra sententia non obstat, quia etiam spatium constat ex punctis indiuisibilibus, ergo per talia puncta poterit moueri. Hoc autem clarè patet in motu quem faceret globus perfectus super planum perfectum, tangeret enim planum semper in puncto. Dixi autem, punctum indiuisibile non posse ab intrinseco habere ex se hunc motum, sed ab extrinseco, quia vt potè indiuisibile non haberet potentiam motiuam, per quam posset moueri, cum non esset perfectè natura, quæ est principium motus, & quietis, moueretur autem ab extrinseco per impulsum illud tangentem per punctum indiuisibile.

33 Col. 5. Quantitatem esse ingenerabilem, & incorruptibilem, cum enim per nos non distinguatur à materia, & ipsa talis sit, pariter & quantitatem esse ingenerabilem, & incorruptibilem asserendum est; quare sicuti per formas determinatur materia, ad constituendum tale compositum, sic per materiam efformatur compositum in tanta vel tanta magnitudine, & quantitate, desumpta extensione accidentali à forma.

Col. 6. Figuram esse modum accidentalem ipsius quantitatis; ratio autem est, quia ille est modus, qui modificat rem, sed figura modificat quantitatem, & illam ad specialem formam reducit, ergo est modus; tum quia, modus est inseparabilis à re modificata, at talis est figura, non enim potest concipi figura sine re figurata, ergo est modus. Neque valet, in Sacramento Eucharistiæ remanere figuram, & non quantitatem, ergo non esse modum, modus enim est etiam diuinitùs inseparabilis à re, cuius est modus. Resp. enim, modum esse inseparabilem à tota re, cuius est modus, non verò à parte, quare cum in Sacramento Eucharistico remaneat aliquid, quod priùs ibi erat .s. accidentia extensa, ideò in ipsis tunc remanet talis modus, sicuti esset in casu, quo quis sedens moreretur, remaneret enim cum eodem modo, & tamen non esset idem totaliter vt priùs erat.

Col. vltimò. Omnes partes siue puncta in quãtitate esse verè, & realiter inter se actu distincta; ea enim dicuntur distincta, quæ diuersam habent entitatem, & inuicem possunt separari, sed vnum punctum, & à fortiori vna pars continui habet diuersam entitatem ab alia, & possunt inuicem separari, ergo sunt actualiter distincta; tum quia si duæ res distinctæ, duæ quantitates aquæ v.g. continuarentur, non per hoc deperderent suam entitatem, & adhuc possent discontinuari, ergo dicendum est, quòd tunc quælibet habeat suas partes distinctas à partibus alterius, distinctio enim actualis non importat separationem actualem; tum deniq; quia verè datur vnio in continuo, sed non potest dari vnio nisi inter plura distincta, ergo dantur partes, & puncta actu distincta in quocumq. continuo.

Quæres. An de ratione quantitatis sit quòd sit continua, vel etiam possit esse successiua. 34

Resp. Quantitatem propriè, & rigorosè sumptam solùm debere dici continuam, nõ verò successiuam. Ita multi relati à Tellez in Metaphysica disp. 60. sect. 2. num. 6. ratio autem est, quia quantitas consistit in extensione, &c. sed successio non est vera aliqua extensio positiua, qualis est cõtinuitas, sed consistit in quadam negatione simultaneæ existentiæ partium, de ratione enim successionis est, quod vna pars sit prior, alia posterior duratione, & quòd vna sequatur post aliam, ergo vera quantitas non potest dici successiua; hæc consequentia prob. quantitas enim cum dicatur habere partes extensas, has partes actu debet habere, vt suprà probauimus, at successio importat quòd dum vna pars sit, alia nondum sit facta, vel quæ præcessit iam non sit, ergo &c. tum quia, quantitas propriè dicta secundùm nostram sententiam non distinguitur à substantia materiali, sed quod est successiuum, motus .s. & tempus distinguitur à substantia materiali, est enim accidens quoddam distinctum, ergo

quod

quod est successiuum non est propriè quantitas: tum denique quia, vel successio est partium, non immediatè se tangentium, vel est partium immediatè se tangentium, si primo modo, nullo pacto potest conuenire quantitati continuæ, hoc enim pacto non esset vnum continuum, sed diuersa continua, si secundo modo, talium partium contactus solùm potest esse respectu mobilis, seu spatij, in quo reperiuntur, & sic solummodo possent dici continuæ per accidens, non per se, sicuti sunt aliæ qualitates; & hoc pacto intelleximus, quando diximus, motum nullo pacto posse dici continuum .s. non habere continuitatem propriam quantitatis rigorosè sumptæ, sed solùm per accidens dici continuum, & quantum, quatenus extenditur aliquo pacto successiuè mobili, seu spatio, quare etiam dicit D. Thomas in 6. Physic. text. 66. quòd quantitas motus accipitur secundùm quantitatem spatij. Et hæc sint, aut explicata, aut implicata de Quantitate.

DISPVTATIO VNICA,

In Septimum, & Octauum librum Physicorum Aristotelis, De primo Motore.

Tandem ad explicandos vltimos Physici auditus libros deuenimus. In his postquam Aristoteles cæteros percurrens libros per omnes naturæ proprietates, motus, mutationesque volitasset, tandem in vltimum rerum omnium Finem, primumq. Motorem oculos mentis injicere, tanquam verus Philosophus naturalis, decreuit; Multis ergo fundamentis nixus, existentiam huius primi Motoris ostendere conatur. Hæc autem fundamenta, ab hisq. deducta, hos libros examinaturi, explicabimus. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

An omne quod mouetur, ab alio moueri, necesse sit.

Volens Aristoteles probare necessitatem primi Motoris, conatur ostendere, quòd omnia, quæ mouentur, necesse sit ab alio moueri, in quibus motibus, cum in infinitum non sit procedendum, tandem ad primum Motorem, qui sit immobilis, & cætera moueat, deueniendum esse ostendit; hoc ergo & nos quærimus in præsenti sectione, pro solutione cuius rei. Sit.

Prima Conclusio. Omne quod mouetur .I. aliquando proximè, & immediatè possit moueri à se ipso, remotè tamen, alio mediante, & ab alio moueri, necesse est. Ita D. Thomas, quem refert, & sequitur Suarez tom. 1. Metaphysicæ disp. 18. sect. 1. num. 1. Conimb. 7. Physic. cap. 1. quæst. 1. art. 2. & & alij. Quòd aliqua moueantur à se ipsis immediatè iam probatum est cum de motu grauium, & leuium, & ideò remanet solùm probandum quòd remotè, &c.

Prob. ergo primò. Mouere est educere aliquid de potentia ad actũ, sed non potest educi aliquid de potentia ad actum, nisi per aliquod ens in actu, ergo ad quemcumq. motum prius supponitur id, quod sit actu potẽs mouere, id quod est in potẽtia, sed idem non potest esse secundùm eamdem rationem in actu, & in potentia, ergo id quod est in potentia ad motum, non potest mouere se ipsum secundùm eam rationem, secundùm quam est in potentia, ergo ab alio saltem remotè, moueri debet, non à se ipso.

Prob. 2. Omnis causa dicit dependentiam naturalem ab vna prima causa, extra quam, non est amplius procedẽdum, ergo quodcumq. moueri debet saltem secundùm talem dependentiam, à prima causa moueri, & sic ab alio, saltem remotè, necesse est; antecedens probatum fuit in secundo libro cum de causa prima increata, conseq. patet, ergo &c.

Prob. 3. de motu naturali. Omne quod mouetur naturaliter, mouetur ratione virtutis motiuæ existentis

tentis in mobili, sed hæc virtus motiua non est formaliter mobile, ergo mobile non mouetur à se ipso formaliter, sed mediante virtute motiua, vel forma, vel Agente, quod talem virtutem motiuam, seu formam impressit.

Prob. 4. de motu violento; Motus violentus est ab extrinseco, sed quod est ab extrinseco est ab alio, ergo mobile, quod mouetur motu violento, mouetur ab alio.

2 Prob. 5. de motu alterationis, & augmenti; Mobile quod mouetur ad calorem, v. g. distinguitur ab igne calorem producente, ergo non à se ipso mouetur, sed ab alio à se distincto. Item, motus augmentationis procedit à potentia nutritiua, quæ conuertit alimentum in substantiam aliti, ergo mobile, quod mouetur ad augmentationem, mouetur ab alio.

Ob. Intellectus, & voluntas ex se ipsis immediatè mouentur ad intelligendum, & volendum. Item cor se ipsum mouet absq. eo quod moueatur ab alio, ergo quod mouetur, non semper est necesse ab alio moueri.

Res. 1. Posse distingui voluntatem, & intellectum actu agētes, à non agentib', quo pacto voluntas, & intellectus agētes mouētur ad agendum à volūtate, & intellectu non agētibus; deinde Resp. quòd si mouentur, hoc faciunt per virtutem receptam, ergo mediante illo, quod talem virtutem impressit mouenti, ergo ab alio. Ad illud de corde, Resp. moueri, vel à potentia sua motrice, vel ab anima, & hoc pacto semper ab alio saltem remotè moueri.

Quæres. Vtrum ex hoc principio euidenter deduci possit cum Aristotele, dari primum Motorem.

Resp. Affirmatiuè cum D. Thoma 1. contra Gentes cap. 13. Durando in 1. distinct. 3. quæst. 1. num. 7. & alijs multis. Hoc autem patebit ex argumento Aristotelico fundato in assignato principio, & in alio iam alias probato, quòd in causis non sit admittendus processus in infinitum, sed ad vnam vltimam sit deueniendum. Argumentum autem sic se habet.

Euidens est, dari motum in rerum natura, illudq. quod mouetur, sicuti non habet à se esse, ita neque habere virtutem motiuam, nec motum à se, sed ab alio; illud ergo à quo mouetur; vel mouetur, vel non mouetur; si non mouetur, erit primum à quo procedit motus cum aliud primum à quo moueatur non sit; si mouetur, vel mouetur à se ipso, uel ab alio, si à se, erit primum à quo moueātur cætera, si uero ab alio moueatur, cum non sit procedendum in infinitum in causis ordinatis, debet dari necessariò prima, à qua moueantur omnes, & erit primus Motor. Ecce ergo euidenter deductum ex Argumento Aristotelico, deberi dari primum Motorem.

3 Quæres 2. Quænam attributa dixerit Aristoteles conuenire primo Motori, & an euidenter ea deduxerit.

Resp. Attributa assignata ab Aristotele primo Motori esse Immutabilitatem, Vnitatem, Immensitatem, Incorporeitatem, Infinitatem, Indiuisibilitatem, & Perpetuitatem; an autem hæc euidenter lumine naturali probauerit Aristoteles, tàm pro affirmatiua, quàm pro negatiua sententia stant Doctores, ideò cum nihil certi possit affirmari, videatur quid dixerit Auctores, præcipuè Run. in 8. Physic. tract. 1. num. 83. & seq. Tellez in 2. parte Philosophiæ dis. 38. sect. 2. & alii. Nos hic solùm quædam de Æternitate Mundi, deducta ab ipso Philosopho ab æternitate primi Motoris pro complemento horum librorum, inquiremus.

SECTIO II.

Quid sit Mundus, & an potuerit esse ab Aeterno.

Variæ sunt acceptiones Mundi, per quas totum Mundum diuidentes Philosophi in certam rerum congeriem, veluti diuersos distinxerunt Mundos; dixerunt ergo, alium esse mundum Intelligibilem, alium Sensibilem; mundus sensibilis est hic corporibus visibilibus constitutus; intelligibilis verò sumitur pro vniuersitate substantiarum spiritualium, & separatarum. Item mundus sensibilis diuiditur in mundum Cœlestem, & Elementarem, pro Mundo elementari intelliguntur, nedum omnia elementa, sed etiam cætera corpora ex elementis composita, pro cœlesti verò omnes cœli cū corporibus ibi existentibus. Hæ sunt acceptiones, & distinctiones Mundi, propriè tamen vnus solus est Mundus ex his omnibus compactus, nec de facto alter datur, .l. de possibili dari possit; definitur autem ab Aristotele lib. de Mundo cap. 2. Quòd sit. 4

Compages ex cœlo, terraq. coagmentata, atq. ex ijs naturis, quæ inter ea continentur, seu *est ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* Ex qua definitione clarè patet, mundum esse quoddam aggregatum, atq. compositum ex corporibus naturalibus rectè ordinatis, & dispositis. Huius autem aggregati, seu Mundi figura, orbicularis communiter asseritur, quare etiam Orbis vocatur, Illi, antiqui Philosophi animam assignarunt, sed quàm hoc sit falsum, patebit, cum quæremus, an cœli sint animati, eædem enim rationes vtrobique militant; & hæc sint quoad primam partem quæsiti. Pro secunda.

Not. 1. Certum esse de fide nec mundum, nec vllam aliam creaturam fuisse ab æterno creatam; deducitur ex illo Genesis primo. *In principio creauit Deus Cœlum, & Terram.* Contra hoc autem errauit Aristoteles ex præsuppositione, quòd Deus esset ad extra Agens necessarium, non liberum, cum enim tale supposuerit, & æternum agnouerit; ideò ab æterno necessitatum fuisse ad operandum existimauit, vt enim falso innitebatur principio, (in Deo enim est perfectissima libertas operandi ad extra) ita fallacem deduxit consequentiam; quare nos Catholici solùm quærimus, vtrum hoc, quod de facto credidit Aristoteles, potuisset esse, si Deo placuisset, ita vt in hoc nulla sit implicantia. 5

Not. 2. Duo genera entium in mundo reperiti de

de quibus potest procedere quæstio, Res .I. permanentes, qualia sunt omnia corpora, Animæ, substantiæ Angelicæ, &c. & Res successiuas existentes secundùm prius, & posterius, vt tempus, motus, & illis similia; de singulis ergo est inquirendum, vtrum .s. Mundus potuerit esse ab æterno quoad res permanentes, vel quoad successiuas.

Not. 3. Posse dupliciter intelligi res fuisse ab æterno, vel quòd habuerint æternitatem ex necessitate, & exigentia, vel non ex necessitate, & exigentia, sed ex libera voluntate volentis eas ab æterno efficere; habere æterninatem primo modo, est habere æternitatem intrinsecam essentialem, & imparticiparam, vt eam habet Verbum diuinum; secundo verò modo est habere eam accidentalem, extrinsecam, & per participationem, quare de primo modo non est quæstio, cum, si talem æternitatem aliqua res haberet, non esset Creatura, sed Deus, quæritur ergo solummodo de secunda, & ideò. Sit

6 Prima Conclusio. Mundus nec quoad res permanentes, neq. quoad successiuas, potuit esse ab æterno. Ita cum multis Auersa quæst. 31. de Mundo sect. 8. & 9. Aresius 1. de Generatione disp. 5. quæ. 44. sec. 2. Spinula disp. 9. in Physica sec. 4. & alij.

Prob. primò. Omne quòd est creatum debet habere principium, sed quòd habet principium non potest esse infinitum, & æternum, ergo nullum ens creatum potuit esse ab æterno, min. probata est, infinitum enim non clauditur terminis: ma. patet, si enim non haberet principium, iam esset imprincipiatum, quòd repugnat creaturæ.

Prob. 2. Si posset Deus creare aliquod ens ab æterno, iam ipse deberet esse æternus, ergo tota æternitas præcessisset, & sic in tempore, non ab æterno crearet. Neq. dicas, aliquam causam in primo instanti quo, est posse producere, vt sol statim ac fuit creatus, illuminauit, Resp. enim, tales causas producere illos effectus in primo instanti, quia tales effectus sūt de illarū perfectione intrinseca, quòd sic non est mundus respectu Dei, absq. enim mundo, ipse perfectissimus est, quare vt perfectissimus, debet præsupponi ad illius creationem, ergo & æternus, ergo & totam æternitatem præcessisse ante quamcumq. creationem.

Prob. 3. Nulla Creatura potest habere attributa diuina ita infinita sicuti habet ipse Deus, sed si posset esse ab æterno, eamdem æternitatem participaret cum ipso Deo, ergo &c. Neq. dicas, talem æternitatem fore dependentem, & participatam à Deo, Resp. enim, quòd etiam alia attributa. Immensitas .s. Omnipotentia, Sapientia, Infinitas, &c. possent dici participata, & tamen talia attributa nullo modo possunt illi communicari, ergo idem dicendum de æternitate,

Prob. 4. Omne creatum debet ex suo non esse produci, ergo saltem instans, in quo non fuerit debet præcedere ad creationem, ergo ab æterno nō potuit creari.

Prob. 5. præcipuè de rebus successiuis. De essentia successiuorum est habere prius, & posterius, ergo implicat aliquod successiuum ab æterno; hæc consequentia prob, esset enim ab æterno, & non esset; esset vt supponitur, non esset, quia cum haberet partem posteriorem, hæc pars non esset ab æterno, siquidem haberet priorem, ergo cum successiuum constet ex priori, & posteriori, secundùm partem esset æternum, non secundùm aliam.

Ob. primò. Non minùs est potens Deus, vt Agens liberum est, ac si fuisset Agens necessariū, sed si fuisset Agens necessarium, vt credebat Aristoteles, potuisset mundum ab æterno creare, ergo potuit etiam, vt liberum.

Resp. repugnantiam non prouenire ex defectu diuinæ omnipotentiæ, sed ex repugnantia ipsius obiecti, cum enim res quælibet creata ita debeat dependere à Deo, vt ab ipso sit infinitè distans, debet etiam hoc pacto esse in ratione durationis; tum quia debet præsupponi libertas in Deo ad creandum, ergo Deus perfectus in omnibus attributis, ergo etiam in æternitate. 7

Ob. 2. de facto Deus ab æterno genuit Filium, ergo potuisset etiam ad extra aliquam creaturam producere, & creare.

Resp. Verbum ab æterno generari à Patre, quia vt illi coæquale, habet eādem necessitatem essendi ac Pater, Creatura autem cum longè sit inferior Deo, & non habeat necessitatem essendi, sed contingenter, & mutabiliter sit, ideò eamdem æternitatem, ac habet Filius, aut Verbum diuinum habere non potest.

Ob. 3. Deus ab æterno habuit actum liberum producendi quodcumq. ens, ergo ab æterno illum potuit producere; consequentia prob. voluntas enim diuina ad hoc vt producat, non requirit moram temporis.

Resp. neg. consequentiam, nam licet ab æterno actum liberum habuerit creandi quodcumq. ens, in tempore posteà debuit creare, non ex defectu suæ omnipotentiæ, sed ex defectu rei creabilis, quæ cū non habeat necessitatem essendi, sed contingentiam, ideò non ab æterno, sed in tempore exigit creari; tum propter alias rationes iam assignatas, ex quibus omnibus patet ex defectu creaturæ, nullam creaturam ab æterno potuisse creari.

Quæres. An saltem in æternum à parte post sit Deus conseruaturus Mundum. 8

Resp. Licet Deus posset quocumq. tempore destruere, & anihilare mundum, illum tamen in æternum esse conseruaturum. Deducitur ex multis Sacræ Scripturæ locis, vt Eccl. 3. *Omnia opera quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum*, Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. statuit ea in æternum, & in sæculum sæculi* & alibi; suadet etiam ratio, cum enim sit incorruptibilis saltem secundùm præcipuas sui partes, ideò naturaliter corrumpi totus non potest, sed in æternum exigit durare, tum quia cum homines sint in æternum duraturi, & pro damnatis in imo terræ detrudendis, & pro Beatis in cœlo gloriosè regnaturis, Cœlum, & Terra debent in æternum conseruari.

Mutabitur tamen Mundus in varijs partibus post diem iudicij, cessabunt enim motus cœlorum, actiones, & passiones elementorum omnium am-

inde, vel vna pars proportionalis communicans debet communicare cum una, uel cum pluribus, si cum una, ergo tamdem in designatione partium alicuius continui erit finis; si cum multis, ut uolunt Aduersarii, hoc est dicere eamdem numero partem semper includi secundùm aliquid sui in designatione partium alicuius quantitatis, quod quidem potest fieri in infinitum, ut si 100. nūmis aureis, u.g. numerarentur infiniti, ita tamen, ut ad initiū cuiuscumque centenarii, iidem numero nūmi aurei ponerētur, & connumerarētur, sed hoc non est considerare partes quantitatis, ex quibus constat, & in quas diuidi potest, una enim non debet includi in alia, immò illam excludere.

Prob. 3. Tempus (quod est species Quantitatis) est series successiua instantium, sed instantia sunt indiuisibilia, ergo tempus, & quælibet quantitas constat ex indiuisibilibus; prob. ma. datur præsens tempus, ita quòd omne quod est in tempore, aliquando debeat dici esse in tempore præsenti, sed de tempore nihil est præsens nisi *nunc*, *& instans*, ergo tempus constat ex instantibus; min. prob. *nunc* enim, nec constat ex præterito, nec ex futuro, ergo est indiuisibile; prob. secundò ma. si tempus non constaret ex instantibus, sequeretur, Deum postquam creauit Angelum in instanti, non posse in instanti subsequenti alium creare, hæc est implicantia, ergo &c. sequela patet, si enim post instans non succedit per Aduersarios aliud instans, sed pars diuisibilis temporis, ergo in parte temporis, non in instanti deberet Deus creare Angelum.

20 Neq. dicas, tempus non constare ex solis instantibus, sed ex instantibus indiuisibilibus, & ex partibus diuisibilibus, ita vt instantia indiuisibilia, sint veluti intermedia, & continuatiua partium diuisibilium, & earum etiam terminatiua, quòd & potest etiam dici de cœteris quantitatibus. Et hæc est opinio quorumdam asserentium, quantitatem componi ex partibus diuisibilibus in infinitum, cōtinuatis tamen, & terminatis à punctis indiuisibilibus, quæ opinio impugnabitur responsione.

Resp. ergo, implicare talem compositionem continui ex partibus diuisibilib⁹, & pūctis indiuisibilib⁹ punctum enim indiuisibile nō potest tangere quod habet partes infinitas, atq. adeo neq. illi continuari, nam duo se tangentia debent inuicem commensurari, ergo quod non habet partes, non potest cōmensurari habenti partes infinitas, ergo implicant indiuisibilia continuatiua, & terminatiua solum, vel enim puncta indiuisibilia, & instantia in tempore, terminant partem diuisibilem, vel indiuisibilem, si indiuisibilem, habemus intentum, si diuisibilem, quomodo illam possūt tangere, & illi commensurari, cum enim punctum indiuisibile sit, nisi replicetur, non potest tangere partem diuisibilem Neq. dicas, tangere partem indeterminatam: Hoc enim subterfugium nihil valet, quia omne reale indeterminatum nō est, ergo si illæ partes sunt reales non possunt dici indeterminatæ: dicendum ergo, tempus componi ex instantibus, & sic quamlibet aliam quātitatem ex indiuisibilibus. Deinde, designetur quænam sit pars temporis, & quodnam instans, cum semper in præsenti solùm habeamus *nunc*, *& instans*; asserendum ergo est, instans præsens quatenus connectitur aliquo pacto cum præterito, & futuro instanti, constituere tempus, & partem temporis; quomodo autem hoc possit esse, inferiùs declarabimus, cum rationibus aduersariorum respondebimus.

Prob. 4. Generatio ex communi philosophorū, fit in instanti, ergo datur instans indiuisibile, ergo & puncta indiuisibilia in veris quantitatibus.

Neq. dicas, non fieri in instanti verè, sed quatenus negatio illa temporis concipitur ad modum entis positiui.

Resp. enim, falsam esse respōsionem, verè enim realiter, non per intellectum sunt generationes in rerum natura, ergo si fiunt in instanti, instantia sunt vera, & realia, non verò negationes temporis.

Prob. 5: Sunt pleraq. quæ in corporibus i sola superficie existunt, vt colores, & lumen in corpore opaco, ergo secundùm superficiem corpora habēt puncta indiuisibilia, ergo quantitas constat ex punctis indiuisibilibus.

Neq. valet, lumen v. g. in corpore opaco recipi non quatenus tale corpus profundum est, sed quatenus latum, & ideò lumē esse diuisibile, vel recipi lumen in corpore opaco etiam aliquo pacto secundùm profunditatem.

Resp. enim ad primum, nobis sufficere saltem secundùm profūditatem esse indiuisibile, ex hoc enim nō est difficile assignare etiā īdiuisibilitatē secundū latitudinem, cū enim possit esse tale secundùm v. g. vnam rationem, cur non poterit esse secūdùm aliam, cum totus conatus aduersariorum sit in negando quocumq. indiuisibili; quòd autem indiuisibile sit secundùm profunditatem, patet, quia non potest recipi in profunditate (& sit responsio ad secundū) nam si posset recipi in aliqua parte determinata in profunditate, cum omnes partes sint eiusdem rationis, & homogeneæ, posset in omnibus recipi; recipitur ergo solummodo in superficie, quia cum cōstet ex pūctis īdiuisibilibus, illis potest ipsū lumen iisdem punctis constans, coniungi, & connecti, & hæc est differentia inter corpus opacum, & diaphanum, quòd in diaphano recipitur lumen secundùm profunditatem, non verò in opaco; neq. potest dici, lumen illuminans corpus opacum non esse in illo, sed in aere circumuicino, cum enim corpus opacum, & aer sint distincta subiecta, ideò & distinctum est accidens in ipsis receptum. 21

Prob. 6. In qualibet quantitate, & sunt partes, & sunt vniones, quibus vniuntur: quòd .I. ab aliquibus negetur, patet tamen euidentissimè in diuisione rei quantæ, quando enim quantitas, v. g. palmaris in duas partes diuiditur, certè aliquid destruitur, & tamen non destruitur quantitas, ergo modus quo erat vnita, ergo &c. hoc ergo supposito sic efformo probationem, in qualibet quantitate sunt partes, & sunt vniones, destruat ergo Deus omnes modos vnionis in aliqua quantitate v. g. palmari, vel partes remanebunt indiuisibiles, vel diuisibiles, non diuisibiles, implicat enim diuisibilitas sine continuatione, & vnione, quam supponimus destructā à Deo, ergo indiuisibiles, ergo

vera

vera nostra conclusio:

Neq. dicas, implicare destrui à Deo omnes vniones in aliqua quantitate, ipsa non destructa ex eo quia, cum quantitas inuoluat intra se essentialiter plures, & plures partes per consequens inuoluit etiam plures vniones.

Resp. enim quòd cum partes in sua essentia non sint modi, ideò à Deo possent ab illis modi separari, pars enim vt pars reduplicatiuè non importat vnionem, quòd patet, ex eo quia intentionaliter, & per intellectum possunt præscindi quicũq. modi à partibus. Quare, &c.

Prob. 7. Ex impugnatione fundamentorum cõtrariæ sententiæ, quibus mordicùs partes semper in infinitum diuisibiles in qualibet quantitate, & re quanta admittunt aduersarij.

22 Ob. ergo primò: Vel vnum indiuisibile in continuo tangit aliud secundùm se totum, vel non; si primum, ergo penetratur cum illo, & sic non facit extensionem, nec maius continuum, cum enim secundùm se totum tangat, adæquatur, & penetratur cum illo, indiuisibile enim, vt commune axioma est, additum indiuisibili non facit maius; si secundùm .s. si non tangit secundùm se totum, sed secundùm partem, ergo habet partes, ergo est diuisibile contra præsuppositum: hic est Aduersariorum Achilles, hic Gordius nodus ipsis insolubilis, à nobis tamen Deo fauente non scindendus cum Alexandro, sed soluendus, & enodandus.

Resp. ergo, hoc argumentum militare etiam cõtra Aristotelicos, nam vel partes in continuo se tangunt, vel non; si non, ergo non constituunt continuum, si se tangunt, ergo secundùm id, secundùm quòd se tangunt, penetrantur, nulla enim est differentia inter contactum partium, & punctorum, nisi quòd partes se tangunt secundùm aliquid sui, pũcta verò secundùm totum, ergò si à contactu secũdùm totum, arguunt Aristotelici penetrationem punctorum, à contactu secundùm aliquid sui, debẽt, & concedere penetrationem partium secundùm illud sui, secundùm quod se tangunt; immo potiùs se deberẽt in contactu penetrare partes assignatæ ab Aristotelicis in quantitate, cum enim quælibet pars secundùm ipsos, vt potè diuisibilis habeat prius, & posterius, ideò si vna pars deberet aliam tangere secundùm posterius, deberet cũ illa penetrari secundùm sui prius: Resp. ergo directè, punctum indiuisibile tangere aliud secundùm se totum, non autem cum illo penetrari, sed esse immediatè iuxta illud, & ideò posse constituere quantitatem extensam; quod autem tale punctum nõ penetretur cum alio, patet tum ipsa experientia, sicuti enim duæ superficies ligni v. g. & aquæ se inuicem tangentes, non penetrantur, sic nec duo puncta, eodem enim modo se habet superficies ad superficiem, ac punctum ad punctum; tum ratione, vt enim aliqua tangantur requiritur præcisè quòd vnum sit iuxta illud, nõ intra illud, quare cum puncta, hoc pacto sint in quantitate, non se penetrant, licet enim tangantur secundùm se tota, non tamen penetrantur, quia hoc esset verum, si haberent partem exteriorem, & interiorem, tunc enim si deberent tangi secundùm totum, deberet penetrari pars exterior cum alio puncto, ad hoc vt tangeretur pars illius interior; quare cum hæc puncta sint indiuisibilia, omnimodè se tangunt, & tamen non penetrantur, penetratio enim esset, si simul starent in eodem spatio, sed non stant, cum vnum stet immediatè iuxta aliud; contactus enim non est per modum informationis quod .s. res tacta debeat in se recipere tangentem, sed solùm consistit in eo, quòd eam habeat extra se .s. coniunctam, vnde nullo pacto dicenda est penetratio,

Confirmatur responsio. Indiuisibile metaphysicum, seu substantia spiritualis debet posse restringere suam virtutem ad existendum cum minori extensione illi possibili, sed hæc erit indiuisibilis, & illi tunc debebit correspondere pars loci indiuisibilis, ergo datur indiuisibile quantitatiuum; Hoc ergo supposito, collocetur hæc substantia in aliquo indiuisibili loci, & veniat quis ab oriente, transeat per illum locum versùs occidentem, quæro, penetrabit nè in tali transitu talem substantiam, vel non penetrabit? certò si transit per illum locum penetrabit, secus verò si solum accedat, & tangat illud indiuisibile loci; tangat ergo solummodo illud indiuisibile loci, & veniat alius ab occidente, & similiter accedat, & tangat locum absq. eo quod penetretur cum substantia ibi locata; quis nõ dicet, in tali casu hos duos inuicem non tangi, & solum mediate punctum? ergo etiam si tangerent punctum, cum illo tamen non penetrarentur; quare falsum est quòd tantum replicant Aduersarij, tangit totum, ergo penetratur cum illo. Difficilius autẽ hoc proponitur imaginationi quia non tam facilè cognoscit naturam indiuisibilium, videmus enim etiam quando concipit Deum, Angelum, &c. non sibi posse efformare harum substantiarum indiuisibilium conceptum adæquatum.

Neq. ex hoc dicas, ergo cum punctum indiuisibile respiciat orientem, & occidentem, habet partes, ergo non est indiuisibile. 23

Resp. enim, non habere partes, benè verò latera non illi intrinseca, sed extrinseca respectu .s. loci circum circa diuisibilis, sicuti enim quælibet entitas indiuisibilis metaphysicè, eademmet respicit diuersas partes spatij v.g. Orientem Occidentem, Meridiem, & Septentrionem, sic quælibet entitas quocũq. modo indiuisibilis aliquod latus habet sibi extrinsecum, dextrum .s. sinistrum, sursum, & deorsum, extrinsecè tamen; quod sic ostenditur, ponatur indiuisibile in aliquo loco, & moueatur uersus orientem, certè in tali motu non acquiret eas vbicationes, quas acquireret, si moueretur uersùs occidentem, ergo dicendum est, quòd .s. nõ habeat partes, habeat tamen à lateribus, & extrinsecè, loca uersus Orientem & Occidentem, Meridiem, & Septentriorem, & insuper sursum, & deorsum illi tamen extrinseca, quare celebris est illa sententia D. Augustini lib. 20. de libero arbitrio cap. 8. *quantulumcumq. aliud corpusculum sit, habet sinistram, dexteram, inferiorem, & superiorem.*

ex quo sequitur quòd sicuti latus dextrum non dicitur sinistrum, nec penetratur cũ sinistro, ita nec puncta, quæ essent in latere dextro, & sinistro penetrarentur cum puncto in medio existente, & vtrumq. latus respiciente .l. illud secundùm se totum tangerent.

Inst. Si illa duo puncta deberent se penetrare, (quòd diuinitùs potest fieri) nullus maior contactus posset fieri, quàm quòd se tangerent secundùm totum, sed per vos hoc modo se tangunt, ergo sunt penetrata.

Respondetur, quòd si illa puncta se diuinitùs penetrarent, eodem modo se tangerent secundum totum, sicuti antea, sed tunc non essent in diuerso spatio, sed in eodem, penetratio enim nõ cõsistit in eoquòd penetrata secũdũ se tota tãgãtur, sed in eo quòd tangens, & tactũ correspondeant eidẽ spatio, sicuti .l. duæ manus tangant se secundùm superficiem, tamen non se penetrant, quia sunt in diuersis spatiis; sed hac responsione pressi aliqui.

Instant secundò. Superficies primas solùm se penetrare, vt potè constantes ex punctis indiuisibilibus; sed contra.

Resp.. Superficiem esse speciem quantitatis, & ideò naturaliter esse impenetrabilẽ; At dato quòd primæ superficies se penetrarent: quæro, an secundæ superficies illorũ corporum tangerentur à primis cum penetratione, vel sine? si dicant tangi sine penetratione, idem poterit etiam de primis affirmari, cum eadem currat paritas, si dicant tangi cum penetratione, ergo dicã ego, hæ secũdæ tãgẽtes tertias superficies, cũ ipsis penetrabũtur, istæ cũ aliis, & sic totũ corpus penetrabitur; quòd est falsissimum.

Instant 3. aliqui Punctum posse tangere corpus sine penetratione, non verò aliud punctum quin cum illo penetretur. Sed contra.

Resp. quòd si punctum tangeret corpus secundũ totum sui esse, ergo cum illo penetraretur (hæc enim consequentia valet in via Aristotelica, tangit secundùm totum, ergo cum illo penetratur) corpus verò cum non tangeret punctum secundùm totum sui esse, cũ illo non penetraretur, & sic esset penetratum, & non penetratum: quare vel dicendum etiam penetrari cum corpore, vel nec penetrari cũ puncto: & ex hoc apparet implicantia illorum, qui admittunt aliqua puncta indiuisibilia terminatiua, & copulatiua partium diuisibilium; faciliùs enim intelligitur, quomodo indiuisibili coniungatur indiuisibile, quã indiuisibile parti diuisibili; quomodo enim pũctum indiuisibile poterit duas partes diuisibiles omnimodè coniungere, si illis non potest extendi, vt potè indiuisibile, illæ diuisibiles?

24 Neq. valet, quantum non posse componi ex rebus non quantis, qualia sunt indiuisibilia, quæ nullo pacto sunt extensa.

Resp. enim, hoc esse falsum, posito enim puncto immediatè iuxta aliud, ambo euadunt extensa, & sic possunt facere quantum. Deinde, respõdeant mihi, quomodo corpus constituatur ex materia, & forma, si nulla ex istis, in eorum sententia, est corpus. Item, valebit ne arguere, anima rationalis non est diuisibilis in partes essentiales, ergo non poterit constituere totum diuisibile in partes essentiales? vel, vnitas non est diuisibilis in plures vnitates, ergo nõ poterit cõstituere numerum diuisibilem in partes? vel, vnitas non est numerus, ergo non poterit cõstituere quantitatem discretam? sicut ergo hæc õnia, licet secundùm se indiuisibilia, tamen aliquid diuisibile possunt constituere, ita punctum, .l. ex se sit indiuisibile, & non quantum, neq. extensum, per additionem punctorum, constituere potest rem diuisibilem, quantam, & extensam, Patet ergo ex his omnibus falsum esse illud axioma quòd indiuisibile additum indiuisibili non facit maius, potest enim facere, si ponatur extra, sed immediatè iuxta aliud. Deinde hoc etiam posset dici in sententia Aduersariorum, nam si vnum indiuisibile additum alteri, nõ facit maius, neq. vna pars diuisibilis in infinitum addita alteri faciet maius; cum ergo non saluetur difficultas in sententia Aduersariorum, faxit Deus, nullo modo subscribam.

Ob. 2. Quælibet linea, vt demonstratur ab Euclide 6. Elementorum, potest diuidi in partes æquales, sed hoc non posset esse supposita hac sententia, ergo &c. min. prob. si enim linea constaret v.g. ex 5. punctis indiuisibilibus, non posset in partes æquales diuidi, punctum enim medium supponitur indiuisibile.

Resp. hoc demõstrari ab Euclide ex suppositione veritatis sententiæ Aristotelicæ, nullo verò modo posse demonstrari in nostra sententia, neq. ex hoc sequitur incõueniens, linea enim non exigit ex suo conceptu quòd sit diuisibilis in partes æquales mathematicè loquendo, licet tamen sensibus possit apparere diuisa in partes æquales, cum enim vna medietas lineæ sectæ non excederet aliam medietatem nisi in puncto, quòd sensibile non est, ideò sensibiliter huiusmodi linea diuidi posset in partes æquales. Deinde hoc argumentum militat etiam contra ipsos Aristotelicos, cum enim admittant vnum infinitum maius alio, si diuideretur linea palmaris, & linea digitalis, vna ex his medietatibus deberet ratione partium proportionalium esse magis infinita, quàm alia, at est contra præsuppositũ, volũt enĩ quòd quælibet sit sẽper eodem modo in infinitũ diuisibilis, ergo & illi ad respõsionẽ coguntur; quare respondeant quidquid velint, nũquam nobis persuadere poterunt hoc sutile paradoxum, lineam .s. vnius palmi habere easdem partes proportionales, quas haberet linea, quæ extenderetur ab hac Ciuitate vsq. ad ciuitatem Bysantij, aut unum granum milij, tot partes proportionales habere, quot mundus Vniuersus.


Ob 3. Ex hac sententia sequeretur, datis duobus 25
circulis concentricis, eadem puncta habere circulum exteriorem, ac interiorem, sed hoc est falsum, ergo illud ex quo sequitur, sequela prob. quia à cẽtro illorum circulorum possunt duci lineæ rectæ ad omnia puncta circuli superioris, sed illæ lineæ deberent transire per singula puncta circuli inferioris, ergo tot haberet pũcta circulus superior, ac ĩferior neq. potest dici, aliquas lineas in circulo inferiori quasi coincidere in vnum, sequeretur enim aliquam ex his lineis fore obliquam, quòd videtur falsum.

Resp.

Resp. primò. Etiam hoc militare contra Aduersarios, semper enim debent concedere, maiorem esse circulum primi mobilis, quàm illum paruæ nucis auellanæ, dicant ergo, vel tot lineæ possunt duci à cētro per circulū interiorē ad exteriorē, vel nō; si tot, ergo habet tot partes, ac exterior, quòd est falsum, si verò non possunt duci, ergo aliquæ lineæ confundnntur cum alijs, & sic sunt obliquæ, quod obiiciebant Zenonistis; Respondendum igitur, non posse tot lineas distinctas transire per circulum interiorem, ac per exteriorem, hoc autem rationi consonum est, quidquid dicant mathematici, quia cum lineæ quò magis distant à centro, magis inter se dilatentur, ideò plures poterunt esse in circulo exteriori, ac in interiori, quòd si plures trahantur à centro, ac sunt puncta circuli interioris, in tali casu confundentur cum primis, neq. tamen inflectentur, quia, licet transeant per eadem puncta, possunt tamen rectè tendere in suum terminum, neq. enim ex eo quia duæ lineæ se per modum crucis intersecent, ideò cessant esse rectæ.


Neq. dicas in tali casu penetraturas; Resp. enim quòd si istæ lineæ essent quantitatiuæ, dūm confunderēntur, extenderentur, & sic non penetrarentur, quare solū abstrahendo à materia, & mathematicè loquendo tales lineæ possunt duci.

26 Ob. 4. Item sequeretur ex hac sententia, lineam diametralem alicuius quadrati quæ transit ab angulo ad angulum non esse maiorem, quàm lineam rectam, quæ transit à costa ad costam eiusdem quadrati, sed hoc experientia est falsum, ergo &c. sequela prob. cum enim hæc linea deberet transire per puncta singularum linearum, quæ trahi possunt à costa ad costam, sequitur habituram tot puncta, quot sunt istæ lineæ, & sic futuram lineæ à costa ad costam ductæ, æqualem.



Resp. hanc difficultatem militare etiam in sententia Aduersariorū, eodē enim pacto quo ipsi volunt, lineas deductas à costa ad costam quadrati constare ex partibus proportionalibus, communicantibus, debent etiam asserere ex illis constare lineam diametralem eiusdem quadrati, vel ergo qualibet pars proportionalis laterum quadrati à qua deducuntur lineæ, correspondet singulis partibus lineæ diametralis, vel non; si non, ergo per illam partem, cui non correspondet posset duci alia linea à costa ad costam, quòd est contra præsuppositum, si correspondet, cur postea est maior linea diametralis, quàm lineæ ductæ à costa ad costam? quare respondemus in nostra sententia, ideò maiorem esse lineam diametralem, quàm laterales, quia cum linea diametralis non descendat rectà, sed aliquantisper inclinetur, sitq. media inter lineas, quæ rectæ descendūt à costa superiori, & inter lineas deductas à lateribus quadrati, ideò habet aliqua puncta, quæ infrà descendunt, & aliqua quæ non descendunt, sed ad latus inclinantur, vnde est necesse, vt aliquando communicet cum duobus punctis alicuius lineæ à costa ad costam, & hac ratione crescit talis linea diametralis, ita vt sit longior, quàm lateralis. Neq. sequitur, talem lineam hoc pacto futuram vndosam, vt potè constantem ex punctis descendentibus, & ex accedentibus ad latus quadrati: Non erit inquā vndosa, quia cum sit linea, & descendens ab angulo superiori, & non descendens directè, sed ad latus inclinata, ideò necessariò ex punctis descendentibus, & ex inclinatis, & accedentibus ad latus constare debet, quare cum aliquando per talem inclinationem ad latus duo puncta ipsius correspondeant vni soli puncto lateris, euenit, vt euadat longior: hocq. sit quod in præsenti Deo dante tali argumento respondere possumus, Aduert. tamen, hanc demonstrationem atramento aut alio simili modo ostendi non posse, cum quælibet linea seu punctum, quod hoc modo perscripatur, semper habeat partes designabiles.

Ob. 5. Item sequeretur data hac sententia, lineam diametralem eiusdem quadrati A, B, C, D, 27




futuram duplò maiorem quacumq laterali, hoc falsum demonstratur ab Euclide, estq. contra experientiam, ergo &c. Sequela prob. cum enim à quolibet puncto lineæ lateralis A. B. possit duci recta ad lateralem B D. (ex Mathematicis enim, à quolibet puncto ad quodlibet punctum potest duci recta linea) ideò si linea lateralis ex 10. pūctis cōstaret, 10. & lineæ trahit possent, cum quibus omnibus cum linea diametralis communicaret in vno puncto, ideò medietas talis lineæ ex 10. punctis constaret, quot constaret, & lateralis, atq. adeò tota simul sumpta duplò esset maior quacumq. lineæ laterali.

Resp. hoc argumentum etiam militare contra Aristotelicos, quare si illius efficaciam agnoscerent, non in Zenonistas emitterent tela, quę in ipsos eadem facilitate retorqueri possunt; cum enim tam lineæ laterales, quam diametrales iisdem constarent partibus proportionalibus. & communicantibus, & quælibet pars lineæ lateralis correspondeat parti lineæ diametralis, ideò tot deberent esse partes lineæ lateralis, ac diametralis, quòd si trahetentur lineæ à quacumq. parte lateris A. B. ad quamcumq. lateris B. D. quot inuenirentur partes in qualibet laterali, tot reperirentur in medietate diametralis, atq. adeò esset duplo maior, quod Zenonistis opponunt.

Resp. ergo directe, quòd aliquæ lineæ ex ductis ab vno latere ad aliud, conueniunt, & communicant cum vno solo puncto lineæ diametralis, atq. adeo per hoc non est duplo maior illis, quòd eueniret si omnes cõmunicarent cum diuerso puncto; quòd autem hoc ita sit, non gratis, sed ratione dicitur, sicuti enim supra dicebamus in supra impugnato argumento, lineam diametralem non esse æqualem cuicũq. lateri, ex eo quia descẽdendo inclinata ad latus, aliquando participat de duobus punctis alicuius lineæ ex ductis à costa ad costam, sic dicimus, quòd cum lineæ deductæ à punctis lateris A. B. ad latus B. D. descendant non rectæ, sed inclinatæ ad latus, & per consequens constent ex punctis descendentibus à supremo latere A. B. & ex accedentibus ad latus B. D. ideò aliquando idẽ punctum alicuius ex his lineis potest esse commune duabus lineis, punctum .s. quod accedit ad latus, vel quod descendit, quare cum linea diametralis secet tales lineas, illas etiam aliquando secat in aliquibus punctis, in quibus duæ lineæ conueniunt, & ex hoc euenit, vt non medietas sola lineæ diametralis constet ex 10. punctis, vt constat quælibet linea lateralis, sed ex paucioribus, proportionaliter ad coincidentiam linearum in eodem puncto.

Et Cons. quia cum linea diametralis sit minor lineis A.B. & B.D. simul sumptis, si enim ambæ protenderentur, & facerent vnam rectam lineam, maiorem extensionem haberent, ac linea diametralis, ideò à punctis ipsarum ad diametralem, nequeunt duci lineæ, quin inter se communicent aliquæ in eodem puncto.

Ob. 6. Item sequeretur ex hac sententia, lineas
28 diametrales alicuius pyramidis esse maiores, quàm esset basis pyramidis, hoc autem esset absurdum, ergo, &c. sequela prob. detur pyramis, cuius basis constet tribus punctis, & latera sex.



deinde incipiendo à cuspide pyramidis trahantur lineæ diametrales à quocumq. puncto lateris pyramidis ad aliud oppositũ, prima linea saltem debebit constare tribus punctis, secunda, quatuor, tertia, quinque, &c. ergo hæ lineæ essent maiores, quàm basis, quæ supponitur constare tribus pũctis.

Resp. Hoc argumentum etiam pugnare contra Aristotelicos, cũ enim per ipsos quælibet quãtitas sit in infinitum diuisibilis, ergo quælibet linea esset æqualis basi, vtpotè quia vtraq. cõstaret ex partibus infinitis, quod & repugnat; Sit ergo directa responsio, tale triangulum repugnare, .l. enim dicat Euclides lib. 1. Element. super quamcumq. rectam, posse describi triangulum, intelligit de linea, quæ possit importare diuersam distantiam, qualis non esset linea trium punctorum, supra quam non potest describi triangulum; quod deducitur ex alio principio Mathematico, quod sic habet, *quò lineæ facientes angulum magis eleuatur a basi, eò magis proximæ sũt inter se*; quare cũ in casu allato, lineæ laterales solũ distarent in basi per vnum pũctum, si eleuarẽtur ad faciendum angulum, minùs deberent distare, & magis esse proximæ, quàm in basi, non possent autem esse, quia non datur minùs, quàm punctum, ergo tale triangulum implicat; quòd si basis plura puncta haberet, hoc non sequeretur, vt patet.

Ob. 7. Cera liquefacta, & rara occupat maiorem locum, ac quando est condensata. sed hoc non 29
posset esse si cõstaret ex indiuisibilibus finitis, ergo, &c. min. prob. quodlibet enim indiuisibile quantitatiuum occupat indiuisibile loci, seu spatii, ergo si antè rarefactionem habebat, v. g. 10. puncta quantitatiua, & etiam 10. puncta spatii occupabat tot etiam deberet occupare post rarefactionem.

Resp. Hoc argumentum contra Aristotelicos militare, nam constet cera, & quælibet res quanta, vel ex punctis finitis, vel ex partibus in infinitum diuisibilibus, certum est ipsa euidentia teste, solum certum locum occupare, & non maiorẽ, & si occupat maiorẽ in rarefactione, hoc prouenire, vel quia aliquæ partes erãt priùs inuicẽ penetratæ, vel quia inter illas interponuntur aliqua corpuscula, vel vacuitates, alius enim modus non potest inueniri, quare nec hoc argumẽtum contra nos militat; quomodo verò detur talis rarefactio, ratione cuius maius spatium occupetur, suo loco videbimus.

Ob. 8. Nihil constituitur ex suo contradictorio, sed hoc esset, si quantitas cõponeretur ex indiuisibilibus, ergò, &c. mi. pt. indiuisibile enim essentialiter exigit, non esse extensum, seu non habere partes, quantitas verò esse extensam, & habere partes, ergo, &c.

Resp. Etiam hoc argumentum posse militare in sententia Aduersariorum, quomodo enim quantitas finita potest componi ex partibus in infinitũ diuisibilibus, cum finitum, & infinitum opponantur? quare Respondetur directè argumento, neg. min. nam .l. punctum ratione sui essentialiter dicat negationem partium, respectu tamen quantitatis ad quam dicit ordinem, dicit aptitudinem ad constituendam extensionem partium, sicuti .l. materia secundùm se essentialiter dicat negationem subiectationis in alio, quam non dicunt formæ materiales, tamen, quia dicit aptitudinem ad subiectandam

dam

dam formam, ex ipsa cum forma fit compositum, sic ergo .'. punctum ex se dicat negationem extensionis, quia tamen aptum est ad constituendam extensionem additum aliis punctis, ideò ex ipsis potest componi quantitas.

Neq. dicas, ad nullum prædicamentum posse reduci puncta indiuisibilia,

Res. enim reduci ad prædicamentum, vel substantiæ, vel accidentis; si sunt puncta quantitatis propriæ reducuntur ad prædicamentum Substantiæ, si verò quantitatis per accidens, reducuntur ad prædicamentum Accidentis.

30 Neq. dicas tandem ad euitandas difficultates, quæ tam in Peripatetica, quàm in Zenonistica sententia opprimunt intellectum, melius esse asserere, quantitatem componi ex punctis finitis indiuisibilibus physicè, tamē nō metaphysicè, aut mathematicè, ita quòd .l. puncta componentia quantitatem habeant extensionem, & ratione ipsius designari in ipsis possint partes, attamen, talis extensio non sit diuisibilis, nisi extrinsecè ratione partis extrinsecæ, cui continuari possunt, & partes in ipsis sint solum designabiles, non factibiles. Hæc est sententia quorumdam recentiorum, præcipuè Serbelloni dis. 4. de Quantitate quæst. 2. art. 5. Guarini dis. 9. de Quantitate expen. 3. qui acies indiuisibilium Zenonistarum sustinere non valentes, indiuisibilia diuisibilia, ad minus suis acuminibus extorquendos intellectus, inuenere: sed

Respon. Futile, & omninò vanum esse hoc effugium. Nam, vel hæc indiuisibilia physicè, etiam per Dei omnipotentiam sunt physicè indiuisibilia, vel solùm naturaliter; si solùm naturaliter, ergo nō erunt minima, ex quibus constet quantitas, cum saltem supernaturaliter possint vlterius diuidi, & fieri minora; si etiam per Dei omnipotentiam sunt indiuisibilia physicè; ergo sunt minima, & indiuisibilia mathematica, & Zenonistica, ergo nullam extensionem habent. quod enim habet extensionem, saltem diuinitùs, diuidi potest.

Neq. respondeas; hæc minima physica etiam per Dei omnipotentiam esse indiuisibilia, & enim extensa, & habentia partes extrinsecè, & per designationem, possunt esse intrinsecè indiuisibilia, cum non omne extensum sit diuisibile, sicuti omne diuisibile est extensum, extensio enim est priùs, quàm diuisibilitas, quare cum nulla implicantia possit adduci, quare non potuerit Deus creare hæc minima indiuisibilia intrinsecè, .l. extensa, & habentia partes extrinsecè, & per designationem, ex ipsis componi quantitatem asserendum est.

Res. enim, vel hæc minima physica coincidere cum minimis, & indiuisibilibus mathematicis, vel habere partes etiam intrinsecas, & à Deo diuisibiles, nam si partes solummodo, & medietates minimi extensi possunt extrinsecè designari, quatenus .s. vt ait ipse Serbellonus, eadem indiuisibilis physica entitas illis inadæquatè correspondet, idest secundùm diuersas virtualitates, secundùm quas correspondet & diuersæ designationi, ergo subinfero ego, intrinsecè nullam diuisibilitatem habent, ergo & mathematicè sunt indiuisibiles; nam etiam punctum, & indiuisibile mathematicum habet latera extrinseca, quibus correspondet secundùm diuersas designationes, quare huiusmodi puncta neque realiter possunt dici extensa cum re vera omne extensum sit diuisibile; extensum enim realiter supponit partes intrinsecas realiter, atq. adeo diuisibiles, benè verò solùm virtualiter possunt dici extensa, qualia etiam sunt indiuisibilia mathematica, quatenus .s. ex ipsis quid extensum, .s. quantitas, potest componi: quare &c.

Neq. dicas ex Guarino. Quælibet pars si quanta concipienda est, debet concipi pluribus partibus addibilis, sed nequit taliter concipi, nisi in ea partes concipiantur, ergo in qualibet parte quantitatis, debent esse, & concipi partes, atq. adeò debent esse minima physica, in quibus concipiendæ sint partes, non verò mathematica, min. prob. cum enim possit addi pars ab Oriente, & pars ab Occidente, in ea debent esse partes, & respectu Orientis, & Occidentis.

Res. neg. min. .l. enim punctum mathematicum non habeat partes intrinsecas, illi tamen possunt, & à parte Orientis, Occidentis, Meridiei, & Septentrionis, addi puncta, cum respectu talium partium habeat latera extrinseca, & vbicationes extrinsecas, in quibus cum possint poni alia puncta, & illi vniri, & continuari, ideò & quantitatem extensam possunt continuare, vt supra probabamus.

31 Neq. dicas vltimò. Admittere huiusmodi puncta mathematica componentia quantitatem esse errorem in fide damnatum à Concilio Constantiensi sess. 15. in quo inter alias propositiones Vviclephi, quas Concilium damnat, huiusmodi est *linea aliqua componitur ex duobus, aut tribus, aut quatuor punctis immediatis, aut etiam ex punctis, &c.* & subsequitur, *Prima pars est error in Philosophia*, ergo &c.

Res. Communiter ab auctoribus, huiusmodi verba, *Prima pars est error in Philosophia* non esse verba Concilii, sed addita ex Codice cuiusdam Canonici Coloniensis, vel à Concilio dicta fuisse, refferendo sententiam Hæretici, non verò in hac parte illam damnando, quod,

Conf. Ex eo quia non inueniuntur huiusmodi verba in primis editionibus huius Concilij, nec in summa Conciliorum, & ex eo quia Martinus V. Sūmus Pontifex, qui tale Concilium, priùs auctoritate Pontificis non congregatum, confirmauit, recensendo sess. 45. eiusdem Concilii, & condemnando errores Ioannis Vvicleff, & Ioannis Huss. huius propositionis nullam mentionem facit, vt videre est Tom. 3. Concil. pag. 917. in editione Coloniensi anno 1567. Hæc ergo sunt præcipua tela, quæ contra Zenonistas conantur proiicere Aristotelici, quæ cum potiùs contra ipsos retorquēri possint, & à Zenonistis optimè effugiantur, in cassa sunt, vt eorum sententia clarior, & certior appareat.

SECTIO

SECTIO IV.

Deducuntur quædam Corollaria ex antecedentibus, & reſoluuntur cætera ſpectantia ad Quantitatem.

NE prolixiorem extenderemus antecedentem ſectionem, nouam inſtituimus, in ipſa demonſtraturi quædam corollaria ex antecedentibus doctrinis.

32 Coll. ergo primò. In quantitate dari indiuiſibilia realia terminatiua, & copulatiua, cum enim ex allata doctrina tota quantitas conſtet ex indiuiſibilibus, ſequitur etiam habere terminatiua, & copulatiua; copulatiua autem non ſunt indiuiſibilia vnionis, vt volebant aliqui, cum enim ſupra negauerimus quamcumq. vnionem ſuperadditam, nec eam admittimus in quantitate, quare indiuiſibilia copulatiua ſunt eadem met, quæ conſtituunt quantitatem, quatenus ſunt coniuncta, & vnita ab vnionibus, quæ illa vniunt tamquam modi, non tamquam entitates diſtinctæ.

Coll. 2. Quantitatem continuam diuidi in Lineam, Superficiem, & Corpus: linea conſtituitur ex punctis, ſuperficies ex lineis, corpus ex ſuperficiebus, cum enim de ratione quantitatis ſit extenſio, hæc poteſt eſse, vel quoad longitudinem, & dicitur linea, vel quoad latitudinem, & eſt ſuperficies, vel quoad profunditatem, & corpus appellatur.

Col. 3. Omnes partes cõtinui eſse finitas, lineã .ſ. ſuperficiem, & corpus, & ratio eſt, quia cum conſtent ex punctis finitis, ergo & ipſæ finitę debẽt eſſe, finitum enim additum finito non facit infinitum.

Coll. 4. Quòd ſi punctum indiuiſibile poſset ſeparari à quantitate, poſset naturaliter moueri motu locali, non tamen virtute propria, ſed aliena, & ab extrinſeco; ratio autem eſt, quia moueri ex ſua ratione formali ſolùm dicit, quod mobile ſit modò in termino à quo, & modò in termino ad quem, ſed hoc pacto poteſt eſſe punctum, ergo &c. min. prob. in tantum enim non poſſet hoc pacto moueri, quia quòd mouetur ſucceſſiuè debet commenſurari partibus ſpatij veri, aut imaginarij, cum autem punctum non poſſet talibus partibus commenſurari non poſſet moueri, ſed hoc in noſtra ſententia non obſtat, quia etiam ſpatium conſtat ex punctis indiuiſibilibus, ergo per talia puncta poterit moueri. Hoc autem clarè patet in motu quem faceret globus perfectus ſuper planum perfectum, tangeret enim planum ſemper in puncto. Dixi autem, punctum indiuiſibile non poſſe ab intrinſeco habere ex ſe hunc motum, ſed ab extrinſeco, quia vt potè indiuiſibile non haberet potentiam motiuam, per quam poſſet moueri, cum non eſſet perfectè natura, quæ eſt principium motus, & quietis, moueretur autem ab extrinſeco per impulſum illud tangentem per punctum indiuiſibile.

33 Col. 5. Quantitatem eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem, cum enim per nos non diſtinguatur à materia, & ipſa talis ſit, pariter & quantitatem eſſe ingenerabilem, & incorruptibilem aſſerendum eſt; quare ſicuti per formas determinatur materia, ad conſtituendum tale compoſitum, ſic per materiam efformatur compoſitum in tanta vel tanta magnitudine, & quantitate, deſſumpta extenſione accidentali à forma.

Col. 6. Figuram eſse modum accidentalem ipſius quantitatis; ratio autem eſt, quia ille eſt modus, qui modificat rem, ſed figura modificat quantitatem, & illam ad ſpecialem formam reducit, ergo eſt modus; tum quia, modus eſt inſeparabilis à re modificata, at talis eſt figura, non enim poteſt concipi figura ſine re figurata, ergo eſt modus. Neque valet, in Sacramento Euchariſtiæ remanere figuram, & non quantitatem, ergo non eſſe modum, modus enim eſt etiam diuinitùs inſeparabilis à re, cuius eſt modus. Reſp. enim, modum eſſe inſeparabilem à tota re, cuius eſt modus, non verò à parte, quare cum in Sacramento Euchariſtico remaneat aliquid, quod priùs ibi erat .ſ. accidentia extenſa, ideò in ipſis tunc remanet talis modus, ſicuti eſset in caſu, quo quis ſedens moueretur, remaneret enim cum eodem modo, & tamen non eſset idem totaliter vt priùs erat.

Col. vltimò. Omnes partes ſiue puncta in quãtitate eſse verè, & realiter inter ſe actu diſtincta; ea enim dicuntur diſtincta, quæ diuerſam habent entitatem, & inuicem poſsunt ſeparari, ſed vnum punctum, & à fortiori vna pars continui habet diuerſam entitatem ab alia, & poſsunt inuicem ſeparari, ergo ſunt actualiter diſtincta; tum quia ſi duæ res diſtinctæ, duæ quantitates aqueæ v.g. continuarentur, non per hoc deperderent ſuam entitatem, & adhuc poſſent diſcontinuari, ergo dicendum eſt, quòd tunc quælibet habeat ſuas partes diſtinctas à partibus alterius, diſtinctio enim actualis non importat ſeparationem actualem; tum deniq; quia verè datur vnio in continuo, ſed non poteſt dari vnio niſi inter plura diſtincta, ergo dantur partes, & puncta actu diſtincta in quocumq. continuo.

Quæres. An de ratione quantitatis ſit quòd ſit 34
continua, vel etiam poſſit eſse ſucceſsiua.

Reſp. Quantitatem propriè, & rigoroſè ſumptam ſolùm debere dici continuam, nõ verò ſucceſſiuam. Ita multi relati à Tellez in Metaphyſica diſp. 60. ſect. 2. num. 6. ratio autem eſt, quia quantitas conſiſtit in extenſione, &c. ſed ſucceſſio non eſt vera aliqua extenſio poſitiua, qualis eſt cõtinuitas, ſed conſiſtit in quadam negatione ſimultaneæ exiſtentiæ partium, de ratione enim ſucceſſionis eſt, quod vna pars ſit prior, alia poſterior duratione, & quòd vna ſequatur poſt aliam, ergo vera quantitas non poteſt dici ſucceſſiua; hæc conſequentia prob. quantitas enim cum dicatur habere partes extenſas, has partes actu debet habere, vt ſuprà probauimus, at ſucceſſio importat quòd dum vna pars ſit, alia nondum ſit facta, vel quæ præceſſit iam non ſit, ergo &c. tum quia, quantitas propriè dicta ſecundùm noſtram ſententiam non diſtinguitur à ſubſtantia materiali, ſed quod eſt ſucceſſiuum, motus .ſ. & tempus diſtinguitur à ſubſtantia materiali, eſt enim accidens quoddam diſtinctum, ergo

quod

quod est successiuum non est propriè quantitas; tum denique quia, vel successio est partium, non immediatè se tangentium, vel est partium immediatè se tangentium, si primo modo, nullo pacto potest conuenire quantitati continuæ, hoc enim pacto non esset vnum continuum, sed diuersa continua, si secundo modo, talium partium contactus solùm potest esse respectu mobilis; seu spatij, in quo reperiuntur, & sic solummodo possent dici continuæ per accidens, non per se, sicuti sunt aliæ qualitates; & hoc pacto intell ximus, quando diximus, motum nullo pacto posse dici continuum .s. non habere continuitatem propriam quantitatis rigorosè sumptæ, sed solùm per accidens dici continuum, & quantum, quatenus extenditur aliquo pacto successiuè mobili, seu spatio, quare etiam dicit D. Thomas in 6. Physic. text. 66. quòd quantitas motus accipitur secundùm quantitatem spatij. Et hæc sint, aut explicata, aut implicata de Quantitate.

DISPVTATIO VNICA,

In Septimum, & Octauum librum Physicorum Aristotelis, De primo Motore.

Tandem ad explicandos vltimos Physici auditus libros deuenimus. In his postquam Aristoteles cœteros percurrens libros per omnes naturæ proprietates, motus, mutationesque voitasset, tandem in vltimum rerum omnium Finem primumq. Motorem oculos mentis injicere, tanquam verus Philosophus naturalis decreuit; Multis ergo fundamentis nixus, existentiam huius primi Motoris ostendere conatur. Hæc autem fundamenta, ab hisq. deducta, hos libros examinaturi, explicabimus. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

An omne quod mouetur, ab alio moueri, necesse sit.

Volens Aristoteles probare necessitatem primi Motoris, conatur ostendere, quòd omnia, quæ mouentur, necesse sit ab alio moueri, in quibus motibus, cum in infinitum non sit procedendum, tandem ad primum Motorem, qui sit immobilis, & cœtera moueat, deueniendum esse ostendit; hoc ergo & nos quærimus in præsenti sectione, pro solutione cuius rei. Sit.

Prima Conclusio. Omne quod mouetur .l. aliquando proximè, & immediatè possit moueri à se ipso, remotè tamen, alio mediante, & ab alio moueri, necesse est. Ita D. Thomas, quem refert, & sequitur Suarez tom. 1. Metaphysicæ disp. 18. sect. 1. num. 1. Conimb. 7. Physic. cap. 1. quæst. 1. art. 2. & & alij. Quòd aliqua moueantur à se ipsis immediatè iam probatum est cum de motu grauium, & leuium, & ideò remanet solùm probandum quòd remotè, &c.

Prob. ergo primò. Mouere est educere aliquid de potentia ad actũ, sed non potest educi aliquid de potentia ad actum, nisi per aliquod ens in actu, ergo ad quemcumq. motum prius supponitur id, quod sit actu potẽs mouere, id quod est in potẽtia, sed idem non potest esse secundùm eamdem rationem in actu, & in potentia, ergo id quod est in potentia ad motum, non potest mouere se ipsum, secundùm eam rationem, secundùm quam est in potentia, ergo ab alio saltem remotè, moueri debet, non à se ipso.

Prob. 2. Omnis causa dicit dependentiam naturalem ab vna prima causa, extra quam, non est ampliùs procedẽdum, ergo quodcumq. moueri debet saltem secundùm talem dependentiam, à prima causa moueri, & sic ab alio, saltem remotè, necesse est; antecedens probatum fuit in secundo libro cum de causa prima increata, consequ. patet, ergo &c.

Prob. 3. de motu naturali. Omne quod mouetur naturaliter, mouetur ratione virtutis motiuæ existentis

tentis in mobili, sed hæc virtus motiua non est formaliter mobile, ergo mobile non mouetur à se ipso formaliter, sed mediante virtute motiua, vel forma, vel Agente, quod talem virtutem motiuam, seu formam impressit.

Prob. 4. de motu violento; Motus violentus est ab extrinseco, sed quod est ab extrinseco est ab alio, ergo mobile, quod mouetur motu violento, mouetur ab alio.

Prob. 5. de motu alterationis, & augmenti;
2 Mobile quod mouetur ad calorem, v. g. distinguitur ab igne calorem producente, ergo non à se ipso mouetur, sed ab alio à se distincto. Item, motus augmentationis procedit à potentia nutritiua, quæ conuertit alimentum in substantiam aliti, ergo mobile, quod mouetur ad augmentationem, mouetur ab alio.

Ob. Intellectus, & voluntas ex se ipsis immediatè mouentur ad intelligendum, & volendum. Item cor se ipsum mouet absq. eo quod moueatur ab alio, ergo quod mouetur, non semper est necesse ab alio moueri.

Resp. 1. Posse distingui voluntatem, & intellectum actu agētes, à non agentib', quo pacto voluntas, & intellectus agētes mouētur ad agendum à volūtate, & intellectu non agētibus: idemde Resp. quòd si mouentur, hoc faciunt per virtutem receptam, ergo mediante illo, quod talem virtutem impressit mouenti, ergo ab alio. Ad illud de corde, Resp. moueri, vel à potentia sua motrice, vel ab anima, & hoc pacto semper ab alio saltem remotè moueri.

Quæres. Vtrum ex hoc principio euidenter deduci possit cum Aristotele, dari primum Motorem.

Resp. Affirmatiuè cum D. Thoma 1. contra Gentes cap. 13. Durando in 1. distinct. 3. quæst. 1. num. 7. & aliis multis. Hoc autem patebit ex argumento Aristotelico fundato in assignato principio, & in alio iam aliàs probato, quòd in causis non sit admittendus processus in infinitum, sed ad vnam vltimam sit deueniendum. Argumentum autem sic se habet.

Euidens est, dari motum in rerum natura, illudq. quod mouetur, sicuti non habet à se esse, ita neque habere virtutem motiuam, nec motum à se, sed ab alio; illud ergo à quo mouetur, vel mouetur, vel non mouetur; si non mouetur, erit primum à quo procedit motus cum aliud primum à quo moueatur non sit; si mouetur, vel mouetur à se ipso, uel ab alio, si à se, erit primū à quo moueātur cætera, si uero ab alio moueatur, cùm non sit procedendum in infinitum in causis ordinatis, debet dari necessariò prima, à qua moueantur omnes, & erit primus Motor. Ecce ergo euidenter deductum ex Argumento Aristotelico, deberi dari primum Motorem.

3 Quæres 2. Quænam attributa dixerit Aristoteles conuenire primo Motori, & an euidenter ea deduxerit.

Resp. Attributa assignata ab Aristotele primo Motori esse Immutabilitatem, Vnitatem, Immensitatem, Incorporeitatem, Infinitatem, Indiuisibilitatem, & Perpetuitatem: an autem hæc euidenter lumine naturali probauerit Aristoteles, tàm pro affirmatiua, quàm pro negatiua sententia stant Doctores, ideò cùm nihil certi possit affirmari, videatur quid dixerit Auctores, præcipuè Rub. in 8. Physic. tract. 1. num. 83. & seq. Tellez in 2. parte Philosophiæ disp. 38. sect. 2. & alii. Nos hìc solùm quędam de Æternitate Mundi, deducta ab ipso Philosopho ab æternitate primi Motoris pro complemento horum librorum, inquiremus.

SECTIO II.

Quid sit Mundus, & an potuerit esse ab Aeterno.

VAriæ sunt acceptiones Mundi, per quas totum Mundum diuidentes Philosophi in certam rerum congeriem, veluti diuersos distinxerunt Mundos; dixerunt ergo, alium esse mundum Intelligibilem, alium Sensibilem; mundus sensibilis est hic corporibus visibilibus constitutus; intelligibilis verò sumitur pro vniuersitate substantiarum spiritualium, & separatarum. Item mundus sensibilis diuiditur in mundum Cœlestem, & Elementarem, pro Mundo elementari intelliguntur, nedum omnia elementa, sed etiam cætera corpora ex elementis composita, pro cœlesti verò omnes cœli cū corporibus ibi existentibus. Hæ sunt acceptiones, & distinctiones Mundi, propriè tamen vnus solus est Mundus ex his omnibus compactus, nec de facto alter datur, .l. de possibili dari possit; definitur autem ab Aristotele lib. de Mundo cap. 2. Quòd sit.

Compages ex cælo, terraq. coagmentata, atq. ex iis naturis, quæ inter ea continentur, seu *est ordo, & digestio vniuersorum, quæ à Deo, & per Deum asseruantur.* Ex qua definitione clarè patet, mundum esse quoddam aggregatum, atq. compositum ex corporibus naturalibus rectè ordinatis, & dispositis. Huius autem aggregati, seu Mundi figura, orbicularis communiter asseritur, quare etiam Orbis vocatur, Illi, antiqui Philosophi animam assignarunt, sed quàm hoc sit falsum, patebit, cum quæremus, an cœli sint animati, eædem enim rationes vtrobique militant; & hæc sint quoad primam partem quæsiti. Pro secunda. 2

Not. 1. Certum esse de fide nec mundum, nec vllam aliam creaturam fuisse ab æterno creatam; 5 deducitur ex illo Genesis primo. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Contra hoc autem errauit Aristoteles ex præsuppositione, quòd Deus esset ad extra Agens necessarium, non liberum, cum enim tale supposuerit, & æternum agnouerit; ideò ab æterno necessitatum fuisse ad operandum existimauit, vt enim falso innitebatur principio, (in Deo enim est perfectissima libertas operandi ad extra); ita fallacem deduxit consequentiam; quare nos Catholici solùm quærimus, vtrum hoc, quod de facto credidit Aristoteles, potuisset esse, si Deo placuisset, ita vt in hoc nulla sit implicantia.

Not. 2. Duo genera entium in mundo reperiri de

de quibus potest procedere quæstio, res .f. permanentes, qualia sunt omnia corpora, Animæ, substantiæ Angelicæ, &c. & Res successiuas existentes secundùm prius, & posterius, vt tempus, motus, & illis similia; de singulis ergo est inquirendum, vtrum .f. Mundus potuerit esse ab æterno quoad res permanentes, vel quoad successiuas.

Not. 3. Posse dupliciter intelligi res fuisse ab æterno, vel quòd habuerint æternitatem ex necessitate, & exigentia, vel non ex necessitate, & exigentia, sed ex libera voluntate volentis eas ab æterno efficere; habere æterninatem primo modo, est habere æternitatem intrinsecam essentialem, & imparticipatam, vt eam habet Verbum diuinum; secundo verò modo est habere eam accidentalem, extrinsecam, & per participationem, quare de primo modo non est quæstio, cum, si talem æternitatem aliqua res haberet, non esset Creatura, sed Deus, quæritur ergo solummodo de secunda, & ideò Sit.

6 Prima Conclusio. Mundus nec quoad res permanentes, neq. quoad successiuas, potuit esse ab æterno. Ita cum multis Aueria quæst. 31. de Mundo sect. 8. & 9. Aresius 1. de Generatione disp. 5. quæ. 44. sec. 2. Spinula disp. 9. in Physica sec. 4. & alij.

Prob. primò. Omne quòd est creatum debet habere principium, sed quòd habet principium non potest esse infinitum, & æternum, ergo nullum ens creatum potuit esse ab æterno, mio. probata est, infinitum enim non clauditur terminis: ma. patet, si enim non haberet principium, iam esset imprincipiatum, quòd repugnat creaturæ.

Prob. 2. Si posset Deus creare aliquod ens ab æterno, iam ipse deberet esse æternus, ergo tota æternitas præcessisset, & sic in tempore, non ab æterno crearet. Neq. dicas, aliquam causam in primo instanti quo, est posse producere, vt sol statim ac fuit creatus, illuminauit, Resp. enim, tales causas producere illos effectus in primo instanti, quia tales effectus sũt de illarũ perfectione intrinseca, quòd sic non est mundus respectu Dei, absq. enim mundo, ipse perfectissimus est, quare vt perfectissimus, debet præsupponi ad illins creationem, ergo & ęternus, ergo & toram æternitatem præcessisse ante quamcumq. creationem.

Prob. 3. Nulla Creatura potest habere attributa diuina ita infinita sicuti habet ipse Deus, sed si posset esse ab æterno, eamdem æternitatem participaret cum ipso Deo, ergo &c. Neq. dicas, talem æternitatem fore dependentem, & participatam à Deo, Resp. enim, quòd etiam alia attributa, Immensitas .f. Omnipotentia, Sapientia, Infinitas, &c. possent dici participata, & tamen talia attributa nullo modo possunt illi communicari, ergo idem dicendum de æternitate.

Prob. 4. Omne creatum debet ex suo non esse produci, ergo saltem instans, in quo non fuerit debet præcedere ad creationem, ergo ab æterno nõ potuit creari.

Prob. 5. præcipuè de rebus successiuis. De essentia successiuorum est habere prius, & posterius, ergo implicat aliquod successiuum ab æterno; hæc consequentia prob, esset enim ab æterno, & non esset; esset vt supponitur, non esset, quia cum haberet partem posteriorem, hæc pars non esset ab æterno, siquidem haberet priorem, ergo cum successiuum constet ex priori, & posteriori, secundùm partem esset æternum, non secundùm aliam.

Ob. primò. Non minùs est potens Deus, vt Agens liberum est, ac si fuisset Agens necessariũ, sed si fuisset Agens necessarium, vt credebat Aristoteles, potuisset mundum ab æterno creare, ergo potuit etiam, vt liberum.

Resp. repugnantiam non prouenire ex defectu diuinæ omnipotentiæ, sed ex repugnantia ipsius obiecti, cum enim res quælibet creata ita debeat dependere à Deo, vt ab ipso sit infinitè distans, debet etiam hoc pacto esse in ratione durationis; tum quia debet præsupponi libertas in Deo ad creandum, ergo Deus perfectus in omnibus attributis, ergo etiam in æternitate. 7

Ob. 2. de facto Deus ab æterno genuit Filium, ergo potuisset etiam ad extra aliquam creaturam producere, & creare.

Resp. Verbum ab æterno generari à Patre, quia vt illi coæquale, habet eãdem necessitatem essendi ac Pater, Creatura autem cum longè sit inferior Deo, & non habeat necessitatem essendi, sed contingenter, & mutabiliter sit, ideò eamdem æternitatem, ac habet Filius, aut Verbum diuinum habere non potest.

Ob. 3. Deus ab æterno habuit actum liberum producendi quodcumq. ens, ergo ab æterno illum potuit producere; consequentia prob. voluntas enim diuina ad hoc vt producat, non requirit moram temporis.

Resp. neg. consequentiam, nam licet ab æterno actum liberum habuerit creandi quodcumq. ens, in tempore posteà debuit creare, non ex defectu suæ omnipotentiæ, sed ex defectu rei creabilis, quæ cũ non habeat necessitatem essendi, sed contingentiam, ideò non ab æterno, sed in tempore exigit creari; tum propter alias rationes iam assignatas, ex quibus omnibus patet ex defectu creaturæ, nullam creaturam ab æterno potuisse creari.

Quæres. An saltem in æternum à parte post sit 8
Deus conseruaturus Mundum.

Resp. Licet Deus posset quocumq. tempore destruere, & anihilare mundum, illum tamen in æternum esse conseruaturum. Deducitur ex multis Sacræ Scripturæ locis, vt Eccl. 3. *Omnia opera quæ fecit Deus perseuerant in perpetuum*, Psal. 148. *Ipse dixit, & facta sunt, ipse mandauit, & creata sunt. statuit ea in ęternum, & in sęculum sęculi* & alibi; suadet etiam ratio, cum enim sit incorruptibilis saltem secundùm præcipuas sui partes, ideò naturaliter corrumpi totus non potest, sed in æternum exigit durare, tum quia cum homines sint in æternum duraturi, & pro damnatis in imo terre detrudendis, & pro Beatis in cœlo gloriosè regnaturis, Cœlum, & Terra debent in æternum conseruari.

Mutabitur tamen Mundus in varijs partibus post diem iudicij, cessabunt enim motus cœlorum, actiones, & passiones elementorum omnium am-

plius non erunt, & quę sunt huiusmodi spectantia nunc ad beneficium hominis, cum enim ad hoc sint ordinata, cessante fine, & ipsa cessabunt.

Et hæc sint satis dicta in 8. lib. Physicorum Aristotelis. Si quæ sunt bona, omnia à Deo omnium bonorum authore, Ipsi ergo honor, & gloria ab omni creatura per infinita Sæcula Sæculorum.





IO: BONIFACII BAGATTA VERONENSIS.

CLER. REG.

DISPVTATIONES IN Quatuor Libros de Cœlo ARISTOTELIS

PROOEMIVM.

CORPUS naturale suas dissectum in partes vsq.modo per octo Physicorũ libros diligentissima rimatisumus anatomia, ad illius in communi dignoscendam quidditatem spectantia, hucusq. in præteritis dilucidauimus quæstionibus; modò, Corporum naturalium in particulari, Philosophicum, Physicumq. prosequentes cursum, remanet natura inuestiganda, examinandaque essentia; Quia autem corpora naturalia, alia sunt simplicia, alia verò mixta, ideò de simplicibus, quales sunt coeli, vt potè de dignioribus, cum ipso Philosophiæ Antesignano Aristotele, primo ingressu disputationes instituemus; Licet autem omnes quatuor

libri inſcribantur de Coelo, in primis tamen duobus ſolummodo ſpectantia ad Coelum cũ Ariſtotele explicabimus, in alijs verò de Elementis, quæ etiam ſunt corpora ſimplicia, Philoſophum ſequentes, diſputationes pertexemus; Quare ſit.



DISPVTATIO PRIMA

In Primum, & Secundum Librum Aristotelis, De Coelo, In qua, De Natura, Essentia, Motu, & Numero Ceolorum.

AGit Arist. in hoc primo libro de Mundo, eiusq. perfectionibus: at quia spectantia ad Mundum totum iam uidimus in 7. & 8. Physic. ideò de praecipua parte huius Mundi, hoc est de Coelo, hic solùm agemus: per coelum autem hìc intelligimus illas substantias extensas, & expansas, in quibus repetiuntur, suumq. percurrunt iter, Sol, coeteraq. Astra. In primis ergo quaerendum est, quaenam sit essentia, naturaq. huiusmodi coeli, ex hoc enim facilè erit deducere coetera, quae de ipso erunt dicenda. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

An Coelum sit corpus simplex.

NOt. est, Corpus simplex dupliciter posse intelligi, & pro corpore non composito ex partibus essentialibus physicis, materia. s. & forma, & pro corpore, quod non componatur ex alijs perfectis prioribus corporibus, nec in ipsa possit resolui, quatenus in ipso aliquo pacto contineantur, & ad illius constitutionem praesupponantur, corpus simplex completum primo modo, licet aliqui contendant posse dari; saltem naturaliter non dari ex dictis in physicis patet, cum enim dixerimus, materiam, licet ex se sit corpus, esse tamen incompletam semper in ordine ad compositum absq. forma, ideò solùm corpus simplex incompletum, non verò completum poterit vocari: quare cum certum sit, coelos esse corpora completa, habereq. eamdem speciem materiam, ac coetera sublunaria inferiùs sumus probaturi, ideò & constare èx materia, & forma absolutè concedendum est secundùm nostra principia: quaestio ergo solùm procedit, an coelum sit corpus simplex secundo modo, an verò mixtum ex alijs prioribus corporibus, ex quibus sit compositum, & in quę resolui possit.

Not. 2. Corpora sublunaria alia esse simplicia, alia verò mixta, simplicia sunt, quae naturaliter non exigunt ad sui constitutionem 4. Elementa primas qualitates, nec componuntur ex alijs corporibus, & haec secundùm Aristotelem, & communiter, sunt 4. s. Terra, Aqua, Aer, & Ignis, quodcumq. enim ex his non componitur ex alio, nec exigit 4. qualitates primas; Mixta verò sunt coetera corpora, quae ex his componuntur, illaq. includunt, siue formaliter, siue virtualiter, de quibus suo loco: hìc ergo inquirimus, an coelum sit corpus mixtum ex alijs corporibus, an verò simplex, quòd si simplex, an sit ex 4. assignatis, an verò sit alia substantia simplex, Aetherea, siue Coelestis, à sublunaribus dissimilis.

Prima Conclusio. Probabiliùs est, Coelum non a
esse vllum ex Elementis, neq. ex illis mixtum, sed esse aliam substantiā coelestem, ab Elementis natura dissimilem: Quòd dicitur de coelo, dicitur etiam de Stellis, & planetis; Ita contra quosdam antiquos Philosophos, & etiam recentiores multos, Aristoteles primò de coelo cap. 2. & ferè communiter omnes, vt apud Auersam disp. 33. de substantia coelestium corporum, quae. prima, Pontium disp. 21. de coelo quaest. 2. & alios.

Prob. primò. Corpora coelestia influunt in sublunaria, insignesq. in illis exercent operationes, quas nullum Elementum, seu ex illis mixtum potest efficere, sed hoc non facerent, si essent substantiae eiusdem naturae, ac Elementa, ergo dicendum non esse; sed substantiam coelestem illis superiorē; ma. est certa, ex communi enim Philosophorum, generationes herbarum, & fructuum, productiones mineralium, &c. solis influxibus coelestibus tribuuntur; min. prob. si enim non essent substantię superiores, tantam vim, & efficaciam in transmutatione Elementorum non haberent.

Prob.

Prob 2. Nullum Elementum, seu Agens sublunare vim habet alterandi, seu transmutandi cœlestia corpora, ergo signum est, illa esse superioris naturæ; consequentia prob. si enim essent eiusdem naturæ, ac sublunaria, aliquod Agens elementare siuè mixtum reperiretur, quod illa posset alterare, & transmutare, sicuti cœtera omnia corpora elementaria, & mixta, ab alijs eiusdem naturæ alterantur, & transmutantur.

Ob. primò. Corpora cœlestia habent accidentia omnium elementorum, habent enim dimensiones quantitatiuas; item primas qualitates; Sol enim habet calorem, Saturnus frigiditatem, Mars siccitatem, Luna humiditatem, & sic de alijs, ergo constant ex elementis.

Resp. verum esse, habere dimensiones, sed hæc sunt accidentia corporis quantitatiui, qualia sunt corpora cœlestia, habent etiam primas qualitates non formaliter tamen, sed solùm virtualiter, quia habent virtutem eas producendi in inferioribus.

Ob. 2. Sydera habent omnimodam similitudinem & eosdem producunt effectus, ac ignis, Item cœli, per quos mouentur sydera, Aquæ, vel Aeris imitantur naturam, ergo dicendum ea corpora cœlestia non esse diuersæ naturæ, ac elementaria.

Resp. non eosdem omnes producere effectu corpora cœlestia, ac elementaria, quibus aliqualem dicunt similitudinem: sic Stellæ aliquæ sunt frigidæ, frigiditatemq. causant, vt Saturnus, quòd non facit ignis, deinde non habent leuitatem ignis; Item substantiæ cœlestes expansæ, per quas percurrunt sydera, licet immitentur naturam, vel Aquæ, vel Aeris, non per hoc tamen arguendum est, esse eiusdem naturæ, cum ea alia parte rationes efficacissimæ, quales sunt iam adductæ, in contrarium habeantur; quare ad summum concedendum est, quasdam proprietates, affectiones, & accidentia corporum elementarium participari etiam a corporibus cœlestibus, licet superiorem illis naturam, substantiamq. habeant.

3 Coll. ex dictis. Corpora cœlestia esse simplicia, ea tamen simplicitate, quæ, vt supra notauimus, non excludit compositionem ex materia, & forma, sunt inquam corpora simplicia, quia ex alijs corporibus nullatenus sunt composita, nec mixta. sed eamdem omninò simplicitatem habent, ac cætera Elementa, de quibus suo loco.

SECTIO II.

De materia, & forma coelorum; Vnde, An sint corruptibiles, vel incorruptibiles.

TRia in hac sectione nobis sunt expendenda; primò, an materia cœlestis sit eiusdem speciei, ac materia cœterarum rerum sublunarium, secundò, quænam sit forma Cœlorum, an .s. sit Anima, vt quidam Antiqui Philosophi affirmarunt, ex quibus postea tertiò erit colligenda, vel corruptibilitas, vel incorruptibilitas coelorum; Quoad primum, sit.

Prima Conclusio. Probabilius est, materiam 4
coelorum esse eiusdem speciei, ac materia sublunaris. Ita Scotus, Molina, Hurtadus, Ouiedo, & alij relati ab Auersa quæ. 33. de coelo sec. 6. Mastrio disp. 2. de coelo quæ. 2. art. 1. Spinula in lib. de coelo disp. vnica sect. 1. num. 8. contra Conimbri. Suarez, Ruuium, Auersam, Morandum, & alios ab ipsis relatos.

Prob. autem. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed hic non est necessitas multiplicandi speciem materiæ, ergo dicendum, non esse multiplicem, sed vnam solam esse speciem materiæ, & rerum elementarium, & coelorum; min. prob. in tantùm enim ab Aduersarijs asseritur diuersæ speciei materia coelorum, in quantùm coeli sunt incorruptibiles, & per consequens non debent habere eamdem materiam sublunarium, quæ est radix corruptionis, sed dato etiam quòd coeli essent incorruptibiles (quòd infrà videbitur) non officeret incorruptibilitati materia eiusdem speciei, ac sublunaris, ergo &c. hæc min. prob. materia enim non est radix corruptionis actiua & passiua, sed solùm passiua, & priuatiua, materia enim non exigit positiue corruptionem formæ quam habet, alioquin exigeret destructionem sui perfectiui, quare diximus in Physicis, materiam non appetere formas, quando est sub aliqua forma, sed solùm se habet priuatiuè ad corruptionem, quia .s. ex parte sui compositum potest corrumpi, cum ipsa non habeat talem necessariam connexionem cum hac, vel illa forma, vt aliquod Agens naturale nõ possit illam destruere. Deinde à forma coelorum esset arguẽda incorruptibilitas, cum enim corruptio alicuius compositi fiat ex eo quia in illo introducantur qualitates contrariæ primis, quas habet, cum forma coelorum sit perfectissima, non admitteret contraria à quibus destrueretur.

Neq. valet: Aristotelem multis in locis, & præcipuè 12. Metaphysicæ textu 19 dixisse, materiam coelorum esse diuersam specie a sublunari.

Resp. enim, Aristotelem intellexisse, substantias Coelorum esse diuersæ naturæ, ac sublunares, quod & nos supra asseruimus, hoc tamen non prouenit à materia, sed ex eo quia tota substantia coeli sit simplex, nec mixta ex alijs substantijs, vt sunt sublunaria, & ex eo quia habent formam perfectiorem omnibus formis elementorum, licet enim sint eiusdem materiæ specificè, tamen & ob negationem mixtionis, & ob excellentiorem formam possũt diuersæ naturæ dici ab omnibus sublunaribus rebus.

Aduert. autem, me dixisse in conclusione *probabilius &c.* nam etiam contraria sententia aliquã habet probabilitatem, in similibus enim quæstionibus, tam asserere, quàm negare, est diuinare.

Secunda Conclusio. Forma coelorum non est
Anima, & ideò neq. Astra, neq. Coeli sunt animati. 5
Est omnium Philosophorum, atq. Theolog. cõtrà tamen Antiquos Philosophos, & ipsum Aristotelem .s. benignè explicetur à D. Thoma, vt videre est apud Compronem disp. 1. in lib. de coelo sec. 1. Auersam disp. 33. de substantia coelorum sec. 7. & alios;

Prob.

Secunda Conclusio. Forma cœlorum non est Anima, & ideò neq. Astra, neq. cœli sunt animali. Est omnium Philosophorũ atq. Theolog. contra tamen Antiquos Philosophos, & ipsum Aristotelem, licet benignè explicetur à D. Thoma, vt videre est apud Comptonem, disp. 1. in lib. de cœlo sect. prima, Auersam disp. 33. de substantia cœlorum sect. 7. & alios.

Prob. primò. Anima est actus corporis organici, potentia vitam habentis, vt ex Aristotele secundò de Anima cap. 1. sed cœlum, & Astra non sunt organica, ergo neq. habent Animam; min. prob. corpora enim cœlestia neq. nutriuntur, neq. augmentantur, vt experientia docet, ergo non habent organa, quæ sunt instrumenta ad tales operationes necessaria.

Prob. 2. Si corpora cœlestia essent animata, haberent, vel animam vegetatiuam, vel sensitiuam, vel rationalem, (aliæ enim species animarum non dantur, nec cognoscuntur à Philosophis) sed nullam ex his possunt habere corpora cœlestia, ergo dicendum est, non esse informata ab anima; min. prob. & primò de anima vegetatiua, nam operationes animæ vegetatiuæ sunt, vitalis generatio, nutritio, & augmentatio, sed nulla ex his operationibus in cœlo reperitur, ergo &c. non reperitur vitalis generatio, neq. enim vnum corpus cœleste generat aliud, sicut homo hominem, quare, dato etiam quòd cœli essent corruptibiles, sufficeret illis virtus generatiua, qualis assignatur igni, & aquæ, quæ non habent vegetatiuam animam; Item corpora cœlestia nõ nutriuntur, nutritio enĩ admittitur ad hoc, vt substantia deperdita reparetur, quòd vtiq. non euenit in corporibus cœlestibus.

Deinde, non est assignabile tantum nutrimentum, quo cœli nutriantur; vix enim tota terra, tam grandi, & vasto animali deseruiret pro vna buccella; quare neq. augentur, sed semper in eodem statu, in quo creati sunt, perseuerant.

Prob. de Anima sensitiua. Quia non apparent in cœlo sensus, qui vtiq. conspicui deberent esse in animali tam grandi; tũ quia anima sensitiua requirit organa ad faciendam sensationem, sed in cœlo nullum cernitur organum, cum omnes illius partes sint homogeneæ; tum deniq. quia ridiculum videtur admittere dolorem, & voluptatem in cœlis, quæ omnia consequuntur Animam sensitiuam.

Prob. de Anima rationali; Quia anima rationalis exercet suas operationes dum est in corpore, mediantibus phantasmatibus desumptis à sensibus, sed cœlum nullos habet sensus, nec organa, ergo &c. tum quia talis anima intellectiua deberet etiã esse uolitiua, & ita capax meriti, & demeriti, præmij, & poenæ, & per consequens, vel beari deberet cum Sanctis, uel damnari cum reprobis, quæ omnia sunt absurda, ergo nulla anima informata esse corpora cœlestia, asserendum est.

Hæc sunt præcipua argumenta ad probandum, nulla anima informante prædita esse corpora cœlestia. Fateor tamen cum Scoto in secundo dist. 14. quæst. 1. relato à Pontio disp. 22. de cœlo quæst. 3. num. 29. hanc conclusionem potissimùm in author S.S. P.P. & Doctorum consistere, & potiùs credi, quàm firmissima ratione probari; fundamentis enim supra allatis responderi posset, in corporibus cœlestibus posse esse organa quãuis sensibus nostris non appareant ob maximam distantiam, Itidem posse esse sensationem, & cæteras alias operationes animæ, tum vegetatiuæ, tum sensitiuæ, cõtrarium enim euidenter non prob. Itidem posse habere animam rationalem, non enim implicat Creatura non habens voluntatem liberam, quòd si tales essent cœli, nec essent capaces meriti, nec demeriti, & sic nec damnari possent, nec beari exigerent; quare cum rationes faciliter impugnentur, sola auth. & omnium Doct. & S.S. P.P. reuerentia, hanc sententiam amplectendam esse fatemur, maximè quòd, licet contraria non sit hæretica, vt affirmat Spinula disp. vnica de cœlo sect. 1. num. 9. erronea tamen, & temeraria communiter apud Catholicos censetur.

Ex hoc ergo colligitur, Quòd cum forma corporum cœlestium non sit anima, sit tamen aliqua forma perfectissima, diuersa ab omnibus sublunaribus, habent enim accidentia diuersa, vt facilè cognoscitur ab omnibus. An autem talis forma sit incorruptibilis, vel non, ratione cuius cœlum dicatur corruptibile, vel incorruptibile, hinc, & inde deffendunt Authores, Mihi tamen. Sit.

Tertia conclusio, Corpora cœlestia, licet ab intrinseco sint corruptibilia, ab extrinseco tamen naturaliter sunt incorruptibilia. Ita D. Thom. 1. par. quæ. 66. ar. 2. Scotus in 2. dist. 14. quæ. 1. Suarez in Metaph. quæ. 13. sec. 11. Conimbri 1. de cœlo cap. 3. quæ. 1. ar. 2. Hurtadus disp. 5. de Nat. cœli sec. 5. §. 29. Arriaga disp. de cœlo sec. 3. num. 41. Auersa quæ. 33. de cœl. sec. 2. Spinula disp. vnica de cœlo sec. 2. Mast. disp. 2. de cœlo quæ. 3. num. 100. Pontius disp. 22. de cœlo quæ. 4. concl. 4. & alij cum Aris. primò de cœlo tex. 22. contra tamen ferè communem cæterorum recentiorum.

Prob. autem quod intrinsecè sint corruptibilia. Materia corporum cœlestium ex supradictis est eiusdem rationis, ac sublunaris, ergo respectu sui est capax alicuius formæ sublunaris, sed hoc arguit intrinsecam corruptibilitatem in corporibus cœlestibus; ergo dicendum, quòd ab intrinseco sint corruptibilia; min. prob. generatio enim supponit corruptionem formæ antecedentis.

Prob. autem, quòd naturaliter ab extrinseco sint incorruptibilia. Si corpora cœlestia essent naturaliter ab extrinseco corruptibilia, hoc esset, quia illis posent applicari causæ, & Agentia naturalia, quæ ipsa corrumpere posent, sed si possent applicari, certum est, quòd per tot annorum curricula fuissent applicata, & sic multæ substantiales mutationes factæ, sed non fuerunt applicata, vt ipsa experientia patet, & clariùs patebit ex solutione argumentorum, ergo dicendum est, non dari talia Agentia, & causas valentes corrumpere corpora cœlestia, atq. adeò illa esse ab extrinseco incorruptibilia.

Prob. 2. Corpora cœlestia non sunt receptiua qualitatum contrariarum, sed ratione talium quali-

tatum

rarum prouenit corruptio, ergo corruptionis non ſunt capacia corpora cœleſtia; ma. prob. cum enim motus cœlorum ſit velociſsimus, & ex vi motus in communi ſententia cauſetur calor, ideò ſi qualitarum contrariarum eſſent receptiua corpora cœleſtia, intenſiſsimum ac penè immenſum præter naturalem reciperent ab extrinſeco calorem, quo & infinitæ mutationes ſubſtantiales cauſarentur, & nedum ipſa, ſed hæc inferiora, iam eſſent aduſta, & omnino conſumpta.

8 Prob. 3. Corpora Cœleſtia continuas cauſant mutationes ſubſtantiales in inferioribus, ergo etiá cauſarent ſæpiſsimè in ſe ipſis, ſi talium mutationum poſsent reſpectu ſui, eſſe cauſæ, ſed non cauſant, vt experientia eſt teſtis, ergo dicendum eſt, eſſe omnia corpora cœleſtia incorruptibilia; Prob. prima conſequentia eatenùs cauſant mutationes ſubſtantiales in inferioribus, quia in ipſis producunt qualitates contrarias, ſed multò magis tales qualitates producerent in corporibus ſibi proximioribus, qualia ſunt cœleſtia, ergo multò maiores in ipſis viderentur mutationes ſubſtantiales, cum ergo non videantur, ſignum eſt, ipſa non eſſe receptiua talium qualitatum contrariarum, atq. adeò eſſe incorruptibilia.

Neq. dicas, non videri tantas mutationes, quia cum corpora cœleſtia ſint maxima in mole, & per conſequens in virtute, ideò reſiſtunt Agenti contrario, & qualitates contrarias non recipiunt.

Reſp. enim, quòd licet ipſa ſint ingentia, attamen etiam Agentia contraria ſunt maximæ magnitudinis, & virtutis, atq. adeò potentia imprimere qualitates contrarias, ſi illarum eſſent capaces.

Prob. Vltimò. congruentiis. Tum quia potuit Deus creare corpus incorruptibile ab Agente extrinſeco, ergo veriſimiliùs eſt creaſſe, & hoc eſſe corpus coeleſte; tum quia coeli conſtituti ſunt veluti cauſæ vniuerſales omnium inferiorum, ratione quarum ipſa regulariter gubernarentur, ergo tales cauſæ debent eſſe inuariabiles, atq. adeò incorruptibiles; tum deniq. quia coeli creati ſunt tanquam Dei domicilium, ſedeſq. Beatorum, atq. adeo conuenientiùs fuit, ea eſſe incorruptibilia, quàm corruptibilia; Sed.

Ob. contra hanc concluſionem. Variæ apparuerunt ſtellæ in coelo, quæ priùs non viſæ fuerunt, ergo dicendum eſt has ſtellas de nouo fuiſſe genitas ex ſubſtantia coeli, atq. adeo coelos eſſe corruptibiles, antecedés patet in ſtella quæ anno 1572. apparuit in ſigno Caſsiopeæ, quæ poſt biennium poſteà euanuit, in illis viſis anno 1596. in Ceto, & 1600. in pectore Cygni, & 1604. in pede Serpentarij, & in alijs de nouo ab Aſtronomis obſeruatis vt diffusè narrat Maſtrius diſp. 2. de coelo, quæ. 3. num. 112. ergo dicendum eſt, quòd tales ſtellæ genitæ fuerunt ex ſubſtantia coelorum, neque enim philoſophicum eſt ad miracula refugere, cum ſuppetunt rationes naturales.

Reſp. variè ab Author. huic argumento, cum enim ſit præcipuum fundamentum contrariæ ſententiæ, nec tam faciliter experientiæ reiiciantur, ideò alias reſponſiones adducere conantur ad illud infringendum, quæ tamen cum ſuas patiantur difficultates, nec omninò fundamentum euertant, ideò illis relictis, ſit reſponſio, quàm optimam, vt reor, affert Pontius diſp. 22. de cœlo quæſt. 4. concl. 4. num. 43. tales ſtellas de nouo conſpectas, fuiſſe à Deo de nouo creatas, atq. collocatas in cœlis, determinando illis locum per condenſationé cœlorum, qui cum per nos ſint fluidi, & condenſari poſſunt; vel ſolùm Deum produxiſſe lucem in aliqua parte rara, & diaphana cœli, quæ nobis poterat videri ſtella; vel deniq. ipſas genuiſſe ex ſubſtantia cœli, ſicut probabiliùs eſt, in principio multa corpora cœleſtia non creaſſe, ſed ex ſubſtantia coeli iam creata, illa genuiſſe, illorum ſubſtantiam tranſmutando nouamq. formam ſubſtantialem imprimendo, quòd vtiq. non eſt contra noſtram cóclusionem, cum naturaliter incorruptibiles ſolùm admittamus coelos, non ſupernaturaliter.

9 Neq. indignum eſt philoſopho recurrere ad cauſam primam, hoc enim eſſet, ſi ratio naturalis ſuppeteret, ſed nulla eſt, ergo &c. nulla inquam quia ſi illæ ſtellæ de nouo producerentur per naturalem corruptioné coeli, hoc deberet eſſe per applicationem particularem alicuius cauſæ, & producentis, & conſeruantis, ſed excogitari non poteſt quomodo naturaliter tunc fuerit applicata talis cauſa, & non antea, cur tanto tempore conſeruauerit, & non maiori, ergo hoc proueniſſe ex diuina diſpoſitione ſine dubio aſſerendum eſt.

Ob. 2. Maculæ aliquæ conſpiciuntur in Sole, quæ priùs non fuerunt obſeruatæ, item aliquando videntur in vna parte ſolis, aliquando in alia, ergo dicendum, tales maculas de nouo generari, vel ex ſubſtantia Solis, vel aliorum corporum coeleſtium.

Reſp. illas maculas aliquando videri, aliquando non, modò in vna parte, & modò in alia, non quia de nouo generentur cum ſemper fuerint in planeta ſolari, ſed quia cum ſol, ſicuti coetera ſydera, rotundæ ſit figuræ, & per coelos percurrat tanquam Auis in aere, cum illos fluidos admittamus, ideò poteſt circumuolui, & in gyrum cieri, & ideò aliquando maculæ ſunt in ea parte ſecundùm quàm reſpicit firmamentum ſupra ſe, aliquando in ea, ſecundùm quàm reſpicit terram, & hac reſponſione poteſt etiam ſatis fieri argumento ſuprafacto ex nouis apparitionibus ſtellarum, cum enim aliquæ ex ipſis poſſint eſſe ex vna parte opacæ, & tranſmittentes lucem, ex alia verò non, ſed diaphanæ, ideò cum circa ſe ipſas poſſint in gyrum ordinatè verti, quando parte opaca, & luminoſa nos reſpiciunt, videntur, non verò quando ſecundùm partem diaphanam.

10 Ob. 3. Cometæ, qui de nouo apparuerunt, in coelis viſi ſunt, ergo dicendùm eſt, genitos fuiſſe ex ſubſtantia coeleſti; atq. adeò illam eſſe corruptibilem; conſequentia prob. ſi enim ex ſublunari ſubſtantia fuiſſent compoſiti, nullo pacto ad coelos potuiſſent eleuari, vt pote extra propriam ſphæram.

Reſp. primò. Poſſe dici, Cometas eſſe miraculoſè à Deo, nec naturaliter à cauſis creatis produci, cum enim ferè ſemper portendant aliquos effectus futuros, ideò illorum productio non in cauſas

patu-

naturales, sed in Deum refundenda est. Et ita sentiunt Pontius loco supracitato, Conimb. Rubius, Arriaga, & alij; sed dato etiam quòd producerentur à causis secundis naturaliter.

Resp. 1. cum alijs, Talea cometas, non eleuari ad coelos, sed existere infra coelum immediatè, vt multis rationibus, & experientijs multorum mathematicorum conatur ostendere Auersa quæst. 33. de coelo sect. 4. At dato etiam, quòd tales cometæ existerint in coelis, per hoc non deducitur, genitos fuisse ex substantia coeli, cum potuissent eleuari, .i. ex substantia sublunari geniti, vsq. ad vltimos coelos, qui per nos sunt fluidi admittendi, nec obstat, tunc fuisse eleuatos extra propriam sphæram, nam Terra, & Aqua aliquando eleuantur à virtute Solis extra propriam sphæram, & hoc naturaliter, quare neq. ex hoc deducenda est corruptibilitas corporum coelestium.

Coll. Ne dum coelos, per quos mouentur Astra, sed & ipsa Astra esse incorruptibilia, cum sint eiusdem substantiæ genericè, & pro omnibus eædem militent rationes.

SECTIO III.

An Cœli sint fluidi, vel solidi, & de numero Cœlorum.

NOn loquimur de cœlo Empyreo, quod supra omnes cœlos dari, .i. rationibus naturalibus non probetur euidenter, de fide tamen est certum dari, & de illo communiter loquuntur P.P. hoc enim cœlū, vtpotè quia futurum est perpetua sedes Beatorum, immobile semper permanere, partimq. fluidum, & partim solidum esse ob commodam inhabitationem Beatorum ferè communiter asserunt Doctores, vt apud Auers. quæst. 32. de coelo sect. 4. quare solùm quæstio est de cœteris cœlis, qui primò, & per se instituti sunt propter mundum inferiorem, & propter homines, dum in terris morantur: In hoc autem duæ celeberrimæ sunt sententiæ; prima asserentium, omnes coelos esse omninò solidos; alia verò omnibus fluiditatem tribuentium, quæ cum omnes innitantur, & auth. Sacræ Scrip. SS. PP. antiquorum, & recentiorum Philosophorum, ideò ad vtramq. concordandam, tertiam inuenerunt quidam Moderni, asserentes coelestes substantias partim esse fluidas, & partim solidas, Cum quibus sit nostra.

12 Prima Conclusio. Cœlum stellatum est omninò solidum, in eoq. fixæ sunt stellæ tanquā nodi in tabula; reliqui verò cœli, in quibus planetæ, & erratica sydera mouentur, sunt fluidi, ita vt per ipsos moueantur planetę, tanquam Aues in aere, pisces in mari. Ita multi recentiores, præcipuè Ouiedo contr. vnic. de cœlo, Pun. 3. §. 4. Serbellonus disp. vnic. de coelo, quæs. 2. art. 4. Guar. dis. 2. de cœlo exp. 2. Spin. in lib. de cœlo dis. vnica sect. 2. Blancanus in sua Sphæra, & alij, videntur etiam huius sententiæ, Tellez disp. 43. de coelo sect. 1. concl. 2. Aers. lib. 1. de Generatione quæst. 23. sect. 7. Morand. in 2. de coelo quæst. 3. & multi alii, quos referunt supracitati Doctores .i. tamen hi cum hac distinctione tàm apertè non loquantur.

Prob. autem quoad primam partem. Stellæ fixæ semper eamdem distantiam, & æqualem inter se proportionem seruant; item apparent in firmamento via, quę dicitur lactea, & aliæ partes albicantes semper eamdem distantiam retinentes, sed hæc omnia indicant tale cœlum esse solidum, & in ipso fixas esse stellas, ergo dicendum esse solidum, min. prob. nam sicuti stellæ errantes continuò variant motus, & distantias, hoc etiam euenitet in alijs stellis fixis, ergo cum ex auth. Sacrę Scripturę præcipuè illa Iob 37. *Tu forsitan cum eo fabricatus es cœlos, qui solidissimi quasi ęre fusi sunt* & ex testimonio SS. PP. soliditatem in cœlis rationabiliter conemur admittere, illaq. in cœteria cœlia ob rationes infra adducēdas impossibilis censeatur, dicendum est, stellatum cœlum, seu firmamentum esse solidum, & firmissimum, & ideo omnes stellas in ipso fixas semper ordinatè moueri.

Prob. 2. pars ratione, relictis Auth. Scripturæ, & SS. PP. quas videre est apud citatos doctores. Ex obseruationibus pręcipuorum Astronomorum, pręcipuè Thiconis Brahę habetur, Venerem, & Martem sępe sæpius modò infra, modò supra Solem cieri, item Martem sæpè suam variare altitudinem, sed hoc non posset esse, si cœli essent solidi, quin daretur penetratio eorumdem corporum, ergo dicendum est, esse fluidos, atq. vt tales, cedere Planetis in ipsis se mouentibus, min. prob. si enim Sol proprium cœlum solidum haberet, supra ipsū Planetæ, non possent eleuari, nisi tale cœlum solidum scinderetur, aut penetraretur, ergo aut scissio, aut penetratio admittenda esset, quæ omnia repugnant.

Neq. dicas, saluari, data soliditate cœlorum, varios motus illorum Planetarum, dicendo .s. tales Planetas, ita habere suos cœlos compositos, 12
quasi ex tribus orbibus partialibus, quales essent in proposita figura, A, B, C,



medius quorum scilic. B, in quo collocandi essent planetæ, esset eccentricus, .s. nec secundùm super-

ficiem conuexam, neq. secundum concauam correspondens centro mundi, sed proprium centrum habens, alij verò duo secundùm vnam partem eccentrici, secundùm aliam concentrici, maior si quidem .s. A, concentricus secundum conuexam superficiem, eccentricus vero secundùm concauam, min. .s. C, eccentricus secundùm conuexam, secundùm verò concauam concentricus, hoc enim pacto fieret, vt planeta fixus in orbe eccentrico illum deferente, modò altior appareret, modò terræ propinquior, vt consideranti patet. Deinde si in orbe deferente, & eccentrico asseratur esse quamdam partem solidam, & omninò rotundam, quasi paruulam sphæram (quæ Epicyclus vocatur, vt in figura per litteram D, notatur, in qua sit fixus planeta tanquam gemma in annulo), & quæ circa proprium centrum G, simul cum planeta illi affixo reuoluatur, ita vt in eodem orbe eccentrico ratione illius Epicycli, planeta modò sit superior, modò inferior, optimè saluantur quæcumq. variationes aspectuum cum soliditate cœlorum, ergo dicen dum, cœlos esse solidos, non fluidos.

Resp. Vanas omninò, & futiles esse inuentiones illorum orbium, & epicyclorum, cum absq. tantæ structuræ imaginatione, meliùs saluentur in nostra sententia quæcumq. apparitiones, & variationes motuum, & nulla firmissima ratio suadeat in contrarium. Deinde, datis quibuscumque orbibus, concentricis, eccentricis, deferentibus, & non deferentibus, & etiam epicyclis, dicant mihi, quomodo Mars (de Mercurio enim, & Venere non loquor, cum in eorum sententia non peculiare cœlum habeant, sed per Epicyclos in eodem cœlo Solis circa ipsum ordinatè circumuoluantur) dicant inquam, quomodo Mars modò sit supra Solem, modò infra, vt optimè obiectauit Thico Brahæ cũ enim cœlum Martis circumambiat superficiem conuexam cœli Solis, quomodo poterit esse infra ipsum, nisi penetrando illius cœlum? per assignatam enim structuram orbium planetarum posset saluari maior, & minor illorum distantia à terra, non verò descensus infra cœlum contigui planetæ; quod si negant talem motum Martis, aliasq. astronomicas demonstrationes, gratis negari fatemur, cum, & rationibus, & aspectibus, & mathematicis instrumentis, hoc clarè demonstrent ferè omnes recentiores Astronomi, nec in re tàm graui, tàm facile errare putandum est; quare maximè hæ obseruationes euidentes nobis sunt, cum ex alijs rationibus habeamus certitudinem nostræ conclusionis, & ideò,

Prob. 3. Ex paralaxibus, hoc est ex diuersitatibus aspectuum clarissimè compertum est, Cometas de nouo genitos in regione elementari, eleuari supra planetas, ibiq motus regulatos habere, sed hoc non potest saluari, nisi admissis cœlis fluidis, ergo &c. maiorem, vt probatam ab Astrologis suppono, min. prob. nam si Cometæ deberent gradatim ascendere, & regulatè moueri, necessariò indigerent orbe solido, tum deferente, tum eccentrico, concentrico, & Epicyclo sicuti alij Planetæ, sed non potest assignari talis orbis, si quidem à concauo Lunæ usq. ad firmamentum totum spatium occupatum esset ab orbibus 7. planetarum, & his solidis, & firmis, ergo dicendum est, tale spatium occupatum non esse à cœlis solidis, & firmis, sed à fluidis, qui per condensationem suæ substantiæ concedant locum ascendendi, & se mouendi cometis de nouo genitis.

13 Ob. primò, si cœli essent fluidi, non tàm regulatè mouerentur per ipsos Planetæ, sicuti mouentur, ergo dicendum est, esse solidos.

Resp. Moueri regulatè, quia non à se ipsis, sed ab Intelligentiis mouentur, quæ, etiamsi cœli sint fluidi, regulatè illos mouere possunt.

Ob. 2. Si cœli essent fluidi, planetæ in illis circumuoluti semper descenderent uersus nos, cum corpus fluidum nõ esset habile ad illos substentandos, ut potè maximæ molis, sed ex hoc sequeretur, posse in terram aliquando ruere, ergo dicendum cœlos esse solidos.

Resp. Planetas in coelo non grauitare, ut potè in proprio centro, unde non est cur in terrã possint ruere.

Col. primò. ex dictis. Tres solùmmodo debere assignari coelos, quidquid sentiant communiter Antiquorum, & multorum recentiorum Scholæ admittentes modò 10. modò 47. modò 55. modò 300. & plures alios iuxta propriam imaginationem; Tres inquam debẽt solùm assignari coeli cum multis recentioribus, præcipuè Tellez, Guarino, Morando loco supracit., Spinula loco itidem cit. & alijs. Primum ergo coelum uocatur Aereum, & est totũ illud spatium, quod intercedit inter firmamentum, & ultimam superficiem mundi elementaris, & in hoc coelo, quod habet summam grassitiem, secundùm superficiem, qua respicit nos, primò est Luna, intùs uerò uersus profunditatem est Mercurius, intùs magis est Venus, postea Sol, & sic successiuè Mars, Iuppiter, & Saturnus, qui omnes planetæ, licet unus sit semper magis intùs, quàm alter, clarè tamen à nobis conspiciuntur, quia hoc coelum est clarum, & pellucidum. Secundum coelum est Firmamentum, primum mobile, seu coelum stellatum, illud .s. in quo collocata, & fixa sunt omnia sydera, non errantia; Tertium denique est Empyreum, sedes Beatorum, & ad hoc raptum fuisse D. Paulum, quando usq. ad tertium coelum raptus est, credunt sequaces huius opinionis, existimantes in solo Empyreo potuisse uidere arcana, quæ ipse testatur, quod coelum cum tertium appellet, & supra ipsum alios non dari compertum sit, ideò solum tres coelos admittendos esse affirmant.

Col. 2. Solùm coelum stellatum moueri, aereum uerò immobile permanere, per illudq. erratica sydera ab Intelligentiis moueri, cum enim sit fluidum, optimè saluantur motus planetarum, ipso immobili, per solam rarefactionem partis anterioris, & condensationem posterioris, quæ est sola mutatio accidentalis corporis coelestis. 14

Quæres. An Planetæ, & errantes stellæ sint

etiam

etiam ipsæ fluidæ, an verò solidæ.

Resp. ferè communiter, vt apud Tellez sect. 3. disp. supracit. omnes planetas, & stellas errantes esse corpora solida; Ratio autem est, quia corpora fluida non sunt tam opportuna ad illum velocissimum motum, quem faciunt, cœlum scindendo, tum quia si essent fluida, in continua scissione cœli, quam faciunt, non ita facilè semper eamdem figuram, quam habent, seruarent, licet enim cœlum sit fluidum, aliquo tamen modo resistit motibus Astrorum, & sic si essent fluida, non solida, mutarent sæpè sæpius figuram; tum quia sunt corpora opaca, sed corpora fluida naturaliter sunt diaphana, ergo; tum deniq. quia vehementem lucem, & calorem ad nos deiiciunt, sed vehemens lux, & calor magis prouenit à corporibus solidis, quàm à fluidis, ergo ex ijs omnibus rationibus arguendum est, esse corpora solida, non fluida.

SECTIO IV.

De Motu Locali Firmamenti, & Stellarum errantium.

Supp. ex dictis. Solùm cœlum stellatum moueri circulariter, aliud verò cœlum aereum minimè circummotui, sed stellas, & planetas in ipso circulariter cieri, alium verò motum non habere nisi, quem habent corpora fluida, quando in ipsis aliud mouetur.

15 Supp. 2. Cœlos non à se ipsis, sed ab Intelligentijs, seu ab Angelis moueri, quæ opinio, licet ab aliquibus, Tellez præcipuè, & Comptono non adeo firma censeatur, attamen ita communiter à Theologis, & Philosophis defenditur, vt contraria, si non contra fidem, saltem erronea, & temeraria censeatur; fundatur autem in auth. Sacræ Scripturæ, & præcipuè Iob. 9. *Sub quo curuantur qui portant orbem*. Matth. 24. *Virtutes cælorum mouebuntur* pro quibus à S. S. P. P. intelliguntur Angeli, seu Intelligentiæ motrices cœlorum; suadetur etiam ratione, nam motus cœlorum, & planetarum est difformis, sed motus difformis non potest nisi ab animatis haberi, ergo cum cœli ex dictis, sint inanimati, & difformiter moueantur, non à se ipsis, sed ab Intelligentijs moueri fatendum est à min. prob. omnes enim motus naturales grauium, & leuium sunt vniformes, non naturæ enim, sed rationis est regulare varietatem, & diuersitatem motuum; tum quia si à calore innato, tanquam à forma mouerentur planetæ, vt volebant aliqui, non mouerentur nisi regulariter, cum nisi vnum motum simplicem naturaliter possit calor causare, ergo adhuc assignandus esset alius Motor, qui eos irregulariter moueret, ergo meliùs dicendum est, Intelligentias à summo Deo destinatas esse ad firmamenti, & cuiusq. planetæ difformes ordinatissimosq. motus; hoc autem tàm verum putat D. Thomas, vt quæst. 6. de potentia, Art. 3. in hæc prolabatur verba, *fidei sententia est, quod substantiæ separatæ siue Angeli moueant corpora cælestia*. Neque valet, motum cœlorum hoc pacto fore violentum, vt potè ab extrinseco, Resp. enim, nec fore violentum, nec naturalem, sed medium, tunc enim motus est simpliciter violentus, quando mobile resistit aliquo pacto, sed corpora cœlestia non resistunt impulsibus Angelorum, sed facilè, cum sint sphærica, in gyrum mouentur, ergo &c.

Supp. 3. Inualuisse communiter opinionem Antiquorum, qui duplicem motum tribuebant omnibus cœlis planetarum, vnum, quo mouerentur cum motu primi Mobilis ab Oriente in Occidentem in spatio 24. horarum, quem motum diurnum, seu motum raptus vocabant, quatenus .s. à motu primi Mobilis rapti, talem motum conficiebant in spatio vnius diei, seu 24. horarum, & hunc motum, tum primo Mobili, tum cœteris tribuebant; alium verò, quo cœli planetarum proprio motu ab Occid. in Orient. mouerentur, & hoc motu dicebant confici annum. Insuper cum obseruassent, vltimam sphæram, seu cœlum stellatum in spatio 400. annorum recessisse à Meridie in Septentrionem per 23. gradus, & iterum in spatio tot annorum redijsse ad pristinum punctum relictum, quemdam alium motum illi peculiarem attribuerunt, quem, vt potè tenuissimum, & insensibilem, motum trepidationis vocauerunt, quo .s. dum primum mobile diurno motu vertitur in Occid. parum trepidet, & declinet ad Septentrionem. Vtrum ergo hi omnes motus sint admittendi inquirimus.

Prima Conclusio. Nullo pacto planetæ mouentur ab ortu in occasum motu raptus, seu rapti à primo mobili. Ita Amicus trac. 5. quæ. 6. dub. 9. ar. 3. Hurtadus disp. 2. sec. 3. Arriaga sec. 5. Guarinus disp. 5. in lib. de Cœlo exp. 2. Pontius disp. 22. de cœlo quæst. 9. concl. 3. Spinula disp. vnica de cœlo sect. 4. & alij multi recentiores. 16

Prob. In nostra sententia cœli planetarum non mouentur, sed in ipsis planetæ, at planetæ non sunt coniuncti cum primo mobili, ergo nullo pacto possunt ab ipso rapi; consequentia prob. in tantùm enim raperentur, in quantùm aliquam connexionem, seu contactum cum ipso haberent, ergo cum non habeant, nec ab ipso rapi potest dici, sed suum motum diurnum in spatio 24. horarum absq. tali raptu conficiunt moti ab Intelligentijs.

Secunda Conclusio. Verè datur motus trepidationis in primo mobili, dum per motum diurnum ab Oriente vertitur in Occid. Est eiusdem Spinulæ loco supracit. & aliorum. 17

Patet experientia ex obseruationibus Astrologorum. Hic autem motus explicatur per variam deflexionem, quam facit primum Mobile in suo motu, nam dum mouetur primum mobile ab Oriente in Occidentem motu diurno, quia non semper rectè, & vniformiter moue-

tur per eundem circulum, sed modò per vnum, modo per alium, ideò paulatim deflectit ad latus, quæ deflexio cum sit insensibilis, & solùm in spatio tot annorum percipiatur, ideò trepidatio vocatur, non quod verè trepidet coelum, sed quia deflectit, & vno die percurrit vnum circulum, alio verò alium, & sic successiuè, vnde postea euenit, vt per 23. gradus in spatio 400. annorum deflectat.


Tertia Conclusio, Planetæ non habent propriũ motum, quo moueantur ab occasu in ortum retrocedendo, sed suum motum annualem conficiunt, quia tardiori motu mouẽtur ab ortu in occasũ, quã primum Mobile. Est eorum, quos supra pro prima conclusione adduximus, & insuper quoad identitatem motus, nostri Aresij lib. primo de Generatione d.sp. 6. quæst. 45. sect. 3.

Prob. Non potest, idem moueri motibus contrariis, sed hoc esset, si planetæ, & motu diurno ab Oriente in Occid. & motu annuali, & retrocessionis ab occasu in ortum mouerentur, ergo non est dicendum, dari talem motum; prob. m. si enim aliquid moueretur motibus contrarijs, duas acquireret vbicationes eodem tempore, & in duplici loco adæquato esset, sed hoc repugnat, ergo &c.

Neq. dicas, non repugnare, idem moueri motibus contrariis, vt patet in motu, quem faceret aliquis deambulans in naui, è contra, ac procederet nauis, moueretur enim v. g. versus Orientem motu nauis, versus verò Occid. motu proprio; Item in motu, quem faceret formica, quæ se moueret in rota mota contra motum ipsius formicæ.

Resp. enim. Quòd si hoc potest dici, saluatur respectu motus prouenientis ab extrinseco, & ab intrinseco, vt est in exemplis allatis; naita enim, per proprium motum intrinsecum moueretur versus vnam partem, versus verò aliam raptus ab extrinseco, quare cum motum raptus in planetis negauerimus, & solùm ab Intelligentiis moueri asseruerimus, nihil contra nos probat argumentum.

18 Explicatur autem quomodo planetæ diurnum motum facientes absque retrocessione etiam circulum annualem perficiant. Sciẽdum est autẽ primò, ab Astronomis Coelum diuisum esse in 360. partes, seu gradus, quos quotidie persoluit coelum stellatum, seu primum mobile. Sol ergo (& hoc dicẽdũ de coeteris planetis) existens in coelo æreo perpendiculariter, vt ita dicam, sub certa linea imaginata ab Astronomis in coelo stellato, quæ Ecliptica dicitur, diuiditq. in duas partes Zodiacum percurrit etiam ipse suum motum diurnum simul cum primo mobili, at quia est tardior in suo motu, ac est primum mobile, hinc fit, vt non quotidie persoluat omnes 360. gradus, quos percurrit primum mobile, sed quocumq. die semper ferè in vno deficit, quare cum initio Anni incipit motum simul cum primo mobili, primo die, seu in prima circumuolutione, vt potè tardior deperdit ferè vnum gradum, & ideò in secundo die, seu in secunda circumuolutione non incipit suum motum diurnum existens sub eodem puncto primi Mobilis, tale enĩ punctum iam ante præcessit, sed paulò retrò ferè per vnum gradum, vt clarè patet in proposita figura



in qua supponamus A esse punctum Arietis, sub quo existens Sol in B incipit suum cursum cum primo Mobili; dum ergo Sol, & primum Mobile simul mouentur ab Oriente in Occasum per motum diurnum, Sol ut potè tardior non adæquat in prima circulatione cursum primi Mobilis, sed quando pertingit ad suum punctum B, relictum, iam primum Mobile ferè per vnum integrum gradũ præcucurrit, quare Sol secundam suam circulationem, seu secundum diem non incipit existendo perpendiculariter sub signo A. s. sub primo gradu Arietis, sed sub C. s. sub secũdo gradu Arietis, quòd cum quotidie faciat, hinc est, quod retrocedere videatur, quòd quidem non est, sed solùm non adæquat in suo motu velocitatem motus primi Mobilis, indeq. euenit quòd quotidie semper deperdendo ferè vnum gradum, sic totos gradus primi mobilis, & Zodiaci in spatio vnius anni tercentum s. 65. dierum, 5. horarum, & 49 minutorum percurrat, annualem circulationem faciendo, quibus expletis, incipiẽdo de nouo suum motum sub primo puncto Arietis, nouum annum incipit.

Hoc autem dicẽdũ etiam de coeteris planetis, data paritate proprii motus, Saturnus enim cum sit velocior Sole, licet nõ adæquet velocitatem primi Mobilis, tamen quotidiana circulatione per pauca minuta post ipsum solùm remanet, & sic suã annualem circulationem perficit in spatio ferè 30. annorum; Ioppiter, qui est tardior Saturno, suam circulationem perficit annis ferè duodecim, ita Mars duobus ferè annis, Venus, & Mercurius simul cum Sole, Luna deniq. quia tardior omnibus, in spatio viginti septem dierum, horarum octo suũ cursum persoluit. & hæc philosopho sufficiant de motu coelorum, & Planetarum: Mathematici, & Astrologi coetera perquirant.

SECTIO V.

De Luce, & Figura Stellarum

C Ertum est ipsis oculis, omnes stellas, & etiam coelos esse lucidos; quærendum ergo est hic, an

an lucem habeant à se ipsis, an verò à sole, tanquam à primario fonte luminis, ipsam emendicent.

15 Prima Conclusio. Omnes planetæ, & errantes Stellæ aliqualem lucem habent à se ipsis, licet totalem recipiant à sole. Ita Comptonus disp. 2. de cœlo sect. 3. Pontius disp. 22. de cœlo quæst. 8. concl. prima, Tellez disp. 41. de cœlo sect. 2. Serbellonus quæ. 5. de cœlo ar. 1. & ferè communiter recentiores.

Prob. prima pars. In Eclipsi lunæ, videmus aliquam lucem habere in ea parte, in qua non illuminatur à sole, ergo talem lucem esse illi naturalem dicendum est; consequentia prob. cum enim talem lucem non possit recipere ab alio, illi naturalem esse asserendum est.

Neq. valet, quòd si hoc esset, etiam in nouilunio, dum luna transit sub sole, conspiceretur in cœlo, vt potè, s. versus nos non illuminata à sole, candicans tamen per propriam lucem. Resp. enim, immò è contra, si nullam haberet à se lucem, appareret, adinstar nigræ cuiusdam maculæ, vt potè opaca, quare non apparet, quia tunc non distinguitur ab aliis partibus cœli pariter resplendescentibus.

Prob. secunda pars. Tùm ex eadem Eclipsi lunæ, tùm ex eo quia, quò magis stellæ approximantur Soli, eò splendidiores apparent, ergo signum est, illuminationem totalem ab ipso recipere, & ideò summa sapientia in medio illarum à Deo est collocatus, vt omnibus suum lumen æquè, & benè communicare valeat.

Secunda Conclusio. Stellæ fixæ principaliter lucem habent à se ipsis, licet aliqualem etiam recipiant à sole. Ita Pontius loco suprac. Galilæus ep. tertia de maculis Solis, Spinula disp. vnica de Cœlo sec. 7. Serbell. loco supra citato, & alii quos affert Aueria quæst. 35. de cœlo sect. 3.

Prob. Stellæ fixæ vehementer scintillant, & sicuti facit sol, veluti ebulliunt in sua luce, sed hoc arguit maximam, & ab intrinseco prouenientem lucem, ergo dicendum est, stellas fixas lumen habere à se ipsis; min. prob. sol enim in tanta distantia, quanta est inter ipsum, & stellas fixas; non potest lucem adeò vehementem in ipsas reflectere.

Neq. dicas. Hoc prouenire ex dispositione corporum stellarum fixarum, quæ licet recipiant in maxima distantia lucem à sole; tamen ob illarum maximam opacitatem, maiorem lucem videtur habere, quàm planetæ.

Resp. enim, concesso quòd dispositio corporum sit causa maioris lucis, nego tamen tantam lucem, quam demonstrant, posse solùm prouenire à sole, qui admittendus est sphæræ limitatæ, non quasi infinitæ; quare ad summum concedendum est, aliquam lucem illis communicare, quòd & nos concedimus.

20 Quæres. An lux vnius corporis cœlestis sit eiusdem speciei, ac alterius, & etiam corporum sublunarium.

Resp. Tam lucem corporum cœlestium, quàm sublunarium esse eiusdem speciei. Ita multi recentiores vt Tellez sect. 2. disp. supracit. Comptonus sect. 3. & alii. Ratio autem est, quia quælibet lux intendit aliam lucem, sed intensio non potest fieri nisi per qualitatem eiusdem speciei, vt suo loco probabitur, ergo dicendum est esse eiusdem speciei. Neque obstat, lucem aliquorum corporum esse flauam, aliquam veluti rubicundam, &c. hoc enim prouenit ex varia dispositione illorum corporum.

Quæres 2. Quænam sit figura cuiuscumq. corporis Stellati.

Resp. Ab omnibus credi sphæricam, cum & oculis talia videantur sydera, & multis experientijs huiusmodi figuræ comprobentur esse, non habere tamen superficiem planam, & politam, sed asperam, & inæqualem, in quibus vallium concaua, & montium superficies considerentur, probabilius omnes concedunt, & existimant Astrologi propter maculas, seu diuersitates illuminationis, quas in ipsis conspiciunt.

SECTIO VI.

De influxu corporum cœlestium, & per quid, & in quæ influant.

CErtum est, corpora cœlestia influere in hæc sublunaria, videmus enim accessu, & recessu Solis variari tempora, crescere, & maturescere fruges, arbores, folia, & fructus proferre; item in plenilunio, lunaticos plerumq. laborare, ligna incisa in plenilunio carie infici; item ad ortum quorumdam sydetum, pluuiam, aut ventos generari, tempestates in Mari, vbertatem, & sterilitatem in terra, & alios huiusmodi effectus quotidie experimur, signum euidens, in hæc inferiora influere corpora cœlestia. Quærendum est igitur solùm, per quid causent tales effectus; alii enim dixerunt per lucem; alii per calorem; alij verò non simpliciter per lucem, & calorem, sed etiam per alias virtutes, & qualitates occultas, cuiuscumq. stellæ proprias, cum quibus. Sit.

Prima Conclusio. Omnia corpora cœlestia influunt in sublunaria, non per solam lucem, & calorem, sed etiam per alias qualitates, & virtutes occultas, proprias cuiuscumq. stellæ. Ita D. Thomas lib. 2. de cœlo lect. 10. Conimb. 2. de Cælo cap. 3. quæ. 3. ar. 2. Rub. ibid. quæ. 2. Serbellonus quæ. 5. de cœlo, sect. 2. Morand. 2. de cœlo quæ. 5. num 416. Tellez disp. 43. de cœlo sect. 2. & alij multi ab ipsis relati. 22

Prob. primò. Diuersos specificè effectus producunt per suum influxum corpora cœlestia, sed ex diuersitate specifica effectuum, arguitur diuersitas specifica causæ, tum principalis, tum instrumentalis, ergo diuersa specificè debet esse influxuum cœlestium causa, sed ex dictis lux, & calor in omnibus corporibus cœlestibus sunt eiusdem speciei, ergo per solam lucem, & calorem non influunt in sublunaria, sed etiam per alias qualitates occultas, quas diuersas specie quodlibet corpus sydereum.

habet

habent.

Neq. dicas, influere per motum.

Resp. enī primò. Quòd sicuti motus in igne nō est causa, sed solùm conditio ipsum applicans ad comburendum, ita etiam motus cœlorum non potest esse causa variorum influxuum corporum cœlestium, sed solùm conditio, qua ipsa applicant suum influxum prouenientem ab alijs qualitatibus occultis.

Neq. dicas 2. Corpora cœlestia influere in sublunaria ratione caloris, sed causam caloris esse motum, dicitur enim, motus est causa caloris, ergo per motū corpora cœlestia influere in sublunaria.

Resp. enim 1. Non ratione solius caloris influere in sublunaria, sed dato etiam quòd per solùm influerent calorem.

Resp. 2. Motum non esse veram causam caloris, sed solummodo conditionem ad calorem, quare corruit tota ratio; quòd autem non sit causa caloris, patet, ex eo quia solùm motus vehemens, non autem leuis est causa caloris, si autem ab intrinseco sui esset causa caloris, quilibet motus causaret calorem, quod experientia est falsum, causatur autem calor ratione motus vehementis in viuentibus, quia ratione motus excitantur spiritus, qui ita excitati causant postea calorem, in inanimatis verò, ex eo quia per motum vehementem refrangitur aer, & per talem refractionem, vt potè rarior etiam calidior euadit.

22 Prob. 3. Corpora cœlestia aliquos effectus causant in sublunaria, quando etiam aut parum, aut nullum lumen in illa emittunt, ergo non est dicendum causare per solam lucem; antecedens patet in fluxu, & refluxu maris, qui effectus attribuitur ferè communiter lunæ, & tamen etiam habetur, quando luna non est in nostro hemisphærio, tum in Eclipsi lunari, tunc enim licet luna parum lumen emittat, tamen vehementissimos influxus, & infaustos effectus causat, ergo à primo ad vltimum concludendum est, varios influxus quamcumq. stellam causare ratione, tum luminis, tum caloris, tum alterius occultæ, & sibi propriæ qualitatis.


Col. ex dictis. Solutio illius quæstionis, an s. stellæ differant inter se specie. Col. inquam, multas inter se differre specie. Ratio autem à posteriori deducitur, tunc enim signum euidens distinctionis specificæ est, quando reperitur diuersitas proprietatum, & operationum, quæ ab intrinseca rei natura promanant, sed in multis stellis diuersæ proprietates, & operationes reperiuntur, ergo specificè differre asserendum est, neq. enim talis diuersitas tribuenda est, vt Peripatetici volunt, diuersitati motus, nam cum motus proueniat illis ab extrinseco, & ex supradictis ipso mediante non influant, sed sit conditio, ideò non potest esse causa diuersitatis effectuum. Hoc autem suadetur à priori, nam si omnes stellæ essent eiusdem speciei, & naturæ, iisdem proprietatibus, & operationibus præditæ, ad quid deseruisset illarum creatio in tanta multitudine? quare à primo, & vltimum deducitur, multas esse diuersæ speciei, & naturę.

Quæres. An solæ stellæ, & planetæ, an verò etiā coeli, in quibus reperiuntur, influant in sublunaria.

Resp. Probabiliùs esse, etiam ipsos producere aliquos influxus, cum enim habeant formam substantialem specie diuersam ab illis syderum, ideò, & aliquibus proprietatibus, & operationibus præditam esse credendum est, & hoc etiam probabilius credi potest de coelo Empyreo, dixi probabiliùs, nihil enim certi stabiliendum esse, aut posse existimo.

Col. primò. Ferè in omnes effectus naturales aliquo pacto concurrere corpora coelestia, & propterea coelum vocari causam vniuersalem, & Aristoteles 2. Physic. textu 26. ait *homo enim hominem generat & Sol* quare ex Astris certum est, Astrologos aliquos effectus naturales posse cognoscere, & nedum tempestates, mutationem Aeris, & similia, sed etiam morbos, ægritudines &c.

Col. 2. In actus spirituales non posse influere corpora coelestia immediatè, benè verò mediatè, disponendo s. & immutando organa, quare quis potest pati maximas & continuas affectiones animi, & melancholiam, eo quia à tali, vel tali planeta dominatus, temperamentum corporis, & organa ad talea affectiones animi disposita, & perapta habeat. Nullo autem modo possunt influere in voluntatem humanam, illamq. ad aliquid faciendum determinare, *Sapiens enim dominabitur Astris*; nam si sydera possent cogere volūtatem ad aliquid faciendum, ergo non esset libera, ergo non semper esset capax meriti, & demeriti, quæ omnia sunt contra Concilia, & fidem catholicam: quare Astrologi ea quæ pendent à voluntate humana nullo pacto ex influxibus Astrorum possunt diuinare, possunt autem Astra aliquo pacto inclinare hominis voluntatem ad operandum, in generali tamen, & remotè, eo quia s. in prima sui formatione à coelorum influxibus tale temperamentum sit sortitus, quo inclinetur ad iram, ad mansuetudinem, ad lachrymas &c. quæ omnia non inducunt necessitatem in voluntate, sed quamdam naturalem inclinationem à natura acceptam in prima sui formatione. Et hæc sine satis dicta de corporibus coelestibus, prout ad Philosophum spectat, qui plura desiderat, videat doctissimos Amicum, Auersam, & Mastrium, qui de his diffusè, & etiam nostrum Guarinum, qui multa de hac materia ingeniosissimè, subtilissimè, & clarissimè, vt sui moris est, pertexuit. Transeamus ad Sublunaria. 23



DISPVTATIO SECVNDA

In Tertium, & Quartum Librum De Cœlo, Aristotelis, in quibus, De Elementis.

IN his duobus subsequentibus libris .I. de cœlo inscriptis nihil tamen ad cœlum spectans agit Philosophus, sed vel de Generatione, vel de Alteratione, vel de grauitate, & leuitate, vel de Elementis, eorũq. mixtione, quæstiones instituit; quare cum de grauitate, & leuitate in physicis iam egerimus, & de Generatione, & alteratione in libris subsequentibus simus locuturi, ideò solùm de Elementis, & illorum mixtione, vtpotè quæ sunt alia corpora simplicia, ex quibus totus Mundus componitur, loquemur; cum enim iam expenderimus naturam, & essentiam supremi, & nobilioris corporis simplicis huius Vniuersi, cœtera corpora simplicia in particulari etiam operæ pretium est examinare. Quare sit.

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex sit Elementum.

1 NOmen Elementi, vt optimè aduertit Arerius 2. de Generatione dis. 1. quæst. 1. non est naturæ nomen, sed officij. I. enim elementa omnia habeant diuersam essentiam, & naturam; quia tamen concurrunt ad constituendum mixtum; ideò ratione talis concursus, & compositionis, omnia elementa vocantur; elementum enim latè sumptum significat illud vltimum, in quod resoluitur aliquid compositum, seu primum ex quo componitur; quare etiam litteræ dicuntur elementa orationis, materia & forma elementa compositi, suppositiones, quæ sunt à Mathematicis, elementa Geometriæ; de his tamen Elementis hic non est sermo, sed solummodo de his corporibus simplicibus, ex quibus præexistentibus componitur mixtum. Hæc autem elementa sic fuerunt definita ab Aristotele 3. de cœlo tex. 31. *Elementum est illud corporum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia, aut actu, ipsum verò est indiuisibile in diuersa specie.* Quam definitionem cum additione solius particulæ, etiam nos admittentes, ponimus primam Conclusionem.

2 Prima Concl. *Elementum est illud corporum perfectorum, seu completorum, in quod alia corpora diuiduntur, quod inest potentia, aut actu, ipsumq. est indiuisibile in diuersa specie.* Est conclusio ferè communiter accepta, seclusa tamen particula ly *perfectorum, seu completorum*, quam nos ponimus ad excludendam materiam, quæ .I. secundum nos sit corpus, quia tamen non est corpus completum, ideò neq. elementum propriè dictum potest appellari.

Explic. autem Conclusio. Dicitur *illud corporũ*, quia elementa debent esse corpora, dicitur *perfectorum*, quia elementa debent constare ex materia, & forma, atq. adeò esse corpora perfecta, & completa; dicitur *in quod alia corpora diuiduntur*, quia omnia mixta resolui debent in elementa, & per hãc particulam excluditur etiam ab elementis, cœlum in quod nullum aliud corpus diuiditur; dicitur *quod inest potentia, aut actu*, quia aliquo pacto debet inesse in mixto, ad hoc vt elementum ipsius possit appellari; dicitur tandem *ipsum esse indiuisibile in diuersa specie*, vt excludantur mixta, quæ possunt diuidi in elementa, ipsum enim elementum .I. possit diuidi in partes, tamen omnes partes erunt eiusdem speciei, vt si terra diuideretur, semper in terram dissolueretur; & hæc est vera, & germana explicatio elemẽtorum. Quot autem sint hæc elementa, .I. quatuor asseruerit Aristoteles, Terram, .I. Aquã, Aërem, & Ignem, aliqui tamen recentiores, vel Aërem, vel Ignem à consortio elementorum amouere sunt conati, qui vtrum audiendi sint, in sequenti expendemus conclusione.

Not. pro secunda Conclusione. Quatuor communiter assignari, primas qualitates actiuas, & tangibiles necessarias ad mixtionem, de quibus suo loco, caliditatem scilic. frigiditatem, humiditatem & siccitatem (quidquid dicat Arriaga hic disp. 4. sec. 2. cum quibusdam antiquatoribus siccitatem, & humiditatem à primis qualitatibus amouens) mediantibus enim his quatuor qualitatibus, mutua actione, & passione refranguntur elementa, sicq. mixta componuntur. Hoc notato Sit.

Secun-

3 Secunda Conclusio. Elementa mixtorum ſunt 4. Terra .ſ. Aqua, Aer, & Ignis. Ita Ariſtoteles ſecundo de Cœlo cap. 3. Plato in Thymæo cap. 18. & 24. Conimb. quæſt. 1. Art. 1. lib. 3. cap. 5. Areſius, ſecundo de Generatione diſp. 1. quæſt. 2. ſec. 2. Auerſa quæ. 36. de Corporibus inferioribus ſec. 1. Pontius diſp. 27. de Elem. quæ. 1. & ferè communiter omnes tàm antiqui, quàm moderni Philoſophi, contra tamen Cardanum, Tallonum, & aliquos paucos relatos, & ſecutos à Patre Morando primo de Generatione tract. 3. quæ. 3. Serbellono diſp. 3. de Ortu, & Occaſu quæ. 1. art. 2. Guarino diſp. 1. de Elementis exp. 3. Franciſco del Monaco, & alijs, qui Ignem ab elementis amouere conantur, & alios, præcipuè Paſqualigũ relatum ab eodem Morando, qui etiam Aerem negat eſſe elementum.

Prob. primo. Elementa debent eſſe corpora ſimplicia, ſed ſolùm quatuor aſſignata ſunt corpora ſimplicia, ergo illa tantùm quatuor ſunt elementa, min. prob. Ignis enim non habet admixtum aliquid aut terræ, aut aquæ, aut aeris, ſicuti neq. terra aliquid Aquæ, Aeris, &c. & ita de alijs, ergo, &c.

Prob. 2. Quatuor primæ qualitates debent poſſe eſſe in ſumma perfectione in aliquo ſubiecto, ſed in corporibus mixtis, non poſſunt eſſe in ſumma perfectione, vt potè refractæ à contrarijs, ergo debent reperiri aliqua corpora, in quibus ſint cum ſumma perfectione, ſed non poſſunt eſſe in ſummo, niſi ſint ſeorſim, ergo quot ſunt iſtæ, tot debent eſſe corpora elemẽtaria, & ſic quatuor elementa, Terra ſcilicet, cui ſiccitas in ſummo conueniat, Aqua, cui humiditas, Aer, cui frigiditas, & Ignis, cui caliditas; ma. patet quodlibet enim exiſtens debet poſſe eſſe ſummè perfectum in ſua eſſentia.

Pro. 3. Illud eſt elementum, quod non poteſt reſolui in aliud corpus, vt potè aliud non includẽs, neq. formaliter, neq. virtualiter, in ipſumq. cætera corpora mixta ſunt reſolubilia, ſed huiuſmodi corpora ſunt quatuor aſſignata, ergo illa omnia ſunt elementa; mai. ex definitione patet; min. prob. terra enim non poteſt reſolui in Ignem, cum illum neq. virtualiter contineat, ſic Aqua in aerem, &c.

Neq. valet. Quòd etiam elementa reſoluuntur in alia corpora, quando .ſ. ex vno elemento, aliquando generatur aliud, ergo quia in illo continebatur.

Reſp. enim. Quòd, licet verum ſit, elementa poſſe inuicem tranſmutari per generationem ſubſtantialem, tamen non propriè, dicitur vnum elementum reſolui in aliud, quia ſ. illud non continebat, genitum enim elementum, non continetur in elemento corrupto, tunc enim aliquid dicitur reſolui in aliud, quando ex illo fuit compoſitũ, & illud aliquo modo continebat, ſicuti diximus in Phyſicis, formã non contineri in materia; hoc autem euenit in mixtis, in illis enim propriè reperiuntur elemẽta, vel formaliter, vel virtualiter, & ideò in illa ſũt reſolubilia, quare quando diximus, quòd elementa non cõtinent alia corpora, vel formaliter, vel virtualiter, ſenſus eſt, quòd nullum aliud corpus, neq. ſecundùm ſe, neq. ſecundùm ſuas primas qualitates connaturales in ipſis reperitur,

Prob. 4. præcipuè de aere, Si aer non diſtingueretur eſſentialiter ab aqua (vt volunt negantes elementum aeris) naturaliter ſe reduceret ad priſtinũ ſtatum .ſ. ad aquam, vt faciunt vapores, & exhalationes aqueæ, quæ in pluuias conuertuntur, ſed ipſa experientia hoc eſt falſum, ergo dicendum aerem eſſentialiter diſtingui ab aqua, & ſic diuerſũ eſſe elementum ab illa; mai. prob. ita enim rarefactus, eſſet in ſtatu violento, ſed quodlibet compoſitum per propriam formam ſubſtantialem habet virtutem ſe ſubtrahendi à ſtatu violento, & ad priſtinum ſtatum ſe reducendi, ergo tandem aer ad priſtinum ſtatum aqueũ naturaliter ſe reduceret, quòd falſum apparet. 4

Prob. 5. Aer, & Aqua, ipſa euidentia teſte, habent operationes omninò diuerſas, ſed ex diuerſitate operationum arguitur diuerſitas eſſentiæ, ergo dicendum eſt, Aquam, & Aerem diuerſam habere eſſentiam, & eſſentialiter diſtingui, atque adeò eſſe diuerſa elementa, & diſtincta.

Neq. dicas ex Paſqualigo; per ſolam condenſationem, Aerem fieri Aquam, vt quando Aer tangens amphoram plenam aqua, vertitur in aquam, vel tãgendo marmora illa humectat, ergo ſolùm accidentaliter diſtingui, condenſatio enim eſt mutatio accidentalis.

Reſp. enim, illam non eſſe mutationem ſolùm accidentalem, ſed eſſentialem, cum noua forma ſubſtantialis producatur; nam licet poſſet dici, quòd Aqua ſolùm condenſationem in aere producat, tamen ad productionem talis condenſationis, tanquam diſpoſitionis ad formam Aquæ, formam aqueam introduci ab aliquo Agente vniuerſali, fatendum eſt, cum diuerſæ operationes ab illo compoſito tunc emanent, ac quando erat aër, & ita dicendum eſt, quando arguit, etiam aquam per ſolam rarefactionem factam ab igne, fieri aerem, vt in diſtillationibus apparet.

Neq. dicas ſecundò, ex Guarino diſp. 1. de Ele. exp. 5. aerem eſſe indifferentem ad omnes qualitates, atq. adeò eſſe incorruptibilem. & per conſequens non eſſe elementum, de cuius ratione eſt, vt ex ipſo corrupto fiat mixtum.

Reſp. enim, hoc eſſe falſum, nam dato etiam, quòd eſſet indifferens ad omnes qualitates, quòd ferè communiter negatur, tamen non poſſet aliquã ex illis habere in ſummo, calorem v.g. abſq. ſui corruptione, nam, vel calor in ſummo poſſet reperiri in aere abſq. ſui corruptione, vel non; ſi non, ergo habemus intentum, & per vehementem calorem poteſt corrumpi elementum aeris, & in ignẽ tranſmutari, vel poſſet reperiri, & ſic non diſtinguitur ab igne, quòd cum Ariſtotele, & communi ſumus negaturi, quare abſolutè fatendum eſt, aerem eſſe corruptibilem, atq. adeò tranſmutari poſſe, ſicq. eſſe elementum neceſſarium ad compoſitionem mixti.

Neq. dicas tertiò, ex eodem. Quod ſi aer eſſet corruptibilis, maximè corrumperetur ab igne, vel à ſummo frigore, ſed ab his non corrumpitur, ergo &c. minorem probat, quia in fornace, vbi ex vi caloris terra obduratur, & in lateres tranſmutatur, 5

mutatur, aer non mutatur; & aqua in vapores abeunte, & in sal degenerante, aer ibi existens non trãsmutatur in aliud corpus. Item aer, frigidissimis in regionibus, vbi aqua in glaciem induratur à frigore nihil patitur, ergo quia est incorruptibilis, atq. adeo neq. est elementum.

Resp. enim, falsum esse, aerem non transmutari ab igne, immò hoc ipsa experientia continuò est comprobatum, dum enim in fornace ardenti ferrum ignesit, nõ nisi aer inclusus in poris eiusdem met ferri transmutatur in ignem, vt iam probauimus in primo Physicor. cum in substantiã ferri nullo pacto possit asseri, introduci formam substantialem ignis. Item, dum in explosione bombardæ, tantus ignis producitur, non ex solo puluere tormentario potest produci totus ille ignis, cum in tanta quantitate generetur, ergo dicendum est, & aerem in bombarda inclusum in ignem transmutari; Quòd postea aer inclusus in fornace, vbi terra in lateres vertitur, ipse non transmutetur; primò gratis dicitur, non enim apparet, illum non trãsmutari; nam licet non euacuetur fornax aere, hoc posset dici prouenire, quia semper successiuè ingreditur aer ad replendum locum aeris corrupti, & transmutati, maximè quòd talis ingressus noui aeris nequit negari ad replendum locum, quem relinquunt lateres decocti, certum est enim, minorem locum occupare lateres decoctos, ac ante occupabant. Deinde, dato quòd aer ibi inclusus non corrumperetur à tali igne, hoc non arguit illius incorruptibilitatem, sed solùm infert summam illius frigiditatem, qua resistit ipsimet igni; quare cum ex alio capite, & experientijs supra allatis deducatur illius corruptibilitas, ideò &c. quæ ratio eneruat etiam aliam experientiam ab ipso ibi adductam. Quòd postea à frigore non patiatur, hoc prouenit, quia cum aer, vt inferiùs dicemus, sit summè frigidus potiùs perficitur, quàm corrumpatur à frigore.

Deinde, dato quòd à frigore, & calore aer corrumpi non posset, per hoc tamen non esset arguenda illius incorruptibilitas, cum possit corrumpi ab alijs primis qualitatibus, & præcipuè ab humiditate, vt enim ipsa experientia patet, aer inclusus in cauernis terræ propter humiditatem transmutatur in aquam, ex qua generantur fontes &c.

Neq. dicas 4. ex eodem. Aer non est spirabilis, ergo non est elementum, consequentiam supponit certam, eo quia maximè videtur dicendum aerem elementum, quia requiritur ad spirationem, antecedens verò probat; ex eo quia aer purus, & non mixtus cum vaporibus, qualis est qui reperitur in suprema regione aeris, & in vertice quorumdam montium, quos ipse enumerat, minimè deseruit respirationi, quippè quia, qui tales montes ascendunt, ibi ne dum à respiratione impediuntur, verum etiam in fastidium, & syncopem inducuntur ob tenuitatem aeris ibi existentis.

Resp. enim, dato quòd aer nõ esset spirabilis, attamen per hoc non esse arguendum, non esse elemẽtum, elementum enim solùm debet inseruire, vt tale, ad faciendam mixtionem, quare licet aer purus, & secundùm se consideratus non deseruiret respirationi, cum deseruiat mixtioni, ideo debet dici elementum; Quòd autem inseruiat mixtioni patet, ex quibusdam mixtis, in quibus aeris proprietates reperiũtur, à quibus proprietatibus necessariò est arguẽda inexistẽtia eiusdẽ aeris secũdũ suas qualitates saltem, in tali mixto (quidquid dicat ipse in responsione ad primum). Deinde vt communiter asserunt Philosophi, & Medici, licet hoc ipse neget in disp. 4. de anima in communi, exp. 1. etiam ex aere attracto à corde in respiratione producuntur spiritus vitales, ergo quia deseruit mixtioni. Quòd postea aer ob suam subtilitatem in summitate quorumdam montium fastidium, & syncopẽ, illùc ascendentibus causet, hoc prouenit, quia tales, aerem grossiorem sunt assueti respirare, quare à subtiliori patiuntur; quod sic non euenit auibus ibi volantibus, & talem respirantibus aerem; sicuti etiam, qui diù morantur in tenebris, respicientes lucẽ, ab ipsa obcæcãtur, non quòd lux de sua natura obcæcet, sed quia assuetus in tenebris, patitur à splendore lucis.

Prob. 6. de igne. Illud est elementum, ex quo componuntur mixta, & in sui dissolutione, in illud 6
resoluuntur, sed ex igne aliqua componuntur mixta, & in illum resoluuntur, ergo est elementum; min. prob. cometæ enim, & aliæ impressiones ignitæ meteorologicæ componuntur ex igne, in illũq. resoluuntur, ergo dicendum est, ignem esse verum elementum.

Neq. dicas; cometas, & alias ignitas impressiones, esse solummodò accensas vi caloris cælestis, atq. adeò ignem in ipsis non esse substantiam, sed accidens, seu excessum caloris, sicuti talis est omnis ignis, qui in his inferioribus reperitur, quòd patet ex eo quia, non potest stare sine subiecto ad modum cæterorum accidentium.

Resp. enim, huiusmodi ignem nullo pacto posse esse accidens, seu calorem in summo, tùm quia lux, & voracitas quæ in igne sunt, non possunt esse proprietates alicuius accidentis, ergo erunt proprietates substantiæ; tùm quia, accidens proprium subiectum perficit, hoc autem non facit ignis, qui destruit; tùm denique quia, si esset accidens, quando lignum v. g. trasmutatur in ignem perseueraret esse lignum, & omnes proprietates ligni haberet, sed hoc ipsa experientia, nedum in ligno, sed & in omni alio combustibili est falsum, ergo dicendum est non esse accidens; ma. probatur si enim esset accidens ignis, non destrueretur ad sui positionem forma substantialis ligni, & ita v. g. si lignum esset medicinale, etiam quando est ignitum posset esse huiusmodi, si esset anima præditum, perseueraret esse animatum, quòd maximè falsum est, & ex hoc arguitur, formam igneam esse substantialem, atq. adeò totum compositum ignitum esse substantiam.

Quòd autem ignis, licet sit substantia sem- 7
per exigat aliud subiectum, hoc prouenit, non ex eo quia illo indigeat ob sui substentationem, quasi quod in illo inhæreat tanquam accidens, sed quia illud semper vicinum, & proximum exigit, vt illo depascatur. indiget enim semper pabulo, cum enim vt potè minimæ resistentiæ, facilè à contra-

tiis extinguatur, ideò vt per aliquod tempus conseruetur, prouidè dispositum fuit ab authore naturæ, vt vnus ignis alium producat, quod cum non possit facere, nisi sit noua materia, in qua suam formam introducat, ideò ad sui conseruationem indiget pabulo, hoc est noua materia, quare Ignis, qui ab initio accenditur, non perseuerat, sed alius semper successiuè producitur, & ex hac causa optimè dixit Aristoteles lib. de Iuuentute, & Senectute, quòd *ignis perseuerat semper fiens ac fluens, sicuti flumen*, & hæc est ratio, quare candela nequit conseruari accensa inclusa in aliquo vase, cum enim à contrarijs corrumpatur ignis, & alius ignis non possit produci, ideò extinguitur; non potest autem alius ignis produci, quia cum materia, quæ deberet conuerti in ignem deberet rarescere, ideò & maiorem locum deberet occupare, quare cum maiorem locum non possit occupare, ex eo quia aer inclusus in vase non potest exire, & locum dare, ideò nec rarescere potest, neq. per consequens in ea introduci forma ignis, quare extinguitur, neq. etiam potest condensari, quia aer est summè calidus, & aer summè calidus non potest condensari.

Prob. 7. Ad quamcumq. mixtionem requiritur primò diuisio corporum miscibilium in minutissimas partes, & posteà earumdem partium vnio, sed hæc non potest fieri, nisi per concoctionem, quę prouenit ab igne, ergo etiam ignem concurrere ad mixtionem fatendum est, atq. adeò esse elementum.

Confirmatur, In quacumq. generatione mixtorum requiritur calor, sed caloris fons est ignis, ergo ignis est elementum.

Neq. dicas, calorem posse haberi ab Astris, atq. adeo non esse recurrendum ad ignem, asserendo hac ratione esse elementum mixtorum.

Resp. enim, calorem cœlestem esse solummodo extrinsecum, atq. adeò solum aliquando causam effectricem mixtorum, non verò aliquid intrinsecum, aut causam materialem, cum ergo mixta componantur ex igne, & calor in illis perseueret, ideo alium calorem, & hunc elementarem admittere necesse est, & per consequens etiam fontem talis caloris elementaris, ignem s. elementarem. Deinde, cum etiam aliæ qualitates, quæ alijs assignantur elementis possint haberi à cœlis, ergo nullum dicendum esset reperiri elementum, quod est contra totam Philosophiam.

8 Ob primo contra secundam conclusionem. Ignis non est corpus simplex, ergo non est elementum, consequentia ex dictis patet; prob. antecedens, ignis non potest esse nisi in materia informata alia forma, qua deficiente, etiam ipse perit, ergo non est corpus simplex, hęc consequentia prob. quia ex Aristotele, mixta resoluuntur in corpora simplicia, ergo si ignis esset corpus simplex, quando resoluitur mixtum, in quo ipse reperitur, deberet perseuerare, & non deficere.

Resp. primò cum Valesio cap. 1. de Sacra Philosophia, nedum ignem, sed nullum aliud elementum de facto esse purum, atq. omninò liberum à mixtione alieni corporis, solo autem intellectu concipi simplicia; quare vel nullum est elementum, vel etiam ignis, licet sit cum alio corpore; Nō est autem vllum elementum purum de facto, quia cum elementa vicissim contraria, & aduersa sint, & naturaliter omne contrarium agat in aliud contrarium, si est illi proximum, ideò quodlibet elementum, in proximum suas qualitates enititur imprimere, & sic de facto, nullum reperitur, quod sit simplex, & purum.

Resp. 2. Neg. antecedens, & illius probationem; Nam quando Ignis est in aliquo subiecto, tunc ibi nulla alia forma substantialis reperitur, vt iam diximus in Physicis, quare autem exigat semper pabulum, iam supra explicauimus; Quod verò destruatur ablato subiecto, quo depascatur, non arguit, non esse corpus simplex, nō enim est necesse in resolutione mixti remanere corpora simplicia actualiter separata in sua simplicitate, vt usq. euenit in alijs elementis, sed ad simplicitatem corporis solum requiritur, quòd ex prioribus non componatur, & in illud possit resolui mixtum; non est autem necesse, quod de facto resoluatur, secundùm propriam simplicitatem, cum illam, vt supra diximus nunquam habeat.

Ob. 2. Elementum debet esse aptum, vt deseruiat mixtioni, at sic non est ignis, ergo &c. min. 9
prob. tum quia ignis est potiùs causa destructionis, quàm compositionis, quare dixit Aristoteles secundo de Generatione textu 21. quod *nihil generatur ex glacie, neq. ex igne*, & secundo de Generatione animalium cap. 3. ait, *Ignis nullum animal generat, neq. ex eo consistit quidquam*; tum quia in mixtione antequam producatur forma mixti, ignis perit, ergo ex illo non componitur mixtum; tum deniq. quia in mixtione elementa debent deperdere summum primarum qualitatum, quæ refrangi debent, sed ignis non potest deperdere calorem in summo, ergo neq. ingredi, ut elementum ad mixtionem.

Resp. neg. min. & ad illius primam probationem dico, quòd ignis extrinsecus est causa destructionis, non autem naturalis, & intrinsecus, qui necessarius est ad quamcumq. generationem; quod autem dixerit Aristoteles, quod ex igne, &c. respōdeo, quod verum est ex solo igne nullum mixtum constitui, neq. animal generari, cum enim mixtum debeat constare ex pluribus corporibus, ideò ex solo igne nullum mixtum resultare potest, & hoc pacto intelligendus est Aristoteles, noluit enim intelligere, quòd simpliciter nihil ex igne generetur, cum postea ibidem textu 24. dicat *quod omne ex omni* (elemēto. s.) *generari natum est*, & præcipuè loquens de mutua elementorum transmutatione, de igne ait textu 25. *Ut ex igne quidem, erit Aer altero transmutato*. Ad secundam respondeo quod, licet ignis ingrediens mixtionem pereat, tamen remanet secundùm suam qualitatem, non enim est necesse, vt inferius videbimus, quòd elementa remaneant in mixto secundùm suum esse totale, sed secundùm suas qualitates, sicuti etiam euenit in alijs elementis, quæ corrumpuntur

puntur, & solùm secundùm qualitates remanent, vt in omnibus ferè mixtis videre est; cû ergo qualitates igneæ ad corruptionem formæ ignis retrangantur, ideò refractæ, non in summo, remanent in mixto, & hac ratione patet responsio ad quartum. Quare remanet omninò probatum, etiam Ignem elementorum numero esse associandum.

SECTIO II.

De Primis qualitatibus; & quomodo conueniant Elementis.

10 SVpp. est. Primas qualitates illas esse, quæ neq. ex se inuicem, neq. ex alijs fiunt; cæteræ verò qualitates sensibiles sublunares fiunt ex ipsis: dicuntur autem primæ, quia in ipsis corporibus insident, & sunt primæ origine, quatenus ex alijs non fiunt.

Supp. 2. Has primas qualitates quatuor communiter cum Aristotele assignari, Calorem .s. Frigus, Humiditatem, & Siccitatem; qualitates enim primæ, de quibus agimus, debent esse tangibiles, & quæ ad mixtionem, media actione, & passione, concurrant, sed hæ sunt solùmmodo quatuor assignatæ, vt conceditur ab omnibus, & ipsa experientia patet: difficultas ergo prima procedit, an hæ omnes sint qualitates positiuæ; aliqui enim antiqui affirmarunt, duas solas esse qualitates positiuas, caliditatem .s. & humiditatem, reliquas vero esse priuationes, frigiditatem nempè priuationem caloris, siccitatem verò priuationem humiditatis; alii verò præcipuè Arriaga hic disp. 4. num. 9. asseruerunt, duas solummodo esse qualitates positiuas, calorem .s. & frigus, humiditatem verò non qualitatem, sed substantiam fluidam dicebant esse, siccitatem verò priuationem huius substantiæ fluidæ.

Supp. 3. Has primas qualitates non esse formas substantiales elementorum, vt asserebant Antiqui Græci relati ab Auersa quæst. 41. de elementis, sect. 3. Ratio autem potissima est, quia id, quod vni est accidens, non potest esse alii substantia, sed qualitates assignatæ in mixtis sunt accidentia, ergo elementis non possunt esse substantiæ, seu formæ substantiales; tum quia aqua quando calefit non deperdit suam formam substantialem, & tamen deperdit frigiditatem tangibilem, ergo frigiditas quæ in illa erat, non est forma substantialis, sed solùm accidentalis; quare ex hoc sequitur, omnia elementa suam propriam formam substantialem habere, quæ tamen, quia est principium harum qualitatum, dignoscitur, & definitur in ordine ad illas, & sic forma substantialis ignis, si id, quod exigit summum calorem. De his ergo formis accidentalibus quæritur, an sint positiuæ. Sit ergo.

11 Prima Conclusio. Primæ qualitates tangibiles calor .s. frigus, humiditas, & siccitas, sunt qualitates positiuæ, & distinctæ à substantia; Ita contra Arriagam loco supra citato Serbellonum disp. 3. de ortu, & interitu quæ. 1. Guarinum disp. 1. de Elementis exp. 10. Aguilonium, & aliquos paucos, ferè omnes Philosophi cum Arist. lib. 2 de Gener. à tex. 7.

Prob. autem. Hæ omnes qualitates producunt sibi similes in aliud corpus vicinum, sic v. g. frigus & humiditas, de quibus negatur, causant frigus, & humiditatem in aliud corpus, ergo sunt omnes qualitates positiuæ; consequentia prob. priuatio enim directè, & per se produci non potest ab aliqua causa.

Prob. 2. Per tactum sentimus corpus, esse humidum, aut siccum, ergo humiditas, & siccitas sunt qualitates tangibiles, nihil enim per tactum sentitur per omnes Philosophos, quod non sit qualitas tangibilis.

Prob. 3. Quando tangitur corpus humidum, aut siccum, diuersimodè terminatur sensus, & aliquid diuersum sentitur à frigore, & calore, ergo dicendum humiditatem, & siccitatem esse qualitates positiuas. Neq. enim valet quod dicit Arriaga; aquam solùm sentiri quà frigidam, aut calidã, non verò quà humidam: Nam demus, quòd manus tangat aquam calidam, & habeat eosdem omninò gradus caloris, ac aqua, certè manus non sentiet calorem aquæ, cum simile non agat in simile, & tamen humiditatem sentiet, ergo aqua sentitur etiam quà humida, atq. adeò humiditas est qualitas positiua tangibilis, sicuti etiam siccitas, cum talis manus tangens corpus siccum habens eosdem gradus caloris, illud sentiret diuersum ab aqua tacta.

Prob. 4. præcipuè contra Arriagam. Destruitur humiditas in corpore humido, & tamen non destruitur forma substantialis ipsius, ergo distinguitur humiditas à substantia, consequentia patet; prob. antecedens, quando enim exiccantur ligna, aut carnes, eorum forma substantialis non destruitur, neq. potest dici, destrui corpus humidum, quod erat in ligno, vel carne, hoc enim esset asserere elementa contineri formaliter secundùm suas formas substantiales in mixtis, quod est falsum, vt suo loco.

Prob. 5. In Sacra Eucharistia vinum post consecrationem remanet humidum, & tamen nulla ibi remanet substantia; Item Hostiæ si ante consecrationem erant humidæ, tales sunt post consecrationẽ, si siccæ, siccæ perseuerant, & tamen nulla substantia ibi adest, ergo dicendum, humiditatem, & siccitatem distingui à substantia, atque adeò esse qualitates tangibiles positiuas. Neq. valet quod ait Arriaga, remanere solùm accidentia secundùm fluxibilitatem; Nam, vel vult fluxibilitatem distingui ab humiditate, vel non; si non, ergo remanet etiam humiditas, si distinguitur, neq. etiam effugitur vis argumenti, nam in Sacramento, nedum remanet fluiditas, sed etiam humiditas, eodem enim pacto, quo vinum priùs humectabat per humiditatem, etiam humectat post consecrationem, ergo quia verè est humidum per qualitatem positiuam tangibilem. 12

Neq. dicas, ex Serbellono, remanere humiditatem, & siccitatem quantitatis, & aliorum accidentium, non verò substantiæ, quippè quia humiditas, & siccitas identificātur cum entitate, tàm substantiali, quam quantitatiua, nihilq. aliud est quàm modificatio partium.

Resp. enim. Hoc pacto humiditatem esse qualitatem, quare dum nobis contrariatur, confirmat nostram conclusionem. Neq. enim sufficit dicere esse modificationem partium, modus enim non est actiua, at huiusmodi humiditas, quę reperitur in speciebus consecratis est actiua, species enim vini humectant aliud corpus, ergo &c.

Ob. 1. ex eodem Arriaga. Si inter corpus aliquod, & Oceanum interponeretur tenuissimum vitrum, illud corpus non humectaretur, ergo signũ est, corpora solùmodò humectari per intromissionem corporis humidi, atq. adeò humiditatem non esse qualitatem distinctam a corpore humido.

Resp. 1. neg. consequentiam. Ex hoc enim non arguitur, humiditatem non esse qualitatem distinctam, & actiuam, sed solùm non esse ita actiuam, vt agere possit per medium tàm densum, qualè est vitrum, uel ad summũ probat, humiditatem agere per contactum. Deindè negari etiam posset antecedens, aliqua enim corpora humectantur etiamsi immediatè nõ sint applicata corporibus humidis, vt patet in Sacchato posito in loco humido, quod quamuis vndiq. inclusum in aliquo vitro, tamen humiditatem patitur, quare miror, quomodo hac ratione motus Arriaga, à communi omnium Philosophorum sententia recesserit.

13 Ob. 2. Ex Guar. Ignis liquefacit metalla, illaq. humectat, sed si humiditas esset qualitas superaddita metallis, non esset agens, quod illam produceret, si quidem ignis non potest esse, qui est calidus, & siccans, ergo &c. Neq. etiam potest dici, illa reduci ad humiditatem radicalem propriam metallorum, quia hoc pacto metalla semper essent in statu violento, & quando refrigescerent, producerent in se qualitatem contrariam propriæ humiditati radicali, quod implicat.

Resp. Negando, ignem non posse esse agens productiuum humiditatis, seu fluxibilitatis in metallis. neq. enim est necesse, quòd humiditas quæcũq. producatur ab alia humiditate, tamquam à causa vniuoca, sed potest & produci ab igne, & ab alia causa ęquiuoca, sicuti euenit etiam in alijs primis qualitatibus, sic calor non semper producitur à calore, vel ab igne, sed vel à confricatione, vt quando duo corpora inuicem confricantur calefiunt, vel à motu, &c. Ignis ergo, quia ratione caloris est disgregatiuus partium homogenearum, ideò vi caloris disgregat partes metallorum, quæ quia radicaliter petunt esse vnitæ, ideò & disgregatæ remanent vnitæ cum aliqua vnione, atq. adeò fluidæ, & humidæ, quare ex hoc non arguitur, &c.

Ob. 3. ex Serbellono, Corpus dum humectatur fit grauius, ac prius erat, ergo non per solam additionem humiditatis tamquam qualitatis accidentalis, sed per additionem nouæ substantiæ humidæ intromissæ intra illius poros consequentia probatur, neq. enim ex Arist. & communi Philosophorum grauitas est proprietas humiditatis.

Resp. Concedendo aliquod corpus humectatũ grauius esse, & hoc per intromissionem in illius poris corporis humidi, aquæ, v. g. aut aeris, & ex hac causa, quando tale corpus exponitur soli, aut Boreæ, vt ipse, & Arriaga ad confirmandam propriam doctrinam arguunt, ab ipso vapores ascendunt, sicq. exsiccatur, & leue remanet; at per hoc non est arguendum, humiditatem non esse qualitatem actiuam in corporibus, in quibus reperitur, vt in aqua, & cæteris humoribus fluidis; quæ qualitas possit etiam ab iisdem in aliis corporibus introduci, absq. eo quod in illis, & ipsa corpora humida intromittātur, & grauitatem maiorem causēt, vt patet, v.g. in sale posito in aqua, quod ab ipsa humectatur, non enim potest dici humectari, per solum ingressum corporis aquei in illius poris, cum sal secundùm se totum, & secundùm totam suam substantiam euadat fluidum, & humidum, benè verò per hoc, quòd aqua per propriam qualitatem actiuam humiditatis, illud humidum reddat; neq. enim valet exemplum ab ipso allatum de spongia inclusa in vitro, in aqua demerso, nec humefacta, cum enim humiditas non sit qualitas tàm actiua, ideò non adeò facilè in quocumq. introducitur corpore, sicuti neq. introduceretur humiditas in aliquo, inter quem, & Oceanum solùm subtilissimum vitrum interponeretur, quia scil. corpus humectandum debet etiam esse maximè dispositũ, cùm talis qualitas sit minimæ actiuitatis: quare non sunt irridendi Ouiedo, & Spin., qui tàm friuolam existimant hanc rationem adductam ab Arr., rationabiliter enim irrident ipsi eumdem Arriagam, qui hac præcipua ratione mouetur ad excludendam a consortio primarum qualitatum ipsam humiditatem, cum sit ratio nullius momenti, & contraria experientiæ respectu corporis dispositi ad humiditatem, vt sal

Obiic. 3. Sola absentia caloris augetur frigus, absq. productione alicuius gradus frigoris, ergo signum est, quòd frigus sit solùm priuatio caloris.

Resp. neg. antec. Nam quando destruitur calor,
destruitur per frigus adueniens; sed dato etiam, 14
quòd de nouo non produceretur frigus, respondeo
sentiri frigus, quod circumcirca priùs erat, nec sentiebatur
ratione caloris; immò retorqueo argumentum,
frigus per se sentitur, ergo non est priuatio,
priuationes enim non sunt tangibiles, nam
tanguntur ne tenebræ? cæcitates? &c. & sic dicendum
etiam de siccitate.

Determinato ergo, omnes primas quatuor qualitates esse positiuas; inquirendum est, quomodo singulæ definiantur, aut potiùs describantur nam sensu ipso potiùs discernuntur, & dignoscuntur, quàm ratione definiantur.

Calor igitur describitur ab Arist. 2. de Gen. tex. 9.
quod sit id *quod congregat homogenea seu res eiusdem* 15
generis, & disgregat etherogenea .i. quæ sunt diuersi
generis, ita tamen vt segreget etherogenea, ad hoc
vt vniat homogenea, ut constat in metallis, quæ
.l. cum uariis materiis in aliqua gleba reperiantur
à calore segregatis omnibus illorum partibus, quæ
sunt

sunt homogenea in vnum confluunt, & segregantur, & ideo dicitur congregare homogenea, & disgregare etherogenea.

Frigus est illud, *quod congregat tàm homogenea, quàm etherogenea*, vt patet in aqua à frigore congelata, in qua tàm aqua, quàm paleæ, terra, & huiusmodi reperiuntur; & hoc intelligitur tum de frigore, tum de calore naturali, & ordinario modo, per accidens enim aliquando contrarium euenire potest.

Aduert. tamen. Quòd homogenea non sumuntur prout conueniunt substantialiter sub eadem specie, & habent eamdem essentiam, & formam, sed prout conueniunt accidentaliter, & assimilantur in quibusdam accidentibus, & affectionibus, vt fluxibilitatis, liquabilitatis, & huiusmodi, ita Aqua, Vinum, Cera, &c. habentur hic pro homogeneis, quia conueniunt in fluxibilitate. Etherogenea verò sumuntur pro his, quæ in accidentibus dissimilia sunt, etiam si alioquin habeant eamdem substantiam, & formam substantialem, & ideò vapor aqueus, & aqua, exhalatio terrestris, & terra, hic sumuntur pro etherogeneis, quia in accidentibus sunt dissimilia.

16 Aduert 2. Operationes disgregandi, & congregandi non conuenire primariò, sed potiùs secundariò calori, & frigori, in tantùm enim calor congregat homogenea, &c. quia cum habeat vim rarefaciendi, attenuandi, & relaxandi, ideò consequenter, quando calor rarefacit ea, quæ sunt eiusdem generis, ponderis, & fluxibilitatis, in vnū coalescunt, & segregantur quæ sunt diuersi generis; quia verò frigus condensat, ideò condensando simul vnit homogenea, & etherogenea. At tales qualitates definitæ fuerunt per disgregationem, & congregationem, quia cum fuerint definitæ in ordine ad mixtionem, ad quam inseruiunt, & in mixtione debeant homogenea, & etherogenea conuenire, ideò tali pacto erant definiendæ, seu describendæ.

Humidum est id, *quod suis terminis, & limitibus difficilè continetur, alienis verò facilè*; quare humiditas est qualitas reddens corpus difficilè terminabile termino proprio, facilè alieno, vt patet in Aqua, quæ secundùm se hinc, & inde absque limite in omnem partem fluit, in aliquo autem vase facilè continetur, & illius limitibus facilè accomodatur.

Siccum denique est, *quod suis limitibus facilè, alienis difficilè cohibetur*, & ita siccitas est qualitas reddens corpus facilè terminabile termino proprio, difficilè alieno, vt patet in lapidibus, lignis, &c. quòd tamen intelligendum est de sicco, & duro.

Aduert. autem, quòd etiam hæ duæ qualitates
17 descriptæ sunt in ordine ad mixtionem, cum eius essentia debeat consistere in aliquo prædicato superiori, quod tamen difficilè est inuenire, cum potiùs, vt supra dixi, hæ qualitates sensu percipiantur, quàm ratione explicentur; descriptæ, ergo sunt in ordine ad mixtionem, quia humiditate conglutinatis partibus siccis, fit mixtum, cum sola enim humiditate nimis difflueret, cum sola siccitate nimis consisteret, & ideò ex coniunctione vtriusq. apta, & proportionata resultat corporis dispositio.

Aduert. 2. Quòd; licet videatur, definitio humidi posse conuenire etiam igni, siue cineribus, puluerì, & similibus, quæ facilè terminantur termino alieno, tamen non humida, vt volebat Telesius, sed sicca debent dici, nam quando dicitur quod humidum est facilè terminabile termino alieno, intelligitur, quòd sit terminabile spontè sua, & quasi ab intrinseco, quòd non euenit in Igne, qui nisi coactè termino alieno terminatur; Neq. ex hoc sequitur ipsum siccum non esse, cum proprio termino difficilè cohibeatur, nā ideò Ignis non potest proprio termino terminari, quia in ipso siccitati præualet calor, & ex hoc fit, vt moderatio siccitatis vincatur à voracitate caloris, qua semper hinc, & inde alienam materiam quærit, qua depascatur; Cinis autem, Puluis, & similia nequeunt dici humida, nam non sunt vnum corpus, sed plurimorum corpusculorum aggregatum, quæ corpuscula ita accomodantur, vt ad situm, vel formam alicuius vasis facilè terminentur; quare si vnumquodq. illorum corpusculorum per se sumeretur, non ita facilè termino alieno terminaretur, vt consideranti patet.

Aduert. 3. Primas qualitates assignatas esse omnes actiuas, quamuis enim dixerit Aristoteles secundo de Generatione textu 8. & 4. Meteororū cap. 1. calorem, & frigus esse actiuas qualitates, alias verò duas passiuas, hoc intellexit, vt explicant Albertus, & Marsilius apud Toletum secundo de Generatione quæst. 3. & Aresius quæst. 9. sect. 3. ratione maioris excellentiæ, quia .s. primæ duæ acriùs, & validiùs agunt, quàm aliæ, quarum actio vix percipitur; & hoc confirmatur tum ex ipso Aristotele, qui multis in locis eas omnes actiuas appellat, & precipuè secundo de Generatione textu 25. vbi ait, ex Igne generari aerem, si vincatur siccum ab humido, quòd non posset fieri, nisi humiditas esset qualitas actiua; tum ipsis experientiis, Sal enim liquescit, & humectatur ab Aere, ipsum verò carnes exsiccat, qui effectus non euenirent, si humiditas, & siccitas non essent qualitates actiuæ, sic etiam frigus producit aliud frigus, & calor calorem.

Quæres. Quomodo hæ qualitates conueniant elementis. 18

Pro cuius rei solutione supp. est, ex primis qualitatibus sex combinationes posse fieri .s. sex modis posse concipi vnitas, potest enim fieri combinatio primò ex calore, & siccitate; secundò ex calore, & humiditate; tertiò ex frigore, & humiditate; quartò ex frigore, & siccitate; quintò ex calore, & frigiditate; sextò deniq. ex humiditate, & siccitate. At quia duæ vltimæ combinationes sunt inutiles vt potè naturaliter impossibiles, ideò sequitur quatuor solummodo fieri posse naturaliter combinationes primarum qualitatum, primas quatuor .s. supra assignatas. His suppositis.

Resp. quæsito à Peripat. cum Aristotele 2. de Gener. tex. 16. cuilibet elemento duas assignari qualitates, vnam in summo, alteram propè sum-

mum, cum enim quatuor combinationes talium qualitatum possint fieri, ideò cuilibet elemento vnam combinationem tribuerunt, quare dixerunt, Ignem esse calidum in summo, & siccum propè summum; Aerem humidum in summo, & calidũ propè summum; Aquam frigidam in summo, & humidam propè summum; Terram deniq. siccam in summo, & frigidam propè summum, quæ quidem qualitates debentur elementis in natiua sua puritate consideratis, non vt sunt de facto, nullam enim habẽt qualitatem in summo, cum varijs sint admixta corporibus etherogeneis. Et hæc est sententia Peripatetica, cui tamen à recentioribus non ita communiter subscribitur, cum experientiæ sint contrarię respectu præcipuè Aquæ, & Aeris.

Videtur ergo, potiùs admittendam esse Aquam humidam in summo, frigidam verò propè summũ, Aerem verò frigidum in summo, humidum verò propè summum; nam Aer minus humectat, quàm Aqua, ergo non est illa humidior, deinde quando Aer nimiũ humescit, conuertitur in aquam, sed nulla forma corrumpitur per proprietatem sibi debitam, ergo &c. aqua è contra non potest dici in summo frigida, nam exigeret ex sua natura esse semper congelatam, videmus enim quod quando est summè frigida, in glaciem conuertitur, quare non esset apta ad generationem piscium; deinde Aquę sunt magis frigidæ in suprema superficie, quàm in fundo, sed deberent esse frigidiores in fundo, vbi sunt puriores, si frigiditas in summo esset illis naturalis, ergo &c. Tum deniq. quia si Aqua esset frigida in summo, quomodo Agens extrinsecum posset illam infrigidare?

Quare meliùs existimo dicendum, Aquam esse
19 humidam in summo, frigidam verò propè summum; Aerem verò frigidum in summo, humidum verò propè summum. Quòd autem talis sit Aer, quoad frigiditatem præter antiquos multos, quos referunt Auersa quæst. 41. de Elem. sect. 7. & Aresius 2. de Gener. quæst. 10. sect. 3. sustinent Galenus lib. 1. de Elem. cap. 3. & 1. de simp. medic. facultatibus cap. 8. Cardanus lib. 2. de subtilitate, idem Aresius loco citato, Morandus 2. de Gen. tract. 1. quæst. 6. Arriaga, Pontius & alij, non recedẽtes etiam ab ipso Arist. qui pluribus in locis, & præcipuè 3. Phy. tex. 44. 1. de Gen. tex. 24. & 2. de Gen. tex. 31. apertè aerem esse frigidum asserit. Quoad humiditatem verò est Arist. & omniũ Peripateticorum, contra tamen citatum Aresium, & aliquos paucos, qui asserunt, cum frigiditate siccitatem habere.

Prob. autem. Quia remoto Sole nocturno tempore aer est magis frigidus; item inclinato Sole, hyemali tempore, acutissimam experimur frigiditatem, immò Aqua ipsa ab Aere congelatur; Item in media regione Aeris, vbi purior est, frigidissimus experitur, ibi enim generantur pluuiæ, grandines &c. Item per respirationem calorem cordis attemperat, ergo ex his omnibus patet, esse frigidum ex sua natura in summo; quare asserendum est, caliditatem solùm igni conuenire, & hoc optima ratione à natura dispositum est, nam cum ipse sit voracissimus, ne cuncta sua voracitate consumeret, omnia elementa frigida disposuit, vt propria frigiditate, quę immediatę est contraria calori, illius vires refrangerentur.

Prob. insuper Aerem esse humidum, non verò siccum. Tum quia, humidum est quod facilè terminatur termino alieno, huiusmodi est aer, ergo, &c. Tum quia, aer rarefit cum continuatione partium; sed sicca hoc modo non rarefiunt, ergo aer non est siccus, sed humidus, mai. patet, si enim dum aer rarefit, illius partes non continuarentur, ergo inter ipsas daretur vacuum, quod implicat, min. prob. experientia, sic quando terra exsiccatur, in minutissimas pulueres resoluitur, tabulæ dum exsiccantur, rimas faciunt, ergo, &c. 20

Neq. valet quòd dicit Aresius, aerem exsiccare vestes, ergo quia siccus est.

Resp. enim Aerem exsiccare vestes, non per productionem siccitatis in ipsis, sed per expulsionem, & eductionem subiecti humidi, aquę, v. g. in ipsis existentis, quod potest facere, vel per calorem illi accidentaliter unitum, aquam .scil. rarefaciendo, & resoluendo in uapores, uel per frigus naturale constringendo .s. partes illarum uestium, ex qua constrictione exprimitur humor inclusus. Neq. obstat subterfugium ab ipso adductum, quod .s. frigidum humidum, nec exsiccat, ut apparet in aqua frigida, & humida, neq. etiam calidum humidum, ut itidẽ conspicitur in aqua calida, ergo neq. aerem posse exsiccare uestes, si esset humidus, per frigiditatẽ illi naturalem, aut per calorẽ illi accidẽtaliter unitum; Nã dispar est ratio, quia ideo aqua nequit exsiccare, quia humiditas est in illa in summo, quare sibi contrariam qualitatem, qualis est siccitas, producere nequit, secus uerò aer, quia non est humidus in summo potest per qualitatẽ in illo præualentem, calorem .s. extrinsecum aduenientem, aut frigiditatem naturalem, producere siccitatem, tantò magis, quòd propriè, & per se non producit siccitatem, sed per accidens, expellendo .s. corpus humidum, quo expulso, corpus à quo expellitur, remanet exsiccatum, & ideo etiam quando aer prædominatur ab humiditate, flantibus uentis autumnalibus, nullo pacto exsiccat.

Neq. insuper dicas; si aer esset humidus, nullam esse necessitatem, ut ascenderent uapores ad generandas pluuias, grandines, &c. cum ex eo aere humido produci possent.

Resp. enim ad efformãdas pluuias, grãdines, &c. requiri præter humiditatem, alias qualitates, quæ non sunt in aere, sed à vaporibus desumuntur. Quare, &c.

Neq. valent etiam responsiones adductę à Peripateticis ad impugnandam frigiditatem aeris, ad primum .s. ideò in remotione, seu declinatione Solis aerem frigefieri, quia cum sit summè tenuis, ideò faciliter à propinquis agentibus alteratur, atq. adeo, cum amouetur, aut declinat sol, qui sua caliditate adiuuat caliditatem aeris, & retundit actiuitatem contrariorum, a frigidis elementis terra, & aqua refrigeratur. Respondeo enim, quod si aer esset ex sua natura calidus, non ita faciliter infrigidaretur ab elementis frigidis, cum calor sit quantas

magis

magis actiua, maximè in naturali subiecto, quàm sit frigus in alieno, & extrinseco subiecto Deindè ex Aristotele 4. Meteot. Sum. 2. cap. 3. terra, & aqua sunt elementa passiua, ignis verò, & aer elementa actiua quia .s. illa magis patiuntur, quàm agant, ergo potius aer, si esset calidus, deberet agere in terram, & aquam, quàm ab ipsis pati, quare &c.

21 Ad secundùm, aerem in media regione esse frigidum, ob exhalationes, & vapores illùc ascendentes, quia cùm sua natura sint frigidi, ideò cum eò peruenerint, ad suam naturam redeunt, sicq. infrigidant aerem ibi existentem.

Resp. enim, dato etiam quòd in illa regione esset vapores, quod tamen videtur falsum, cum ibi aer sit purus, & ferè vaporibus expers, attamen per hoc non esset frigidior, quàm sit aer propinquus terræ, maximè vaporibus imbutus. Deinde vapores ideò ascendunt, quia sunt calidi, calor enim est causa cur rarefiant res, atq. adeò, vt leuiores ascendant, si ergo sunt calidi, quomodo possunt aerem de sua natura calidum infrigidare? Insuper, vapores statim ac perueniunt ad mediam regionem aeris deperdunt calorem, quo medio ascenderunt, & ideò in pluuias, & grandines conuersi descendunt, quæro ergo, ratione cuius causæ talem deperdunt calorem? non ratione principij innati vaporis frigidi, importarent enim solùm frigiditatem virtualiter, non formaliter; quare si aer esset calidus, cum sẽper præualeat qualitas formaliter existens, quam solùm virtualiter, calor formaliter existens in aere præualeret, & conseruaret calorem in vapore, contra actiuitatem frigoris solùm virtualiter existentis in vapore, tendentem ad calorem expellendum; dicendum est igitur, quòd si ibi infrigidantur vapores, hoc prouenit ob frigiditatem conaturalem aeris. Neq. valet aliud subterfugium, regionẽ illam aeris infrigidari, vel ob antiperistasim, cùm aer ibi existens sit medius inter supremam regionem calidissimam ob ignis propinquitatem, & infimam calidam etiam ob radiorum solis reflexionem; Nam antiperistasis solùm auget, non producit qualitatem, quare si aer esset calidus, non posset infrigidari ob calorem ambientem, sed magis calefieret. Deinde falsum est, vt inferiùs probabimus, in suprema regione, esse elementum ignis, Neq. insuper valet, infrigidari illam regionem ab elementis frigidis, aquæ, & terræ; Si enim hoc esset, potiùs producerent talia elementa tantum frigus in aere sibi propinquo, quàm in remoto, quòd experientia est falsum.

Ad tertium deniq. corpus animalis esse valdè calidum, atq. adeo aerem licet calidum, esse illo frigidiorem, & ex hac causa attractum attemperare maximum calorem cordis.

Resp. enim, quòd si aer natura sua esset calidus, nullo pacto refrigeraret, imò calefaceret ipsum cor, maximè quia adiutus à calore cordis, licet per accidens esset frigidus, statim se reduceret ad natiuam suam caliditatem.

Quare ex his omnibus clarè patet, frigiditatem, & humiditatem esse qualitates primas, quibus naturaliter, est affectum elementum aeris, Neq. audiendi sunt apud Auersam Thomas de Garbo prima parte suæ summæ, quæ 1. Dauid Gorlæus exercit. 7. Philosophica sec. 3. Io. Baptista Porta lib. 1. de aeris trasmut. cap. 3. Magnenus de attomis disp. 1. capit. 2. prop. 10. Guarinus disp. prima de Elementis exp. 5. & Serbell. disp. 3. de Ortu, & Interitu, quæ. 1. art. 4. qui nè auctoritatibus Arist. contraobuersari videantur, & experientiis, frigiditatem in aere naturalem comprobantibus, rationabiliter contradicere non audentes, asserunt, nullius qualitatis aerem esse præditum, sed ad qualcumq. indifferentem, ità quòd modò sit frigidus modò calidus, modò siccus, modò humidus iuxta proportionem causarum in ipsum agentium: Non sunt inquam audiendi, quia talis indifferentia minimè aeri potest conuenire, si quidem si esset indifferens ad omnes qualitates, numquã corrũperetur, si quidem vt indifferens ad omnes qualitates, non haberet contrariam, à qua corrumperetur, esse autem corruptibilem, & omnes Philosophi fatentur cum Arist. qui multis in locis, & præcipuè secundò de Gen. tex. 25. ait *rursus autem ex aere aqua erit, si vincatur calidum à frigido*, & continuæ experientiæ comprobant, ergo aliqua qualitate esse præditum asserendum est, quæ à contraria præualente corrupta, etiam ipse corrumpatur.

Coll. 1. Has Qualitates in elementis esse formaliter, neq. in ipsis esse alias qualitates eiusdem rationis virtualiter, quasi quod istę qualitates virtuales sint causæ qualitatum formalium, nam hoc pacto qualitates virtuales essent primæ qualitates, formales verò secundæ contra ipsum Philosophum, quare sola forma substantialis elementorum est principium harum qualitatum. 22

Coll. 2. Aliquas ex his qualitatibus appellari symbolas, aliquas verò disymbolas, ratione quarum elementa inter se dicuntur symbola, & disymbola, qualitates symbolæ sunt quæ aliquam dicunt inter se similitudinem, sic frigiditas aquę, & aeris dicuntur qualitates symbolæ, caliditas ignis, & frigiditas terræ qualitates dissimbolæ, quia nullam dicunt similitudinem inter se; an autem qualitates symbolæ sint eiusdem speciei, plus æquo disputant Doctores, nos breuiter cum Spinula disp. 5. in lib. de Generatione sect. 2. dicimus esse eiusdem speciei, ratio autem est, quia non sunt multiplicanda entia speciei sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi tales qualitates diuersas speciei, ergo &c. tum quia ex qualitatibus diuersę speciei non potest resultare intensio, sed ex frigore Aeris & Aquæ resultat intensio, ergo quia sunt eiusdem speciei, ex quò patet etiam qualitates productas à corporibus coelestibus in sublunaribus esse eiusdem speciei, cum eędem militent rationes.

Coll. 3. Qualitates contrarias nò posse esse in summo neq. per diuinam omnipotentiam in aliquo subiecto, & ratio est, quia cum hæ qualitates sint operationes substantiæ, ita vt v. g. calor sit disgregatio partium, frigus verò condensatio, & per diuinam omnipotentiam idem subiectum secundum idem, & eodem tempore non possit esse summè rarefactum, & summè condensatum, ideò respectu contradictionis, quæ si hoc esset daretur

alse-

asserendum est, qualitates contrarias in summo non posse poni in eudem subiecto; Et hæc sufficiant de primis qualitatibus elementorum.

SECTIO III.

De Loco, & magnitudine elementorum

23 QVoad locum trium elementorum, Terræ. s. Aquæ, & Aeris, ferè nulla est controuersia inter Doctores, conueniunt enim, quòd in primo loco constituta sit Terra, vt potè grauior, atq. adeò centro vicinior, deinde Aquam, quæ est ipsa leuior, super illam fluere fatentur, tertium deniq. locum Aeri leuissimo attribuunt; difficultas ergo solùm est de Igne; Aristoteles enim, & communiter omnes Antiqui, & ferè recentiores omnes affirmāt, illius locum esse super aerem, propinquum sphæræ lunari, alii verò, inter quos Hieronymus Cardanus lib. 2. de subtilitate, conati sunt probare nullo pacto ibi admittendum esse elementum Ignis, sed, vel nullum locum determinatum habere, & per omnes vagari, vel cum Pythagoricis, in mundi Centro illius locum naturalem esse admittendum, in quo adesse verum Ignem damnatus torquentem, iam ex fide certum est. De loco ergo fusius elementi Ignis hic inquiremus, pro cuius solutione Sit.

24 *Prima* Conclusio. Elementum Ignis de facto non habet proprium locum supra aerem in concauo Lunæ, sed est diffusum per varias mundi partes. Quoad primam partem est Cardani loco supracitato, Morandi 2. de Generatione tractatu primo quæst. 3. Tassoni in suis quæsitis vulgari idiomate conscriptis, lib. primo quest. prima, Spinulæ disp. 5. in lib. de Generatione sect. 3. Serbelloni disp. 3. de Ortu, & Interitu quæ. 2. ar. 2 Guarini disp. 1. de elem. exp. 2. & aliorum, quos refert, & sequitur Aresius lib. 2. de Generatione disp. prima quest. 3. sect. 2. contra tamen torrentem omnium Philosophorum Aristotelem sequentium; Quoad secundā partem est Valesii lib. de Sacra Philosophia cap. primo.

Prob. primò. Authoritate Aristotelis, qui primo Meteororū sum. 1. cap. 4. ait *Superiores distantię plena sunt corpore aliquo, & Igne quidem impossibile, quia exsiccarentur vsq. alia omnia,* & infrà *quod enim est sursum, & vsq. ad lunam, dicimus esse corpus alterum & ab igne, & aere; quinimo, & in ipso hoc quidem purius esse, illud autem minus sincerum, & differentias habere, & maximè quà desinit ad aerem.*

Prob. 2. ratione. Si Ignis haberet propriam spharam in concauo lunæ, vt potè in maxima quātitate, luceret, & maximum produceret calorem, sed neq. lux videtur, neq. calores experimur, ergo signum est, ibi Iguem non esse, ma. prob. cum enim esset eiusdem speciei, ac ille, qui apud nos est, per consequens, & eosdem effectus deberet habere.

Neq. dicas. Iguem in concauo lunæ, esse summè rarum, atq. adeo ratione raritatis, nec lucere, nec calefacere.

Resp. enim, nullius momenti hanc esse rationē; nam dato etiam, quòd esset summè rarus, esset etiam in maxima quantitate, & sic ratione magnitudinis videretur, & suas proprietates exerceret; deinde, vel ille Ignis est perfectus Ignis, vel non; si non, sumus extra quæstionem, si est perfectus, ergo suas qualitates in summo debet habere, si ergo Ignis, qui reperitur inter nos, licet non simplex, sed aliquantùm mixtus, & refractus in calore naturali, maximum producit calorem, quantò maiorem calorem deberet habere ignis simplicissimus, nihil habens refrangens illius naturalem primam qualitatem caloris? cum ergo talis calor non sentiatur, neq. ignem ibi esse, asserendum est.

Neq. dicas 2. Refrangi illius calorem ab Aere 25
vicino.

Resp. enim. Quòd sicuti non refrangitur calor Solis, & tamen Sol non est in tanta magnitudine ac esset ignis circumambiens totam regionem aeris, ita neq. calor ignis tàm refrangeretur, vt nihil illius posset sentiri, cum enim esset in maiori quantitate Ignis, ac elementum aeris, & calor sit magis actiuus, quàm frigus, ideò impossibile esset, quòd calor Ignis, si ibi esset, non sentiretur.

Prob. 3. Si ignis esset in concauo lunæ, frigidi influxus ab Astris in hæc inferiora non descenderent, sed hoc ipsa experientia est falsum, ergo &c. ma. prob. vel enim per ignem non transirent, & sic daretur actio in distans absq. medio, vel in ipso igne intermedio producerentur gradus frigoris, quod incredibile est; quomodo enim in igne summè calido potest esse aliquid frigoris? ergo dicendum est, ibi non adesse Ignem.

Prob. 4. Vel Ignis, qui per Aduersarios existit in concauo lunæ, est intensus vt 8. vel non; si non, ergo non est vocandus Ignis, sed corpus calidum; si est intensus, vt octo, ergo totum aerem vicinum posset corrumpere, cum enim illi esset approximatus, & ex illorum sentētia sit calidus, esset subiectum dispositum ad combustionem, cum ergo talis combustio non appareat, nec ibi ignem esse, asserendum est.

Neq. dicas. Non comburere, quia cum in propria sphæra ignis non habeat contraria, à quibus destruatur, neq. indiget pabulo ad sui conseruationem.

Resp. enim. 1. Non ideo ignem comburere, & indigere pabulo, quia cum à contrariis patiatur, indigeat pabulo, vt vel in ipso quodammodo innitatur, seu ab ipso corroboretur ad resistendum contrarijs, & se conseruandum; benè verò propter ipsius naturam, quæ est huiusmodi, videmus enim, quòd in fornace clausa, vbi nihil à contrarijs patitur ignis, tamen deficiente pabulo, & ipse deficit: quare cum respectu mutationis loci, ignis, non mutet naturam; ideò etiam in concauo lunæ indigere pabulo, si adesset, asserendum est, quod pabulum dum assignari nequeat, neque ibi esse ignem indubitanter asserimus.

Resp. 2. Quòd, ne dum Ignis comburit combusti-

bustibile, vt potè pabulum necessariũ ad suam conseruationem, sed etiam, vt sui formam introducat in aliquo subiecto, vt patet in quolibet Igne, qui licet habeat pabulum necessarium, tamen si illi approximetur materia cõbustibilis, post productas dispositiones necessarias, etiam sui formam introducit, quod vtiq. posset etiam facere Ignis respectu aeris, si existeret in concauo lunæ, quod cum non faciat, ideò &c.

Prob. vltimò. Si elementum ignis reperiretur in concauo Lunæ, esset omninò otiosum, sed nihil à Deo productum fuit omninò otiosum, quodq. propter bonum totius vniuersi, aut in cõmodum alterius corporis non sit ordinatum, ergo non reperitur elementum ignis in concauo Lunę; minor est certa, maior, tùm conceditur ab Aduersarijs; tùm etiam probatur; talis enim ignis per ipsos aduersarios non combureret, non luceret, non exsiccaret, neq. alios effectus produceret, quos producit ignis apud nos existens, ergo esset otiosus, ergo &c.

Conf. quia in summitate altissimorum montiũ maximum sentitur frigus, quod tamen non sentiretur, si ignis esset in concauo Lunæ propter summã propinquitatem; Item, quando aliquis accenditur Cometa in suprema regione aeris, maximos experimur calores, ergo maiores experiremur ab elemento ignis tam vasto, si ibi adesset. Deniq. quando producitur aliquod mixtum, non decidit aliqua pars ignis à concauo Lunæ in terram, sed vel producitur à causis vniuersalibus, vel à Sole, & Planetis, adhoc vt ingrediatur ad illius mixtionẽ, ergo ad quid talis ignis? quare &c. Sed.

26 Ob. primò. Cœtera elementa suum naturalem habent locum, ergo assignandus est etiam locus Igni, sed in leuitate superat omnia elementa, ergo super omnia locandus est, atq. adeò supra aerem in concauo lunæ.

Resp. Locum Ignis esse in Centro mundi, & in multis alijs partibus eiusdem mundi sublunaris diuisim, cum enim Ignis sit maximè necessarius ad omnes generationes, vt iam diximus, ideò per varias mundi partes reperitur; neq. tamen est in tãta magnitudine, sicuti cœtera elementa, quia cum sit maximè actiuus, detrahendum illi fuit ex quãtitate, ne alia elementa consumeret, & ex hoc patet secunda pars conclusionis.

Deinde, neq. alia elementa conseruant propriũ locum, Aqua enim, vt potè Terra leuior, deberet supra ipsam vndequaq. fluere, quod ob bonum Vniuersi non facit; sic terra cacuminibus montiũ aeri supereminet, Aer inclusus reperitur in visceribus terræ, &c. quare ad summum posset dici, quòd secundùm propriam naturam, ignis exigat locum supremum omnibus elementis, in quo tamen de facto non sit, nec ad illum vnquam perueniat ob bonum Vniuersi. Neq. tamen est dicendum, quòd sit in statu violento, quia ratione leuitatis, & locum superiorem exigit, & etiam ascensum ad illum, hæc enim duo ad eamdem potentiam pertinent, ergo licet non habeat priorem actum, quo quiescat in loco superiori, quia in ascensu à contrarijs destruitur, cum habeat tamen posteriorem, .s. ascendere ad locum naturalem, non est dicendum esse in statu violento.

Ob. 2. Ille est locus naturalis corporum simplicium, ad quem naturaliter illa feruntur, sed Ignis fertur supra aerem, ergo supra aerem in concauo lunæ est illius locus naturalis, & ibi de facto reperitur; ma. est certa, min. prob. videmus enim Ignem apud nos nunquam quiescere, sed semper sursum tendere, & ascendere. Hæc est efficacissima ratio, cui potissimùm innituntur aduersarii, ipsaq. ita tenaces propriæ opinionis efficit, vt audenter dicat Mastrius, quòd ipsa sola valeat pro mille, & omnibus præponderet, quas congerunt Aduersarii pro parte opposita. Sed. 27

Responderi 1. posset. Falsum esse, ignem ascendere, uidemus enim in prunis, seù carbonibus accensis, descendere, in igniris impressionibus, in quibus ipse prædominatur, vt sunt capre saltantes, lãceæ, columna, fulgura &c. non sursũ ascendere; Item ignem genitum in tormentis bellicis non sursum, sed in eam partem directè ferri, quam respicit tormentum, ergo quia verè ignis de se non ascendit, sed solùm ratione materiæ, in qua est, seu motus extrinseci, à quo mouetur, & sic ascendit in flamma, vt potè quia flamma est fumus accensus, fumus autem de sua natura ascendit. Sed.

Resp. 2. Dato etiam, quòd locus naturalis ignis esset supra aerem, ex hoc tamen non argui, de facto ibi esse Ignem, nam ideò Ignis per Aduersarios illum locum exigit, vt potè quia omnibus elementis leuior, supra omnia esse debet, at hoc esset verum, si daretur elementum Ignis purum, & nullam admittens mixtionem, quòd non dari iam diximus; Neq. potest dici ibi esse purum, & simplex, cum hoc solummodo gratis asseratur ad saluandum talem ignem nullã producentem operationem Ignis, nulla ignea accidentia visibilia, sed solùm imaginaria habentem: quare, vt inquit Arriaga, si tales responsiones admittere velimus; nihil erit tam absurdum, quod deffendi nequeat, poteritq. dici, cœlos ex glacie, vel recenti caseo esse confectos; & huiusmodi.

Quòd autem ignis ascendat semper, vt occupet suum locum, quid ad nos? ergone ex tali ascensu, aliquando occupat? nequaquam, flamma enim ascendens successiuè à contrarijs destruitur, & sic ad supremas regiones non peruenit, neq. enim est verum, quod quidam somniarunt, flammam verti in quemdam ignem inuisibilem, qui ad proprium locum inuisibiliter ascendit; Nam quando adest ignis inclusus in aliquo cubiculo, totum illo igne inuisibili repleretur, & trabes, aliæq. res comburerentur. Neq. dicendum est, vt potè rarum, non posse comburere, dictum est enim supra, quòd si ignis non comburit, ergo non est eiusdem speciei ac noster Ignis, sed alter fictus, & imaginarius. 28

Ignis ergo ascendit semper, quia ex suo naturali exigit se reducere ad suum naturalem locum, at quia est minimæ resistentiæ, tùm ob naturam caliditatis, cuius vis in resistendo est omnium mini-

ma, tum ob raritatem, & paucitatem materiæ, ratione cuius habetur maior, vel minor resistentia, ideò à contrarijs facilè corrumpitur, & destruitur, & ideo nunquam ad naturalem locum peruenit; & hæc est ratio, quare tot modis ignis generetur, generatur enim ab alio Igne; Item à radiis Solis concurrentibus in vnum, vt apparet in speculis concauis, Item rarefactione, & disgregatione aeris, siue motu, & contritione corporum solidorum, &c. tot inquã modis generatur ignis, quia cum facilè corrumpatur, proinde natura omnium parens solertissima, varios modos illum generandi adinuenit. Et hæc sufficiant ad probandum, Ignem verum elementum esse, non verò de facto existere in concauo lunæ.

Quæres, An elementa grauitent, & leuitent in propria sphæra, siue naturali loco.

Resp. Etiam in propria sphæra elementa habere propriam grauitatem, & leuitatem, non tamen actu grauitare, neq. leuitare, sursum scilicet conscendendo, ex eo quia cum ibi partes elementi sint continuatæ, inuicem substentantur. & ideò Nauta in aqua, licèt maximam aquam super se habeat, nullum tamen pondus sentit, quia partes aquæ ad inuicem substentatæ, in illo podus non causant; quòd autem habeant grauitatem, patet, ex eo quia Aqua per propriam grauitatem penetrat terram, item terra, quando fodiuntur fundamenta alicuius ædificij, nisi tabulis à lateribus substentetur, iterum in imum cadit, ergo quia habet semper propriam grauitatem, quam tamen actu non exercet, quando est vnita, quia tunc omnea partes terræ ad inuicem substentantur.

Quæres 2. Quænam sit magnitudo elementorum.

Resp. Incertam esse illorum magnitudinem, nam licèt aliqui dixerint, elementum continens debere excedere cõtentum in decupla proportione, scilicet decem vicibus, hoc tamen ipsa euidentia est falsum, Aqua enim, quę continet terram, certè non illam excedit in decupla proportione, quare res omninò incerta est, atque adeò in ea non est immorandum. Videantur Mastrius in libris de Cœlo disp. 4. quæst. 1. & num. 7. & Auersa quęst. 36. de Corporibus inferio. sect. 7.

SECTIO III.

An elementa per proprias qualitates inuicem possint transmutari.

19 CVm omnia elementa sint corruptibilia, vtpotè, quia ex ipsis mixta componuntur, quæritur, an vnũ elemẽtũ possit ex alio generari, & hoc virtute elementi corrũpẽtis per proprias qualitates formam elementi contrarij, in illamq. materiã propriam formam introducendo, nam si per proprias qualitates vnum elementum poterit aliud in se conuertere, multò magis hoc poterit euenire ratione alicuius Agentis extrinseci. Quęstio autem procedit tam de elementis symbolis, quam de dissymbolis, aliqui enim in symbolis mutuam transmutationem admittentes, illam postea negant in dissaymbolis. Sit ergo.

Prima Conclusio. Nullum elementum medijs proprijs qualitatibus potest in se conuertere aliud immediatè, benè verò mediatè, scilicèt producendo priùs aliam substantiam. Quoad primam partem est Morandi 2. de Gen. tract. 1. quest. 8. Aresij 2. de Gen. disp. 3. quæst. 15. Guarini disp. 1. de Elem. exp. 13. Arriagæ disp. 4. de Gen. lect. 6. Pontij disp. 27. de Elementis quæst. 5. Spinulæ in lib. de Gen. disp. 5. sect. 3. & aliorum, contra Ruuium, Auersam, Mastrium, & ferè communem; Quoad secundam verò defenditur ab eodem Arriaga, Pontio, & ab aliis.

Prob. prima pars. Elementa neque secundùm qualitates contrarias, neque secundùm symbolas possunt inuicem immediatè transmutari, sed tota illorum actiuitas consistit in qualitatibus, ergo ratione ipsarum immediatè inuicem transmutari nequeunt, prob. mai. de contrariis: qualitates contrariæ inuicem agendo refranguntur, qua refractione producitur earumdem temperamentum, sed hoc temperamentum est dispositio ad formam, vel alterius elemẽti, vel mixti, ergo priùs, vel aliud elementum, vel mixtum generari debet, antequam elementum vincens in se ipsum conuertat elementum superatum; prob. eadem ma. de symbolis. qualitates symbolæ, vel sunt æquales in intẽsione, vel nõ, si æquales, ergo inuicem agere non possunt, simile enim non agit in simile, si verò inæquales, elementum habens qualitatem symbolam minùs intẽsam, ratione alterius qualitatis, quam in summo habet, resistet contrario elemento, ergo nullo pacto solis medijs qualitatibus vllum elemẽtum in aliud transmutari potest immediatè.

Prob. 2. in particulari de quolibet elemento, & primò. Ignis non potest transmutare in se vllum elementum ratione solius propriæ qualitatis, ergo, &c. probatur antecedens si enim posset, sequeretur semel accensum nunquam extingui, nam si elementa posset in se transmutare, cum elementa nunquam deficiant, illis posset depasci, & sic semper durare; & hoc clariùs patet in enumeratione cuiuscumq. elementi, & primò non potest aerem in se conuertere immediatè, nam si ad hoc vires haberet, iam conuertisset: neque valet conuertere in se aerem proximum, non verò remotum, qui resistit; Nam primò, quanam qualitate resistit? frigorene, an humiditate? sed hæ qualitates facilè expelluntur ab Aere. Deinde si posset, postquam conuertisset proximum, conuerteret etiam remotum, quandoquidem ad occupandum locum Aeris consumpti, etiam remotus ad illum accederet; Denique, si aerem posset in se conuertere, hoc vtique quia posset esse illius pabulum, ergo in solo aere posset conseruari ignis, quod experientia est falsum.

30 secundò patet de terra, ipsa enim in ignem projecta nunquam consumitur, vt patet in lateribus, qui coquuntur in ardentissima fornace, ergo quia ignis propriis qualitatibus non habet virtutem illam in se conuertendi.

Tertiò patet de Aqua, nam deficiente oleo in lampadibus, si remaneat Aqua, lycnus priùs accensus extinguitur, sed si ignis posset in se conuertere Aquam, tunc faceret, illa depascendo, ergo cum non faciat, signum est, illam in se vertere non posse, quare cum ipse, licet actiuissimus nullum elementum in se conuertere possit, tantò minùs cœtera elementa minoris actiuitatis illa in se conuertere poterunt.

Prob. de Aere respectu Terræ, & è contra, Terra inquam est adeò densa, & grauis, vt immediatè impossibile sit verti in Aerem tenuissimæ substantiæ: Deinde si in Aerem transmutari posset, altissimi montes deprimerentur, vt potè quia eorum acumina in aerem soluerentur; deniq., si terra nequit transmutari ab igne, qui est maximè actiuus, quantò minùs ab Aere conuersionem poterit recipere, qui tantæ actiuitatis non est? & iisdem rationibus, neq. terra Aerem in se ipsam transmutare potest.

Prob. de Aere respectu Aquæ, & è contra. Aer de suo naturali petit summam raritatem, sed non apparet quomodo hanc producere possit in aquã, cum in sua puritate sit frigidus, & licet impurus adeò non sit calidus, vt aquam ebullire faciat, quo casu Aqua ita rarescat, vt in Aerem conuertatur, ergo &c.

Neq. etiam Aqua aerem in se conuertere potest, quia ipsa summam dẽsitatem exigit respectu aeris, sed si hanc in Aere producere posset, iam totum aerem in se conuertisset, cum ergo hoc non sit, neq. virtutem, neq. vim eum in se conuertendi habere asserendum est.

Neq. valet, Aquam posse producere summam humiditatem in aere, ad quam non habet oppositionem, cum etiam ipse sit humidus, atq. adeò hoc pacto illum in se conuertere posse.

Resp. enim. Quòd si in illo produceret summã humiditatem, primò illum deberet condensare, & sic in aliquod aliud corpus opacum transmutare, deinde in se ipsam; quare saluatur quòd non immediatè hoc faciat.

Prob. de Terra respectu Aquæ, & è contra. Terra solam siccitatem habet, qua agat in aquam, (in frigiditate enim conueniunt) sed siccitas est minoris actiuitatis, quàm humiditas, ergo ratione huius in illam agere nequit, atq. adeò neq. illam in se conuertere. Confirmatur experientia, nam si talis conuersio posset euenire, maximè esset, quando in visceribus terræ aliqua pars Aquæ constituitur, sed experientia hoc non euenit, vt patet in glacie conseruata in cauernis subterraneis, ergo &c. Aqua è contra neq. ipsa terram in se conuertere potest, nam si daretur hæc trãsmutatio, vtiq. daretur cum pugillum terræ in magnam quantitatẽ Aquæ projiceretur, sed videmus talem terram non conuerti in Aquã, ergo quia Aqua vim non habet respectu illius; A primo ergo ad vltimum patet, nullum elementum posse aliud in se immediatè conuertere; quare si quæ sunt experientiæ, ex quibus videatur hoc euenire, bene considerentur, & clarè patebit, quòd si datur transmutatio vnius elementi in aliud, non est immediata, & ratione propriarum qualitatum, sed vel ratione tertii elementi, vt Agentis extrinseci concurrentis, quod concedimus, vel elementum aliud in se conuertens priùs transmutat conuersum in aliquod mixtum, & postea illud mixtum in se ipsum; quod & nos asserimus in secunda parte conclusionis, & hoc intellexit Aristoteles, quando secundo de Gen. textu 24. ait, quod *Omne ex Omni generari natum est*.

Ob. primò. Elementa habent qualitates, secundùm quas possunt inuicem agere, ergo respectu illarum poterunt immediatè inuicem conuerti. 31

Resp. disting. antecedens, habent qualitates, secundùm quas possunt inuicem sufficienter agere in ordine ad mutuam conuersionem immediatam, & nego, secundùm quas insufficienter, & transeat, quare cum ratione qualitatum non habeãt sufficiẽtiam ad transmutandum aliud elementum ĩmediatè in se ipsis ideò nunquam transmutant.

Ob. 2. Si gutta aquæ projiciatur in magnum rogum accensum, nisi in ignem potest conuerti, ergo ignis Aquam potest in se conuertere: confirmatur, quia quando plures guttæ aquæ projiciũtur in ignem, ignis crescit, ergo quia aqua vertitur in ignem.

Resp. neg. antecedens. Tunc enim illa gutta vertitur in fumum, qui vtiq. non est ignis, licet possit postea transmutari in ignem: ad confirmationem; Resp. quòd ideò ignis augmentatur quãdo modica aqua aspergitur, quia humectando subiectum in quo reperitur ignis, est causa, vt ex ipso fumus copiosior ascendat, qui deinde inflammatus maiorem reddit flammam, & ignem.

Ob. 3. Per vos ignis destruitur ab Aere, sed ille ignis destructus, nisi in aerem vertitur, ergo aer potest in se ignem conuertere.

Resp. disting. min. conuertitur in aerem immediatè, & nego, mediante aliqua exhalatione tenui, in quam primò conuertitur, & conc. quare dico, quod quando ignis destruitur, primò transit illa materia sub aliqua forma mixti, putà exhalationis, fumi: &c. & postea in Aerem conuertitur.

Coll. ergo. Quodlibet elementum posse aliud in se conuertere mediatè .s. illud priùs conuertendo in aliquod mixtum, deinde illud mixtum in se ipsum transmutando, & ita intelligendi sunt Philosophi, quando in elementis mutuam transmutationem admittunt. 32

Coll. 2. Aliquod elementum posse proprijs qualitatibus immediatè aliud elementum in aliud tertium elementum conuertere; patet hoc in igne, qui aquam calefaciendo ita rarefacit, vt tandem in aerem transmutet; An autem ex duobus elementis inuicem agentibus, tertium elementum generari possit, affirmãt cum Aristotele Mast. disp. 6. quæst. 4. & alii multi, probabilius tamen censet contrarium Aresius secundò de Generatione disp. 3. quæst. 17. eo quia .s. faciliùs fit, mixtum

aliquod, ex illorum mutua actione generari, quam elementum, res est parui momenti, videautur supracitati Doctores.

Coll. 3. Elementum posse in se conuertere mixtum; Ratio autem est, quia elementum habet qualitates in summo, quas mixtum non habet, & ideò medijs illis possit corrumpere formam mixti, hoc autem patet in igne, qui mixta in propriam substantiam transmutat. Et hæc sufficiant dicta de Elementis.

DISPVTATIO TERTIA

In eosdem tertium, & quartum Libros, de Cœlo, De Mixtione.

Corporum simplicium vsq. adhuc expendimus naturam, at quia corpora simplicia, ad mixta componenda à natura ordinata sunt, ideò postquã egimus de elementis corporibus simplicibus, nũc de eorũ mixtione, deq. corporibus mixtis disputationes instituimus. Et I. Arist. de Mixtione diffusè agat in lib. de Gen. quia tamen etiam hic aliqua pertractat de his, quæ ex elementis generantur, quæ vtiq. sunt mixta, ideo in his libris, in quibus de elementis egimus, & de eorum mixtione pertractare decernimus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

An detur, & quid sit Mixtio.

1 Suppon. est primò. Mixtionem poprie, & impropriè sumi posse; mixtio impropria est, quando aliqua ita miscentur, vt vnum solùm accidentaliter constituant, sic dicitur mixtio ex hordeo, & frumento, ex argento, & auro, &c. mixtio verò propria, de qua loquimur, est quando ex pluribus alteratis substantialiter, aliquid tertium substantialiter gignitur: & .l. talis mixtio substantialis, ex alijs mixtis possit fieri, vt quando ex aliquo mixto corrupto, aliud mixtum generatur, tamen hìc loquimur de mixtione, quæ immediatè fit ex elementis, ea enim, quæ de tali mixtione immediata dicentur, facilius poterunt applicari mixtionibus mediatis. De hac ergo. Sit

Prima Conclusio. Mixtio propriè dicta verè datur. Ita omnes Philosophi cum Aristotele lib. 1. de Gen. cap. 8. tex. 90.

Patet Conclusio experientia. Quia tempore æstatis aliquando ex Terra, & Aqua producitur Rana, sed hęc est mixtio, Ranæ enim forma est diuersa à formis Aquæ, & Terræ, ergo verè datur mixtio.

Secunda Conclusio. Mixtio *est miscibilium alteratorum vnio*; Ita cum Aristotele loco supracit. ferè omnes Philosophi.

Explic. Conclus. Dicitur *vnio* loco generis, cõuenit enim cum compositione; dicitur *miscibilium alteratorum*, loco differentiæ, per has enim particulas differt mixtio à compositione, quia propriè partes componentes non sunt miscibilia, neq. alterantur, vtpotè quia priùs ambæ non existunt; differt autem à mixtione accidentali, in qua miscibilia non alterantur; differt etiam à iuxtapositione corporum, quia in hac non est necessaria alteratio, deniq. differt à mixtione mediata, in qua non miscibilia simpliciter, sed mixta vniuntur, pro miscibilibus enim, solùm corpora simplicia intelliguntur, .s. elementa.

Quæres. Quanã sit differentia inter mixtionem substantialem, & generationem substantialem. 2

Resp. ex Aresio primo de Gen. in notabili supra cap. 10. Differre vnam ab alia, tanquam superius, & inferius, nam verè, & rigorosè mixtio, de qua agimus, est generatio substantialis, & ideò definitur à Ruuio; quòd sit *mutatio substantialis ad formam mixti, ex miscibilibus congregatis, & per mutuam alterationem dispositis, atq. corruptis, in qua virtualiter vniuntur, & continentur*; quare omnis

mixtio

mixtio est generatio, non verò omnis generatio est mixtio, in generatione corrumpitur forma, quæ priùs erat, & noua introducitur, in mixtione verò saltem duorum miscibilium debet corrumpi forma, & tertia generari, quæ sit forma mixti.

Collig. In mixtione, miscibilia esse solùm causam materialem, ipsa enim secundùm eorum materiam vniuntur; causa verò efficiens, vel est vniuersalis, vel aliqua vniuoca, aut æquiuoca, à qua postea forma mixti producitur.

SECTIO II.

Quomodo elementa contineantur in mixtis? & an omnia sint necessaria ad mixtionem.

QVæstio procedit inquirendo, an elementa sint in mixtis secundùm propriam substantiam, an s. v.g. in ligno, homine, &c. sit Terra, Aqua, Aer, & Ignis, cum materia illorum suis proprijs formis substantialibus informata, an verò solùm secundùm suam propriam virtutem, quatenus s. illorum qualitates primæ, quę sunt virtutes elementorum solùm reperiantur in quolibet mixto; primò modo dicerentur elementa formaliter in mixto; secundo verò modo, solùm virtualiter.

3 Prima Concl. Elementa non sunt formaliter in mixtis, sed solùm virtualiter per proprias qualitates formaliter in illis existentes. Ita tum Scotistæ, tum Thomistæ, & ferè tum antiqui, tùm recentiores omnes, Suarez in Metaph. disp. 15. sect. 10 Mastrius in lib. de Gen. disp. 7. quęst. 3. Auersa quæst. 43. de corporibus mistis sect. 3. Arri. in 1. lib. de Gen. quæst. 51. sect. 2. 1. postea sect. 4. diuersimodè ab alijs explicet talem continentiam virtualem, Pontius dis. 27. de Elemen. quæst. 2. Arriaga disp. 2. in Phy. sect. 1. Ouiedo in lib. de Gen. cont. 8. pun. 4. Spinula in lib. de Gen. disp. 5. sect. 6. contra tamē multos Antiquos, & aliquos modernos, quos sequuntur P. Morandus 2. lib. de Gen. tract. 2. quæst. 4. Serbellonus disp. 3. de ortu, & inter. quæst. 3. artic. 2. & alij pauci.

Prob. prima pars, & primò auctoritate Aristot. qui hoc expresse asserit 1. de Gen. tex. 84. & 86. & 2. de Gen. tex. 48. & idem repetit 3. Cęli 32. his verbis *in carne enim, & ligno, & vnoquoq. talium, inest potentia ignis, ac terra;* & apertiùs 2. de partibus animal. cap. 1. *prima compositio est ex elementis: sed melius fortasse dici potest ex virtutibus elementorum, ijsq. non omnibus; humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas materia corporum sunt compositorum.*

Prob. 2. Si elementa remanerent formaliter in mixtis, vel essent in qualibet parte mixti, vel vnum in vna, alterum in altera, at neutrum dici potest, ergo, &c. min. prob. nam primò, omnia elementa non possunt esse in omni parte mixti alioquin penetrarentur secundùm eorum substantias, quod repugnat; neq. etiam vnum est in vna parte, aliud in altera, quia omnes partes integrales mixtorum sunt vnitæ, neq. aliqua ex illis reperitur, quæ sit solùm elementum, alioquin non esset mixtio, sed iuxtapositio, vt docet Aristoteles, cum plures partes elementares iuxtaponerentur, non verò miscerentur.

Prob. 2. Si elementa remanerent in mixtis secundùm proprias formas substantiales, vel cum illis simul reperiretur forma mixti, vel non; si non, ergo omnia mixta essent eiusdem speciei, cum haberent solas formas substantiales elementorum, quę sunt eiusdem speciei; si alia noua forma substantialis reperiretur, ergo vel elementa non essent substantiæ completæ totaliter, cum per aliam formam exigant compleri, vel si sunt completæ totaliter, plures formæ substantiales totales in eodem reperiuntur subiecto, quod etiam supernaturaliter repugnare iam diximus in Physicis.

Neq. dicas, formas elementorum esse subordinatas, in quo casu plures possunt esse in eadem materia.

Resp. Nullo pacto posse esse subordinatas, cum inter se sint contrariæ, quis enim dicet, formam Aquæ esse subordinatam formæ ignis, vel è contra?

Prob. 3. Si elementa secundùm proprias formas remanerent in mixtis, sequeretur, non dari veram mixtionem; sed hoc est contra omnes Philosophos, ergo &c. seq. prob. vel forma vnius elementi informaret materiam alterius elementi, vel non; si primum, ergo naturaliter duæ formæ contrariæ essent in eadem materia, & sic non essent necessariæ dispositiones ad formas introducendas, cum naturaliter staret, v.g. forma Ignis in materia actualiter informata à forma Aquę, si secundum s. non informaret, ergo omnia elementa realiter essent distincta, & sic mixtio solùm esset accidentalis, ut quando parum Aquæ miscetur cum Terra, non substantialis, de qua loquuntur Philosophi.

Neq. dicas, manere in mixto formas elementorum non integras, sed refractas, & hac ratione omnes simul stare posse. 4

Resp. enim primò: Substantias non suscipere magis, & minus, quare non potest dari forma, quæ sit substantialis, & non sit integra; deinde, vel hæ formæ non integræ habent virtutem producendi suas qualitates, vel non; si non, ergo non sunt eædem, ac priùs erant, si habent virtutem, ergo producerent, & sic ignis, v.g. si formaliter existeret in mixto, præsertim si hoc esset lignum, aut sulphur, illud combureret.

Prob. 4. Si elementa formaliter reperirentur in mixto, Ignis, v.g. combureret mixtum, sed hoc experientiâ non constat, ergo elementum formaliter non est in mixto; mai. prob. quia semper indiget pabulo, ergo vel extingueretur, & ita formaliter non perseueraret in mixto, vel mixto depasceretur, & sic illud combureret. Confirmatur, parua scintilla potest accendere magnam quantitatem pulueris tormentarij, ergo si Ignis in ipso reperiretur, ab eodem accendi posset, si ergo non accenditur, prouenit ex eo quia in ipso formaliter non reperitur ignis.

Neq. dicas, remanere cum qualitatibus tamen

refractis

refractis, ratione quantitatis contrariæ elementi oppositi.

Resp. enim, quòd si remaneret secundùm substantiam, seu formam substantialem, posset illas qualitates reproducere, & licet tales qualitatea in totum mixtum diffundere non posset ratione contrarij elementi resistentis, tamen illas saltem imprimeret in ea parte materiæ, in qua forma Ignis reperitur, & sic saltem illa pars combureretur.

Prob. vltimò ex communi sensu, & acceptione hominum. Quis enim dicet in lapide v. g. esse Ignem, Aquam, & Aerem? quis dicet, in piscibus actu, & formaliter reperiri ignem, nec tamen extingui à tota Aqua Oceani? quis credet, in propria manu Ignem fouere, & tamen illius effectus non probare? clarè ergo patet, non actu secundùm proprias formas, & formaliter contineri elementa in mixtis, sed solùm virtualiter .s. secundùm propriam materiam, & qualitates primas naturales, quod. Sic prob.

5 Prob. secunda pars. Elementa aliquo pacto debent contineri in mixto, sed ex antedictis formaliter non continentur, ergo virtualiter .s. secundùm connaturales qualitates, quæ formaliter in ipsis insunt, nullus enim alius modus excogitari potest.

Prob. 2. Illud dicitur virtualiter continere aliud, quod potest facere id, quod illud aliud facit, sed mixtum potest facere quidquid facit elementum quoad productionem, saltem in remisso, primarum qualitatum in se, & etiam in aliquo subiecto capaci, ergo dicendum est. mixtum continere virtualiter elementa, & solùm formaliter illorum qualitates, seu elementa secundùm proprias qualitates aliquo tamen pacto remissas contineri in mixto.

Ob. primò. Mixtum in sua dissolutione, dissoluitur in elementa, ergo formaliter secundum proprias substantias in illo erant. Antecedens patet v. g. in combustione ligni, accenditur enim flamma, & ecce Ignis, resoluitur in cineres, & ecce terra, humor aqueus effluit ex ligni extremitatibus, & ecce aqua, fumus etiam exhalat, qui est aer; consequentia patet, quia in ea dissoluitur vnumquodq; ex quibus constat, vt habetur ex Aristotele 3. Metaphysicæ textu 15. & aliis locis; tum quia non est assignabile Agens de nouo producens formam elementorum.

Resp. primò. Falsum esse dissolui in omnia elementa, nam verè cineres, fumus, & humor aqueus non sunt elementa, sed mixta, quod si in aliquod dissoluitur elementum, hoc de nouo generatur; sed.

Resp. 2. In quolibet mixto esse persusa realiter quædam elementa .s. in poris illius, vt v. g. Aqua, Aer, &c. quæ tamen non faciunt veram mixtionē, cum sint corpora distincta, sed solùm iuxtapositionem; quare quando dissoluitur mixtum, etiam ipsa exeunt a poris.

Resp. 3. Disting. antecedens, dissoluitur in elementa, quæ priùs erant ante mixtionem, & nego antecedens, in elementa, quæ de nouo generantur, & con. antecedens, quare nego consequentiam, & ad illius probationem dico, quòd hoc debet intelligi secundùm materiam, & formas accidentales, qualitates.s., non verò secundùm substantialem, nam si de forma substantiali intelligendum esset, dicant mihi Aduersarii, quando dissoluitur mixtum, vel dissoluitur in elementa perfectè completa cum propria integra forma substantiali, vel non; si primum, ergo etiam integram habebant, quando erant in mixto, si quidem ex illis constat, in quæ dissoluitur, quòd tamen nullo pacto possunt concedere; si verò in dissolutione mixti integram formam acquirunt, quàm integritatem non habebant in mixto, dicant quæso; quodnam est Agens integrans talem formam? si dicant vel Agens corrumpens mixtum, vel Agens vniuersale, Respondeo ego, hoc Agens de nouo producere in illis partibus materiæ totas integras formas elementares, cum hæc productio integritatis formæ substantialis fit contra totam Philosophiam, & ipsum Aristotelem, qui ideò dicit in instanti produci formas substantiales, quia substantiæ non suscipiunt magis, & minus.

Ob. 2. Mixtio est miscibilium alteratorum vnio, sed quæ sunt vnita sunt separabilia secundùm suas entitates, ergo & elementa sunt separabilia secundùm suas totales entitates, atq. adeò secundū eas, & formaliter reperiuntur in mixtis. Confirmatur; quia dicitur miscibilium alteratorum, non corruptorum, sed alteratio respicit solùm qualitates, non substantiam, ergo quoad substantiam non corrumpuntur, sed remanent in mixtis. 6

Resp. disting. min. Si vnio sit accidentalis; con. min. si substantialis nego min. nam vnio substantialis talis esse debet, vt ex duabus substantiis, vna sola resultet, hoc autem non potest esse nisi substantiæ unitæ deperdant illud esse substantiale, quod habebant, nisi enim deperderent, essent illæ duæ substantiæ solùm iuxtapositę, ex quibus tertia non resultaret; quare in mixtione, ad hoc, ut sit substantialis, substantię elementorum debent corrumpi, & solum secundùm qualitates, & has refractas, in mixto contineri. Neq. ualet, quòd in definitione dicatur, miscibilium alteratorum, non corruptorum, nam ibi explicatur alteratio elementorum, quæ quidem necessaria est ad mixtionem, non tamen per hoc excluditur eorumdem corruptio, immò ipsa explicatur alteratio, quę ad corruptionem debet præcedere, tanquam dispositio necessaria.

Ob. 3. Mixta hoc pacto non essent magis composita, quam ipsa elementa, sed in omnium sententia sunt magis composita, ergo &c. ma. prob. quia una sola esset forma in illis sicuti in elementis.

Resp. disting. min. Quoad compositionem substantialem. & nego, quoad accidentalem, & conc. neq. hoc est contra Philosophos, sufficit enim, quòd mixta sint magis composita quoad accidentia, .s. quoad habitudinem omnium primarum qualitatum, quas non habent elementa.

Ob. 4. Si mixta solùm dicuntur talia, quia continent uirtualiter elementa, & formaliter solùm illorum qualitates, etiam unum simplex elementum posset dici mixtum, uel etiam Cœlum, sed 7

hoc

hoc repugnat, ergo &c. sequela prob. quia vnum elementum continet qualitatem alterius elementi, Item cœlum continet virtualiter qualitates omnium elementorum.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dico. Neq. elementum, neq cœlum posse dici mixta, .l. virtualiter côtineât primas qualitates, quia illas côtinent virtualiter effectiuè, non verò virtualiter formaliter, ad hoc enim vt aliquid dicatur mixtum, non sufficit, quòd effectiuè possit producere qualitates elementorum, sed quod illas qualitates physicas elementorum in se, tanquam formas accidentales contineat, quòd non euenit, neq. in simplici elemento, neq. in cœlo.

8 Ob. 5. Mixtio est vnio miscibilium alteratorum, ergo talis mixtio, & vnio recipitur in mixtibilibus, vel ergo hæc mixtibilia alterata, sunt ipsa elementa, vel non; si non, explicetur quid possint esse, si sunt, ergo in illis introducitur forma mixti, ergo perseuerant cum formis, demptis enim formis, non sunt amplius elements.

Resp. Mixtibilia alterata esse elementa quoad illorum materiam, & primas qualitates refractas, quorum partes materiæ, dum spoliantur forma elementari, & vniuntur, in ipsisq. noua forma mixti introducitur, dicitur fieri mixtio, & miscibilium, .s. elementorum corruptorum quoad formas substantiales, vnio; & ecce quodnam sit subiectum, in quo habetur mixtio, & vnio.

Ob. 6. Eo modo dicitur mixtio, vnio miscibilium, quomodo generatio est vnio materiæ, & formæ, sed si in generatione nô remanerent materia, & forma secundùm entitates, non diceretur earum vnio, ergo neq. dicetur vnio elementorum, nisi remaneant secundùm formas.

Resp. neg. mai. Generatio enim importat vnionem materiæ, & formæ, tanquam actus, & potentiæ, actus .s. complentis, & determinantis materiam; mixtio verò importat vnionem plurium mixtibilium tanquam materiæ mixti, ità quòd tam vnum mixtibile, quàm aliud, se habeat tanquam materia, in qua introducatur forma mixti, vt optimè habetur ex Arist. 2. de partibus Animalium cap. primò his verbis *humiditas enim, & siccitas, & caliditas, & frigiditas, materia corporum sunt compositorum* idest mixtorum, vt cômuniter exponunt D. D. & 2. Phy. tex. 31. & alibi. Quare ad hoc sufficit, vt mixtibilia remaneant secundùm aliquid sui, quod se habeat, vt materia, quod quidem nos concedimus, volentes, in mixtis remanere elementa secundùm eorum materiam, & primas qualitates refractas, & ideò cum secundùm eorû entitates, si non totaliter, saltem partialiter, remaneant in mixtis, benè mixtio potest dici unio miscibilium alteratorum.

Ob. 7. Nulla est assignabilis causa inducens corruptionem elementorum, dum in mixtionê conueniunt, ergo non corrumpuntur, sed remanent formaliter, & cum propriis formis substantialibus, antecedens prob. uel enim elementa in mixtione corrumpuntur inter se, ita ut unum ab altero corrumpatur, uel certè ab aliquo alio; non secundum, quia nihil aliud assignari potest à quo corrumpantur; non primum, quia corrumpens semper alteri, quod corrumpitur dominari debet, ergo si vnum elementum alterum corrumperet, vnum alteri simpliciter dominabitur, ergo non omnia elementa, corrumpuntur in mixtione, sed remanebit actu, & formaliter saltem ipsum elementum predominâs: sic probat ipsissimis verbis, suam conclusionem Serbellonus, nobisq. objicit; Sed.

Resp. neg. antecedens, Ad cuius probationem dico primò, falsum esse non esse assignabilem causam corruptiuam ipsorum elementorum extra ipsa; Cœli enim, & sydera suis influxibus, & actione producentia mixta, possunt, & dici causæ corruptiuæ formę elementaris; At dato quòd extra elementa nulla esset assignabilis causa; dico posse elementa inuicem inter se agendo, suis primis qualitatibus actiuis inuicem corrumpi in propriis formis substantialibus, non enim verum est, vt ipse ait, vnum elementum posse solùm refrangere in alio primas qualitates, per quam refractionem non destruitur forma substantialis, quæ & potest stare cum qualitatibus refractis; nam licet verum sit, elementi formam simpliciter non destrui per solam refractionem propriæ qualitatis; attamen potest destrui, & destruitur per talem, & tâtam refractionem propriarum qualitatum; quando autem elementis inuicem agentibus, producitur mixtum, ità inuicem refrangunt proprias qualitates, vt cum tali refractione qualitatum nequeat conseruari forma elementaris, quæ ideò dicitur destrui, & noua forma mixti produci. Quare licet in aliqua mixtione vnum elementum præualeat, & superet aliud, non ità tamen pręualet, vt & ipsum non remaneat corruptum; sed quia minùs illius qualitates actiuæ, remanent refractæ, licet tamen ità remaneant refractæ, ut cum tali refractiona nequeat conseruari forma elementi.

Neq. ualet quod ipse ait, ex eo quia conseruantur primæ qualitates .l. refractæ, & conseruari formas elementares, cum forma substantialis solum possit corrumpi per ablationem primarum qualitatum, quę medium sunt, ut ipse ait, & copula quibus forma substantialis in materia recipitur, & conseruatur. Nam uerum est, formam substantialem solùm corrumpi per ablationem primarum qualitatum, ità tamen ut non sit necessaria totalis ablatio primarum qualitatum, sed suffi[c]iat destructio aliquorum graduum, & sic u. g. si à materia informata forma ignea auferrentur sex gradus caloris .s. remanerent duo, attamen destrueretur forma ignea, quæ exigit habere primam qualitatem caloris intensam, ut octo, quare, &c. 9

Ob. 8 ex eodem. In mixto potest esse tale têperamentû qualitatû, quale reperiri potest in elemento aliquo singulari quod incorruptum maneat substantialiter, ergo remissio qualitatum non potest esse causa interitus formarum substantialiû in elemêtis, dum ex ipsis producitur mixtum; prob. antecedens; terra enim u. g. calore solis imp[e]tita, & aqua permixta non amittit formam substantialem propriam, & tamen ad temperiem reducitur frigiditas illius, & siccitas, per calorem, & humiditatem.

Ref-

Resp. dato antecedenti disti. consequens, remissio qualitatum, &c. quæcumq. remissio, con. consequentiã, talis remissio, & nego consequentiam, quando enim ex elementorum corruptione debet produci mixtum, talis debet esse refractio, & remissio, ne dum primarum qualitatum, sed etiam aliarum, quæ sunt conseruatiuæ talis formæ elementaris, vt per ipsam necessariò corrumpatur forma substantialis; ne dùm enim per primas qualitates, sed & per cæteras conseruatur forma quæcumq. quare exemplum adductum ad confirmationem suæ sententiæ contra ipsum est, nam inquiro ego, terra calore solis tepefacta, & aqua permixta ad temperiemq. reducta in frigiditate, & siccitate, est ne mixtum, vel non? primum neq. ipse rationabiliter potest asserere, cum sit solùm mixtio accidentalis, ex qua habetur lutum, ergo secundum necessariò est fatendum; At quare non est mixtum, licet in ipsa sit temperamentum primarum qualitatum? non alia de causa responderi potest, nisi quia non taliter fuerunt refractæ illius primæ qualitates actiuæ, nec cæteræ conseruatiuæ formæ elementaris taliter fuerũt corruptę, vt & necessariò corrumpi debuerit forma substãtialis elementaris, ergo ex hoc deducitur, quòd quando producitur mixtum, tales qualitates, & primæ actiuę, & cœteræ subordinatæ ita refranguntur, vt illis refractis, & cæteris corruptis, nequeat conseruari forma elementaris, quæ ideò destruitur.

Hæc sunt principaliora argumenta, reliqua his
10 similia facilè allatis rationibus effugiuntur, & præcipuè illis, quibus duas formas substantiales totales asseruimus impossibiles in eodem subiecto, & quibus formas non integras negauimus posse dari. Videantur apud Mastrium loco supracit. Aresium primo de Generatione quest. 51. sect. 1. Auersam quæst. 43. de corporibus mixtis sect. 3. & alios.

Quæres 1. An omnia elementa sint necessaria ad mixtionem.

Resp. ad perfectum mixtum requiri concursum omnium elementorum cum suis primis qualitatibus. Ratio est, quia in mixto perfecto debet esse debitum temperamentum, quod non potest esse, nisi ex refractione primarum qualitatum, sed non refranguntur qualitates nisi à contrarijs, ergo omnes sunt necessariæ ad perfectum mixtum.

Resp. 2. Probabiliùs esse, non omnia elementa esse necessaria ad mixtum imperfectum, sed solùm duo sufficere; Ratio autem est, quia mixtio dicitur esse miscibilium alteratorum, sed non omnium, ergo non omnia requiruntur; tùm quia Ignis non semper videtur concurrere, maximè quãdo mixta generantur in Aqua, aut Aere, non est enim dicendum, particulas ignitas esse vndiq. sparsas propter generationes mixtorum, nam si hoc esset, quomodo in vastitate Oceani non extinguerentur? quomodo puluis tormentarius ab illis nõ accenderetur? quomodo animal viueret illas attrahendo respiratione? tum deniq. quia etiamsi calor in aliquibus mixtis esset necessarius, hic posset produci à cœlis, & ita Ignem secundùm suam qualitatem non est semper necesse ingredi formaliter in mixtis.

An autem ex vno solo elemento mixtum gene-
tari possit, affirmatiuè credit Mastrius loco su- 11
pracit. existimatq. pisces ex sola Aqua generati, sed dato quod hoc esset, improbabile enim non est, talis non esset appellanda mixtio, sed solùm generatio mixti, cum non præcesserint miscibilia, neq. eorum alteratio, & corruptio.

Quæres 2. Quid, & quotuplex sit temperamentum in mixtis.

Resp. Temperamentum esse combinationem primarum qualitatum taliter refractarum, & attemperatarum. Hoc autem duplex est, aliud dicitur ad pondus, aliud ad iustitiam; temperamentum ad pondus est contemperatio primarum qualitatum in gradibus æqualibus, & sic illud mixtum dicetur habere temperamentum ad pondus, quod habebit quatuor gradus, vel quinque omnium qualitatum; temperamentum verò ad iustitiam est talis temperatio qualitatum, vt licet mixtum plures gradus habeat de vna, quàm de altera, hoc tamen sit ad iustitiam .s. ita exigente natura mixti, sic in homine v. g. dicitur esse temperamentum ad iustitiam, quia licet in illo sint plures gradus caloris quàm frigoris, humiditatis quàm siccitatis, hoc tamen exigitur à natura hominis.

Coll. primò. Illud elementum dici prædomi- 12
nari in mixto, cuius qualitates minùs refranguntur in mixtione, sic v. g. in mixto ligneo, terra dicitur prædominari, quia siccitas, & frigiditas magis viget, quàm aliæ qualitates, in vino prędominatur aqua, &c.

Coll. 2. Formam mixti aliquam affinitatem habere cum formis elementorum, præcipuè prædominantium; hoc patet ex eo, quia habet virtutem naturalem reproducendi, non tamen in summo, qualitates proprias illorum elementorum, sed ex operationibus arguitur similitudo aliqua in formis, ergo &c.

Coll. vltimò. Etiam vnum mixtum posse ex alio generari, vt patet in viuentibus, quorum partes, Sanguis, Caro, &c. ex mixtis quibus vescuntur, generantur; hæc autem non est vera mixtio, sed mediata, immediata est enim quę immediatè fit ex elementis.

SECTIO III.

An mixtum possit in se elementum conuertere.

CElebertima est hęc questio inter Doctores, quãplurimosq. tam affirmatiuæ quàm negatiuæ sententiæ enumerat sequaces; sensus autem quæstionis est, an mixtum proprijs primis qualitatibus refractis, habeat vim in se transmutandi aliquod elementum, & de Vino principaliter contendunt Doctores, an .s. Vinum possit Aquam, saltem in minima quantitate, proprijs viribus in se conuertere. Quæstio tamen vniuersaliter procedit, tàm

de

de mixtis animatis, quàm de inanimatis.

13 Prima Conclusio. Mixta animata possunt in se elementa conuertere, atq. adeò elementum potest esse nutrimentum mixti animati. Ita Mastrius disp. 7. de Generatione quæstio. 4 Articulo primo, Auersa quæst. 50. de anima vegetatiua sec. 3. & alii pauci.

Prob. autem experientia. Multa animalia teste Aristotele 8. de hist. animalium cap. 6. vel terra solùm, vel limo, (qui est quid accidentaliter coniunctum ex terra, & Aqua) nutriuntur, vt Talpæ, Capirones, & Testacea; alia sola aluntur Aqua, vt Anguillę, alia solo Igne depascuntur, vt idem refert lib. 5. de hist. animalium cap. 10. Camaleon etiam teste Plinio lib. 8. cap. 33. solo aere viuit; item plantæ ex terra, & aqua accidentaliter mixtis nutriuntur, immò à terra diuulsæ, & in aqua detentæ, sola nutriuntur aqua, ergo dicendum est, aliqua mixta animata posse elementa in se conuertere.

Neq. dicas, elementa non esse pura, & ideò, qui elementis depascitur, etiam aliquibus corpuscula mixtis vescitur.

Resp. enim, Quòd de elementis prout sunt loquimur, & de illis nutriri mixta animata dicimus, nam, licet elementa non sint pura, attamen retinent suam formam substantialem elementi, corpuscula enim admixta, sunt in minima quantitate, nec ideò sufficientia ad nutritionem, quare propriis elementis verè nutriuntur assignata mixta, & de plantis tamen est certum, vt hoc negans, contradiceret quotidianæ experientiæ.

14 Secunda Conclusio. Etiam aliqua mixta inanimata possunt in se conuertere elementa; atq. adeò Vinum, Aquam, in proportionata quantitate, in se transmutare potest. Ita Conimbricens. primo de Gener. cap. 10. quæst. prima art. 2. Suarez 3. par. tom. 3. disp. 45. sect. 4. Vasquez de Eucharis. disp. 178. num. 4 Contar. tom. 2. quæst. de mixtis cap. 2. Spinula in lib. de Gen. disp. 6. sect. vlt. Auersa quæ. 44. de mixtis inanimatis sect. 3. & alii multi; contra tamen ferè recentiores omnes Picolom. primo de Gen. in tex. 74. & 88. Licetum lib. 2. de his, quæ diù viuunt sine alimento cap. 41. Dandin. 2. de An. digress. 25. Aguil. lib. 5. optic. propos. 18. Conineh. de Sacra. quæ. 74. art. 8. dub. vnico, Ioan. de Lugo de Euch. disp. 4. num. 54. Guarinum disp. 3. de mixtione exp. 12. Morandum 2. de Gen. tract. 2. quæst. 4. Mastdisp. 7. de Generatione quæst. 5., & præcipuè nostrum Aresium, qui & primò de Generatione quæ. 42. sect. 2. & in quodam alio libello, infinitis auctoritatibus, rationibus, & experientiis subtilissimè, & ingeniosissimè conatur ostendere huius conuersionis impossibilitatem naturalem.

Prob. primò. Aqua infusa in musto dum ebullit, vel in aceto, in illud conuertitur, ergo vera conclusio; antecedens patet ex eo quia, post aliquod tempus inuenitur acetum tàm acre, quàm antea, immò etiam aliquando per infusionem Aquæ acescit magis, quod etiam euenit in musto, conuertitur enim totum in vinum, ergo mixtum potest &c.

Prob. 2. Mixtum inanimatum potest elementum in aliud transmutare, ergo poterit etiam in se conuertere, Consequentia, supposito antecedenti, est euidens; prob. ergo antecedens, Calx ita calefacit Aquam, vt in vaporem, ac aerem transmutet, ergo &c. Neq. dicendum est, illas euaporationes non esse aqueas; Nam humectant, humiditas autem nullo pacto potest euenire à calce, quæ est siccissima.

Prob. 3. Tùnc duorum potest dari mutua conuersio, quando in his reperiuntur qualitates contrariæ, ratione quarum possit dari mutua reactio, sed hoc est in casu nostro, ergo &c. prob. min. præcipuè de vino respectu Aquę; vinum habet calliditatem, Aqua frigiditatem, sed hæ duæ qualitates sunt actiuæ, & contrariæ, ergo secundum ipsas possunt agere, & per consequens, vel Aqua in se vinum potest conuertere, vel è contra, ergo &c.

Neq dicas ex Aresio. Calorem in vino nō esse formaliter, cum vinum sit potius formaliter frigidum, sed solùm virtualiter, atq. adeò non posse agere in Aquam, qualitates enim virtuales non operantur, nisi excitentur à formalibus, vt pater in pipere, veneno, atq. ipso vino, quæ non calefaciunt, nisi excitentur à calore stomaci.

Resp. enim. Negando, aliquos gradus caloris non reperiri etiam formaliter in vino, quòd patet ex eo quia, liquor vulgò *Aqua vita* vocatus, qui ex vino conficitur, accenditur, sed non posset accendi, nisi aliquos gradus caloris formaliter haberet, ergo dicendum, etiam vinum, ex quo talis liquor conficitur, aliquos gradus caloris formaliter habere, licet non sentiantur ob illorum paucam intensionem, sicuti neq. sentiuntur in Aqua vita. Deinde dato etiam quòd calor solùm virtualiter reperiretur in vino, respondeo, quòd per mixtionem aquæ, excitaretur, & formalis euaderet, nam non semper calor virtualis debet à calore formali excitari, sed etiam à contraria qualitate potest ad formalem excitari, vt patet in Calce, quę secundùm ipsum Aresium primo de Gener. disp. 42. sect. 15. continet solùm calorem virtualiter, & tamen ad calorem formalem excitatur, vel ab humiditate, vel à frigiditate Aquæ, non autem à calore, quare etiam calor virtualis vini posset excitari ad operandum à frigiditate Aquæ, qua in illud agere tentaret. Sed.

Inst. ex eodem; Qualitates vini actiuæ, dato etiam quòd in ipso sint formaliter, sunt tamen refractæ, non in gradu excellenti, vt in Aqua, ergo secundùm illas in aquam non potest agere, atq. adeò neq. illam in se conuertere, consequentia probatur, quia quod est debilius, non potest vincere fortius. 15

Resp. Neq etiam animata habere in se qualitates in summo, & tamen posse elementa in se conuertere, quare sicuti mixta animata,

& per proprias qualitates refractas, & per uirtutes occultas alterant elementum, illudque postea transmutant in propriam substantiam, ita dicendum de quibusdam mixtis inanimatis, quòd scilicet habeant quandam virtutem sibi connaturalem, ratione propriæ formæ, qua valeant sibi assimilare materiam, in lis qualitatibus, in quibus differebant, & etiam in propria forma substantiali. Neq. enim valet quod natura solùm hanc potentiam tribuerit illis corporibus, quæ conseruari non possunt absq. alimento, vt sunt mixta animata, & etiam Ignis; Nam est responsio, quòd illis corporibus hoc tribuit natura ex necessitate, aliis verò absq. necessitate, vt patet in elementis, quæ licet, præter Ignem, possint conseruari absq. potentia transmutandi in se aliud corpus, tamen talem potentiam habent, vt iàm diximus, quare hanc etiam potentiam potuit tribuere alicui mixto, quale est Vinum.

Deinde dicat mihi Aresius, vel Vinum est omnimodè simile in qualitatibus formalibus Aquæ, vel non; si primum, ergo eosdem omnino producet, & patietur effectus, ac aqua, quod est falsum, vinum enim purum expositum aeri frigidissimo non congelatur, sicuti Aqua; item aqua vitæ, ex ipso efformata accenditur, quod sic non euenit in aqua, licet stillata, & subtilissima: si secundum, scilicet si non est simile, ergo in solo calore dicendum est non conuenire, in humiditate enim, & frigiditate conueniunt.

Insuper dicat mihi, calor formalis, qui est in vino, licet in minima intensione, vel potest aliquid agere in frigiditatem aquæ, vel non; secundum non potest dici, quia cum sint qualitates contrariæ inuicem debent agere, non enim implicat, calorem vt duo, agere in frigiditatem vt octo, quia adhuc actio proueniret ex proportione maioris inæqualitatis, potentia enim actiua caloris superaret potentiam resistitiuam frigoris; tum quia, si non posset agere, & de facto non ageret, ergo gutta aquæ posset in se magnam quantitatem vini conuertere, ex eo quia habet qualitates actiuas in excellenti gradu, ergo illis poterit superare calorem formalem vini, si illud non resisteret agendo, & ita illud in se transmutare, dum ergo Aqua in parua quantitate in se vinum non transmutat, dicendum est, vinum agendo illi resistere.

16 His ergo probatis, sic arguo contra ipsum, & confirmo conclusionem. Vinum suo calore formali, licet remisso, aliquid potest agere in frigiditatem Aquæ, sed Agens debilius perseuerando in actione potest passum, licet se potentius, tandem superare; ergo vinum si erit in maxima quantitate, vt possint nouæ, & nouę particulæ vini semper aduenire refrangentes qualitatem Aquę, poterit tandem illam superare, & in se conuertere; min. prob. nam parua gutta aquæ excauat lapidem super illum decidens, formica etiam sæpè super lapidem transiens aliquantùm illum collimat, & tamen resistentia lapidis excedit actiuitatem formicæ, & guttæ; Neq. valet, resistentiam lapidis non esse actiuam, sicuti est illa Aquæ, nam licet resistentia Aquæ sit actiua, attamen etiam potest superari à continuatione actionis Agentis illam refrangentis, maximè quia per suam formam, gradum refractum reproducere nequit, quia a contrario Agente, à Vino scilicet semper de nouo succedente, & nouum gradum semper de nouo corrumpente, impeditur; quare diximus, vinum debere esse in maxima quantitate, nam cum Agens agendo repatiatur, illa pars, quæ primò agit in Aquam, non potest iterum agere cum sit debilitata, sed alia requiritur, hoc autem faciliter euenit, cum aqua in mixtione, & motu, hinc, & inde diffundatur.

Confirmatur secundò, etiam dato quòd calor formalis non inesset vino. Mixtum potest aliud simile in qualitatibus actiuis in se conuertere, ergo dato etiam, quòd in vino non esset calor formalis, posset aquam in se conuertere, antecedens prob. acetum enim in se transmutat vinum, & tamen ambo sunt humida, & frigida formaliter; sicuti ergo acetum simile vino in qualitatibus formalibus, vel per qualitates virtuales excitatas, vel per virtutem aliquam propriæ formæ, vinum in se transmutat, hoc etiam poterit dici de vino respectu aquæ.

Confirmatur 3. ex eadem suppositione quòd 17
non habeat calorem formalem. Ex Aristotele primo de Generatione textu 88. gutta vini posita in maxima quantitate Aquæ, in Aquam transmutatur, ergo etiam gutta Aquæ posita in maxima quantitate vini, in vinum debet transmutari. Consequentia prob. nam transmutatio vini in Aquam, uel prouenit à qualitatibus actiuis, uel a forma aquæ, uel à quantitate; non primum, conueniunt enim in illis formaliter, cum tàm uinum, quam Aqua in Aduersariorum sententia sint solum formaliter humida, & frigida; non secundum simpliciter, alioquin minima gutta Aquæ posset in se uinum transmutare, cum haberet formam substantialem Aquæ; Neq. tertium simpliciter, quantitas enim, ut potè talis, non est actiua, ergo dicendum talem conuersionem fieri, & ratione formæ substantialis, & ratione illius extensionis in magna quantitate, sicuti etiam uidemus, ignem paruum, licet sit substantialiter ignis, non liquefacere metalla, quod facit Ignis magnus, ergo hoc poterit dici de uino respectu Aquæ, quod scilicet illam transmutet non simpliciter ratione proprię formæ, & qualitatis, sed etiam propter extensionem in magna quantitate, ratione cuius extensionis, modò una particula uini, modò alia disponit materiam, quæ erat sub forma aquæ, ad recipiendam formam Vini.

Ob. primò contra secundam conclusionem. Vinum per infusionem aquæ euadit debilius, ergo signum est, ibi remanere substantiam Aquæ, & non transmutari; consequentia

Prob.

prob. quia si aqua corrumperetur, saltem post aliquod tempus uinum per propriam formam reproduceret qualitates deperditas in reactione cum aqua, ut facit aqua calefacta, quæ ablato agente calefaciente, ad pristinam se reducit frigiditatem; item in uino post infusionem aquæ, illius remanent accidentia ut u. g. odor, si aqua erat odorosa, amaritudo, si amara, & etiam aliquantisper albescit, ergo signum est, ibi remanere aquam cum propria substantia, nec à vino corrumpi.

Resp. dato antecedenti, neg. consequentiam, nam ideò vinum debilius euadit, quia cùm omne Agens agendo repatiatur, ideò per actionem, qua aquam corrumpit, aliquantisper refractum remanet in qualitatibus suis, neq. illas repatare potest, vt potè debilitatum, sicuti etiam viuens, quod semper alitur, in progressu temporis languescit, & licet per multum tempus proprias vires repararerit, tandem ita debile euadit, vt priores vires in se resarcire nequeat.

18 Neq. dicas ex Aresio; Quòd si vinum poterit destruere totam substantiam aquæ, tantò magis poterit reparare vires deperditas in tali actione, nam cum in non viuentibus repassio aliud non sit, quàm receptio alterius contrariæ qualitatis, quę minor vtiq. est, in repasso, quam in passo, ergo si vinum superauit passum, scilicet aquam cum tota illius qualitate, poterit & hanc qualitatem in se receptam superare, atq. adeò ad pristinas vires se reducere.

Resp. enim. Vinum non posse proprias vires deperditas resarcire, quia vinum quod ex aqua fit, non est tam validum, quàm vinum productum ex vite; quod vinum cum sit vnitum cum alio, ideò totum debilius apparet.

Neq. valet, talem fore generationem, atq. adeò vinum genitum ex aqua debere esse eiusdem rationis, ac vinum generans, generatio enim tendit in perfectè simile. Nam hoc verum est, quando subiectum transmutabile habet aliquam symbolëitatem cum genito producto, non verò è cõtra, vt apparet ĩ generatione aquæ, quæ producitur ex aere, quæ citò euanescit, nec conseruatur, vt alia, quia non est tantę perfectionis.

Deinde. Ita agens agendo potest pati, vt amplius ad pristinum statum se reducere nequeat, vt patet in Aqua, quæ licet post calorem ab extrinseco in illa impressum se reducat ad frigiditatem, non tamen omnes vires acquirit, quas deperdidit, dum fuit calefacta, & hinc est, quòd infirmis aqua non in suo naturali, sed cocta tribuitur, aqua pluuialis magis ad irrigationem frugum est idonea, quàm alia, vtpotè à calore Solis, à quo fuit attracta, refracta in suo naturali, sic etiam aqua fontium est vtilior plantis, postquam à Sole est refracta in sua frigiditate, signum euidens, quòd post talem passionem caloris, non possit iterum ad pristinum, & perfectum statum se reducere; hoc ergo etiam poterit dici de vino, quare neq. ex hoc sequeretur inconueniens quod asserit Aresius; quod s. posset in infinitum augeri uinum, in ipsum aquam infundendo, nam ita debile potest euenire, ut postea aquam nequeat in se conuertere, quando enim diximus hoc posse euenire, intelleximus, si aqua immixta sit in minima quantitate, uinum uerò purum, & in maxima quantitate.

Quòd uerò aliqua remaneant accidentia Aquæ, hoc nobis non officit, quia cum non sint incompossibilia cum forma uini, & per nos accidentia subiectentur in materia, ideò licet corrumpatur forma aquæ, possunt illius aliqua accidentia ibi remanere; corrumpuntur ergo solùm ea accidentia, quæ exiguntur à forma aquæ, ipsorum enim est necessaria primò corruptio, ut forma substantialis aquæ postea corrumpatur. 19

Ob. 2. Vinum non habet caliditatem sufficientem ad corrumpendam aquam, ergo illam non potest in se conuertere; antecedens prob. quia dato etiam quòd aliquam caliditatem formaliter haberet, non tamen tantam, quantam habet aqua ebulliens, sed per hanc, aqua non corrumpitur, ergo tantò minùs per qualitatem calidam debilem, quam in illam produceret uinum.

Resp. Vinum non corrumpere aquam per qualitates, sed per propriam formam substantialem, qualitatibus enim solùm disponit aquam ad recipiendam formam uini, in quam postea materiam, corrupta forma aquæ, propriam formam similem introducit, quare cum in qualitatibus actiuis formalibus parum distent Aqua, & uinum, s. in solis aliquibus gradibus caloris, quos habet uinum, non aqua, ideò non tàm difficiliter introduci possunt à uino in aquam, quibus introductis, simul cum aliis dispositionibus productis à forma substantiali uini, uirtute formæ substantialis uini producitur in ea materia, quæ erat sub forma aquæ, illa corrupta, noua forma substantialis uini, atq. adeò optimè cognoscitur quare à calore uehementi quandò ebullit aqua, non corrumpatur, corrumpatur uerò in mixtione cum uino, ubi paruo afficitur calore, hic inquam corrumpitur, quia forma substantialis Vini, priùs introductis, & à se ipso, & à calore actiuo dispositionibus, uirtute propria corrumpit formam aqueam, & sibi similem producit.

Ob. 3. Ex dictis, elementum non potest aliud in se conuertere, ergo multò minùs hoc poterit præstare mixtum. Item quando Vinum primò generatur antequam euadat uinum, in uarias substantias in uite transmutatur, ergo hoc etiam deberet euenire in hoc casu, atq. adeò uinum non conuerteret in se immediatè aquam, sed potiùs illam transmutaret in alium liquorem. 20

Respond. nos non asserere uinum immediatè in se conuertere aquam, sed solùm simpliciter in se conuertere, quod posse facere elementum aliquod non negauimus, quare uel priùs Aqua transmutetur in alium liquorem, & postea in uinum, uel in uinum immediatè conuertatur, semper uerificatur nostra assertio, quòd uinum proprijs uiribus aquam in se conuertere ualeat, quæ potentia etiam aliquibus aliis mixtis per rationes supra allatas, non uidetur deneganda.

Ob. 4. Varia experientiis, ex quibus apparet, aquam mixtam vino, posse ab illo segregari, quas videre est apud Aresium locis supracitatis, ergo quia in illud non conuertitur aqua.

Resp. Illas experientias solùm demonstrare, magnam quantitatem aquæ immixtam vino posse ab illo separari, quòd, & nos concedimus, cum magnam quantitatem non possit in se conuertere, nulla tamen experientia, uel artificio extrahetur gutta aquæ immixta in dolio potentissimi uini, & maximè post aliquod tempus, neq. enim hoc dicimus fieri in instanti, sed tempore proportionato. Et hæc sufficiant dicta de mixtione elementorum.

DISPVTATIO VNICA

In Libros Meteorologicorum Aristotelis, Hoc est, De Meteoris.

POstquam Aristoteles in superioribus vltimis lib. de Cœlo considerauit naturam elementorum, proprietates, & affectiones inuestigauit, eorumq. mixtionem diligenti examinauit scrutinio; quatuor instituit libros Meteorologicos, seu de Meteoris inscribens, in quibus, de generatione quorumdam mixtorum imperfectorum ex elementis, quæ Meteora vocat, pertractat; & licèt hos libros inscribat de Meteoris, hoc est de rebus, quæ in parte sublimiori mundi generantur Μετέωρον enim græcè, idem est, ac sublime, latinè, attamen etiam in his pertractat de his, quæ in inferiori mundi parte aquæ, terræq. procurantur: quare sub hoc titulo absolutè comprehenduntur omnia, quæ in hac sublunari regione circa elementa contingere possunt; De his ergo & nos hic breuiter necessariora, ad complementum cursus Philosophici, perstringemus; diutiùs forsam, Deo dante, in explicatione horum librorum, immoraturi. Agemus autem primò de his, quę circa elementum Ignis contingunt, deindè successiuè de contingentibus circa cætera elementa. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

De Meteoris contingentibus circa elementum Ignis.

APud omnes etiam indoctos compertum est, quasdam quandoq. apparere in aere extraordinarias ignitas impressiones, flammarumque eruptiones, quæ quia non nisi rarò contingunt, ideò maximam admirationem, terroremq. etiam inspicientibus præbent. Hæ autem sunt Stellæ Cometę, Stellæ cadentes, Capræ saltantes, Fulgura, Fulmina, Tonitrua, Fax, Lancea, Iaculum, Ignis lambens, Draco volans, Castor, Pollux, Helena. De his ergo omnibus hic erit sermo.

Et primò aduertendum est; Materiam, ex qua huiusmodi Meteorologica mixta constant, esse halitus, seu exhalationes terreas, quæ à terra in supremas regiones aeris ascendentes, ibi accenduntur, huiusmodi autem exhalationes nihil aliud sũt, nisi quædam corpuscula, in quæ vi caloris celestis rarefacientis partes terræ, ipsa terra laxatur, & tenuatur, sicq. vtpotè rarior ascendit in aerem, vbi accenditur; sicuti etiam huiusmodi sunt vapores, ex aquis tamen originem ducentes, qui inseruiũt pro materia aqueis impressionibus, de quibus infra. Hæc autem est communior sententia, magisq. veritati, & experientijs adhæret, quidquid contra dixerint, & contradicant aliqui, pręcipuè respectu Cometarũ, quorum materiã quidam antiqui apud Arist. 1. Meteorum cap. 6. dixerunt esse Cælestem, ita quòd, vel Cometa sit vna magna Stella certis temporibus apparens tantummodo, vel combinatio, & congeries plurium stellarum, ita in vnum confluentium, vt vnam solam stellam efformare videantur. Quod autem huiusmodi ignitarum impressionum materia sint halitus, & exhalationes terreæ, tum ipsa auctoritate Aristot. & præcipuorum Astronomorum suadetur, tum rationibus, quia cum huiusmodi exhalationes, vtpotè siccæ, calidæ, pingues, crassæ & viscosæ, maximè sint aptæ dispositæq. ad incendium, cum in supremas regiones aeris ascendunt, vel calore ipsius regionis, vel radiorum solarium, facilè ignescunt; quod Conf. ex eo quia huiusmodi impressiones parum durant, eo s. tempore quo materia illa viscosa, ex qua nutritur ille ignis, consumitur.

sumitur. Quod Conf. etiam ex ipso Arist. ex eo, quia huiusmodi impressiones, maximè Cometæ, quando generantur, magni sufflant venti, signum euidens, magnas exhalationes siccas eleuari. Item magna contingit in terris siccitas, ob copiam .s. exhalationum calidarum, quæ aeré occupant. Quare dicẽdum absolutè est, materiam talium impressionum ignitarum, esse halitus, & exhalationes terreas, vel rariores, vel viscosiores respectu qualitatis impressionum.

2 Secundò aduertendum est. Causam effectiuam, siue à qua accenduntur tales æthereæ impressiones esse Solem, seu aliquod aliud astrum, ipse enim Sol, seu astrum postquam proprio calore, seu virtute occulta resoluit partes terræ in uapores, in illis postquam ad supremas regiones aeris peruenerũt, continuando suam successiuam actionem, producit formam ignis, si in talibus vaporibus adest pinguedo, & crassities requisita pro pabulo ignis.

Neq. enim est dicendum. Igniri tales impressiones, vel ex motu velocissimo, quo aer supremę regionis rotatur cum igne, vel à flammulis ex elemẽto ignis deorsum decidentibus, vel ob calorem illius regionis ob vicinitatem ignis, vel tandem ob antiperistasim causatam à frigore mediæ regionis aeris frigidæ. Cum enim firmissimis rationibus innixi, negauerimus existentiam ignis in concauo Lunæ, ideò ab igne non ibi existente, nequaquam tales impressiones igniri asserendum est; Neq. per antiperistasim accendi semper dici potest, cum tales impressiones accendantur, ne dum in suprema, & media, sed etiam in inferiori regione aeris, vbi Aer maximam non habet frigiditatem, vt enim refert Fromundus Meteor. lib. 2. cap. 6. accidit suo tempore, vt lintea subdium expansa, ab his impressionibus vstularentur; & item Castor, & Pollux *inter* nos, in antemnis .s. nauium, accenduntur. Quare supposito tamq. certo iuxta communiorem doctrinam, verè, & realiter aliquas ex his exhalationibus terrestribus ad supremam aeris regionem euectas accendi, aut inflãmari, non verò solùm cælesti lumine radiisq. solaribus illustrari, ut multi sunt opinati, inter quos Scaliger exercit. 79. in Cardan. Galilæus lib. Italicè inscripto *Il Saggiatore* Guiduccius lib. de Cometis, Cardan. Teles. Tasson. & alij, hoc inquam supposito, absolutè asserendum est, causam ignefactionis, seu accensionis talium impressionum ignitarum, esse ipsum Solem, seu aliquod aliud astrum operans uirtute occulta, quæ causæ, in talibus exhalationibus, utpotè in subiecto disposito ad formam ignis, ignem producant, nulla enim alia causa rationabiliter assignari potest, de secundis loquendo. His suppositis breuiter, quæ cuicumque ignitæ impressioni conueniunt, modò de singulis.

Stella igitur Comata, seu Cometa, est exhalatio
3 terrestris tenax, uiscosa, & unctuosa, eleuata ad locum, in quo conspicitur Cometa, ibiq. inflammata, & accensa, ut supra dicebamus, ab ipso Sole, aut ab aliquo alio astro. Ita cum Philosoph. 1. Meteor. cap. 7. ferè omnes, præcipuè recentiores.

Varia autem sunt genera Cometarum, aliqui enim, radios, seu comam, à qua nomen accipiunt, vndequaq. sparsam, & per totum circuitum circonfusam habent; alii verò ex sola vna parte; qui habet comam circumcirca, dicitur Cometa crinitus; qui verò in vna sola parte, si oblongam habet, vt fuit qui vltimò anno 1664. apparuit, caudatus appellatur, si verò breuiorem, barbatus, hæ autem differentiæ sunt solùm accidentales, à diuersa solùm figura, & magnitudine prouenientes, immò quandoque apparuerunt Cometæ absque vlla coma, sed tamquam magnæ stellæ præ cæteris rutilantes.

Huiusmodi cometæ, vt ab Astronomis diligenter obseruatũ est, mouẽtur motu regulato, sicuti, & cętera sydera, tũ motu ab Oriente in Occasũ, tũ à Septẽtrione in Austrũ, siuè è contra, aliqui etiã dixerũt ab Occasu in Oriẽtẽ, sed hic nõ est verus, sed imaginarius motus, seu retardatio sui primi motus, facta comparatione ad punctum cæli, à quo initio sui ortus recessit Cometa, vt dicebamus in disp. de Cælo respectu motus proprij communiter ab antiquis adscripti planetis, errantibusq. stellis ab Occasu in Ortum. Magna autem difficultas oritur à quonam habeatur talis regulatus motus cometarum. Alii enim, vt Conimbricenses, aiunt moueri Cometas attractos, seu per impulsum alicuius syderis, in materiam Cometæ prædominantis; alii vt iidem Conimbricenses, à se ipsis moueri ratione ignis, ex quibus constãt, serpentis ad illam partem, vnde noua materia exhalationum suppeditatur, ad inquirendum pabulum sibi necessarium; Alij etiam vt Rothmanus, à quo non discedit Thico, asserũt, moueri ab Intelligentia aliqua, sicuti cætera mouentur errantia sydera. Fateor, circa talis motus causam, certum iudicium dari non posse; quare & hic inter illos effectus est enumerandus, cuius causa certa adhuc sub nube est. 5

Quare autem solùm raro appareant huiusmodi Cometæ .i. communior opinio sit, hoc esse, quia solùm apparent ad infaustos effectus præsagiẽdos, attamen re vera hoc prouenit, quia nisi solùm ob maximam copiam exhalationum ascendentium ad supremas regiones aeris, generari possunt, quæ cum in tanta copia non ascendant, nisi ob maximum excessum caloris, qui non ita continuò accidit, ideò raro solùm apparent; Tuncq. ne dum portendunt, sed & producunt infaustos successus, vt validissimos Ventos, Caliditatem, Siccitatem, Terremotus, Sterilitatem fructuum, Inundationes aquarum, Mortalitatem animalium, Mortem Principum, & huiusmodi, & hæc naturaliter, cum enim generentur, vt supra, per ascensum multarum exhalationum calidarum, qui non potest esse, nisi tempore calido, & sicco extraordinariè, & per consequens magnam in aere intemperiẽ causando, inde euenit, vt infausti eueniant effectus, morsq. succedat Principum, non quia in illos præcipuè dominetur Cometa, sed quia vtpotè delicatioris naturę, faciliùs ab influxibus inficiuntur malignis. Non nego tamen, quandoq. huiusmodi portenta à diuina prouidentia ordinata esse ad talia infortunia præsagienda; sic refert Iosephus lib. 7. de Bello Iudaico, inter alia portenta, Cometam quendam gladii forma, per annum ante Ierosolimitanæ Vr-

bis

bis excidium demonstrasse; sic credi potest, duos Cometas, qui apparuerunt annis 1558. & 1559. ex diuino decreto præsagisse mortem Caroli V. Imper. Pauli IV. Pontif. Regis Franciæ, Regis Angliæ, Regis Lusitaniæ, Regis Duciæ, Reginæ Poloniæ, Angliæ, Vngariæ, Franciæ, Ducis Venetiarum, & Ferrariæ, 15. Cardinalium, qui tunc temporis mortui sunt, vt refert Zanard. part. 3. vniuer. elem. quæst. 8. deniq. non incongruum erit dicere, quòd Cometa, qui vltimò visus anno 1664. Mense Decembri, durauit per multos dies anni subsequentis, portenderit mortem Principum, siccitatem maximam, & inundationes aquarum, quæ subinde euenerunt, post talem enim apparitionem enumeratur mors plurimorum Principum, Regis s. Hispaniarum, Reginæ Matris Galliarum, Ducis s. Parmæ, Ducis Mantuæ, Principis Guastallæ, duorum Archiducum Austriæ, Principis Bauariæ, &c. maximè etiam inundationes, & siccitates fuerunt; Et hæc de Cometis, forsan de his diffusiùs aliàs, Deo dante.

Apparent insuper aliquando in aere, præcipuè tempore æstiuo, quædam flammulæ ad instar Stellarum, vocanturq. Stellæ cadantes, quia hinc, & inde mouentur, & tandem dum euanescunt, è cælo cadere videntur; hæ autem sunt exhalationes siccæ, & quæ in aerem vi Solis attractæ, accenduntur durantq. quoadusq. consumitur materia, ex qua sunt compositæ, sicuti etiam huiusmodi sunt aliæ impressiones, seu imagines ignitæ, quæ pariter conspiciuntur, vel ad modum Lanceæ, Trabis, Sagittæ, aut Pyramidis, ideò Fax, Lancea, & Iaculum appellatæ, uel protensæ in longum, & per cumulos interruptæ, qui cumuli, seu globi, per quædam ligamina, & tenues partes connectuntur ad modum coronæ precariæ, quæ Capræ saltantes vocantur, eo quod uno globo post alium ignem concipiente, ueluti saltus tales impressiones efformare uidētur, uel ad modum Draconis uolantis, uel alterius figuræ, quæ hic apud nos in infimo regionis aereæ accēdūtur, quæ quia hùc, illùcq. discurrunt, modòq. homines ambulantes antecedunt, motæ, & impulsæ à motu producto in aere ab ijsdem hominibus, vel subsequuntur ad replendum locum relictum, ideò ignis fatuus appellantur; vel quæ hic pariter accenduntur, vocanturq. ignis lambens, eo quod soleant afficere hominum comas, vel deniq. quæ in mari à nautis in antemnis nauium solent conspici, quæ quando sunt duæ, appellātur Castor, & Pollux, quando verò vna tantùm, Helena.

Aliud Metoron circa ignem in nubibus generatur, estque Fulgur, quod nihil aliud est, nisi exhalatio sicca, & calida, facilisq. ad flammam concipiendam, quæ intra nubem clausa, tum ut contrariā humiditatem, & frigus fugiat vi Antiperistasis, tum virtute alicuius Astri in ipsa prædominantis, rarefit, & accenditur, sicq. ex ipsa nube erumpens, flāmam concipit, quæ tamen citò deficit, & euanescit, ex defectu pabuli.

Ex hoc autem euenit Tonitruus, qui nihil aliud est, nisi vehemens sonitus ab exhalatione excitatus in fractione nubis, dùm enim talis exhalatio sicca accenditur, vapore rarior effecta, maioremq. exigens locum, intra nubis claustra ampliùs restringi impatiens, hùc illùcq. circumcursat quoadusq. nubem effringendo, & dissipando, reboat in tonitruum; hincq. euenit, ferè semper cum fulgure associari tonitruum, quia s. dum fulgur erumpit ex nube illius claustra discerpendo, magnum emittit sonum, tonitruumq. causat, & s. priùs fulgur conspiciatur, quàm audiatur tonitruus, s. tamen prior sit fractio, & laceratio nubis, & per consequens tonitruus, hoc prouenit, quia species visuales in quacunque distantia ab obiecto, citiùs in oculum perueniunt, quam species soni.

Quòd si aliquando tonitruus absq fulgure auditur, huius rei causa est, vel quòd fulgur frangit nubem, ab illaque erumpit versùs illius partem superiorem, atq. adeò ob illius opacitatem à nobis nō cōspicitur, vel quia tūc ex alia causa talis habetur tonitruus, ex vehemēti s. collisione nubiū ad inuicem, sicuti enim ex collisione aquarum s. aquæ non sint corpora dura, tamen magnus producitur sonus, & strepitus, sic & haberi potest ex vehementi collisione nubium ad inuicem, maximè quòd cum nubes sint crassiores, & densiores, quàm exhalationes ab ipsis erumpentes, si exhalationes infringentes nubem causant tonitruum, possunt & causare inuicem nubes se collidendo, & infringendo, & hoc sustinent multi præcipuè Seneca lib. 2. naturalium quæst. cap. 17. Lucretius lib. 6. sui poematis, Conimbricenses in lib. Meteor. tract. 2. cap. 3. 10. de S. Thom. tract. 3. cap. 3. Mastrius disp. 4. in lib. de cœlo quæst. 2. ar. 3.

Quòd postea fulgur absq. tonitru aliquā lo emicet, hoc puenit, vel quia nubes, a qua fulgur erūpit est admodū tenuis, atq adeo tacitè absq. strepitu scinditur, vel quia exhalatio, quæ ac editur est propè extremam nubis superficiem, atq. adeò illicò absq. tonitru ab ipsa erumpit.

Fulgur autem aliquando vertitur in Fulmen, aliud Meteorum valde metuendum mortalibus; quare est illud Senecæ dictum, *Fulgur nihil aliud esse, quam flammam futuram fulmen, si plus virium habuisset*, est autem fulmen exhalatio sicca, & calida valde obdurata, & condensata, intraq. nubem ignita, indeq. magno impetu nubem frangens ad nos præcipitans ad modum durissimi lapidis igniti. Huiusmodi autem exhalationes siccæ, & calidæ quæ in fulgura conuersæ fuissent, ideò fulmen efformant, quia in maxima copia intra eamdem nubem ascendunt, sicq. ad magis resistendum humido, & frigido, magis condensantur, & constipantur, & veluti in lapides obdurantur, quare igne vehementi concepto, tanto cum impetu nubiū claustra infringunt, & præcipitantur in terras: licet etiam probabilissimum existimem, quod ait Guarinus ex testimonio aliorum disp. 4. de Meteoris exp. 3. ideò exhalationes siccas, & calidas in fulmina conuerti, quia illis additur materia alterius & admodum incertæ rationis, in qua tantus, & sic vehemens producitur ignis ab astris hoc autem suadetur ex diuersitate effectuum, promanantium ab ipsis fulminibus; aliqua enim comburunt ensē intacta vagina, alia ossa animalium incinerant, conseruata carne; aliqua corpus venenatum purgant,

gant, purgatum verò venenant; aliquos alios insignes producunt effectus, quos videre est apud Auctores; quare ex talibus diuersis effectibus, benè arguitur, non eādem, sed diuersam esse materiam, ex qua producuntur fulmina, causæ tantæ diuersitatis effectuum. Et hæc sufficiant breuiter dicta de Meteoris contingentibus circa elementum Ignis plura videre est apud Auctores.

SECTIO II.

De Meteoris contingentibus circa Elementum Aeris; Vbi de Ventis.

METEORA, quæ circa elementum aeris contingunt, sunt Venti. Communior enim opinio antiquorum Philosophorum, quos sequitur Isidorus lib 3. Etimolog. Damascenus 2. Fid. Hippocrates in lib. de Flatib. Seneca lib. 5. Natur. Vitruuius lib. 1. Architec. cap. 6. Copernicus lib. 1. cap. 8. reuolut. Card. lib. 1. cap. 1. variet. Pontius. dis. 28. in Phys. de Met. quæs. 3. Aref. 2. de Gen. quæs. 10. sec. 2. Guar. in lib. de Gen. dis. 2. exp. 6. & alij multi præcipuè recentiores contra tamen Aristotelem, & Peripateticos omnes, cōmunior inquā opinio est, Ventum nihil aliud esse, nisi aerem motum, experimur enim, quòd quando flabello aer mouetur, eodem modo sentimus ventū, ac quando naturaliter insuflat, item cū folles comprimuntur, mouentq. aerem vicinum, ventum causare dicuntur; quare hoc tanquā certo supposito, ipsaq. experientia cōprobato, de ventis hic, tanquā de meteoris circa elementum aeris contingentibus agemus. Relictis autem quę sunt certa, quæ incerta, adhucq. recōdita in thesauris naturæ, quātùm fas erit, inquiremus, præcipuè scil. qualis sit causa effectiua tam vehementis, validissimæq. motionis aeris; 1. enim quotidie ipsam experiamur, adhuc certam causam ignoramus; Ideò & D. August. in psal. 134. super illa verba *qui producit ventos de thesauris suis.* dicebat *Qua flat ventus sentis; quā causa flat; vel de quo thesauro rationis eductus sit; nescis.*

8 Alij ergo dixerunt cum Aristotele 2. de Meteor. cap. 4. causari ventum motu raptus, & cæli vertigine mouente exhalationes calidas; Aristotelem secuti sunt D. Th. 2. Meteor. lect. 8. Bucces. lect. 8. a. Buridan. & Alij; sed hæc ratio minimè est conformis veritati. Tum quia, sicuti supra probauimus, neq. planetæ neq. eorū cæli rapiūtur à primo mobili, ergo tātò minus ab ipso rapi possūt, aut exhalationes causantes ventum, aut ipse aer, vt tam vehementer moueatur. Tum quia motus raptus esset vniformis si daretur, at non vniformiter, sed modo vehementer agitatur aer, modò lepidè spirant auræ, ergo non a motu raptus cieri, indubitanter asserendum est.

Alii supponentes ventum nihil aliud esse, nisi exhalationes calidas, dixerunt, prouenire ventum, eo quia cum tales exhalationes ascendunt ad mediam regionē aeris frigidissimam, ideo ratione frigoris illius regionis reuerberantur, & deorsum repelluntur, atq. adeò magnam hoc pacto comotionem in aere causant, & ita videntur sentire Conimbricenses, Tataret. Albertus, Thienensis, Cottunius, & alii; Sed neq. hæc ratio conuincit, tum quia non apparet, quomodo frigus illius regionis tantam actiuitatem habeat ad repellendas deorsum exhalationes calidas illùc ascēdentes, cum ex alio capite sit certum, exhalationes calidas, vel in illa regione accendi, vt supra diximus, vel per illam ad supremam aliam regionem transire ad præbendam materiam meteoris, seu impressionibus ignitis. Tum quia nō in obliquum, & lateraliter perflarent venti, sed motu recto super capita nostra eos sentiremus, cum tales exhalationes directè versùs terram propellerentur; quare neq. hæc opinio, &c.

Alii ergo & meliùs, causam principaliter effectiuam agitationis aeris, & productiuam ventorū dicunt esse Solem, aliaq. sydera, per suas influentias occultas. Ita Auersa quæs. 42. de Meteoris sec. 4. Angestus lib. 2. pag. 83. §. *his præmis.* Mastr. disp. 4. de Meteoris quæst. 3. art. 2. Aresiua 2. de Gen. quæst. 10. sect. 2. §. *decimum experimentum* Spinula disp. 6. in lib. de Gen. sect. 3. Guarinus in lib. de Gen. disp. 2. de Meteor. exp. 6. & alij. Hoc autem suadetur rationibus. Tum quia ex certa combinatione, coniunctione, ortu, & aspectu syderum aliqui oriuntur venti, vt experientia constat, ab Astrologisque prædicuntur, ergo. Tum quia Oriente Sole, auræ spirant mites ab Oriente, declinante verò Sole, ab Occidente, ergo. Tum quia cū nulla alia causa rationabiliter sit assignabilis, recurrendum est ad influxum syderum, qui tanta, & tam varia in his sublunaribus causat.

Dubitatur autem, quomodo tantam agitationem & motionem in aere causare, & producere possit. Dicimus ergo ferè cum omnibus præcitatis Doctoribus, & præcipuè Guarino, hoc facere per rarefactionem, & constipationem ipsius aeris, vel vaporum, & exhalationum, aut per eleuationem seu expulsionem eorumdem. Quod sic explicatur: Sol, aut aliquod aliud Astrum influens sua virtute in aliquam determinatam partem aeris, vel in aliquem vaporem existentem in aere, illum rarefacit, ex quo euenit, quòd ita rarefactus maiorem locum occupare exigat, quem locum illi cedere debens aer circumuicinus, alium locum, repellendo ab illo aerem, occupare debet, & sic successiuè, ex quo euenit magna agitatio aeris, quæ insuper, & causatur à restrictione eiusdem, dum enim virtute alicuius syderis constipatur, & constringitur aer, ad replendum locum ab illo relictum, succedere debet aer circumuicinus, & deinde alius pariter circumstans, & sic magnus habetur motus aeris. Qui motus pariter haberi potest, quādo magna copia vaporum, aut exhalationum attrahitur in aerem à syderibus; cum enim aer illi cedere debeat locum, ideo agitatur, & mouetur, quod insuper, & facit ad occupandum locum relictum ab his exhalationibus, & vaporibus, aut descendentibus, aut depulsis in terrā; & hac ratione forsan quidam dixerunt, ventum consistere in talibus exhalationibus,

bus, & vaporibus, per accidens enim solùm aliquando prouenit ab his exhalationibus, cũ sumaliter ipse sit motus aeris; Et hinc euenit quod tempore Verni, & Autumni, quando magna suppetit copia exhalationum, magni oriantur venti.

Mouetur aut lateraliter aer, & vehemẽs flat vẽtus. Tum quia sydus causãs rarefactionem non directè respectu nostri, sed à latere influit in ipsum, atq. adeò indirectus influxus, indirectum & motum causat. Tum quia, non ibi, vbi incipit rarescere aer, sentitur ventus, sed procùl multum, atq. adeò potest esse, quòd cum circumquaq. rarefiat aer, licet à nobis lateraliter flatus ventorum sentiatur, tamen sub loco, in quo incipit motus aeris, directè, & perpendiculariter sentiatur; immò etiam nos hoc experimur in quibusdam ventis qui Turbines, seu Typhones appellantur, qui directè super nos descendunt, ex eo quia .s. vel astrum à quo causantur, vel locus vbi incipiunt, sit directè supra nos. Hæc sunt quæ dici possunt de causa vẽtorum, quos verè Deus producit de Thesauris suis, hoc est, ut interpretantur Doctores, de occultis naturæ causis.

Remanet solùm dicendum de numero ventorũ.
10 Ad quod primò notandum est, solũmodo diuidi ventos ex diuersitate locorum, à quibus perflant, & sic primò diuiduntur Venti in 4. Cardinales, qui .s. spirant à quatuor punctis Cardinalibus cæli, ab Oriente .s. Occidente, Aquilone, & Austro, sumendo puncta Orientis, & Occidentis, æquinoctialia. Ab Oriente spirat Orientalis, siue Eurus, aut Subsolanus; ab Occidente, Occidentalis dictus Zephyrus, aut Fauonius, Ab Austro, Auster, Meridionalis, siue Notus; ab Aquilone deniq. Aquilo dictus Boreas, & Tramontana. Quilibet autem ex his Cardinalibus suos habet collaterales, à dextris enim Boreæ est Thrasius, à sinistris Meses. Auster ad dexteram habet Phœnicium, à sinistris Libonotum; à dextris Orientalis, est Cęsias, à sinistris verò Vulturnus, Deniq. à dextris Austri est Africus, à sinistris Caurus; mediãt etiam alij quatuor venti inter Cardinales, inter Boream, & Eurum, Gręcus, inter Boream, & Zephyrum, Magistralis, inter Eurum, & Austrum Syrocus, inter Zephyrum, & Austrum, Lebeccius, aut Garbinus, & sic 16. enumerantur venti inter vtrumq. quorum alios intermiscent, & enumerant uentos Hydrographi, ad maiorem artis nauticæ comoditatem, aliosq. uocant Quartas uentorum lateralium, atq. adeò 32. enumerant uentos, qui omnes accuratè recensentur eorumq. figurę adducuntur ab Orbello 2. Meteor. cap. 5. nobis sufficit eorum notitia.

Hic solùm aduertendum, proprietates uentorum ferè omnes, illis prouenire ratione locorum, à quibus spirant, uel etiam ratione astrorum, uirtute quorum excitantur, & sic uenti Septentrionales, frigidissimi sũt, magnũq. causant frigus, quia per loca niuosa, & frigida transeunt; Australes è contra per mare, & loca calida permeantes, calorem, & humiditatem producunt, & sic de cæteris.

SECTIO III.

De Meteoris contingentibus circa elementum Aquæ.

IN exhalationes siccas, & calidas diximus calore Solis, & uirtute astrorum dissolui terram, quæ exhalationes in aerem eleuatæ accendũtur, uarijsq. impressionibus ignitis præbent materiam; quod autem patitur terra à Sole cæterisq. astris, patitur & aqua, calore enim Solis, & uirtute cæterorum astrorum laxata, in minutissima corpuscula, uaporesq. disgregatur, qui ad supremas regiones aeris assurgentes, præbent materiam, ex qua meteora aquea producuntur, uapor enim pertingens, ad regionem frigidam aeris, ibi naturali restitutus frigori (per calorem enim illi extrinsecum, & non cõnaturalem rarefit, & attenuat) modò condensatur in Nubes, modò rarefit in Nebulam, modò liquescit in Pluuias, modò obdurescit in Grandines, mòdò dealbatur in Niuem, modò stillatur in Rorem, & Pruinam, modò dulcoratur in Melle, Manna, & Sacchara, modò coloratur in Iride, modò illustratur in Halonibus, alijsq. apparentibus imaginibus, quæ sunt pręcipua Meteora, circa elementum aquæ contingentia, de quibus hìc breuiter agemus; supposito horum omnium materiam esse uapores, ex aqua productos, in aeremq. attractos. 11

Nubes igitur, ut ab ipsa incipiamus, est aggregatum ex uaporibus, in aerem uirtute astrorum attractis, condensatisq. tum à frigore aereo, tùm à propria forma substantiali, aqua .s. in communiori enim doctrina, uapores specie non differunt ab aqua; nubes autem, seu uapores, dum magis à frigore condensantur, frigefiuntq. a propria forma substantiali, redeunt ad pristinum statum, resoluunturq. in pluuiam, seu aquam, quæ suaptè natura, ut potè grauior ipso aere, in quo solùm ratione leuitatis dum in uapores erat laxata, conseruabatur, in terram descendit, quare Pluuia nihil aliud est, nisi nubes in aquam resoluta, quæ si minutissimis guttis decidit (neq. enim tota simul nubes in aquam resoluitur, sed paulatim) *imber* dicitur, si uerò grandioribus, & cum impetu *Nimbus* appellatur, si deniq. mediocribus guttis, & cũ paruo impetu Pluuia simpliciter dicitur.

Quia autem aliquando temporibus frigidioribus, antequam nubes uertatur in aquam, & pluuiam, congelatur, ideò uertitur in Niuem, quæ nihil aliud ęst, nisi nubes congelata, quæ tunc, ut potè grauior descendit in terram, in minutissimas tamen partes diuisa, quia in itinere dirsumpitur.

Ex nubibus etiam producitur Grando, quæ nihil aliud est, nisi aqua congelata, fitq. ex eo quod, uel ipsa nubes congeletur, ut supra, in niuem, quæ descendens, aut per aerem, & uapores, nubesq. frigidissimas, aut per tepidas moderatoq. calore 12

affectas,

affectas, & per antiperistasim causantes frigiditaté, magis infrigidatur, & obdurescit, ut sustinent multi recentiores, vel quod nubes prius vertatur in pluuiam, cuius guttæ transeuntea vt supra, vel per aerem, vel per vapores, aut frigidissimos, aut tepidos, constipentur, & congelentur, vt volunt Conimbricenses, & Auersa. Certum est quòd tunc maiores, & ponderosiores sunt grandines, quando ab altioribus nubibus descendunt, quidquid dicant Conimbricenses. Hoc autem suadetur ex eo quia videmus ipsum grandinem veluti variis tunicis compositum, in medio enim albicat admodum ad instar niuis, deindè circumtegitur à tunica magis clara, & sic ab aliis paucioribus, aut maioribus prout est minutus, aut crassior grando, vt curioso consideranti patebit, cuius rei nulla alia causa assignari potest, nisi quòd, cum incipit grando descendere in terram, transiens per nubes, & vapores densissimoa, quos subtùs se habet dispositos pluuiæ, & moderatè calidos, immò de facto in aquam prolabentes, ab illis humectatur, guttisq. aqueis circumambitur, quæ, ratione frigoris ipsius grandinis, in glaciem citissimè conuertuntur, quare cum quantò magis ab alto decidit grando, vel per plures transeat nubea, & vapores, vel per maius spatium obsitum nubibus, ideò tantò plures superficies aqueas, & glaciatas hinc, & inde successiuè acquirit, atq. adeò tantò magis crescit, quãtò magis ab altiori decidit loco, & ita aliquando ceciderunt grandines vsq. ad crassitiem humani capitis.

13 Hinc, ex hoc deducitur quid sit Glacies, quæ apud nos generatur; est inquam aqua ex vehementi frigiditate congelata. Quare ex hoc apparet quãtũ sine fundamẽto loquantur, qui frigiditatem in summo tribuunt, vt qualitatem naturalem ipsi aquæ; si enim esset illi naturalis, à frigiditate non congelaretur, nec in glaciem transmutaretur. Et hæc sint dicta de nubibus, deq. meteoris à nubibus prouenientibus; remanet vt de Nebulis, quæ nubibus sunt affines, loquamur.

Nebula igitur, seu caligo, est vapor aqueus cõnexus ratione frigoris, estq. eiusdem rationis, ac nubes, nisi quòd vt poiè crassior, & grauior solùm circa terram insidet, nec eleuatur in aerem; Quidam cum Arist. primò Meteor. sum. 3. cap. primò dixerunt, nebulam, seu caliginem esse superfluitatem nubis, in aquam resolutæ, at probabilius videtur non esse partem nubis, cum ferè semper ascendat à locis aquosis, & paludosis, non verò descendat, immò ipsa potiùs vertitur in nubem, si enim adueniente Sole attrahitur in aerem, vertitur in nubem, quare est illud vulgariter obseruatum, quòd ascensus nebulæ promittit pluuiam, descensus verò serenitatem; Et hæc sint satis de nebula, remanet, vt de aliis meteoris aqueis dicatur.

14 Ros est aqua facta ex vapore aqueo subtili, parùm è terra eleuato, moderato frigore noctis in aquam conuerso; producitur autem ex vapore subtili, quia ex crassioribus producuntur nebulæ, nubes, pluuiæ &c. dicitur autem parùm eleuato à terra, ex eo quia in sũmitatibus montium non conspicitur ros, dicitur constipato frigore noctis, quia quando tempore Æstiuo maximi sunt calores, etiam in nocte, tunc non habetur ros, quia. s. illi vapores, si eleuãtur dissoluũtur à calore in aerem, tẽpore verò hyemali, quando non moderatum, sed admodum rigens est frigus, talis vapor magis condensatur, & constipatur, vnde tunc habetur Pruina, quæ nihil aliud est, nisi ros congelatus.

Ex Rore autem progeneratur Mel; Si enim cum vaporibus subtilibus, ex quibus habetur ros, ascendant halitus, seu exhalationes terrestrea subtilea, accedente calore cælesti, & quorumdam syderum influxu, ex illorum cõmixtione oritur succus ille dulcis, & viscosus, qui Mel dicitur, quiq. ab apibus ex floribus, & herbis transportatur in aluearia, quare apes colligunt solùm, non efficiunt mel, atq. adeò per hoc in autumno, quando mel non descendit, apes illud reparare nequeunt, si ab illis auferatur.

Manna etiam producitur ex cõmixtione roris, & quarumdam exhalationum subtilium, parùmq. humidarum. Est autem liquor quidam candidus melleo sapore instar mellis, ad varios medicinæ usus inseruiens. Ad hoc tamen producendum multùm conferunt cæleste clima, & diuersæ terræ proprietates, unde non in omnibus locis producitur, sed in aliquibus, vt in Calabria.

Saccharum autem producitur ex cõmixtione roris, & quorumdam halituum siccorum, & viscosorum sacchari plantis adhærescentium, vnde ad ipsum producendum, & concurrunt dispositiones cannarum, in quibus producitur, & influxus corporum cælestium, simul cum cælesti climate regionis, neq. enim in omni loco producitur, licet etiã cannæ ipsæ, in quibus producitur asportatæ plantentur; Romæ enim ego ipse plantaui vnam ex his cannis ex Sicilia mihi delatam, quæ licet creuerit in frondesq. viruerit; tamen nec maturescere, nec dulcedinem aliquam vnquam contrahere potuit.

Remanet, vt de Iride dicamus, ita singulare, & mirabile Meteorum, ex his, quæ ex elemento 15
aquæ in aere, seù in nubibus conspicitur, vt quidam asseruerint, non opus naturale esse, sed miraculosum, à Deo supernaturaliter efformatum in signum fœderis quod pepigit Deus post diluuium inter cælum, & terram, quæ tamen opinio communiter ab omnibus reiicitur, cum illius causæ productiuę sint naturales. Est igitur Iris, arcua discolor apparens ex receptione, & reflexione luminis solaris in nube rorida, stillante, & in minutissimas guttas, decidente; dum enim Sol immittit suos radioa in aliquam nubem directè è regione illius existentem, & in stillicidia, minutissimasq. guttas rorantem, illius radii incidentes in illas guttas, quæ vnum continuum constituunt, & impediunt, vt potè magis opacæ, quã sit aer, illorum transitum, ad nos reflectuntur, nobisq. exhibent circulum Iridalem, variis efformatum coloribus ob diuersitatem, maiorem .s. aut minorem oppacitatem subiecti, in quo recipiuntur, seu in quod reflectuntur talea radii, ratione enim subiecti, & talis reflexionis, tales producuntur colores, sic etenim, & huiusmodi colores, & in arcum dispositos videmus, dum auersi à Sole, aquam ex ore spargimus

in aerem in minutissimas guttas, sic conspicimus in aqua minutim cadente ex quibusdam fontibus ita artificialiter dispositis, dum inter aquam cadētem, & aolem moramur, quare ex hoc deducitur solum videri Iridem à nobis dum sumus inter Solem, & nubem stillantem, cum enim fiat per reflexionem radiorum solarium ad nos, ideo mediare debemus inter Solem emitentem radios, & nubem roridam illos reflectentèm, atq. adeo tempore æstiuo, Sole existente in meridie, quoniam eo tempore multùm altior est, atque adeò inter ipsum, & aliquam nubem esse non possumus, ideo nec Iris à nobis videri potest.

Magnitudo autem Iridia excedere non potest semicirculum, quidquid dicat Angest. pag. 79. §. *tertium punctum de Iride*, posse videri ab existentibus in summitate alicuius altissimi montia Iridem perficientem integrum circulum. Ratio autem est, quia dum Sol efformat Iridem in nube directè è regione illius posita, illam efformat per reflexionem suorum radiorum, ex quo enenit, circulum Iridalem prouenientem à circulari immissione radiorum à Sole, vtpotè corpore sphærico, ita opponi circulo solari, vt centrum vnius directè correspondeat centro alterius; quare hoc pacto centrum circuli Iridalis semper debet esse subtùs Orizontem, dum Sol est supra Orizontem, atq. adeo numquam potest videri Iris maior semicirculo, tunc enim deberet illius centrum imaginari supra Orizontem, vt probā: Perspectiui. Quare ad sūmum potest apparere Iris in magnitudine medij circuli, dum .s. efformatur, quando Sol oritur, tunc enim cum Iris haberet suum centrum orizontale, vtpotè correspondēs centro Solis, ideò in perfecta medietate circuli apparebit; Ex quo deducitur maiorem futurum circulum Iridalem, quando Sol erit vicinior Orizonti, aut versus Orientem, aut Occasum, minorem verò quando proximus erit Meridiei, vt optimè adnotauit Arist. 3. Meteor. sum. 2. cap. 4. Videantur de hoc ingeniosissimè differentes Orbell. 3. Meteor. cap. de Iride, & Maurolicus probl. 21. de Iride.

Quòd autem aliquando plures eodem tempore videantur Irides, hoc prouenit, uel quia Sol existēs tempore hyemali propè Meridiem, duas nubes ro-
16 ridas directè illi oppositas, unam in Oriente alterā in Occidente, suis illuminet radijs, per q. ipsorū reflexionem ad nos existentes inter Solem, & utrāq. nubem, duæ apparent Irides, una ab Oriente ab Occidente altera; uel quia plures nubes roridæ una inferior altera in eadem parte opposita Soli, ab ipso irradientur, & in reflexione suorum radiorum ad nos, plures conspiciantur Irides, vel deniq. & hoc frequentius, & ordinariò euenit, ex reflexione vnius Iridia in nubem aliam roridam, sicuti reflectuntur imagines ex speculo concauo, quare ex hoc colores secundæ Iridis non sunt admodum viuaces, sicuti primæ, sed multùm debiles, & obscuri, & insuper obscuriores, & debiliores, si tertia producatur Iris; quare etiam secunda Iris coloribus inuersis apparet, & sic quia primæ extremus color ex parte exteriori arcus est puniceus, medius viridis, alius extremus ex parte interiori purpureus, in secunda Iride, externus color est purpureus, internus puniceus. Præterquam à Sole producitur etiam Iris à Luna, vt habetur ex Aristotele 3. Meteor. sum. 2. cap. 3., sed quia admodum est debilis, & coloris albicantis, & etiam quia rarò aduenit, vt enim adnotauit idem Philosophus cap. 1. in annis supra quinquaginta, bis solùm huiusmodi Iridem se conspexisse affirmat, ideò ferè nunquam visitur.

Præter Iridem, aliæ conspiciuntur quandoq. imagines in aere efformatæ à Sole, pariter per reflexionem radiorum, quandoq. enim conspicitur quędam imago eodem modo, ijsdemq. coloribus, ac est Iris, non tamen curua, sed in directum protensa, quę ideò dicitur *Virga* fitq. eodem modo, ac Iris per reflexionem radiorum solarium in nube rorida, & taliter disposita, & colorata. Quandoq. ad latus Solis conspicitur imago similis Soli, immò aliquādo ab vtroq. latere conspiciuntur tales imagines, ita vt videantur tres Soles, dicunturq. *Parelia*, fiuntq. ex eo qnia aliquæ nubes roridæ collaterales Soli, ex vna parte versus Solem perspicuę, ex alia verò opacæ, vt imaginem Solis ex parte anteriori receptam ad instar speculi reflectere valeant, in conuenienti, & proportionata distantia imaginem Solis recipiendo, illam nobis exprimunt; Quare ad efformanda Parellia, nubes neq. debent esse infra Solem versùs terram, neq. è regione Solis, sed à latere ipsius.

Aliquando circa Solem, & alia Astra magnam lucem habentia, præcipuè tamen circa Lunam, quædā conspicitur figura varijs coloribus permixta, quæ ipsum Astrū circumcingere videtur, hacq. 17
ex causa à latinia *Corona*, à Grecis verò *Halo* vocatur; fitque, ex eo quia nubes aliqua ęquali densitate circa Solem, aut Lunam spargitur; quare cum impediantur ipsorum radij, ne ad nos directè descendant, diffunduntur, & sparguntur per illam nubem, ex quo talis varietas colorum conspicitur.

Aliquando apparet in aere quædam imago ad modum specus, suntq. quidam vaporea, seu alitus in gyrum illustrati, & illuminati, in centro verò atri, & obscuri, quæ imaginea, quia speciem prę se ferunt alicuius antri depicti, quod .s. æqualem superficiem habet, tamen ratione obscuri coloris in medio positi, & viuacioris per gyrum dispositi, magnam distantiam repręsentat, ideò Hiatus, seu Vorago dicitur. Hiatus quidem, si vapor, & alitus sit paruus, Vorago verò, si sit magnus.

Deniq. quædam prodigiosæ imagines, & horribilissima spectra aliquando visa fuerunt in aere, vt ex Historijs habetur, quæ licet naturaliter ex dispositione nubium, & radiorum in ipsas incidentium oriri potuerint, attamen supernaturaliter à Diuina prouidentia Angelorū ministerio efformata fuisse ad erudiendos, instruendos, & perterrefaciendos homines, credibilius est. Et hæc de his sint satis.

SECTIO IV.

De Mari.

QVia hucusq. locuti sumus de Meteoris productis ex uaporibus prouenientibus ab aquis siue marinis, siue fluuialibus; modò remanent inquirenda quædam contingentia iisdem aquis marinis, & fluuialibus, & primò de Marinis.

18 Mare igitur est communis aquarum congregatio, à qua ceteræ aquæ habent originem, ipsum autem, initium, & originem habuit, non ut quidam relati ab Arist. 2. Meteor. cap. 1. & 2. falsò fabulabatur, à sudore terræ, sed ab eo quòd, ut habetur Gen. 1. dum in principio tota terra tegebatur aquis, omnes diuino iussu in unum fuerunt reductæ *dixit verò Deus congregentur aquæ quæ sub cœlo sunt in vnum locum, congregationesq. aquarum appellauit Maria*. Hæc congregatio aquarum in quinq. distribui solet maria, pro diuersitate .s. locorum, & regionum, quas abluit, in Oceanum .s. Mediteraneum, Rubrum, Persicum, & Caspium, quæ singula maria alia etiam sortiuntur nomina, dessumpta à uariis littoribus, & Promontoriis, quæ hinc, & inde abluunt, ut diffusè de hoc uidere est apud Cosmographos, Quæ ad Phil. Meteorologistas spectant circa aquas maris, duo precipuè sunt, & salsedo, qua omnes aquæ marinæ inficiuntur, & motus varii, qui in iisdem aquis marinis conspiciuntur.

Quoad salsedinem, non solùm mare ea inficitur, sed etiam plures alii Lacus, & Fontes, vt refert Arist. lib. 2. cap. 3. & P.P. Conimbricenses tract. 10. cap. 3. Est autem salsedo accidentalis aquis marinis, ab extrinsecoq. proueniens, quidquid dicat Guarinus disp. 2. in lib. de Generat. de Meteoris exp. 10. quod patet ex eo quia aquæ marinæ facilè, purgantur à tali salsedine, dulcesq. redduntur, sic, si vas cereum benè occlusum infundatur in mare, aqua, quæ per poros vasis cerei transiens in ipso repetitur, dulcis inuenitur, vt refert Arist. sic, si per arenam, aquæ marinæ collentur, dulces efficiuntur, sic multis aliis modis purgantur à salsedine, quæ omnia demonstrant, non esse illis salsedidem proprietatem essentialem, ratione cuius differant aquæ marinæ à ceteris aquis fluminum, & fontium.

19 Neq. enim valet quod ait Guarinus, tunc argui aliquam esse proprietatem ab intrinseco perueniẽtem alicui subiecto, quando videtur subiectum eã perpetuò seruare, atq. adeò cum mare semper salsedinem, à condito mundo seruauerit, illius proprietatem ab intrinseco dicendam esse. Item diuersos esse effectus essentialea prouenientes ab aquis marinis, & dulcibus, pisces enim marini nascuntur, conseruantur, & nutriuntur in aquis maris, secus verò in aquis dulcibus; multæ herbæ quæ in fundo maris enascuntur, irrigatæ aquis dulcibus, non conseruantur &c. ergo ex diuersitate essentiali effectuum, arguendam esse diuersitatem essentialem etiam in aquis, quæ non potest haberi nisi à salsedine vt à proprietate intrinseca, & essentiali aquæ marinæ.

Resp. enim ad primum, non bene argui, aliquã esse proprietatem intrinsecam, & essentialem alicuius subiecti, quando illud subiectum cum ea semper perseuerat, ratione alicuius extrinseci, talem proprietatem in ipso conseruantis, sic de quibusdam fontibus, seu aquis fontalibus legitur, semper conseruare calorem, immò & ebullire, quis tamen dicet, talem calorem esse intrinsecum, & essentialem aquæ? sic de aliis legitur, aut odore, aut calore, aut quibusdam medicinalibus qualitatibus esse præditos, vt videre est apud Conimbricenses trac. 9. cap. 7. quis ergo dicet, tales qualitates esse illis essentiales, & intrinsecas? Quare sicuti communiter concedunt huiusmodi qualitates contrahi à talibus aquis accidentaliter, vel quia à subterraneis ignibus continuò calefiant, vel quia transeunt per venas Mercurii, seu Nitri, vel alterius mineralis, sic dicendum est, ab aliquo extrinseco, quod inferiùs assignabimus, causari, & conseruari tãquã proprietatẽ accidẽtalẽ, salsedinẽ in aquis marinis.

Ad secundum respondetur, aliquos effectus prouenire ab aquis marinis, secùs verò ab aquis fontalibus, aut fluuialibus, quia cum semper conseruent salsedinem .s. illi extrinsecam, producunt illos effectus, qui in causa exigunt talem virtutem .s. 20
salsedinem, & siccitatem, siue intrinsecam, siue extrinsecam; quare sicuti non arguitur, caliditatem esse proprietatem essentialem aquæ, & ab intrinseca forma prouenientem .s. quotiescumq. est calida, seu calore extrinseco affecta, calefaciat, sicuti neq. etiam deducitur, calorem, aut qualitates quasdam medicinales esse essentiales, & ab intrinseco prouenientes in quibusdam aquis fontalibus .s. tales semper producant effectus, ratione talium qualitatum, quibus sunt affectæ, sic nec dicendum, salsedinem esse essentialem aquis marinis, licet ratione illius semper tales producant effectus, cum illa solùm ab extrinseco, & accidentaliter inficiantur quòd patet exeo quia faciliter ab illis separari potest, ut experientiis supra allatis patet, quod insuper & probari potest. Tum quia vapores, qui ex mari euaporant, in dulces stillant aquas, sicut per à uelleribus appensis ad malos, & antemnas nauiũ exprimitur aqua dulcis, proueniens à uaporibus aquæ salsæ, sed uapores, non essentialiter, & specificè differunt ab aquia, à quibus euaporant ut communiter conceditur, & etiam ipse asserit in 3. conclus. exp. 7. de Meteoris. ergo. Tum quia aquæ marinæ per poros terræ penetrantes deperdũt amaritudinem, & salsedinem, fontesq. & flumina dulcia efformant, ergo dicendum, salsedinem esse accidentalem, & ab extrinseco aquis marinis, quę licet non essentialiter mutatæ, salsedinem amittunt.

Neq. enim ualet respõsio, quam ipse habet in fine expensionis; tales .s. euaporationes, ex quibus habentur aquæ dulces, prouenire ab aquis dulcibus fluminum, in mara ingredientium, quæ licet cum tanta quantitate aquæ marinæ comisceantur, suam non deperdunt dulcedinem, quapropter &c-

rarefactæ a Sole in vapores, ex quibus dulcis liquor habetur, euaporant, & etiam vt potè rariores per poros terræ penetrantes efformant fontes, & flumina. Non inquam valet hæc responsio, primò quia incredibile videatur, aquas dulces fluminum, tales perseuerare, licet comixtas cum tanta quantitate aquæ marinæ, cum videamus modicam quãtitatẽ salis ita inficere magnum vas aquę dulcis, vt tota amara, & salsa sentiatur; Deinde hoc illi cõcesso, quare Sol solùm, aut abundantiùs rarefacit, & in vapores attenuat aquas dulces, quàm salsas, & marinas, cum hę, vt potè sicciores, & calidiores, magis sint dispositę ad euaporationem neq. enim valet, esse rariores, atq. adeò faciliores ad euaporationem, nam sunt etiam frigidiores ipsis aquis marinis, atq. adeò etiam magis resistunt actiuitati Solis rarefacientis. Deniq. imperceptibile est, quomodo aquę fluuiales postquam permixtę fuerit in tot aquis Oceani ibiq. per multum tempus steterint, secernantur, ad vnumq. locum confluant ad efformandum, penetrando viscera terræ, aliquod flumen. Quare à primo ad vltimum patet, salsedinem esse extrinsecam aquis marinis, facileq. responsionibus supra allatis eneruantur alia argumẽta, quę ad suam stabiliendam sententiam contra communem, subtilissimè, & ingeniosissime congerit.

21 Prouenit igitur salsedo in aquis marinis, vt probat Aristoteles 2. Meteor. cap. 3. & communiter omnes concedunt, propter multas terreas exhalationes siccas, & adustas ad modum tamen cuiusdã liquoris, seu salis liquefacti, quæ in omnibus aquis marinis permixtæ sunt, producuntur autem concurrente actiuitate Solis, tùm ex certa permixtione terræ, & aquæ, sicuti videmus ex commixtione cineris, & aquæ dulcis, lixiuium salsum produci. Tum quia ex ingentibus uenis salis per terram subtus mare dispersis, sal liquescens, ipsis aquis miscetur: quod patet ex eo quia extrahitur postea verum sal ab ipsis aquis marinis, dum in quibusdam littoribus, aqua marina detenta, ipsaq. calore solis euaporante, sal ibi in magna copia relinquitur. Hoc autem totum ita disposuit auctor naturæ ab initio, ob bonum vniuersi, propter salsedinem enim pisces nascentes in mari, salubriores sunt, propter salsedinem, aquæ marinæ sunt densiores, atq. adeò aptiores pro nauigationibus ad ingentes serẽdas naues, propter salsedinem conseruantur tãtæ aquę ne putrescant. Et si quæ sunt huiusmodi quæ diffusè est uidere apud Auctores. Et hæc de salsedine maris.

Quoad autem varios motus eiusdem maris; Tres motus regulariter ab ipso habentur (non loquendo de motu, per quem ob inatam grauitatem tendit ad centrum, vel per quem à ventis contrarius agitatum, hinc, & inde fluctuat)

22 Primus motus est à Septentrione ad Austrum, qui tamen non videtur proprius cuiuscumq. maris; hunc habent prȩcipuè Mediterancus, & Oceanus: prouenit autem talis motus, vt communiter fere omnes cum Arist. 2. Meteor. cap. 2. fatentur, & ex quantitate, & multitudine fluminum, quę ab Aquilone in talia delabuntur maria, ratione quorum, sinus marini aquis fluuialibus turgentes in causa sunt, vt aquæ defluant versùs Austrum, & etiam ex eo quia, vt idem testatur Arist. cap. 2. fundus maris à parte septentrionali altior est, quare necesse est, vt aquæ ratione grauitatis semper ad decliuiora loca contendentes, fluant ad Austrum, & sic quia ex partibus Italię, Græcię, Sinus Adriatici, Ægæi, & Euxini, multa delabuntur in Mediteraneum flumina, vbi ex alia parte Africæ quasi nullum flumen in mare ingreditur, ideò versùs Austrum, & Africam, tale mouetur mare, sicuti & facit Oceanus, cum enim plures terræ subsint Zonæ temperatæ Aquilonari, tum in nostro, quàm in altero Hemisphærio, ideò ex his magna multitudo fluminum in Oceanum exonerantur ratione quorũ turgens uersùs Austrũ decurrit.

Secundus motus, quo regulariter mouentur maria, est ab Oriente in Occasum; obseruatusq. est hic motus, ex eo quia nauigantes cęteris paribus uelociùs feruntur ab Ortu in Occasum, quàm è contra, & sic tardiùs ex Hispania in Palestinam, & in alias orientales partes feruntur naues, citius ex illis regionibus in Hispaniam, sic in spatio circiter trium mensium conficitur iter ex America in Hispaniam, ubi ex Hispania in Americam, in uno mense peruenitur; sic tardiùs pergitur uersùs Indias Orientales, & Muluecas transacto Promontorio Bonæ spei, quàm indè reuertatur. Prouenire autem tales motus dixerunt aliqui à raptu cæli, attrahentis secum, & mare; hoc tamen est falsum. Tum quia & negauimus motum raptus, per quem trahantur cæli, ergo tãtò minùs attrahi poterit mare, nullam connexionem habens cum cælis, Tum quia, etiam hoc pacto attrahi deberet aer, qui reperitur inter cælum, & mare, quod tamen contra experientiam est, Tum deniq. quia in tali motu mare non complet periodos, quas facit cælum, ergo &c. Quare cum communiori sententia dicendum est, causam talis motus esse ipsum Solem, vel quia cum ibi semper expositum habeat Hemisphærium globi terrei aqueiq. ideò suo calore consumendo, in uaporesq. attrahendo aquas marinas, necesse est, ut ex alio Hemisphærio accurrant, ut tota aqua maris sit in æquilibrio, atq. adeo cum Sol ab Oriente uersùs Occidentem excurrat, sic pariter gyrant aquæ maris, ut sustinent multi recentiores sequentes Pandulphum Sfondratum lib. de causis æstus maris cap. 19, uel quia Sol rarefaciendo aquas maris, sicq. eas eleuando, & inflando (quæ enim rarefiunt, maiorem locum vndequaq. petant) in causa est, quia ut eleuatæ decliuiora petunt, ut uersùs Occasum fluant, neq. enim uersùs Orientem currere possunt, cum ibi aqua sit proximè rarefacta, atq. adeò turgens, & decliuiora 23
etiam ipsa petens, ut sustinet cum multis noster Guarinus disp. 2. in lib. de Gen. Disp. de Meteoris exp. 9. Ex hoc autem motu, alius sequitur motus ab Occasu in Ortum, dum etenim aquæ marinæ profluentes versùs Occasum impingũt in quædam littora, coguntur circùm littus gyrare, & in Ortum aliquo pacto defluere, & sic adnotauit Contarenus lib. 2. de Elementis, hoc euenire in Adriatico mari, quod à littore Dalmatiæ ad littus Italiæ pergit, sed deindè versùs Apuliam ad Ortum Solis deflectit.

Tertius

23 Tertius deniq. motus maris, quiq. magis sapientum ingenia fluctare facit, est motus dictus fluxus, & refluxus, quo mare certo horarum interuallo, crescit, & decrescit, fluit ad littora, & à littoribus refluit. Hic autem motus non æqualis est in quolibet mari; In Adriatico enim mari notabiliter habetur, in Tyrrheno vix percipitur; In Oceano verò Flandrico, & Britanico ita vehemens est, vt ad plura milliaria mare excurrat, & recurrat, ita quòd in locis, in quibus dum refluit mare, arrida percipitur terra, dum fluit maximę naues nauigare possūt; in aliquo mari, vt in nostro Adriatico sex horis fluit, & sex refluit, in alijs, pluribus, aut paucioribus horis; in alijs pluribus horis fluit, quàm refluit, in alijs è contra. Huius autem motus ita difficilè est causam certam inuenire, vt meritò post multa concluserit Scaliger exerc. 52. *Quis nos doceat in hac materia, Philosophiam ipsam balbutire!* Relictis tamen varijs, & multis causis, quas multi ex suo libito inuenire quæsierunt, vt videre est apud Conimbr. tract. 7. cap. 5. Picolominum, Fromundum, & alios; dico, certum esse talem fluxum, & refluxum non simpliciter haberi per purum, & solum motum localem aquarum, quando enim mare intumescit, defluunt aquæ ad omnia littora, & etiam in medio turgent, quod non esset, si solùm per motum localem ab vno ad aliud fluerent littus, neque enim est dicendum, in tali ęstu ab omnibus partibus moueri aquas maris, & relinqui spatium inter fundum maris, & ipsum mare, sed absolutè talis æstus habetur, quia aquæ marinę crescunt, & decrescunt, ita vt dum crescunt, intumescant, & fluant ad littora, refluant verò dum decrescunt, ut multorum est opinio. Quare dicendum est ipsas aquas marinas uerè crescere, & decrescere, non per additionem, & detractionem nouæ quantitatis aquæ, sed per rarefactionē, & condensationem, vt optimè præ cæteris probat Cardinal. Cōtarenus lib. 2. de Elementis, ex hoc enim fit, quod cum in medio, mare sit profundius, & abundantius aquis, tales aquæ decrescentes, ad littora defluant, refluant verò à littoribus, quando condensantur.

Determinare autem, quo modo, & à qua causa talis habeatur regulata rarefactio, hoc opus, hic labor est. Communiter dicunt, causam esse Lunam, concurrente aliquo pacto ipso Sole, ab effectibus autem hoc probatur, ex eo quia oriente Luna intumescere incipit mare, ad littoraq. fluit, postquā autem peruenit ad punctum Meridiei, incipit refluere, quoadusq. in puncto occidentali constituta Luna, iterum fluere incipit, refluit verò de nouo postquā Luna punctum mediæ noctis incipit relinquere; & quia quotidie mutat tempus ortus Lunæ, sic & singulis diebus serius saltem vna hora incipiunt æstus maris. Concurrere etiam Solem patet, ex eo quia ex diuersitate aspectuum inter Lunam, & Solem, variantur fluxus maris, sic maiores sunt ęstus, quando Luna in plenilunio, & nouilunio, seu coniungitur, seu opponitur Soli, quàm in semilunijs.

24 Maior est difficultas in assignando modo, quo Luna tales causet æstus, ferè enim omnes conueniunt in assignanda, seu meliùs in diuinanda causa, quilibet autem pro suo libito diuersum modum assignat, ita vt in hoc verè possit dici, tot esse sententias, quot capita. Alij enim dicunt, Lunam mediante calore rarefacere aquas maris, quę rarefactæ intumescūt, & ad littora fluūt, sic Valles. de Sac. Philos. cap. 52. Sed hoc est falsum. Tū quia Luna est potiùs frigida, frigusq. potiùs causat, quā calorem. Tū quia talis sētiretur calor, cum deberet esse maximè intensus, ad tantam quantitatem aquæ rarefaciendam. Tum quia maiores essent æstus tempore æstiuo, quando maiores vigent calores quàm hyemali, cum tamen eueniat oppositum. Tum quia deniq. Maria Britanicum, & Sueticum tales patiuntur ęstus, & tamen sunt semper frigidissima.

Alij, negātes æstus fieri per rarefactionē aquæ marinæ, putant ipsas aquas attrahi à Luna, per quandam vim magneticā, ratione cuius attractionis, aquæ recedentes à littoribus, in vnum tumorem confluant, refluant verò ad littora, dum cessat attractio. Sic Lemnius lib. 2. cap. 41. de Ocul. Tatar. lib. 2. Meteor. Scaliger. exercit. 52. & alij. Sed nec hic modus satisfacit. Tum quia, si Luna talem vim haberet attrahendi aquas marinas, attraheret, & intumescere faceret aquam maris positam in aliquo magno vase, quod tamen experientia est falsum. Tum quia hoc pacto, si dum aliquod mare intumesceret, aquæ contermini maris fluerēt ad ipsum, non eodem tempore fieret fluxus, & refluxus in ipsis, contra experientiam, æstus enim fretus Magelanici, Pacifici, & Orientalis Oceani, sibi occurrunt. Tum quia vt obseruauit Contarenus, omnes portus alicuius maris, eodem tempore intumescunt, ac intumescit in medio mare, hoc autem nō eueniret per accursum aquarum vi magnetica à Luna ad certum locum attractarum. Tum deniq. quia sub Zona torrida, & in locis, quę directè respicit Luna, frequētiores, & maiores essēt tales ęstus, quod tamē ipsa etiā experiētia est falsum.

Alij dicunt, Lunam eleuare aquas maris attrahendo, & eleuando a fundo maris spiritus, & exhalationes, ratione quarum aquæ maximam diuisionem, & per consequens rarefactionem acquirentes, ad maiorem locum occupandum assurgant, sicq. fluunt, refluunt verò per exitum ab aquis talium exhalationum, & spirituum; sic cum multis antiquis nouissimè Serbellonus disp. vnica de Meteoris quæst. 4. art. 8. Tellez. disp. 47. part. 2. sect. 3. Sed neq. huiusmodi subsistit opinio. Nam ex tali eleuatione horum spirituum, & exhalationum non saluaretur regulatus motus fluxus, & refluxus, qui conspicitur, sed solùm quædam agitationes, & ebullitiones haberentur, vt euenit quando aer sub aquis inclusus, foras erumpere nititur. Tum quia esset deinde assignabilis causa, quare Luna attrahat exhalationes ab Ortu, vsq. ad Meridiem, dùm habetur fluxus, non verò descendendo à Meridie in Occasum, cum eodem modo percurrat supra mare, ipsiusq. aquas, & in ipsas suis influxibus agat. Deinde huiusmodi spiritus, & exhalationes prouenientes ex maxima copia salis, nitri, bituminis, sulphuris, aluminis, & aliorum mineralium, quæ in fundo maris sunt, calidæ, & siccæ sunt, vt deducitur ex materia, ex qua producūtur, & ex salsedine, quā

in

in mari causãt; potiùs ergo eleuari deberẽt à Sole, quàm à Luna frigida. Deniq. Luna [sicuti & cæteræ Stellæ] mutat puncta Orientalis, Occidentalia, & Meridionalia, respectu diuersitatis Regionum, diuersa Orizontia habentium, immò talia puncta solùm considerantur respectu degentium in aliquo Hemisphærio, non verò respectu ipsius maris, cum enim circumqusq. ambiat globum terrenum, secundùm se consideratum non dicit ordinem ad huiusmodi puncta, quare adhuc esset assignabilis causa, cur solùm dum Luna peruenit ad punctum Orientale respectu nostri, attrahat ad se tales spiritus, & exhalationes, vnde incipiat fluxus maris, cum tale punctum possit esse meridionale respectu alterius regionis, & tamen tunc mare non solùm fluit prout est in nostro Hemisphærio, sed totum, quodq. etiam in alio Hemisphærio reperitur, simul, & eodem ferè tempore.

25 Alij dicunt causari fluxum maris à Luna per vim expulsiuã, ita quod aquæ marinæ fugiẽtes influxus lunares, ad aliasq. partes confluentes, mare, per fluxum, & refluxum æstuare faciant. Sic Guarinus de Meteoris exp.4. Sed & hæc opinio suas patitur difficultates, nam Luna secundùm communem omnium Philosophorũ, & Astrologorum, præest corporibus humidis, videmus enim conchilia, & humores in corpore, augeri, & minui iuxta augmentum, & decrementum Lunæ, ergo & aquis marinis præesse debet, atq. adeo non fugere, sed potiùs pati ipsius influxus debent. Tum quia hoc pacto totum mare eodem tempore non æstuaret, & intumesceret, sed solùm in ea parte, ad quam fluerent aquæ, atque adeò dum ad littora intumesceret, in medio decresceret, sicuti è contra, quod tamen contra experientiam est, nam vt supra notauimus ex obseruatione Contareni, omnes portus ambientes aliquod mare, simul dum mare turget, & ipsi intumescunt. Tum deniq. quia non est assignabilis ratio, quare moueãtur tales aquæ ad fugiendos frigidos influxus lunares, cum tanta celeritate, & tam breui spatio, vapores etenim, & exhalationes aliquæ calidæ ab ipsa attrahuntur potiùs, quàm fugentur, & tamen sunt calidiores, & sicciores ipsis aquis marinis.

Concludendum igitur mihi videtur, effectum esse certum, & quotidianum, causam etiam aliam non posse assignari, quàm Lunam, cum ex diuersitate motuum, & aspectuum Lunæ, diuersitas æstuum habeatur, Item tumorem causari, aquasq. intumescere per rarefactionem, cum videamus æquè tàm in medio, quàm in littoribus eodẽ tempore æstum causari, imperceptibilem tamen esse modum, quo Luna talem producit rarefactionem, huncque effectum esse adscribendum ipsi Lunæ, ratione alicuius occultæ virtutis, & peculiaris influxus, sicut videmus, alios effectus mirabiles, vt generationem gemmarum, & mineralium in visceribus terræ, produci à Sole, Luna, & à cæteris syderibus ratione virtutis occultæ, & peculiaris influxus, hoc ergo vt probabilius in hac re tàm occulta, & perdifficili credendo; sic explico fluxum, & refluxum maris.

26 Luna existens in quocumq. puncto cæli, respiciens directè aliquam partem maris, illius aquas, vt potè directè, & per consequens efficaciùs in illas influens, rarefacit, in tumoremq. eleuat, hinc euenit, quòd cum tales aquæ, vt potè altiores exigant ad decliuiora descendere, fluant vndiq. sicq. vndiq. per totum intumescat, & fluat mare; Quia verò, dùm Luna suum iter prosequitur, non amplius directè eam partem maris respicit, quam priùs, sed aliam, inde euenit, quòd mare in ea parte, vt potè non amplius directè à Luna recipiens influxus, ad pristinum suum statum redeat, & detumescat, in quo casu, cum in ea parte tunc euadant depressiores, & humiliores aquæ, ne dum aliis aquis circumcirca existentibus, sed ac priùs erant ipsæ ante rarefactionem, vt potè quia per illam, in multas euaporationes resolutę fuerunt, ideò aliæ aquæ, quę circumcirca vndiq. fluxerant, fluxumq. per totum mare causauerunt, tunc vt potè altiores, & etiam aliquæ turgentes per rarefactionem, quam à directo influxu lunari recipiunt, fluunt ad pristinum locum, sicq. habetur refluxus; ita quòd per refluxum æquilibrentur circa centrum aquæ, quam æquilibrationem deperdunt per fluxum, & sic continuando Luna suum motum rarefaciendo semper partem maris, quam directè respicit, continuò in ipso, fluxum, & refluxum causat, qui statutis horis, pluribus, aut paucioribus habetur pro diuersitate situs, fundi.s. maris, altitudinis littorum, ventorum, qui in vna parte soleant perflare, quàm in alia, ratione cuius horum omnium tot horæ requirũtur ad fluendum, tot ad refluendum &c. & ideo in aliquibus locis in vno die bis fluit, & totidem refluit, in aliis pluribus vicibus &c.

Et ex hoc facile intelligitur quomodo Luna etiam dum est subtùs nostrum Hemisphærium causet tamen in illo fluxus, & refluxus: diuiso etenim cælo in quatuor pũcta, orientale, meridionale, occidẽtale, & oppositũ meridionali; Dico, quòd dum Luna est in puncto, v.g. Orientali, rarefaciendo, & eleuando partem maris, quam directè respicit, in causa est, ut illius aquæ, vtpotè eleuatæ, ad decliuiora petentes, vndiq. fluant, sicq. fluxum causent per totũ mare, quoadusq. percurrẽdo Luna primam quadraturam, pertingendo ad secundum pũctum, meridiei.s. pars maris, quæ ob directum aspectum Lunæ intumuerat, destituta à tali directo influxu, humilior euadit, qua de causa, aqua quæ vndiq. per totum mare fluxerat, quæq. etiam rarefit ob directum aspectum Lunæ, incipit ad illum locum refluere, sicq. refluxus producitur, æquilibraturq. tota aqua maris circa centrum, vsq. dum Luna pertingens ad punctum occidentis, subtusq. nostrum Hemisphærium gyrans, partem maris directè aspiciens rarefaciendo, & eleuando, iterum circumcirca, per vtrumq. Hemisphærium fluere facit, vnde de nouo vndiq. habetur fluxus; quod punctum, seu quadraturam postea relinquens pertingendo ad punctum oppositum Meridiei, illam pariter partem maris non ampliùs directè inspiciendo, ad pristinum humilẽ statũ redire permittit, tuncq. ad illam, aquæ, quæ vndiq. fluxerat, quæq. ob rarefactionem etiam turgent, vtpotè altiores refluunt,

sicq.

sicq. habetur de nouo refluxus in vtroque Hemisphærio statutis horis; dumque Luna iterum ad punctũ Orientis reuertitur, aquas iam libratas iterum intumescere faciẽs, de nouo fluxum, indeq. refluxum causat. Et hæc sufficiant dicta de tam occulto secreto naturæ, neq. etenim quod Deus nobis abscondidit, maiori quàm par est curiositate, est inuestigandum, sat etenim est in similibus probabiliora attingere, in illisq. quiescere, nec desperare huiusmodi non perceptis, vt euenit Aristoteli, de quo scribit Cælius lib. 29. cap. 8. quòd non pertingens ad causam septeni fluxus, & refluxus eodem die Euripi, seu freti inter Aulidem, & Eubœam, animi ægritudine contraxit morbum, ex quo mortuus est, seu vt alii referunt, in eodem mare se præcipitem dedit dicens; *Quia Aristoteles non cepit Euripum, Euripus cepit Aristotelem,*

SECTIO V.

De Fontibus, & Fluminibus;

27 REmanet vt post aquas marinas, de aquis fontium, & fluminum loquamur. Tota autem difficultas, quæ circa huiusmodi aquas habetur, consistit in assignanda eorum origine, vnde .s. fluãt fontes, & flumina; Fuerunt quidam qui affirmarunt, oriri fontes, & flumina à quibusdam cauitatibus, quæ vndique in terreo globo reperiuntur, in quibus colliguntur aquæ omnes pluuiales, & niuales, quæ toto anni tempore decidunt, quæ inde fluentes, flumina, & fontes producant; sed huiusmodi opinio, vt potè admodum debilibus innixa fundamentis ab omnibus ferè communiter reiicitur; Tũ quia sunt aliqua flumina ita perennia, vt impossibile sit, tantam aquam illis subministrari à solis aquis pluuialibus, & niualibus. Tum quia, vt obseruatum est, aquę pluuiales non infrà decem passus terram penetrant, quare cum, & in vapores attrahantur, & ab arboribus, ad proprium nutrimentum esugentur, inde est, quod in tanta magna quantitate coadunari nequeunt, vt tot fluminibus, & fontibus iugiter manantibus, & fluentibus, aquam subministrare possint. Tum quia in quibusdam locis siccis, & arenosis, in quibus rarę admodum sunt pluuiæ, & niues, vt in desertis Libiæ, alti deffodiuntur putei, aquas dulces præbentes, ergo non ex aquis pluuialibus originem habere, asserendum est.

Alii dixerunt, in subteraneis terrę specubus. & cauernis, aerem, & vapores inclusos in aquam conuerti, ipsamq. per flumina, & fontes foras erumpere, sed nec hec opinio subsistit, imperceptibile enim est quomodo ex aere, & vaporibus tanta copia aquarum, quibus tot flumina, & fontes abundant generari possit.

28 Quare meliùs existimo dicendum, aquas fluminum, & fontium prouenire à mari, cuius aquæ per longos terrarum tractus, & meatus in visceribus terræ discurrentes, erumpant in locis, in quibus originem habent fontes, & flumina. Hæcq. sententia est magis consona ipsi Sacr. Scrip. quæ de aquis fluuialibus sic patenter loquitur Eccles. 1. *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant,* quæ verba clarè, & apertè secundùm communem intellectionem S.S. P.P. & Expositorum originem, & decursum fluminum demonstrant, quidquid dicat Auersa, huiusmodi verba dicens interpretari posse. Accedit etiam ratio, quia cum continuò tot fluminum, fontium, pluuialesq. & niuales aquæ in mare decurrant, ipsum tamen nunquam excrescit, ergo quia .s. excipiat in sinum tot aquas, multas etiam trasmittit alijs partibus ad cõseruandas perennem emanationem in iisdem fluminibus, & fontibus, qui in ipsum excurrunt.

Neq. enim dici potest, non crescere mare ex continuò ingressu tot fluminum, quia illius aquæ in vapores resoluuntur ad pluuias generandas, &c. Nam quis sibi persuadere potest, tot flumina lata duobus. vel tribus milliaribus, immò, & aliqua maiora, pręcipuè in Indijs, vbi vnus dicitur adesse, octoginta milliaria in latitudine habens, continuò in mare se exonerando, omnia in vapores abire, ideoq. mare non augere, &c.

Non nego tamen, aliquos fontes produci aliquo ex duobus primis modis, cum enim videamus tales fontes, tempore æstiuo, vel quando non adsunt pluuię exsiccari, signum est, originem habere, vel ab aquis pluuialibus, & niualibus in aliquem locum defluxis, vel ab euaporationibus, aut aere in aliqua subteranea specu, in aquam transmutatis.

Concedo etiam, aliquando fluminibus, & fontibus aquas pluuiales, & niuales augere materiam, experientia enim constat, quando maximæ sunt pluuię, vel magna copia niuium in summitatibus montium liquefecit, notabiliter augeri fontes, & flumina, sicq. illud incrementum notabile Nili, quod in Ægypto quotãnis habetur, certum est prouenire à pluuijs, & niuibus liquefactis; quare ab aquis pluuialibus, aut niualibus augmentum recipere possunt, non verò primam originem, illam enim ducunt à mare. 29

Huic autem opinioni duæ obuersantur difficultates, quomodo .s. flumina, & fontes, originem possint ducere à mari amaro, & salsedine infecto; cũ aquæ ipsorũ sint dulcissimæ, & deinde quomodo aquæ marinę, per viscera cuniculosq. terræ pertranseundo ad summitatem quorundam montium, à quibus scarent multi fontes, plurimaq. flumina defluunt, contra naturalem inclinationem ascendere possint.

Primæ autem difficultati Resp. Aquas marinas transeundo per meatus subterraneos, depurari, dulcesq. euenire, sicuti enim tales eueniunt transeundo per meatus alicuius vasis cerei, vt supra experientia diximus euenire, tantò magis depurari poterunt transeundo, per tot anfractus subterraneos, per tot terrarum tractus; sicuti enim varias contrahunt qualitates, & virtutes medicinales respectu locorum, & mineralium, per quæ transeunt, sic, & salsedinem prouenientem ab exhalationibus sulphureis, & calidis, in ipsis existentibus, per tot anfra-

anfractus terreos, saxososq. perfluendo, amittere poterunt, & de facto deperdunt.

30 Secundæ etiam difficultati Resp. Aquas maris esse, saltem in medio mari, in æquali altitudine, ac sit quilibet altissimus mons terræ, atq. adeò à mari immediatè fluere fontes aquarum, ne dum in planitiem terræ, sed etiam in supercilium alicuius altissimi montis.

Quòd autem mare talem altitudinem habeat patet, tùm quia, aquæ marinæ simul cum terra unum globum conficiunt, ut communior est opinio, ergo ut perfectum globum perficiant, in medio eleuari debent, sicuti est altitudo terræ, tum quia nauigantes ceteris paribus maiori facilitate uersùs portus nauigant, quàm in altum, ergo quia dum in portum feruntur, ab altiori loco descēdūt, secùs uerò è contra. Tum quia iidem nauigantes quò magis à terra distant, uident terram, & etiam altissimos montes depressiores. Tum quia hoc deducitur ex experientia per quam habetur, semper aquam intumescere in medio, si enim impleatur aliquod uas aqua, uidebitur aqua in medio uasis altior, quàm sit uersùs labra, & uelut sphæricè eleuata, si ergo in tam pauca quantitate aquæ, perceptibilis est maior altitudo in medio, quàm à lateribus, quid dicendum de aqua existente in propè immensa uastitate Oceani? hoc ergo supposito, aqua maris ingrediens per aliquam specum subterraneam, meatus terræ, pressaq. magno pondere aquarum totius maris, effluit, etiam usq. ad summitatem alicuius altissimi montis, à quo originem babeat aliquod flumen, aut fons; talis autem motus prouenit tum à depressione cæterarū aquarū, tū à motu aliquo ipsius maris, per quem motum, non conantur ascendere aquæ contra naturalem inclinationem, cum etiam defluentes in sūmitatē altissimi montis, adæquent superficiem maris, à qua desumptæ sunt, & semper in ipsis ualeat, quòd altiùs non ascendant, quàm sit locus, à quo discedunt. Et hæc sufficiant dicta de aquis, aqueisq. meteoris.

SECTIO VI.

De Meteoris contingentibus circa elementum Terræ.

REmanet, ut de Meteoris loquamur, quæ ad ultimum elementum, infimumq. spectant, hæc autem præcipuè sunt Lapides, Metalla, & Fossilia, licet enim huiusmodi sint mixta perfecta, attamen quia in uisceribus terræ generantur, & cōficiuntur ex eadem materia, ac alia meteora, ideò de his agit Arist. 3. Meteor. cap. ult.

31 Lapides igitur generantur in uisceribus terræ ex uapore aqueo, & halitu terreo, ex his enim duobus resultat quædam materia sicca, uiscosa, & glutinosa proximè disposita ad recipiendam formam lapidis, ideò succus lapideus uocata, quæ materia uirtute syderum, mediis propriis qualitatibus occultis, in lapides, producta forma lapidea, conuertitur; & quia duplex potest esse huiusmodi succus lapideus, seu materia proximè disposita ad formam lapidis, una .s. in qua prædominetur halitus terreus, alia, in qua humor aqueus, ex prima generantur lapides terræ similes, nec perspicui, sed opaci, ex alia uerò, lapides perspicui, lucidi, aquæ & glaciei similes. Quæri hìc autem potest, an lapides postquam generati, & producti sunt, crescāt postea, an uerò sēper perseuerent in eadem quantitate, ac fuerunt producti. Ad quam difficultatem enodandam, primò certum est, nullo pacto lapides posse excrescere, & augeri per intus sumptionem, quomodo uiuentia augmentantur, cum enim lapides sint mixta inanimata, ideò nec attractiuam potentiam habent, qua attrahant ad se quantitatem, in propriam substantiam trāsmutandam, quare si crescunt, solùm per iuxtapositionem augeri, & excrescere asserēdum est.

Hoc supposito, cum distinctione crederem Respondendum esse quæsito, quosdam .s. lapides, ut pumices, & alios lapides molles terræ simillimos, crescere per iuxta positionem, secùs uerò alios duros, & solidos, qui vulgo *macigni*, seu *pietre vive* vocantur.

Huius autem rei nulla alia ratio adduci potest, nisi ipsa experientia, in lapidibus enim primi generis conspiciuntur ueluti additamenta illis facta, post illorum primam productionem, secùs verò in lapidibus secundi generis.

Et ex hoc deducitur, an montes, qui ex lapidibus constant, producti sint ab influxibus cęlorum, 32
vel ab aquis diluuii, vel à ventis, & terræ motibus, vt quidam uoluerunt, an verò à Deo in principio ita eleuati fuerint. Deducitur inquam, summos montes non creuisse, paulatimq. auctos fuisse, sed à Deo productos esse in principio mundi, quando .s. tertia die segregando aquas à terra, super quam fluebant, illas in locum unum reduxit, tunc etenim cauernas, & ualles effodiendo, in quibus nunc sunt aquæ, ministerio Angelico, terram, quam inde abstulit, in plura latera aggregauit, sicq. ex illa formati sunt mōtes. Nō nego tamen, aliquos etiam produci, uel ex terremotibus, uel à uentis transportantibus magnam quantitatem arenæ in unum locum, quæ arenę concrescentes aquis, in montes assurgunt, vel deniq., ex industria hominum, sic fertur, collem testaceum Romæ efformatum esse, ex fragmentis uasorum, in unum locum proiectis.

Alia mixta, quæ in terra uirtute Astrorum generantur sunt Metalla, præcipuæ species quorum septem enumerantur, Aurum .s. Argentum, Æs, Ferrum, Argentum uiuum, & Stanuum; ad hæc autem cætera quæ enumerantur reduci possunt. Circa materiam, ex qua huiusmodi metalla producuntur, non uniformiter loquuntur Philosophi. Quidam enim asserunt, produci ex sulphure, & argento uiuo, ut Chimici, non existimantes argentum uiuum esse metallum, sed materiam proximam, pro quocunq. metallo producendo, alii uaporem humidum exhalationi admixtum, seu mixturam uaporis, & exhalationis; sic Aristoteles.

Alii terrã, & aquã alii alias materias afferũt; in qua varietate opinionũ, nullam supra alias excellere existimo, cum nulla sit ratio in contrarium conuincens; quare ex qualibet ex his m teriis posse generari metalla pro diuersa dispositione cæterarum causarum, influxu cælorum, &c. existimo.

Vltima deniq. terrea meteora, sunt quædam mineralia, quæ Aristoteles Fossilia vocat, hæc autem sunt quædam mixta media inter lapides, & metalla, & ex vtrisq. participãtia, vt sunt Sal, Sulphur, Cadmia, Sandaraca, Scoria, Ochra, Minium, Alumen, Marcharita, Arsenicum, Bitumen, & huiusmodi, quorum quædam, vel liquefiunt, vt metalla, vel si non liquefiunt, vt lapides in puluerem dissoluuntur; de his fuse Albertus, & nobis satis.

33 Remanet vt pro complemento de his, quæ circa elementum terræ contingunt, loquamur de Terremotibus, a quibus sæpè sæpè ipsa concutitur terra; Terremotus igitur nihil aliud est, nisi motus ipsius met terræ, quo.s. vel agitatur, modo ad dexteram, modò ad sinistram, vel diuiditur in plures partes, & in plura foramina perforatur, vel in voraginem præcipitatur, vel è contra in altum vehementer attrahitur. Horum terræmotuum causæ sunt; vel exhalationum terrestrium ingens copia, in cauernis terræ inclusarum, & foris erumpere contendentium, vel aer, ab ignibus subterraneis rarefactus, & ad occupandum maiorem locum contendens exitum, fic q. terram commouens, vel aliquando etiam aquę, quæ in cauernis subterraneis valdè à ventis agitatæ, & impulsæ, excutientesq. fornices cauernarum, causant terræ superioris præcipitium. Signa aliqua ab auctoribus enumerantur, ad præcauẽdos hos terrę motus, sed quia nõ sũt admodum certa, ideò relinquo curiosis, ea apud alios auctores legere. Et hęc sint satis dicta de Meteoris. Transeamus ad alia.



DISPVTATIONES IN LIBROS ARISTOTELIS, DE ORTV, ET INTERITV,

Hoc est De Generatione, & Corruptione.

Corpora naturalia sublunaria, non semper eadem perseuerare, sed modò generari, modò corrumpi, continuata experientia compertum est, & ex dictis, tùm in lib. Physicorum, tùm in disputatione de Mixtione, clarè innotescit. Quid ergo sit illorum Generatio, & Corruptio his in lib. inquirimus cum Philosopho, licet aliqua sparsim dixerimus. Quare sit.

DISPVTATIO PRIMA

De Generatione, & Corruptione substantiali.

Duplex, saltem largo modo, datur Generatio, sicuti & Corruptio, Substantialis, & Accidentalis; in præsenti Disputatione solùm agemus de Substantialibus, quę & propriè Generatio, & Corruptio dicuntur, in sequenti Disputatione de Accidentalibus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Generatio Substantialis.

Suppon. est. Ex Aristotele hic, & ex dictis in physica, dari veram generationem substantialem, quotidiano enim experimẽto habetur, homines, & animalia de nouo oriri, interire, ex arboribus fructus produci, granum tritici seminatum corrumpi, atq. ex eo spicam generari, &c. hæ enim mutationes non possunt dici accidentales, vt volebant aliqui relati ab Aristotele, quia ipsis oculis videmus, diuersas esse substantias, & aliquando diuersas specificè operationes tales substantias de nouo genitas producere.

Supp. 2. Generationem triplici modo sumi posse; primò amplè, & latè, quatenus significat quamcumq. productionem dependentem à subiecto, siue sit substantialis, siue accidentalis, & secundùm hanc acceptionem, etiam accidentia possunt dici generari; hæc autem generatio accidentalis dicitur generatio secundùm quid, ad differentiam generationis substantialis, quę simpliciter dicitur generatio; secundò generatio sumitur nimis strictè, pro generatione vitali, & substantiali, qua vnum viuens generatur ex alio viuente; tertiò sumitur in acceptione, quasi media, pro omni productione substantiali, qua efficitur terminus substantialis dependenter à subiecto. Hìc solùm ergo de generatione substantiali agimus, quatenus s. per ipsam producitur terminus substantialis.

Supp. 3. Pluribus modis definitam fuisse ab Aristotele generationem substantialem, quos omnes apud Auth. facilè est videre, communiter autem, & vniuersaliter accipitur illa definitio, quam tradidit primò de Gener. tex. 23. quòd s. Generatio sit *Mutatio totius in totum nullo sensibili remanente*

manente subiecto, vt eodem: quæ definitio ita cōmmniter explicatur; dicitur *mutatio* quia in generatione, materia debet transire ab vna forma, ad aliam, vel saltem à priuatione formæ ad esse illius, dicitur *totius in totum* .s. de toto vno composito, ad totum aliud compositum, sumendo particulas ly *totum*, *& totius* dennminatiuè, quia .s. compositum denominatur totum; dicitur *nullo sensibili remanente*, *&c.* quia .s. in generatione, nihil sensibile, qnod prius erat, remanet, sed sola perseuerat materia, quæ est insensibilis. Quærendum est igitur, an per talem definitionē, seu descriptionem habeatur verus, & adæquatus conceptus generationis substantialis.

3 Prima Conclusio. Non benè explicatur essentia generationis substantialis per definitionem allatam; Ita Mast. disp. 5. de Gen. quęst. prima Art. 2. Auersa disp. 37. sect. 3. Serbell. disp. 2. de Ortu, & Inter. quæ. 1. art. 2. Complutenses disp. 2. de Gen. quę. 2. §. 4.

Prob. autem. Et primò Generatio non potest dici absolutè *mutatio*, nam in Diuinis verè datur generatio, & tamen nulla interuenit mutatio, ergo generatio vniuersalissimè sumpta non potest dici mutatio, tum quia, quando species sacramentales comburuntur, aut ex illis generantur vermes, illa est vera generatio, & tamen nulla est mutatio, cum in illo instanti, in quo producitur talis forma, noua materia à Deo creetur, quæ sub alia forma non fuit; tùm deniq. quia, quando prima materia fuit creata, & in ea variæ fuerunt introductæ formæ, ibi nulla fuit mutatio, quia materia priùs aliam formam non habuit, neq. saluatur quòd possit dici mutatio, quia in talibus casibus fit mutatio à priuatione formæ, ad esse illius, nam priuatio non est terminus positiuus, atq. adeò ab ipso ad terminum positiuum non potest dici vera, & propria mutatio; tum quia hoc pacto etiam creatio diceretur mutatio, quia in illa, non esse rei, præcedit esse rei,

Secundò neq. potest dici *totius in totum*; hoc
5 enim propriè dicitur de transsubstantiatione, qualis euenit in Sacramento Euchar. in qua tota substantia, & materialis, & formalis transit in corpus Christi, explicatio enim, quæ communiter talibus verbis attribuitur, quòd .s. intelligantur de composito, seu de toto denominationis, ad aliud totum denominationis, est benigna interpretatio mentis Aristotelicæ, cum verba propriè sūpta, hoc non indicent.

Tertiò neq. potest dici, *nullo sensibili &c.* tū quia falsum est, in aliqua gen. nil sensibile remanere, remanent enim aliquando quædam accidentia sensibilia, vt inferiùs sumus probaturi; tum quia etiam in alteratione hoc potest euenire, quando enim subiectum frigidum fit calidum, nihil sensibile remanet, ut potè destructa qualitate sensibili. Ex his ergo deducitur, allatam definitionem non explicare gen. substantialem; Quare sit magis adæquata definitio.

Secunda Conclusio. Gen. substantialis simpliciter sumpta, est *actio productiua termini substantialis seu compositi dependenter a subiecto*. Ita Mast. loco supracit. licet tamen aliquam distinctionem faciat de generatione sub ratione productionis, & de eadem sub ratione mutationis, cum tamen in se non sit diuersa, sed solùm respectu termini connotati, vna enim connotat corruptionem antecedentis formæ, alia verò non; est etiam Auersæ loco supracit. Serbell. & aliorum.

Explic. dicitur *Actio productiua* loco generis, in hoc enim conuenit cum cæteris actionibus, quibus producuntur accidentia, & etiam cum creatione; dicitur *compositi*, *seu termini substantialis* ad hoc vt generatio substantialis ab omni accidentali actione, & productione distinguatur; dicitur etiam *compositi &c* quia generatio non est simpliciter productio formæ, sed est productio formæ in materia, quare per veram generationem nunquam potest produci forma absq. composito, cōpositum enim est terminus principalis, & adæquatus generationis, atq. adeò potest dari vera generatio absq. productione formæ, si forma .s. præexistens vniatur subiecto, & sic de facto homo dicitur generare hominem .l. formam .s. animam rationalem, non producat, quia .s. producendo vnionem inter animam, & corpus, compositum humanum producit; dicitur tandem *dependenter à subiecto* ad hoc, ut explicetur, in aliquo subiecto generationem fieri, ad differentiam Creationis, quæ fit independenter à quocumq. subiecto. Non est tamen necesse, subiectum præcedere tempore, sed solùm sufficit, quòd forma fiat dependenter à subiecto quoad suam existentiam, & informationem, .l. eodem instanti vtrumq. producatur. Et hæc est uera essentia generationis, vt potè explicans genus, & differentiam, nec aliis productionibus applicabilis.

Not. tamen. Quòd generatio potest etiam dici mutatio, non simpliciter, quatenùs est generatio, sed quatenus inuoluit ferè semper in suo conceptu corruptionem, tunc enim verè potest dici mutatio, cum fiat transitus ratione formæ corruptæ, & formæ genitæ, de vno composito, ad aliud.

Not. 2. Ex eo quod dixerimus, generationem esse actionem productiuam &c. posse dubitari, an hæc actio productiua sit distincta ab actione prærequisita ad alterandum, & disponendum subiectū in ordine ad formam; an verò sit eadem, pro cuius dubitationis solutione. Sit.

Tertia Conclusio. Generatio non est actio ab 4
alteratione distincta, sed est terminus ipsius alterationis. Ita D. Thomas prima parte quæ. 53. Art. 3. Caiet. prima parte quæ. 54. Art. 3. Complutēses disp. 2. de Gen. quæ. 2. §. 3. & alii contra tamen ferè communem.

Prob. primò. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas ponendi actionem generatiuam ab alteratiua distinctam, ergo &c. min. prob. in tantùm distincta deberet admitti, in quantùm vna terminaret ad substantiam, alia verò ad accidens, sed hoc nihil officit, cum nulla sit implicantia eamdem indistinctam actionem, & ad substantiam, & ad accidens terminare, neq. enim ratione termini distincti, distincta debet esse actio, ergo &c.

Te 2 Pro.

Prob. 2. Si distinctæ essent admittendæ actiones, esset quia, actio generationis deberet esse substantialis, accidentalis verò illa alterationis, sed quęcumq. actio secundùm se est accidentalis, non substantialis, ergo ex hac causa non est admittenda distincta actio alterationis, ab actione generationis; min. prob. actio enim substantialis, talis dicitur non ratione sui, quasi quòd sit substantia, seu quid substantiale, sed ratione termini substantialis, in quem tendit, quæcumq. enim actio semper est accidens, & de genere accidentium, ergo &c.

Prob. 3. Si actio generatiua esset distincta ab alteratiua, vel esset, quia talis actio esset substantia, vel quia esset accidens altioris ordinis, at neutrum dici potest, ergo &c. min. prob. non primũ, quia vt supra dictum est nulla actio reperiri potest, quæ per se stet, atq. adeò sit substantia; neq. secundum potest dici, quia substantia quantùm est ęx se, semper eiusdem ordinis producit accidentia, vt patet, v.g. in Igne disponente per calorem aliquod subiectum ad formam ignis, si enim postquã introduxit septimũ gradum caloris, auferatur tale subiectum, & aliud apponatur, nonne in tali subiecto de nouo apposito introducet eumdem gradum, quem introduxisset in subiecto iam disposito per septimum gradum? vtiq. certè; quantum enim est ex se, semper æqualiter gradus producit caloris, neq. ab applicatione extrinseca subiecti diuersificatur illius intrinseca virtus; quare ex hoc deducitur, quod cum per productionem eiusdem gradus caloris, quo primò incipit alterare nouum subiectum, in iam disposito per septimum gradũ introducat formam substantialem Ignis, ideò actio generatiua Ignis non distinguitur ab actione alteratiua, seu productiua caloris.

5 Ex hoc autem deducitur, (& explicatur secunda pars conclusionis) Generationem substantialem, esse vltimum terminum alterationis, .s. vltimum, & instantaneum esse actionis alterantis; quando enim aliquod Agens aliquam generationẽ intẽdit, postquam est approximatum alicui subiecto, incipit in illo per actionem alteratiuam accidentia, & dispositiones necessarias ad formam introducendam, producere, quibus corrumpuntur dispositiones antecedentis formæ, postquam autem vltima est introducta dispositio, si sequatur Agens suam operationem, quia nequit ampliùs alterare subiectum quin substantialiter mutetur, ideò per eamdem continuatam actionem, forma substantialis producitur, atq. adeò, illud vltimum, & instantaneum esse actionis, quod consequitur alterationem, vocatur generatio substantialis, quia terminum substantialem producit, non quia sit actio diuersæ rationis, ac priùs erat; Et hinc est, quòd talis actio, pro primario termino executionis, habet, alterare subiectum, pro secundario verò, siuè mutationem in materia, siuè ipsam formam substantialem, siuè compositum; non enim implicat eiusdem actionis plures esse terminos, quando habent inter se ordinem primarij, & secundarij. Sed.

Ob. 1. contra hanc tertiam Conclusionem. Alteratio per Aristotelem, & Philosophos omnes est diuersa à generatione, sed in hac sententia non esset, ergo &c. Tum etiam, alteratio fit successiuè, generatio in instanti, ergo non potest esse eadem actio vtriusq.

Respondetur. Aristotelem, & omnes Philosophos asserere esse distinctam alterationem, à generatione, non vt actionem ab actione, sed vt mutationẽ à mutatione, seu secundùm nostra dicta, vt productionem à productione, quod nos non negamus, dicimusq. quòd quando Ignis v.g. primò introducit dispositiones ad formam, tunc mutat accidentaliter illud subiectum, seu producit dispositiones accidentales, quando verò perseuerando in actione producit formam substantialem, & generat compositum, tunc substantialiter mutat subiectum, substantialemque terminum producit, quod tamen facit ultimo indiuisibili actionis alteratiuæ, atq. adeò fit in instanti generatio, estq. vltimus terminus alterationis modo explicato, & ita respectu termini producti, distinguitur alteratio à generatione, non ratione distinctæ actionis.

Obijc. 2. Actio debet esse in eodem genere, ac est terminus productus, sed diuersi sunt termini, alterationis, & generationis, ergo & diuersę actiones; ma. prob. quia actio nihil aliud est, quàm via, & fieri alicuius rei, ergo debet esse in eodem genere. 6

Res. 1. Neg. absolutè ma. creatio enĩ, secũd. cõmunẽ nõ est in eodẽ genere, ac res creata. l. sit illius terminus; deinde iam supradiximus, nullã actionẽ reperiri, quæ sit substãtia, cum semper sit accidens, & medijs accidentibus semper substantiam operari in physicis determinauimus, sed quidquid sit.

Res. 2. disting. ma. Debet esse in eodem genere, quasi quod illum includat virtualiter, & conc. mai. quasi quod sit eiusdem generis formaliter, & nego mai. quare ad probationem dico, actionem producentem, & dispositiones, & compositum, virtualiter illa omnia continere, sic v.g. actio calefactiua est actio caloris, & actio formæ substantialis, Ignis .s. & vt talis, & calorem necessarium ad disponendum subiectum, & formam ignis, requisitam ad compositum igneum producendum, virtualiter continet, nam quatenus subordinatur calori ad calefaciendum, & ad producendum alium calorem illi ęqualem, est actio illius propria, & vocatur alteratio, seu actio dispositiua, continetq. virtualiter calorem, quatenus verò subordinatur formæ substantiali, vt habenti virtutem ad producendum effectum substantialem, est actio ordinata ad terminum substantialem, illumque virtualiter continet, quem tamen cum nisi post omnes dispositiones introductas possit producere, ideò solũ in illo vltimo instãti dicitur generatio, vtpotè tũc exercẽs, id quod præintenditur ab Agente, & ad quod est ordinata, nam. l. generatio compositi in ordine intentionis sit terminus primarius, est tamen secundarius in ordine executionis.

Obijc. 3. Postquam ignis introduxit in aliquo 7 subiecto septimum gradum caloris, vltimam dispositionem prærequisitam ad formam substantialem, vel producit octauum gradum caloris, ex quo

resul.

resultet forma substantialis, vel producit formam substantialem, si primum, ergo effectiuè non producit formam, sed solùm resultat, & productio qualitatis non formę substantialis est terminus generationis; si secundum, hoc non potest esse nisi per distinctam actionem, quod patet, ex eo quia Ignis continuando actionem, nisi qualitatem potest producere, si enī auferetur subiectū dispositū, vt septé, & aliud nihil dispositum apponeretur, in illo non formam substantialem, sed qualitatem, & gradum caloris produceret, ergo si formam substantialem producit, est quia distincta operatur actione.

Resp. Quod Ignis, & quodlibet agens, postquam omnes pręrequisitas dispositiones ad formam in aliquo subiecto introduxit, & formam substantialem propter quam disposuit subiectum, etiam producit & hoc quia, cum dispositiones introducat in subiecto in ordine ad formam, nec sit ampliùs capax alias dispositiones recipiendi, & vltimò alteratum, ampliùs alterari non possit, quin substantialiter mutetur, ideò formam substātialem producit; producit autem eadem actione, ac alterauit, & disposuit priùs illud subiectum; quòd deducitur ex eo quia, si illi apponatur aliud subiectum non alteratum, eamdem continuat actionem, quare cum non sit agens cognoscitiuum aduertens, aut identitatem, aut mutationem subiecti, semper eodem modo agere asserendum est, .i. in primo subiecto producat formam substantialem, quia iam est vltimò ad illam dispositum, secùs verò in secundo; & in hoc nulla apparet implicantia, cum actio agentis naturaliter semper sit ad producendum sibi simile .i. formam substantialem, quam tamen non producat ex defectu dispositionis in subiecto; quare quando etiam alterat subiectum, quantùm est ex se, intendit productionem formæ .i. eam non producat, non quia illius primaria actio non sit sufficiens, neq ad illam ordinata, sed quia subiectum non est dispositum ad illam; quòd patet, ex eo quia, si alicui agenti incipienti agere, apponatur subiectum totaliter dispositum ad formam, in primo instanti actionis, formam producit. Quare optimè ex hoc patet, non diuersam actionem importare productionem formæ, sed diuersum subiectum, vel vltimò, vel non vltimò dispositum ad formam.

8 Coll. ex dictis. Terminum Generationis totalem, *ad quem* esse ipsum compositum, ad ipsum enim tendit generatio; terminum verò *formalem*, esse formam, vt vnitam; forma enim sola, vt producta, non potest esse terminus generationis, nam homo verè generat hominem, & tamen formam non producit, sed solùm vnionem causat. Neq. etiam vnio potest esse terminus formalis generationis, quia terminus formalis generationis debet se habere, vt *quod*, at vnio se habet, vt *quo*. ergo &c. Quare meliùs est dicendum, terminum formalem generationis esse formam, non vt productā, sed vt adductam in materia, siuè hoc contingat vi solius vnionis, vt in homine, siuè vi productiua, & vnitiua formæ, vt in aliis generationibus. Et hinc patet, quomodo homo dicatur hominem generare, .i. nec materiam, nec formam producat; dicitur tamen generare, quia producit vnionem formæ, cum materia, formalitas enim generationis non stat in productione formæ, sed in eo quod forma constituatur in materia, & in illa recipiatur, siue tanquam in subiecto inhæsionis, vt euenit formis materialibus, siuè tanquam in subiecto informationis, vt conuenit formis spiritualibus,

Coll. 2. Generationem ex suo intrinseco non semper requirere terminum *à quo* positiuum; & ratio est, quia aliquando potest fieri generatio in instanti, in quo producitur materia, vt euenit in generatione vermium in hostiis consecratis; quando autem reperitur talis terminus, est forma, quæ corrumpitur, à qua transit materia ad aliam.

Col. 3. Subiectum generationis propriè, & rigorosè esse materiam, in ipsa enim remanente ingenerabili, & incorruptibili, variæ, & continuæ generationes ab Agentibus naturalibus producuntur.

Quæres. An Conuersio, & Generatio inter se 9 differant.

Resp. Conuersionem importare, quod subiectū se habuerit diuersimodè, sed positiuè per aliquam .s. formam positiuam, & ita dicitur lignum conuerti in ignē, materia enī quæ priùs erat sub forma ligni, conuertitur in compositum ignitum, quare hæc est differentia inter conuersionem substantialem, & generationem, quod ipsa est semper generatio, & tunc, vt iam diximus, appellatur etiam mutatio, nō verò è contra, generatio est semper conuersio, cum ex dictis, possit fieri absq. eo quod præcedat terminus positiuus. Aduert. tamen, quod tunc conuersio est generatio, quando est substantialis, & non conuertitur totum in totum; duplex enim datur conuersio substantialis, formalis .s. & totalis, formalis est quando remanente eadem materia, mutatur forma, totalis verò quando totum quoad vtramq. partem, .s. quoad materiam, & formam in aliud totum substantiale mutatur; & hæc dicitur Transubstantiatio, ut euenit in Sacramento Euchar. in quo tota substantia panis conuertitur in Corpus Christi.

Queres 2. Quid sit generatio strictissimè sumpta, .i. Viuentium, illa .s. non qua producuntur ex 10 putri, aut alio simili modo, hæc enim non distinguitur ab aliis generationibus, sed qua unum uiuens ab alio generatur.

Resp. ex D. Thoma prima parte, quæst. 27. art. 2. quod hæc generatio Viuentium *est origo viuentis a viuente principio, coniuncto in similitudinem naturę*; quæ definitio sic explicatur; dicitur *origo*, seu processio, ad explicandum influxum actiuum, quem principium debet habere, quare excluditur à generatione productio Euæ ex costa Adæ, quia Adam, non fuit principium actiuum influxus, sed purè passiuum; dicitur *viuentis*, vt excludātur inanimata; dicitur *à viuente*, quia principium producens vitam in alio, debet eam habere in se; dicitur *principio coniuncto*, quia principiū generans debet aliquo pacto esse coniunctum viuenti genito, vel per semen, vel per sanguinem, vel per aliquid aliud, quare excluduntur creationes, & aliæ productiones, in quibus non est hoc modo principium coniunctum; dicitur tandem *in similitudinem naturę*, quia genitum debet aliquo pacto participare naturam

ram

ram generantis, vnde vermes, qui ex nobis producuntur, non dicuntur à nobis generari, nec filii nostri appellantur, quia .s. producantur ex nostra carne, & verè sint viuentes ex viuente principio, non producuntur tamen in similitudinem naturæ nostræ.

11 Quæres 3. Quid, & quotuplex sit Augmentatio substantialis.

Resp. Augmentationem substantialem esse motũ à minori ad maiorem substantiam .s. actionem, qua substantia minor euadit maior per acquisitionem alterius partis substantiæ quantitatiuæ; in nostra enim sententia, in qua diximus quantitatem non distingui à substantia, non potest saluari communis definitio, quòd .s. augmentatio sit motus à minori ad maiorem quantitatem, sed vt iam diximus, à minori, ad maiorem substantiam .s. ad substãtiã in maiori quãtitate. Augmẽtationi autẽ opponitur Diminutio, & est actio, seu motus à maiori ad minorem substantiam quantitatiuam.

Resp. 2. Augmentationem substantialem esse duplicem; alia est viuentium, & vocatur nutritio, alia non viuentium, & hæc etiam dupliciter diuiditur, vna dicitur Accretio, & est quando absq. productione alicuius formæ substantialis per solam præcisam continuationem vnius partis cum alia, fit augmentatio, vt quando vna pars Aquæ augmentatur per continuationem cum alia, vbi nulla forma substantialis producitur, sed solummodo vnio inter vnam Aquam, & aliam; Alia vocatur Aggeneratio, & per hanc dicuntur augmentari illa, quæ simul, & semel in partem, quam acquirũt, etiam formam substantialem producunt, vt quãdo Ignis comburendo aliquod subiectum, augmentatur, tunc enim nedum sibi vnit illud subiectum, sed etiam in illo formam substantialem Ignis producit, immò prius in illo formam substantialem producit, deinde totum illud sibi vnit; Vbi est Aduert. Quod augmentatio formaliter non consistit in productione formæ substantialis, hæc enim est generatio, sed in vnione, per quam formaliter vnitur substantia producta cum antecedenti; Et ex hoc deducitur, qualis sit terminus augmentationis; duplex inquam est, & *quo*, & *qui*; terminus *Quo* est ipsa vnio; terminus uerò *Qui* est substantia aucta, non quatenus producta, sed quatenus unita, & quatenus est terminus unionis,

SECTIO II.

De Corruptione substantiali.

12 Generationi opponitur Corruptio, ideò postquam ad generationem spectantia vidimus, quæ tunc corruptionis propria remanent examinanda; dari autem corruptionem supponimus, & quotidie experimur, quare solùm inquirimus, quid sit, & an sit quid positiuum, vel negatiuum.

Suppon. est autem. Duplici modo posse contingere corruptionem; primus est, quando per productionem alicuius rei, & formæ, prior res, & forma destruitur, vt quando ad productionem formę Ignis, lignum, seu forma lignea corrumpitur, & hæc dicitur corruptio causalis; secundus est, quando per meram desitionem, destructionem, aut separationẽ formæ, corrumpitur compositum absq. vllius formæ productione, per cessationem .s. influxus conseruatiui, quẽ talis forma in sua informatione exigebat, vt quando in aere lumen extinguitur, quando homo moritur, tunc fit corruptio illius compositi, & tamen ex dictis in Physica nulla forma substantialis de nouo producitur, & hæc vocatur corruptio formalis; iuxta ergo hunc duplicem modum, dupliciter considerari potest corruptio. Hoc suppos. Sit.

Prima Conclusio Corruptio est *destructio termini substantialis dependenter a subiecto, siue permanente subiecto*. Ita Auersa quæ. 37. sect. 4. cum communi. 13

Explic. dicitur *destructio termini &c.* loco generis in quo conuenit cum anihilatione; dicitur *permanente subiecto* .s. materia, ad explicandam illius differentiam ab eadem anihilatione, in qua totum destruitur, & anihilatur.

Secunda Conclusio. Corruptio, siue sit cum productione nouæ formæ, siue absq. productione, non est actio accidentalis positiua distincta ab õni alia actione, & per se destructiua rei, quæ corrumpitur, sed si est primo modo, est positiuè eadẽ actio generationis, qua producitur noua forma; si secundo modo, est solùm cessatio, & ablatio influxus conseruatiui, quod nil aliud est, quàm negatio illius actionis, quæ erat conseruatio formæ. Ita Comptonus in lib. de Gen. disp. 4. de corrupt. sec. prima, Auersa loco supracit. Serbell. disp. 2. de ortu, & inter. quæ. 1. art. 6. & alii multi.

Prob. prima pars. Quæcumq. actio positiua aliquid positiuum efficit, idemq. est agere, ac producere, ergo implicat dari actionem positiuam, quæ per se sit corruptio, Itẽ actio, est ĩ eodẽ genere, ac terminus productus, saltẽ uirtualiter, sed terminus corruptionis est, non esse rei, ergo non potest corruptio esse per se actio positiua tendens ad nõ esse rei; tum deniq. quia, natura in operando, & agendo non intendit per se destruere, & corrũpere, sed potiùs efficere, & producere; per accidens autem ad illius actionem positiuam, qua aliud substantiale intendit producere, sequitur corruptio, ergo corruptio per se non est actio positiua.

Prob. secunda pars. Forma antecedens corrũpitur, quia noua forma generatur, & expulsio formæ antecedentis est effectus formalis formæ aduenientis, ut in physicis, ergo corruptio positiuè nõ est alia actio, quàm ipsa generatio formæ subsequentis, secundùm tamen diuersum respectum sumpta; consequentia prob. Agens producendo suam formam, quia simul non potest stare cum antecedenti, eam destruit, ergo eodem actu absq. alia operatione distincta, & producit formam nouam, & corrumpit antecedentem, & sic eadem actio positiua, secundùm diuersas considerationes, & respectus, est & generatio, & corruptio, qua

tenus

tenus enim est productio formæ, est generatio, quatenus est ablatio antecedentis formę, est corruptio.

14 Neq. dicas. Diuersos terminos habere generationem, & corruptionem, ergo diuersas esse actiones; antecedens patet, generatio enim habet pro termino esse formæ producte, seu adducte in materia, corruptio verò non esse formæ, quæ destruitur; esse autem, & non esse differunt plusquam realiter, ergo realiter distinctas exigunt actiones.

Resp. neg. consequentiam, una enim sufficit actio, licet ad terminos vnum negatiuum, & alium positiuum, cum enim unus realiter consequatur ad alium, ideò eadem actio ad ambos potest terminare, neq. ulla est implicantia, cum eadem actio sit à termino a quo, & ad quem, licet sins contrarii.

Prob. tertia pars. Per cessationem, & negationem influxus, quo aliqua conseruatur forma, potest talis forma desinere, sed desitio talis formæ importat corruptionem, ergo sola negatio influxus absq. alia actione positiua, in tali casu dicitur corruptio; min. prob. sicut enim esse rei ponitur per productionem, & permanet per conseruationem, ita tollitur per ablationem eiusdem actionis absq. eo quod adueniat alia positiua, atq. adeò talis corruptio non est positiua actio, sed solum negatio actionis se habens tamen adinstar actionis, quatenus respicit suum terminum .s. non esse rei.

Neq. dicas. Si corruptio consisteret in negatione influxus, posset illa res, quæ corrumpitur aliquo tempore, postquam corrupta est, semper dici actu corrumpi, perseuerat enim semper negatio talis influxus.

Resp. enim. Quod licet semper perseuераret negatio illius influxus, non semper tamen, res actu corrumpi deberet dici, sed solùm in illo instanti, in quo res, quæ priùs erat, incepit non esse, in illo enim solo transitu, in quo res transit, ab esse ad non esse, dicitur formaliter corrumpi, & tunc solùm dicimus esse corruptionem.

Coll. primò ex dicta differentia inter generationem, & corruptionem, quod .s. in generatione, terminus *ad quem* est id, quod generatur, & producitur, in corruptione verò è contra, id, quod corrumpitur non est terminus ad quem, sed potiùs terminus à quo, ab illo enim incipit corruptio, & tendit ad non esse illius, quare non esse rei, est terminus ad quem corruptionis. Aduert. tamen, quòd non denominatur corruptio respectu termini ad quem acquisiti .s. respectu non esse rei, ratione enim illius deberet potiùs dici acquisitio, acquiritur enim nō esse rei, benè verò denominatur corruptio respectu termini à quo, qui corrumpitur, & destruitur.

Coll. 2. Falsum esse vniuersaliter illud Axioma, quod corruptio vnius sit generatio alterius, vel è contra, vt optimè præter alios demōstrāt ex nostris Morandus, & Guarinus 10 lib. de Gener. Cum enim ex dictis, absq. productione nouæ formę per solam cessationem influxus, possit haberi corruptio, ideò ad corruptionem non semper requiritur generatio alterius; tum quia quando moritur animal, nulla noua forma generatur ex dictis in physica, vel quando anima infunditur in Embryone nulla forma corrumpitur, ergo non semper ad generationē sequitur corruptio, vel è cōtra.

Coll. vltimò. Secundùm nostra principia in generatione non dari corruptionem omnium Acci- 15
dentium, neq. formarum substantialium vsq. ad materiā primā. Sic cōmuniter tenēt cū multis antiquis recentiores ferè omnes quos videre est apud Mastrium disp. 5. in lib. de Gen. quæ. 3. Auersam, quæ: 37. sec. 6. & ex nostris Aresium 1. de Gen. disp. 2. quæ. 11. sec. 2. Morandum 1. de Gen. tra. primo quæ. 6. Guarinum disp. 4. de Gen. exp. 2. & alios De Accidentibus patet, quia remanent in genito quædam accidentia, quæ priùs erant in alio composito, vt sapor, odor in aqua distillata, &c. tum quia multa accidentia sunt dispositiones ad formam, cur ergo debent corrumpi, si ad illam sunt præordinata? patet etiā de aliquibus formis substantialibus, quando enim moritur animal, remanet eadem forma corporis, quæ priùs erat, ut iam diximus, quare improbabilis est Sententia Thomistarum asserentisi in quacumq. generatione dari resolutionem usq. ad materiam primā, tū respectu formarū accidentalium, tum substantialium. Et hæc sufficiant dicta de Corruptione.



DISPVTATIO SECVNDA

De Generatione Accidentali, hoc eſt De Alteratione.

AD Generationem ſubſtantialem pertinentia vſq. adhuc iam expendimus; modò generationis accidentalis, quæ propriè Alteratio vocatur, remanent examinandæ eſſentia, & proprietates. At quia terminus Alterationis eſt qualitas, vnde dicitur motus ad qualitatem, ideò ſunt recolenda, quæ in Phyſicis diximus de Qualitate, ſeu de forma accidentali. Quare his ſuppoſitis. ſit

SECTIO PRIMA.

Quid, & quotuplex ſit Alteratio.

MVltis acceptionibus poteſt ſumi Alteratio vt videre eſt apud Ariſt. 1. de Gen. diſ. 3. quæſt. 24. ſect. 1. & Auerſam quæſt. 39. ſect. 2. propriè autem hìc ſumitur pro mutatione, quæ eſt ſolùm ad qualitatem, vt cum ſubiectũ de non calido fit calidum, frigidum, &c. hæc autem ſic ſumpta definitur ab Ariſt. 1. de Gen. text. 23. Alteratio eſt *Quando manente ſubiecto ſenſibili, mutatur in ſuis paſſionibus, aut contrarijs aut medijs* Clariùs autem à modernis, præcipuè à Spinula in lib de Gen. diſp. 3. de Alteratione, definitur. *Quod ſit mutatio quædam, qua ſubiectum ſit accidentaliter diuerſo modo ſe habens, ac priùs.* Facilis eſt, nec explicatione indiget; & ex illa patet, terminum alterationis eſſe qualitatẽ, ſeu accidens, terminat enim ad qualitatem ſeu accidens, & dicitur motus ad qualitatem, ſubiectum autem illius propriè eſſe materiam, cum ex dictis, in ipſa recipiantur omnia Accidentia.

Diuid. autem pri. Alteratio in Corruptiuã, & Perfectiuã: Corruptiua eſt quando introducitur in ſubiecto aliqua qualitas, quę .l. illud perficiat, hoc tamen facit corrumpendo qualitatem contrariam, quę in illo reperiebatur, ſic dum membrum fit calidum, corrumpitur, & ab illo expellitur frigus; Perfectiua verò eſt, quæ ſolùm perficit ſubiectum, nec qualitatem aliam corrumpit, quia contrariam non habet, ut eſt illuminatio.

Diuiditur 2. In Inſtantaneam, & Succeſſiuam; Inſtantanea eſt, quę fit in inſtanti, & hæc euenit quando qualitas, quę introducitur in ſubiecto, non habet contrariam, quam expellat; ſucceſſiua verò eſt, quæ fit ſucceſſione temporis, & euenit quando qualitas introducibilis habet contrariam, ut calefactio; an autem in alteratione ſucceſſiua interponantur morulæ, ita ut poſt productionem unius gradus qualitatis, ſiſtat aliquantiſper Agens, & poſtea alium producat, videtur negandum, cum nulla ſit neceſſitas illas admittendi; Agens enim neceſſarium, & non impeditum ſemper neceſſariò agit, & ſic non eſt cur moretur. Neq. dicendum eſt, morari ob reſiſtentiam paſſi, quia tam eſt reſiſtentia in primo inſtanti, quam in ſecundo.

Diuiditur 3 In Extenſiuam, & Intenſiuam; Extenſiua eſt, qua plures partes ſubiecti alterantur, & qualitatibus afficiuntur; Intenſiua verò, qua vna, & eadem pars ſubiecti magis alteratur, & magis recipit de qualitate (qualitates enim ſolummodo ſunt, quę intenduntur;) intenſio enim eſt multiplicatio partium, .ſ. graduum qualitatis, in eadem parte ſubiecti; circa autem hanc vltimam diuiſionem alterationis plura ſunt inquirenda, & præcipuè de alteratione intenſiua. Quare ſit.

SECTIO II.

Quomodo fiat intenſio qualitatum.

SVppon. eſt primò. Intenſionem qualitatum per hoc fieri, quòd in eadem parte ſubiecti magis ſentiatur earum effectus formalis, ac per hoc, quod eadem pars ſubiecti magis alteretur; in hac autem intenſione, qualitates ſunt determinatæ ad certum intenſionis gradum verſus maximum, ſupra quem naturaliter augeri non poſſunt: hoc autẽ nõ prouenit ex natura qualitatum, ſed ratione ſubiecti, quod amplius non poteſt intendi quin corrumpatur; nulla enim apparet ratio, cur hoc proueniat ex natura qualitatum, cum quantùm eſt ex illarum natura æquè benè vnus gradus illarum

ſeq.

semper possit addi super alium.

Supp. 2. Summam cuiuscumque qualitatis intensionem in corporibus his inferioribus vsq. ad octauum gradum peruenire: hæc autem distributio ad libitum Philosophorum inuenta est ob commoditatem doctrinæ; nam cum quilibet gradus possit in plures diuidi, ideò plures posſunt assignari gradus; octo tamen solùm ob maiorem facilitatem sunt assignati, ita vt, tota maior intensio qualitatum, quæ fieri possit, in octo æquales partes diuidatur, vltima quarum dicatur octauus gradus, penultima septimus, & sic successiuè: quæstio ergo procedit inquirendo, quomodo isti gradus qualitatis introducantur in subiecto, quando alteratur intensione, & etiam quomodo deperdantur in remissione.

Alij enim volunt, quòd intensio fiat per productionem qualitatis perfectioris, & destructionem qualitatis prioris, quæ erat imperfectior: Remissio verò, quòd fiat per productionem imperfectioris qualitatis, corrupta perfectiori: & ita sentiunt Durandus, Albertus, Gofredus, Auicena, Gilber. & alij.

Alij volunt, Intensionem qualitatis fieri, ex eo quia minuatur qualitas illi in subiecto contraria, absque eo quòd noua qualitas producatur. Remissionem vero quando augetur qualitas contraria; & ita sentit Ægidius.

Alij quòd intendatur qualitas absq. productione nouæ qualitatis, sed per solam maiorem radicationem præcedentis in subiecto: & ita sentiunt omnes Thomistæ, aliqui explicantes hanc maiorem radicationem, per communicationem perfectioris existentiæ, destructa imperfectiori; alii per maiorem vnionem cum subiecto, alii per modum præcipuum maioris actualitatis, qui superaddatur essentiæ, & existentię.

Alii deniq. asserunt. Fieri intensionem qualitatum per additionem gradus, seu partis qualitatis ad gradum, seu partem eiusdem qualitatis in eadem parte subiecti; Remissionem verò per destructionem graduum; & ita sentiunt cum Scoto in primo distinct. 14. quæst. 4. omnes Scotistæ, præcipue Pontius disp. 24. Physicæ quæst. 3. Mastr. de Generatione, & Corruptione disp. 3. quæst. 2. art. 1. & multi alii ab ipsis relati, quibus etiam adhæret, Suarez in Metaph. disp. 46. sect. 1. Vasquez. 1. par. quęst. 72. cap. 4. Conimbr. 1. de Gener. cap. 4. Arriaga disp. 3. sect. 1. subs. 3. Hurtadus disput. 5. sect. 4. Ouiedo de Gener. Contr. 4. pun. 1. §. 4. Serbell. disp. 1. de Ortu, & Inter. quæst. 1. art. 7. Auersa quæst. 23. de Qualitate sect. 6. Spinula in lib. de Gen. disp. 3. sect. 2. ex nostris Aresius 1. de Gen. disp. 3. quæst. 25. art. 3. Morandus t. de Gen. tract. 2. quæst. 3. Guarinus in lib. de Gener. disp. 5. exp. 2. cum quibus. Sit.

3 Prima Conclusio. Intensio qualitatum non consistit in productione qualitatis perfectioris, destructa imperfectiori; Neq. per solam destructionem qualitatis contrariæ; neque per maiorem radicationem qualitatis in subiecto quomodocumque accipiatur; benè verò per additionem qualitatis, gradus ad gradum in eadem parte subiecti; remissio verò per destructionem gradus qualitatis.

Prob. prima pars, quod non fiat per productionē perfectioris qualitatis, destructa imperfectiori. Nullum est assignabile Agens destruens priorem qualitatem, ergo non est dicendum, quod destruatur, & perfectior producatur; antec. prob. vel enim hoc Agens est illud, quod producit perfectiorem qualitatem, vel aliud; non aliud. quia non est assignabile; non producens perfectiorem qualitatem, quia potiùs intendit productionem, quàm corruptionem, & ad productionem perfectioris qualitatis, non est necessaria corruptio antecedentis. Confirmatur, quando ignis intendit calorem in Aqua, non est vlla causa, à qua destruatur præcedens calor introductus, ergo &c. antecedens prob. Ignis enim non potest destruere, quod semel introduxit, sed nullum aliud Agens ibi reperitur, ergo.

Prob. 2. Remissio, quæ est contraria intensioni, non potest fieri per productionem imperfectioris qualitatis, destructa perfectiori, ergo neque hoc pacto intensio; prob. antec. frigus vt vnum, agens in calidum vt octo, remittit calorem illū ad septem gradus, introducendo vnum gradum frigiditatis, sed non potest dici, quòd ille calor, vt septem denouo à frigore producatur, destructo totaliter calore vt octo, alioquin frigus produceret calorem, ergo remissio non fit per corruptionem perfectioris qualitatis, & productionem imperfectioris; Neq. enim est recurrendum ad Deum, ad quid enim Deus deberet producere calorem vt septem, cum posset dici vnū solum gradum corrumpi, & reliquos septem permanere?

Prob. 3. Habitus, qui cōnumerātur inter qualitatēs, non possunt intendi per hoc quòd prior qualitas destruatur, & perfectior producatur, ergo hoc pacto non est explicanda intensio qualitatum; prob. anteced. habitus concurrit aliquo modo ad actus, ergo non potest corrumpi ad positionem talis actus, quia si hoc esset, sequeretur quòd in eodem instanti esset, & non esset, esset quia concurreret ad actum, non esset quia adueniente nouo habitu, destrueretur, ergo &c. Deinde ex hoc sequeretur, quod solus actus produceret habitum in potentiis, si totus habitus antecedens corrumperetur, quo quid absurdius?

Prob. 4. Si hoc esset, sequeretur quòd naturaliter quælibet intensio posset fieri in instanti, sed hoc est contra experientiam, ergo &c. sequela prob. posset enim Agens in primo instanti producere perfectissimam qualitatem, & sic in instanti intendere subiectum in summo.

Probatur secunda pars. Sunt multæ qualitates, quæ non habent contrarium, vt lux, gratia habitualis supernaturalis, &c. & tamen intenduntur, ergo intensio non fit per destructionem contrarii absq. productione qualitatis; tum quia gratia sanctificans .l. remississima totaliter expellit peccatū, ergo quando talis gratia intenditur, nō intenditur per destructionem contrarii .s. peccati, iam enim supponitur totaliter per primam destructum, ergo intensio qualitatum non fit, &c.

4 Prob. 2. Quando Aqua fit remiſsè calida, vel destruitur totum illius frigus, vel non; ſi destruitur ergo quando intenditur calor, non intenditur per corruptionem contrarii, iam enim totum destructum eſt; ſi non destruitur totum, ergo ſolùm illius pars, ergo qualitas intenſa habet partes, quæ deſtrui poſſunt per qualitatem poſitiuam aduenientem, & intendentem qualitatem remiſſam.

Prob. tertia Pars. Non poteſt dari maior radicatio qualitatis, quomodocumq. ſumatur, ergo in hac maiori radicatione non poteſt cōſiſtere intenſio qualitatis, ſicuti neq. è contra remiſſio in minori radicatione; anteced. prob. & primò de exiſtentia; exiſtere enim conſiſtit in indiuiſibili, dicitq. rem extra cauſas poſitam, ſed res ſimpliciter poſita extra cauſas, ſummè poſita eſt extra cauſas, ergo non poteſt magis poni, & ſic nec magis exiſtere, ergo per perfectiorem exiſtentiam, qualitas non poteſt dici magis radicata; deinde exiſtentia non diſtinguitur ab eſſentia, ergo non poteſt deſtrui exiſtentia alicuius eſſentiæ, & communicari illi perfectior exiſtentia.

5 Pr. 2. de vnione. Non poteſt intelligi maior vnio, illa, quā habet qualitas per inhæſionē in ſubiecto, ergo cū quælibet qualitas, cū ſubiecto habeat hāc vnionem, maiorem recipere non poteſt; tum quia, qualitas intēſa perfectiùs operatur, quàm remiſſa, ergo debet habere perfectiorem virtutem, ſed maior, vel minor Vnio non eſt virtus operatiua .l. ſit conditio, ergo dato etiam, quòd modus perfectior vnionis poſſit dari, non ſufficit ad hoc, vt qualitas ſit magis intenſa.

Prob. 3. de modo proprio maioris actualitatis. Illa maior actualitas nequit eſſe abſq. noua productione entitatis poſitiuæ; vel ergo talis entitas eſt compatibilis cum antecedenti qualitate, vel non; ſi eſt compatibilis, ergo ratione illius, intenſio fiet, vt infra dicemus; ſi non eſt compatibilis, ergo antecedent deſtruitur, & ſic recurrunt difficultates in prima ſententia reiectæ; tum quia, in remiſſione non eſt aſſignabilis cauſa productiua huius minoris actualitatis, quando enim Aqua, v.g. calida ſe reducit ad frigus, calor, qui remittitur, deberet recipere, in illorum ſententia, minorem actualitatē, ac prius habebat, ſed aqua nec calorem, nec illius minorem actualitatem poteſt producere, ergo &c. Neq. recurrendum eſt ad Deum, aut ad aliquam cauſam vniuerſalem, cum nulla ſit neceſſitas; quare à primo ad vltimum aſſerendum eſt, hanc maiorem radicationem qualitatum non eſſe admittendam, neq. per conſequens, in illa conſiſtere intenſionem, remiſſionem verò in minori radicatione.

Prob. 4. Separet Deus à duobus ſubiectis duas qualitates inæqualiter intenſas, illaſq. ita ſeparatas conſeruet, vel remanebunt inæqualiter intenſæ, vel non; ſi remanebunt, ergo intenſio, non prouenit à maiori radicatione in ſubiecto, ſi quidem ſunt ſeparatæ à ſubiecto; ſi non remanebunt, ergo altera ipſarum intendetur ſicuti alia, vt fiat illi æqualis, ergo intendetur, licet non magis radicetur in ſubiecto à quo eſſet ſeparata, ergo, &c.

Probatur vltima Pars, & vera ſtabilitur ſententia. Et primò quidem ex confutatione aliarum ſententiarum, nullus enim alter excogitabilis eſt modus intenſionis, niſi per additionem qualitatis qualitati in eadem parte ſubiecti; tum quia calor, v.g. intendens calorem, eodem modo producit in ſubiecto calorem, ac ſi primò produceret, & nullus calor in ipſo reperiretur, ſed ſi primò produceret, produceret calorem, & non radicationem, exiſtentiam, &c. ergo dicendum, & tunc producere calorem, atque adeo intenſionem fieri per hoc, quod vnus gradus qualitatis addatur aliis gradibus eiuſdem qualitatis in eadem parte ſubiecti, Remiſsionem verò per hoc, quod aliqua pars, ſeu gradus qualitatis deſtruatur.

Prob. 2. Incrementum extenſiuum qualitatis conſiſtit in additione gradus ad gradum reſpectu diuerſarum partium ſubiecti, ergo & incrementum intenſiuum debet conſiſtere in additione gradus ad gradum in eadem parte ſubiecti. 6

Prob. 3. Qualitas intēſa diuinitùs poteſt ſeparari à ſubiecto, ergo intenſio nō prouenit à maiori radicatione, vel &c. ſed ab ipſa qualitate ſacta maiori per additionem alterius qualitatis eiuſdem ſpeciei; conſequentia prob. ſi enim conſiſteret in radicatione, &c. non poſſet ita intenſa ſeparari, cum deſtrueretur maior radicatio, &c.

Prob. 4. Si alicui agenti, igni, v.g. poſtquam intendit aliquod ſubiectum, vt quatuor, apponatur aliud ſubiectum nulla contraria qualitate imbutum, in illud producet vnum gradum caloris, ergo, & eumdem produxiſſet in primo ſubiecto intenſo, vt quatuor, at ita intendiſſet, ut quinque, neque enim eſt agens cognoſcitiuum aduertens mutationem ſubiecti, ergo intenſio, &c.

Confirmat. experientiis. Si enim duo ſoni ſint in aere, vtiq. ſentitur maior rumor, quàm ſi vnus adeſſet. Item ſi candelæ aulam illuminanti, altera addatur candela, maior erit lux in aere, quàm antea, ſed hoc prouenit, quia per additionem vnius ſoni ad alterum, ſeu ſpecierum ſoni ad alias, intenditur rumor, quia ſecunda candela addit alios gradus lucis, ergo in tali additione aſſerendum eſt cōſiſtere intenſionem qualitatum, ita vt prima qualitas vnita cum aliis qualitatibus additis, euadat maior, & intenſior. Sed.

7 Ob. 1. contra primam partem concluſionis. Terminus à quo perit aduenientе termino ad quem, ſed qualitas remiſſa, in intenſione eſt terminus à quo, ergo perit aduenientе termino ad quem, ſcil. qualitate intenſa.

Reſ. diſt. min. Qualitas remiſſa eſt terminus à quo, ſumpta formaliter, vt remiſſa, con. ſumpta materialiter, & entitatiuè, vt qualitas, & nego; quare ſolùm, vt remiſſa .ſ. quatenus dicit negationē mai. qualitatis eſt terminus à quo intēſionis, in tali eni formalitate propriè cōſiſtit terminus à quo intēſionis, & ideo cōc. perire ſecūdū illam formalitatem; tunc enim quando eſt intenſa, nō eſt ampliùs remiſſa; ſecund. tamen entitatem perſeuerat, ſicuti quādo quis numerar. à 3. procedit ad 4. & tamē nō deperdit niſi formaliter 3. immo in 4. includitur.

Inſt.

Inst. ex Aristotele terminus à quo alterationis non est priuatio, sed qualitas positiua, ergo nulla responsio.

Resp. Aristotelem loquutum fuisse de alteratione corruptiua, quæ est inter qualitates contrarias, in qua quidem quantùm crescit de vna qualitate, tantùm perit de alia, in quo casu potest dici quod qualitas positiua, fit terminus à quo, sed talis terminus à quo, non illa est qualitas, quæ intenditur, sed quæ cotrumpitur, quare nihil contra nos.

Ob. 2. contra secundam partem concinfionis. Ex Aristotele habetur 5. Physic. tex. 20. quod magis, & minus, in intensione, & remissione, fit per maiorem, vel minorem admixtionem contrarii, ergo &c.

Resp. Aristotelem non loqui in sensu formali, sed causali, & concomitante, quia .s. quando intenditur vna qualitas habens contrariam, debet causatiuè destrui illa qualitas contraria, non verò intelligitur, quod formaliter intensio, & remissio in hoc consistat.

Ob. 3. contra tertiam conclusionem. Secundũ Philosophum 4. Phy. tex. 84. ex calido, fit magis calidum, nullo facto de nouo calido, ergo non producitur nouus gradus caloris, quando fit intensio qualitatis, sed productus magis radicatur.

Resp. neg. consequentiam; nam licet quando fit intẽsio, producatur nouus gradus caloris, per hoc tamen non producitur aliquod calidum de nouo .s. subiectum calidum, sed solùm producitur, & additur calor, qui priùs non erat, priùs enim erat calidum subiectum, & ita calidum perseuerando augetur per solum calorem additum, absq. eo quod de nouo producatur calidum, quod non erat.

Ob. 4. Si intẽsio fieret per additionem gradus ad gradum eiusdem qualitatis, sequeretur, quòd idem subiectum, quod v. g. calefit, esset sũmè, & remissè calidum, hoc implicat, ergo; sequela probatur esset quidem remissè calidum, quia in ipso perseuerarent primi gradus caloris, ratione quorum esset remissè calidum, esset verò sũmè calidum, quia summè intenderetur.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dico, calorem remissum dupliciter considerari posse, & pro vt dicit entitatem caloris, & pro vt dicit carentiã vlterioris gradus; si consideretur primo modo .s. secundùm entitatem, verum est permanere in subiecto, non verò si consideretur secundo modo, pro vt dicit carentiã vlterioris gradus, tũc enim alios habet additos gradus; remissio autem formaliter importat talem carentiam, quæ cum non sit in subiecto summè calido, neq. potest dici tale subiectum formaliter esse remissum.

8 Ob. 5. Si qualitas intensa componeretur ex partibus, sequeretur, quod qualitas intensa esset ens per accidens, sed hoc est falsum, ergo dicendum intensionem fieri, nõ per productionem noui gradus qualitatis, sed per maiorem radicationem iam producti.

Resp. primò. Hoc argumentum posse etiam militare in extensione qualitatis, quod tamen ipsi negant Thomistæ; sed Resp. directè argumento neg. sequelam, licet enim gradus qualitatis non vniantur inter se per modum actus, & potentiæ siue per modum materiæ, & formæ, tamen non sũt vnum per accidens, quia vniuntur vnione continuatiua, quæ constituit vnum per se integrale, sicuti quantitas, non dicitur vnum per accidens, licet constituatur ex pluribus partibus vnitis, sed est vnum integrale.

Ob. 6. Si intensio qualitatis esset per additionẽ gradus ad gradum, posset fieri in infinitum, at hoc implicat, ergo & id ex quo sequitur; sequela prob. extensio enim qualitatis quantùm est ex se, potest esse in infinitum, quia consistit in additione gradus ad gradũ, ergo sic esset & intẽsio, si tali pacto fieret.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dico, in tantùm qualitatem posse extendi in infinitum, quia subiectum, cui commensuratur, potest tali pacto extendi; non potest autem intendi in infinitum, quia subiectum, in quo debet intendi, non est capax tantæ intensionis infinitæ; non est inquam capax, quia cum intensio sit tanquam præuia dispositio ad certam, & determinatam formam, & certa, & determinata forma non possit habere indeterminatam, & infinitam dispositionem, ideò in infinitum non potest intendi qualitas, dispositio ad ipsam formam.

Ob. 7. Essentię consistunt in indiuisibili, ergo essentia qualitatis intensæ, non potest consistere in habitudine partium, consequentia probatur, quia hoc pacto essẽtia qualitatis intensæ mutaretur per additionem, vel corruptionem alicujus partis.

Resp. dist. antecedens, essentiæ rerum consistunt in indiuisibili, quoad prędicata essentialia, conc. anteceden., quoad entitatem, & partes integrales, in quibus fundantur illa prædicata essentialia, & nego; quando autem dicitur quod essentiæ rerũ consistunt in indiuisibili, intelligitur, quòd prædicata essentialia adeò indiuisibiliter in illis sunt, vt si illis fiat aliqua additio, aut diminutio, nõ amplius remaneat eadem essẽtia, non verò quòd illa prædicata essentialia non possint esse in entitate habente diuersas partes integrales, quòd patet ex eo quod dicitur, quòd essentiæ sunt sicuti numeri, numerus autem physicè est diuisibilis, plures enim habet vnitates, obiectiuè tamen, & metaphysicè est indiuisibilis, quatenus vna detracta, vel addita vnitate, nõ ampliùs remanet idem numerus; quare patet, quòd aliqua essentia .s. metaph. sit indiuisibilis, physicè tamen potest esse diuisibilis, hoc clarè patet in quãtitate plures habente partes integrales, quarum tamen omnium, indiuisibilis est essentia, sic ergo dicendum est de qualitate intensa, quæ .s. plures partes integrales habeat, vnam tamẽ indiuisibilem essentiam habet, quæ quidem essentia secundùm perfectionem variatur, ad quamcũq. additionem, vel corruptionem gradus qualitatis, & in hoc nulla est implicantia.

Ob. vlt. Duo accidentia eiusdem speciei, numero distincta nequeunt esse in eodem subiecto, sed 9
hoc esset, si intensio fieret per gradus distinctos additos præcedẽtibus, ergo &c. maior est certa, cũ enĩ accidentia indiuiduentur à subiecto, in quo sunt, in eodem subiecto duo eiusdẽ speciei numero distincta non possunt esse, min. prob. gradus enim ad-

ueniens esset distinctus a gradibus prius in subiecto existentibus.

Resp. primò posset. Falsam esse maiorem, si quidem quodlibet accidens, sicuti quælibet alia res indiuiduatur per propriam heccеitatem, vt diximus in Logica cum de indiuiduatione. Sed.

Resp. 2. Data minori, negando min. si quidem pars, seu gradus qualitatis, qui in intensione additur, vnitur tamq. pars integralis cum qualitate remissa in subiecto existente, cum illaq. constituit vnum accidens, sicuti vna constituitur quantitas, ex pluribus partibus integrantibus quantitatiuis simul vnitis: Quare &c.

SECTIO III.

An Intensio qualitatum fiet per gradus Homogeneos, vel Etherogeneos.

SEnsus quæstionis est, an quando aliqua qualitas intenditur per additionem plurium graduum qualitatis, isti gradus sint dissimiles, & etherogenei in perfectione indiuiduali, ita vt isti gradus naturaliter sint inuicem subordinati, secundus .s. primo, tertius secundo, &c. Ita tamen vt secundus sit perfectior primo, tertius excedat in perfectione secundum, & sic de cæteris; an verò omnes sint eiusdem, & æqualis perfectionis, & homogenei, nullamq inter se dicant subordinationem, ita vt tam sit perfectus primus, quàm octauus, & si primus, & octauus ponerentur in aliquo subiecto, illud solùm intenderent vt duo. In hoc autem variæ sunt sententiæ, alij affirmant, alij negant, alij mediam sententiam tenentes asserunt, qualitates non habentes contrarium, per gradus homogeneos intendi, è contra verò habentes contrarium, per etherogeneos. In tanta autem varietate sententiarum. Sit.

Prima Conclusio. Intensio cuiuscumq. qualitatis fit per gradus homogeneos, seu eiusdem rationis cum prioribus; Ita cum Scoto in 1. distinct. 17. quæst. 4. ferè communiter recentiores omnes, vt Pontius disp. 24. de Alteratione quæst. 4. Mastr. in lib. de Gen. disp. 4. quæst. 3. Vasqu. 1. 2. disp. 8 2. Guarinus disput. 5. in lib. de Gener. exp. 2. Morand. 1. de Gen. tract. 2. quæst. 4. Spinula in lib. de Gen. dis. 3. s. ct. 3. Aueria quæst. 23. sect. 7. Arriaga, Ruuius, Conimbr. & multi alii, cum quibus est etiam noster Atesius respectu qualitatum, non habentium contrarium, secùs verò respectu aliarum.

Prob. primò. Si gradus qualitatis intensæ essent etherogenei sequeretur in vno solo gradu qualitatis posse consistere summam intensionem qualitatis, sed hoc est falsum, ergo dicendum qualitatem intendi per gradus homogeneos; seq. prob. nam si octauus gradus esset diuersus ab aliis, illisq. perfectior, ergo si solus produceretur in aliquo subiecto, illud intenderet vt octo. Neque valet præcedentes gradus caloris requiri necessariò, tamquam dispositiones ad octauum. Non enim vnus gradus per se est dispositio ad alium, sicuti est ad formam substantialem, omnes enim gradus caloris conueniunt in eadem essentia caloris.

Prob. 2. Quando Ignis calefacit aliquod subiectum, si postquam calefecit vt quatuor, auferatur tale subiectum, & apponatur aliud, non in illo producit octauum gradum caloris, sed primum, ergo signum est, quòd quantum est ex se semper æquales, & homogeneos producit gradus, & per consequens, ex gradibus homogeneis intenditur qualitas. Neq. valet, tunc producere primum gradum, non quintum, quia est mutatum subiectum; hoc enim pacto esset ponere cognitionem, & electionem in Igne.

Prob. 3. Si gradus intendentes qualitatem deberent esse successiuè perfectiores, & etherogenei, deberet secundus saltem dupla proportione antecedentem excedere in perfectione, & hic secundus gradus contineret eminenter duas pefectiones primi, tertius quatuor perfectiones primi, & sic successiuè, ita vt octauus gradus contineret centum & viginti octo perfectiones, similes perfectiori primi gradus, hoc ergo suppos. quando calido, vt quatuor applicaretur frigidum, vt vnum, uel destrueretur octauus gradus caloris, vel primus: non primus, quia & per ipsos gradus, qui vltimò producitur, primò corrumpitur; tum quia si solum primus destrueretur, & remaneret octauus, continens etiam primi perfectionem, remaneret subiectum eodem modo calidum, ac prius erat, contra experientiam; quare debet dici, octauum gradum corrumpi ad positionem frigidi, vt vnum, sed neq. hoc in illorum sententia potest esse, ergo &c. hæc cons. pro. cum enim esset in tanta perfectione, non posset corrumpi à frigido, ut unum, alioquin Agens minimæ actiuitatis corrumperet Agens resistens, & contrarium maximæ actiuitatis, ergo &c. Deinde si unus gradus frigoris posset corrumpere octauum gradum caloris continentem aliorum graduum inferiorum perfectiones, posset etiam idem gradus frigoris, inferiores gradus caloris corrũpere, quod enim potest perfectius corrũpere poterit etiam imperfectius, & sic unus gradus frigoris poterit destruere subiectum calidum, ut octo, quod absurdissimum est: quare dicendum, omnes gradus qualitatis esse similes, & homogeneos, atq. adeò unum gradum frigoris, unum solum gradum caloris corrumpere, sit uel primus, uel octauus.

Prob. 4. Quando Agens calidum, ut octo producit in aliquo subiecto primum gradum caloris, uel omnes gradus concurrunt, uel solum octauus, uel solùm primus; si omnes, ergo sunt homogenei, si octauus, ergo pariter octauus est homogeneus, si primus, hoc non potest esse, si enim solus reperiretur, non posset producere primum gradum caloris in subiecto frigido, ut quatuor, ergo, &c.

Prob. 5. experientijs. Si alicui candelæ accensę in aliquo cubiculo addatur altera eiusdem rationis, augetur lumen in aere, ergo intensio fit per gradus homogeneos: Item si Petro habenti uires, ut duo, nec potenti mouere lapidem resistentem, addatur alius pariter uirium, ut duo, mouebitur lapis, ergo quia impulsus per gradus eiusdem rationis intenditur, Item radij Solis simul uniti intenduntur

duntur

duntur, ita ut combburant, ut paret quodo uniuntur in aliquo crystallo, ergo intensio fit per gradus homogeneos,consequen.prob.cum enim radij sint eiusdem rationis, calorem solùm eiusdem rationis possunt producere; Item lux per reflexionem intenditur,sed talis lux reflexa est eiusdem rationis, ergo &c. quare à primo ad ultimum concludendum est, intensionem cuiuscumq. qualitatis fieri per gradus homogeneos, ita ut nihil aliud sit intensio, nisi quod illi gradus, qui poterant esse in diuersa parte subiecti,sint in eadem ratione cuius magis sint actiui, quàm si essent extensi, cum enim uirtus unita fortior, ideò eum in eadem parte subiecti magis sint uniti, fortiores, & intensiores in operando euadunt.

Obiic.1. Qualitas intensa est perfectior, quàm extensa,etiam in gradibus æqualibus, u.g. octo gradus caloris constituunt perfectiorem qualitatem in eadem parte subiecti, ac constituerent in diuersa parte, quod patet, quia in diuersa parte subiecti ea qualitas non est tàm actiua, quàm in eadem,ergo hoc prouenit, quia qualitas intensa constituitur ex gradibus etherogeneis,conse. ptc. si enim constaret ex homogeneis, eamdem perfectionem haberet, si in eadem parte, ac si in diuersa parte subiecti reperiretur.

Resp. Qualitatem intensam non esse perfectiorem qualitate extensa, sunt enim iidem omninò gradus; est autem perfectior solùm causaliter,.s. in ordine ad agendum, non quia diuersos aut perfectiores habeat gradus, ac quando extensa est,sed quia illi gradus, vt potè magis vniti mutuò se fouent ad agendum, & tàquam plures concausæ partiales constituunt vnum totale principium a-
12 gendi fortius, & validius.

Obiic. 2. Si qualitas intensa componeretur ex gradibus homogeneis, sequeretur nullum esse primum, vel secundum, vel octauum, sed omnes esse similes; Item sequeretur, non posse assignari, qui primò produceretur, vel destrueretur; Item augmentum intensionis posset procedere in infinitum, cum semper sit addibilis gradus similis, sed hæc omnia implicant, ergo &c.

Res. Verè ex natura rei non esse determinatum, qui sit primus gradus, qui secundus, octauus, &c. & posse omnes ad libitum vno, vel alio modo numerari, hic enim numerus ad libitum inuentus est, quatenus .s. vnus gradus post alium producitur; quare non est necesse assignare, qui primò destruatur; .l. enim probabiliùs sit, destrui illum, qui primò fuit productus, tamen re uera,vel primus, vel tertius, vel quartus, primò potest destrui,& de hoc nulla alia assignabilis est ratio, nisi determinatio causæ primæ,quæ sicuti determinat causam ad producendum hoc numero indiuiduum, ita determinat ad destruendum hunc numero gradum.

Intensio autem in infinitum tàm posset fieri de gradibus etherogenis;cur enim non posset produci gradus perfectionis,vt 9.;quare, quod in aliquibus qualitatibus, non detur processus in infinitum in intensione, hoc prouenit ex uirtute iperfecta causæ, & incapacitate subiecti,quod ampliorem intensionem nequit recipere,vt v.g. quando aliquod subiectum per calorem est disgregatum, vt octo, quia amplius non potest disgregari,ideò maior intensio caloris in ipso produci non potest.

Ob.3. Si qualitas intenderetur per gradus homogeneos, sequeretur, Agens remissum posse intendere subiectum intensius,at hoc experientia est falsum, ergo & id ex quo sequitur;sequela prob. detur calidum vt unum,& applicetur calido vt duo, tunc poterit in illo producere calorem, ut unum, quia ad hue habet virtutem, & subiectum est capax illum gradum recipiendi, at in hoc casu illud intenderet, vt tria, ergo calidum vt vnum produceret intensionem, vt tria, & subiectum se intensius intenderet. 13

Resp. neg. sequelam, & ratio negationis est. Quia .l. gradus qualitatis intensæ sint homogenei, tamen calidum vt vnum, non potest producere unum gradum caloris in subiectu calido, ut duo, non quia ille gradus, qui esset producendus debet esse perfectior,& ut tria, sed quia uirtus qualitatis operatiuæ, est ita limitata,ut non possit ultra suam intensionem; quare cum subiectum præsupponatur calidum ut duo, ideò in illud,calidum ut unum non potest agere, ageret enim ultra suam intensionem. eum enim haberet solum uirtutem disgregandi subiectum ut unum, si talis disgregatio, & maior iam est in subiectu, quomodo potest illam producere?

Neq. ualet. Quòd sicuti posset producere illum gradum in multis aliis subiectis illis applicatis, posset etiam in illo calido, ut duo illum producere.

Resp. enim. Disparem esse rationem, in:antùm enim in illis subiectis potest producere, qoia sunt capacia, utpotè nimis calida, calidum autem, ut duo non est capax talem gradum recipiendi ab illo calido, benè uerò ab alio, & hoc ob rationem supra allatam,quia qualitas actiua non potest agere ultra suam intensionem, ex eo quia Agens debet excedere passum, ut in illud agat secundum potentiam.

Ob. 4. Primus gradus frigoris non habet repugnantiam cum primo gradu caloris, & tamen habet cum octauo, ergo signum est, quòd octauus est diuersæ rationis, ac primus,& sic, quòd qualitas intensa constituatur ex partibus ethetogeneis.

Resp. Æquè habere repugnantiam primum gradum frigoris cum primo caloris, ac cum octauo quia repugnantia non oritur ex gradu, neq ex perfectione, in hoc enim calor, & frigus possunt conuenire, sed ex specie, quia .s. hic est calor, illud frigus; quod autem primus gradus frigoris possit stare cum primo caloris, non uerò cum octauo, hoc euenit, non quia simpliciter cum octauo nequeat stare, nam si à Deo destrueretur septimus gradus caloris, & octauus conseruaretur, cum ipso eodem modo staret, ac cum primo; non potest autem stare, quia ordinariè, & naturaliter loquendo octauus gradus caloris, semper supponit alios gradus antecedentes, ratione quorum simul cum ipso sit qualitas intensa, ut octo, & ita intensa excludit quemcumq. gradum frigoris.

Ob.5. Si gradus qualitatis, homogenei essent, 14

seq.

sequeretur quod simile posset agere in simile, hoc implicat, ergo &c. sequela prob. cum enim tam primus, quàm secundus, & tertius gradus caloris sint eiusdem perfectionis, ergo calidum vt vnum, ne dùm poterit producere primum, sed & secundum, & tertium gradum caloris in alio subiecto calido vt vnum, & sic simile ageret in simile.

Resp. neg. sequelam, nam licet omnes gradus sint eiusdem rationis, attamen calidum vt vnum non potest in subiecto calido, vt vnum, vllum gradum caloris producere, & hoc quia, vt iam diximus, ideò agens agit, vt assimilet sibi passum, ergo cum simile illi sit, non est cur agat, quare ex hoc &c.

Ob. 6. ex Atesio. Licet Agens luminosum vt duo, possit intendere aliud luminosum, vt duo, & sic facere intensionem vt quatuor, attamen hoc nõ euenit in calido, vt duo, ergo quia qualitates habentes contrarium, qualis est calor, intenduntur per gradus etherogeneos; antecedens patet ex eo quia plures candelæ ęquales, & vnitæ intensionem accipiunt in luce, non sicè contra calidum, vt duo applicatum itidem calido, vt duo, illud reddit calidum vt quatuor, ergo quia gradus vt tria, vt octo &c. sunt perfectionis maioris, quã sint gradus, vt vnum, vt duo, si enim essent eiusdẽ perfectionis, calidum vt duo producendo itidem in calido vt duo aliquem gradum, illud intenderet.

Resp. Falsum esse, agens luminosum vt duo posse augere aliud luminosum vt duo efficienter, vt videtur innuere argumentum, simile enim nequit efficienter agere in simile; Quod si argumentum loquatur formaliter, Resp. etiam à qualitatibus habentibus contrarium, & ęqualibus in intensione posse intendi aliquod subiectum magis, ac sunt ipsæ intensæ; nam si in aliqua aula applicarentur diuersi ignes æqualis actiuitatis, vtiq. maior sentiretur calor in aere, quàm si vnus solus ibi adesset, at per hoc non sequitur, vnum Agens simile intendere aliud Agens simile efficienter, siue gradus sint homogenei, siuè non, siuè qualitas habeat contrarium siuè non, hoc enim nullo pacto potest euenire: quare dico, quòd vna candela non auget lumen alterius, si illi sit similis in intensione, immò multiplicenter quamtùmuis faces, numquam vlla fax augebitur, aut euadet lucidior ex consortio alterius, sicuti neq. vnum calidum vt quatuor, intendit efficienter, aliud vt quatuor, & ratio potissima est, quam attulimus in physicis, quia omne agens ex natura sua agit ad assimilandum sibi passum, ergo si illud inuenit iam simile, non potest ampliùs in illud agere.

Producitur autem maior lux in aere à multis cãdelis accensis, quàm ab vna, sicuti maior calor à pluribus ignibus, quàm ab vno, ex eo quia nullũ agens, vt conceditur ab omnibus, & experientia patet, producit tantam intensionem in passo, quãtam habet in se (nisi illud substantialiter transmutet) quare cum candela (& hoc dicito etiam de subiecto calido) non producat in aere lucem adeò intensam sicuti habet in se, ideò talis lux in aere potest intendi ab alia concausa .s. à luce alterius candelę, in quo casu, non lux candelæ a simili, sed lux producta in aere à perfectiori luce candelæ aduenientis intenditur.

Quòd autem candela non producat lucem tam intensam, sicuti habet in se, patet, quia semper lux candelæ conspicitur; immò si infinitæ essent candelę, omnes separatim cõspicerentur, ergo quia non tantam lucem intensam producunt in aere, quanta est in qualibet face seorsim sumpta; tali enim pacto non conspicerentur, sed confunderentur cum luce producta in aere; quare concludendum, nullum Agens posse intendere efficienter sibi omnimodissimile, siue per qualitates cõtrarium habentes, siuè non habentes; atq. adeò ex hoc arguendam non esse etherogeneitatem in gradibus intendentibus qualitates contrarium habentes, homogeneitatem verò in intendentibus non habentes contrarium.

Ob. 7. ex eodem, Licet subiectum calidum vt 15 quatuor calefaciat subiectum vt quatuor, non tamen potest calefacere, vt quinq. ergo quia quĩtus gradus, est etherogeneus, & maioris perfectionis supra actiuitatem subiecti calidi vt quatuor. Neq. enim valet, non agere, quia simile nõ agit in simile, nam radius rectus, & reflexus similes sunt, & tamen vniti intenduntur, vna lux intendit aliam, ergo &c.

Resp. neg. con. Nam non ex eo quia quintus gradus sit etherogeneus nequit produci à subiecto calido, vt quatuor, sed quia ad hoc vt agens aliquod agat in aliud efficienter, in illo .s. efficiendo aliquid, debet illud excedere in perfectione, actio enim ex cõmuni philosophorum consensu, fit secundum excessum maioris inæqualitatis, quare cum subiectum calidum vt quatuor, non excederet aliud subiectum calidum pariter vt quatuor, in illo agere non posset efficienter, atq. adeò neq. quintum gradum caloris producere.

Neq. valet subterfugium ab ipso allatum, hoc .s. euenire in qualitatibus nõ habẽtibus cõtrarium, vt in luce, & radio &c. nam si benè consideretur quãdo lux auget, & intendit aliam lucem supra suam intensionem, & vnus radius alium, hoc faciunt solummodo formaliter, non verò efficienter; formaliter inquam, per hoc quod tanquam duæ formæ accidentales, seu duæ qualitates inuicem vniantur, quæ itẽsio vtiq. & potest præstari à qualitatibus habentibus contrarium, si enim duo subiecta calida vt quatuor, inuicem vnirentur, & compenetrarentur, certò eueniret vnum subiectum calidum, vt octo, quare optimè aduertenda est hæc distinctio de intensione efficienter producta, & formaliter, multas enim iugulat difficultates.

Ob. 8. ex eodem. Agens calidum v. g. ut octo in certa determinata parte suæ sphæræ non potest producere nisi sextum gradum caloris, ergo quia septimus est etherogeneus; antecedens experientia cõstat; cõ. prob. neq. enim dici potest, nõ posse producere, quia iam passum est illi simile, nam cum ipsum sit ut octo calidum, post productum sextum gradum in passo, passum non est illi simile, ergo quia &c.

Resp. primò. Argumentum & contra ipsum militare, admittentem homogeneitatẽ in gradibus

qualitatis

qualitatis nō habētis contrarium, agens enim luminosum, licet in parte uicina lumen intensius producat, in parte distāti sphæræ lumen remissius producit, quare &c. deinde.

Resp. 2. neg. conseq. In tantùm enim non potest producere in quacūq. parte sphæræ omnes gradus, quia uirtus agentis est ita determinata, & limitata, ut in tanta distantia tot producat gradus, & non ampliùs, cùm enim agens agat uniformiter difformiter, ideò efficaciùs agit in partibus sibi uicinis, minùs efficaciter in remotis, quod patet etiā ut supra diximus in agente operante medijs qualitatibus, non habentibus contrarium.

Ob. 9. ex eodem, Agens æquiuocum, ninum u.g. continens uirtute duos gradus caloris, non potest in aliquo subiecto producere nisi solū duos gradus caloris, & non tres, ergo quia tertius est etherogeneus, & maioris perfectionis, quàm alii, ad quem producendum non extenditur uirtus talis agentis, consequentia patet, quia tale agens continuando suam actionem in diuersis subiectis produeit, & tertium, & quartum, & alios gradus, ergo si non producit in eodem subiecto, est quia tertius gradus necessarius ad intendendum subiectum vt tria, est diuersæ rationis ab aliis.

Resp. neg con., & ad illius probationem dico, quòd ex eo quia maior virtus intensiua requiratur, ad producendum sex gradus, quàm ad producendos duos gradus, non indè arguitur etherogeneitas in gradibus, nam hoc etiam experimur in qualitatibus non habentibus contrarium, in quibus gradus homogeneos ipse admittit, putà lumen, ad producendum enim sex gradus luminis requiritur maior virtus intensa in agente, quàm ad duos solos producendos; quare dico, tale agens posse solùmodo in eodem subiecto duos gradus producere, quia agens, vt sepè dixi, agit ad assimilandum sibi passū, ergo cum simile iam fecerit, simile inquam suæ virtuti productiuæ, non potest ampliùs in illud agere, quia non excederet, sed excederetur à passo, agēs autem debet excedere passum.

16 Ob. vlt. Calidum vt quatuor applicatum calido vt quatuor, illud conseruat, neq. tamen intendit, ergo quia gradus, ratione quorum deberet intendi, sunt diuersæ rationis, atq. adeò neq. à tali calido vt quatuor, producibiles.

Resp. neg. con.. In tantùm enim non intendit, quia solùm reparat gradus, qui corrumpuntur, hoc enim pacto cōseruat, cum enim qualitates, maximè actiuæ, deficiant, nisi reparentur, ideò deficientibus aliquibus gradibus in subiecto calido, vt quatuor, ab alio subiecto illi applicato reparantur, & sic perseuerat, & conseruatur calidum vt quatuor, Neq. enim valet, tales gradus non habere contraria, à quibus destruantur; Nam dùm qualitas est in alieno subiecto, tale subiectum est semper illi contrarium, dum semper quærit ad pristinum statum se reducere.

Coll. primò ex dictis. Nullum agens siuè habens contrarium, siuè non, posse agere in omninò simile, & hoc, ratione supra allata, potest autem agere, quando, licet non excedat in gradibus qualitatis, vel in substantia, excedit tamen in densitate, aut in aliacircūstantis, qua reddatur passo superius, & ratio est, quia Actio ex communi modo loquendi, fit secundùm excessum maioris inæqualitatis, ergo quando ex aliqua ratione Agens excedit passum, tunc in illud poterit agere.

Coll. 2. Nullam esse implicantiam si dicatur, aliquas qualitates posse intendi in infinitum, maximè si sint qualitates permanentes, vt habitus supernatnrales, & etiam naturales, quia potest fieri semper, & sēper additio; hoc tamen nequit dici de omnibus qualitatibus, non ratione ipsarum, sed ratione, vel Agentis impotentis illas sic intendere, vel ratione subiecti, in quo recipiuntur, sic v.g. calor non potest in infinitum intendi, quia cum illius effectus sit disgregare partes, postquam ita illas disgregauit, vt ampliùs disgregari non possint, tunc nec ampliùs potest intendi.

Coll. vlt. Intensionem posse fieri ab Agente successiuè, producendo immediatè post vnum gradum alterum, nulla enim est implicantia, maximè quando nulla est resistentia in passo; non nego tamen, hoc posse fieri interpositis morulis, quando .s. post productionem vnius gradus, impediretur, ne alium immediatè produceret.

SECTIO IV.

De Intensione qualitatum, per Antiperistasim, & per Reflexionem.

Ex eo quia in physicis, & supra, diximus, simile non posse agere in sibi omninò simile, clarè patet, quòd licet idem possit agere in se ipsū actione æquiuoca, ut cum animal in se producit motum, Aqua frigiditatem deperditam in se reproducit, nullo tamen pacto, idem potest agere in se ipsum actione directa, & uniuoca, nihil est enim magis simile, quàm idem sibi ipsi, dubitatur autem solùm, an hoc poterit saltem fieri per Antiperistasim, aut per Reflexionem. Pro quo. 17

Supp. est primò. Antiperistasim esse uocem græcam, significantem circumsistentiam, & obsistentiam contrariorum; est autem quando. u.g. calor, ut duo conatur exire extra subiectum, & non potest ob contraria frigida ut quatuor, circumsistentia, & resistentia, in quo casu, ille calor intenditur, ut experientia patet in Aquis putealibus, quæ æstiuo tempore sunt frigidiores ob resistentiam aeris calidi; Quæritur ergo hic, à quo causetur talis intensio, à contrario enim certum est non causari, contrarium enim non intendit aliud contrarium, sed destruit, quare remanet solùm dubitandum, uel de Agente principali, uel de ipsa qualitate, an .s. ipsa, se ipsam intendat.

Supp. 2. Reflexionem esse retrocessionem actionis in eadem parte medij, in qua Agens actione directa priùs agebat, propter aduenions obstaculum intra sphæram Agentis; est autem, quando u.g. alicui luminoso emittenti lucem intra sphæram

centrum

centum passuum obijcitur intra sphærā assignatam aliquod corpus opacum, ratione cuius, illa lux, quæ illo obstaculo non posito usq. ad terminum sphæræ processisset, retrocedit, & intēdit, seu magis luminosum reddit ipsum mediū iam illuminatum. De hoc ergo etiam quæritur, quænam sit causa talis intensionis, vel Agens .s. principale, vel obstaculum oppositum.

18 Supp. 3. Verè dari intensionem qualitatum per Antiperistasim, & Reflexionem, neq. esse solam apparentiam, vt uolebat Cardanus lib. 2. de subtil. & Galen. lib. 3. de facult. simpl. medic. cap. 7. uerè enim, & tealiter sentitur talis intensio, ut experientiis patet, sic aquæ puteales, dum aer calore feruet, ipsæ maximo frigore rigent, dum uerò eas frigus hyemali tempore circumquaq. ambit, notabiliter sunt calidę, sic uentriculi animalium hyemali tempore, maximè sunt calidi, maioremq. inde appetunt cibum, quia .s. ob frigus circumstans eorū calor intenditur, sic dum in calcem infunditur aqua frigida, adeò uehemens calor excitatur, ut aquam ebulire faciat, sic fimus columbinus, & fœnum quandoq. ità uehementer incalescunt, ut etiam ignescant, sic quædam corpora frigida, pepones v.g. Soli exposita per breue tempus intus refrigescunt, & alijs huiusmodi, quas videre est diffuse apud authores & ratio etiam suadet, quia cū agens necessarium habens uim producendi suam actionem in tanta distantia, vel à contrariis, vel ab obstaculo impeditur, ne tam procul diffundat suam actionem, non per hoc tamen ab ipsis fit impotens, aut exhauritur illius potentia agendi, quare cum non possit actione directa per totam sphærā diffundere suam actionem, ex hoc prouenit, quod in medio, in quo iam produxit suam actionem, per actionem re(fl)exam, illam intendat.

Supp. 4. Reflexionem qualitatum posse euenire in quacumq. qualitate, contra quosdam, præcipuè Arrisium 2. de Gen. quæst. 42. sec. 9. illam solùm admittentem in luce: Hoc autem experientiis patet, species enim visibiles reflectuntur, quando adinueniunt obstaculum, motus pilæ impingentis in obstaculum, reflectitur, calor itidem aliquando sentitur maior in medio ratione obstaculi impedientis illius diffusionem, sonus etiam reflectitur, vnde Eccho efformatur, & huiusmodi, quæ videre est diffusè apud authores.

19 Prima Conclusio. Intensio qualitatum, quæ fit per Antiperistasim, in qualitatibus, quæ sunt in naturali subiecto, prouenit intrīsecè à forma substātiali; in qualitatibus verò, quæ non sunt in naturali subiecto, vt v. g. in calore aquarū putealiū tēpore hyemis, non prouenit ab intrinseco, sed per accidens ab aliqua alia causa aduentitia, putà, exhalationibus calidis inclusis in ipsa Aqua, nec extrinsecus valentibus, propter circumsistentiam frigoris. Ità Suarez in metaph. disp. 10. sec. 9. Conimbric. 2. de Gen. cap. 9. quæ. 1. ar. 2. Rubius ibidem quæ. 7. à num. 120. Mast. disp. 2. in lib. de Gen. quæ. 2. at. 2. Tellez par. 4. disp. 74. de Gen sect. 4. & Alii.

Explic. prima pars conclusionis. Dicimus, quòd intensio per Antiperistasim fit à forma substantiali, in qualitatibus tamen, quę sunt in subiecto naturali, quia cum forma substantialis habeat virtutem proprias qualitates connaturales cōtinuè producendi, & illas diffundendi per gyrum intra propriam sphæram actiuitatis, hinc fit, quòd quando ratione contrarii circumstantis, & impedientis, illas diffundere nequit per totam suam sphæram, solùm in minori spatio diffundat, ex quo prouenit, quod cum in illo minori spatio diffundat, & illas qualitates quas necessariò diffundit, vt potè per medium agens, & etiam illas, quas per totam sphæram diffunderet, si contrarium circumobstans non esset, ex hoc prouenit inquam intensio illarum qualitatum, cum .s. plures gradus ponantur in eadem parte subiecti. Neq. ex hoc sequitur. Agens in se ipsum agere, hæc enim actio est æquiuoca, non vniuoca, non est enim qualitas intensiones effectiuè qualitatem, sed forma substantialis intendens effectiuè qualitatem.

Neq. dicas. Posse dici, intensionem per Antiperistasim fieri, vel quia à qualitate obsessa species intentionales emittuntur, quæ in cōtrarium obsistens impingentes, in suum principium reuerberantur, atq. adeò illud intendunt; vel quia qualitates obsessæ, ad præsentiam contrarii, quod naturaliter fugiunt, magis inter se vniantur, & constipentur, & quia virtus vnita fortior, ideò ipsæ, qualitates intenduntur; vel deniq. quia à subiecto affecto qualitatibus aliquibus per obsidionem contrarii non effluunt partes aliquæ, siue exhalationes in ipso contentę, à quibus prouenit intensio in eodem subiecto.

Resp. enim ad primum. Non dari tales species intentionales in qualitatibus actiuis, qualitates enim producunt similes sibi qualitates, non autem species. Deinde, si producuntur hę species à qualitatibus, producuntur æquiuocè, sunt enim diuersæ rationis, quare non possunt qualitates intendere; Deniq. species intentionales præcipuè à natura ordinantur ad sensationes causandas, ergo &c.

Ad secundum Resp. Verum esse, illam intensionem fieri à qualitatibus magis vnitis, & constipatis in eadem parte subiecti, at hoc non potest dici prouenire efficienter ab ipsis qualitatibus, ita vt ipsæ sint illæ, quæ se vniant, vna enim non habet potentiam aliam effectiuè intendendi, simile enim non agit in simile, quare tota efficientia talis intensionis reponenda est in forma substantiali, vt diximus, & solùm formaliter ipsæ dici possunt causa intensionis, quatenus .s. vna secundùm propriam formam, & esse, alteri vnitur.

Ad tertium Resp. Hoc solùm posse dici, quando talis intensionis causa intrinseca excogitari nequiret, quando enim causa intrinseca alicuius effectus reperitur, frustra recurrendum est ad causas extrinsecas per accidens; quare cum formam substantialem possimus dicere causam talis intensionis, alia non est excogitanda. Neq. ex hoc sequitur, tali pacto posse fieri intensionem in infinitum, cum semper forma habeat vim producendi suas essentiales qualitates; est enim responsio, ex hoc non sequuturam infinitam intensionem, quia ad intensionem in summo corrumperetur subiectum,

biectum, & sic ex incapacitate subiecti non posset fieri infinita intensio.

20 Quare intensio per Antiperistasim solùm hoc modo fieri dicendum est in qualitatibus, quæ non sunt in naturali subiecto, vt v.g. in calore qui intenditur tempore hyemis in aquis putealibus, cum enim calor non sit essentialis Aquæ, neque à forma Aquæ dicendum est produci. Intenditur ergo talis qualitas (& sit explicatio secundæ partis conclusionis) per accidens, & ab extrinseco ab exhalationibus, aut ab aliqua alia causa extrinseca inclusa in illius subiecto, sic v.g. Aqua putealis hyemali tempore fit calida, ex eo quia, cum Sol æstiuo tempore non potuerit extrahere à terra omnes exhalationes calidas, & siccas, quæ ibi reperiuntur, & tali tempore propter frigus, quod circumdat terram exire nequeant, ideò intùs remaneut, & calore suo inficiunt Aquas subterraneas, atque adeò solùm per accidens, & ab extrinseco recipiunt illum calorem, qui producitur, & intenditur efficienter ab illis exhalationibus calidis: Et hæc est vera ratio intensionis per Antiperistasim.

Col. 1. Posse etiam prouenire intensionem per Antiperistasim, ex eo quia ad præsentiam contrarij partes subiecti constipentur, & condensentur, ex hoc enim fit, vt qualitates, quæ priùs erant extensæ, in ipso sint minùs extensæ, & per consequens magis intensæ: hæc tamen causa est per accidens, talisq. intensio aliam causam efficientem respicit scilicet, vel formam substantialem, vel exhalationes, &c. quæ produxerunt, & conseruant illas qualitates.

Col. 2. Intensionem per Antiperistasim posse etiā fieri in qualitatibus existentibus in naturali subiecto, ab exhalationibus ibi inclusis, seu, vt in viuentibus à spiritibus vitalibus ibi existentibus, & obsistente contrario, concurrentibus ad intensionem qualitatis oppugnatę, vt quando ad contactum niuis, calescit manus, hoc tamen fit per accidens, & non ordinario modo; concursus verò spirituum fit solùm in viuentibus sensitiuis, in quibus anima ob conseruationem illius viuentis naturali instinctu partibus aliquid detrimēti patientibus, per spiritus vitales subuenit. Et hæc sufficiant de intensione per Antiperistasim, transeamus ad intensionem per reflexionem.

21 Secunda Conclusio. Intensio qualitatis per Reflexionē fit primariò à qualitate directè producta à principali Agente in obstaculo; potest tamen etiam aliquando fieri, secundariò tamen, ab eodem Agente principali, actione tamen directa, non reflexa. Ita quoad primam partem Ioan. de S. Thom. 1. de Gen. quæst. 5. ar. 1. 2. Spin. in lib. de Gen. disp. 4. concl. 2. à qua opinione parum etiam distat Suarez disp. 18. Metaph. sect. 9. num. 34. Quoad secundam partem respectu Agentis, est ferè communis, non tamen respectu modi, scilicet actionis directę, non reflexæ.

Conclusio autem sic intelligitur. Omne Agens habet determinatam sphæram, intra quam suam qualitatem potest diffundere; si ergo in medio sphæræ obstaculum ponatur impediens, vel totaliter, vel partialiter diffusionem qualitatis, tunc agens principale in illo obstaculo producit omnes illos gradus qualitatis, quos alioquin diffunderet per sphæram, ex quo fit, vt illi gradus in ipso obstaculo veluti condensentur, & in eadem parte constipentur, sicque intendatur qualitas, ita, ut ibi sit intensior, quàm in medio; hæc autem qualitas sic intensa existens in obstaculo, intendit qualitatem, quam propè obstaculum cum minori intensione produxit Agens principale, & ita intensio per reflexionem primariò fit à qualitate intensa in obstaculo.

Quia verò Agens principale, non obstante obstaculo, continuat suam actionem producendo vniformiter difformiter suas qualitates, ideò inuenies in medio magis intensam qualitatem, ac ipse produxit, in ipso medio producendo gradum, quem iam produxisset, si non fuisset obstaculum, magis intendit illam qualitatem, & ita maior illa intensio fit primariò à qualitate intensa in obstaculo, secundariò verò ab ipso Agente principali, directè tamen agendo, nō reflexè; sic autē explicata cōclusio.

Prob. 1. quoad primam partem. Detur Agens luminosum, v. g. illiq. opponatur obstaculum aliquantisper diaphanum, vitrum, v. g. in tali casu experientia videmus, lucem propè vitrum esse magis intensam, quam sit illa diffusa per aerem, sed talis intēsio nō potest prouenire primariò ab Agente, ergo à qualitate intensa in obstaculo, min. prob. Agens suam actionem continuat directè trans obstaculū, illuminat enim aerē post vitrū, ergo non est dicendum reflectere in se suam actionē, ab actione enim directa, quam continuat, impeditur ne suam actionem in se ipsum detorqueat, nequit enim eodem tempore, & per eamdem actionem, directè, & reflexè agere, ergo tota causa intensionis tunc est qualitas intensa in vitro. Quòd autem talis qualitas intendatur in vitro, patet ex eo quia, non omnes gradus lucis transeunt per vitrum, minor enim lux cernitur post vitrum, quàm ante vitrum, maior lux post chrystallum conspicitur, quàm post vitrū, ergo quia aliqui gradus lucis respectu capacitatis obstaculi, in ipso remanēt, illi ergo gradus, qui non transeunt, remanent in illo, sicq. per multiplicationem graduum in eodem subiecto, lux intenditur.

Neq. valet. Obstaculū esse causā talis intensionis. 22

Resp. enim. Obstaculum de sua natura non esse productiuum illarum qualitatum, vitrū enim, v. g. non est productiuum lucis; quare neq. potest dici causa intensionis eiusdem qualitatis. Neq. ad qualitates occultas obstaculi est recurrendum, hoc enim est ignoto Deo sacrificare.

Neq. valet sec. Ex hoc sequuturum, quòd Agens principale posset adiuuari à tali qualitate intensa in sua actione directa, sicque vires defectas posset hoc modo resarcire, atq. adeò non remissius ageret trans obstaculum, quod tamen experientia est falsum.

Resp. enim. Non posse adiuuari Agens ad operandum in sua actione directa, quia lux existens in obstaculo nequit agere versùs agens, nisi ratione subiecti, in quo reperitur, & à quo incipit agere, quare cum illius actio,

centum paluum obiicitur intra ſphærã aſſignatam aliquod corpus opscum, ratione cuius, illa lux, quæ illo obſtaculo non poſito uſq. ad terminum ſphæræ proceſſiſſet, retrocedit, & intẽdit, ſeu magis luminoſum reddit ipſum mediũ iam illuminatum. De hoc ergo etiam quæritur, quænam ſit cauſa talis intenſionis, vel Agens .ſ. principale, vel obſtaculum oppoſitum.

18 Supp. 3. Verè dari intenſionem qualitatum per Antiperiſtaſim, & Reflexionem, neq. eſſe ſolam apparentiam, vt uolebãt Cardanus lib. 2. de ſubtil. & Galen. lib. 3. de facult. ſimpl. medic. cap. 7. uerè enim, & realiter ſentitur talis intenſio, ut experientiis patet, ſic aquæ puteales, dum aer calore feruet, ipſæ maximo frigore rigent, dum uerò eas frigus hyemali tempore circumquaq. ambit, notabiliter ſunt calidę, ſic uentriculi animalium hyemali tempore, maximè ſunt calidi, maioremq. inde appetunt cibum, quia .ſ. ob frigus circumſtans eorũ calor intenditur, ſic dum in calcem infunditur aqua frigida, adeò uehemens calor excitatur, ut aquam ebulire faciat; ſic fimus columbinus, & fœnum quandoq. ità uehementer incaleſcunt, ut etiam igneſcant, ſic quædam corpora frigida, pepones v.g. Soli expoſita per breue tempus intus refrigeſcunt, & alijs huiuſmodi, quas videre eſt diffuſe apud authores & ratio etiam ſuadet, quia cũ agens neceſſarium habens uim producendi ſuam actionem in tanta diſtantia, vel à contrariis, vel ab obſtaculo impeditur, ne tam procùl diffundat ſuam actionem, non per hoc tamen ab ipſis ſit impotens, aut exhauritur illius potentia agendi, quare cum non poſſit actione directa per totam ſphærã diffundere ſuam actionem, ex hoc prouenit, quod in medio, in quo iam produxit ſuam actionem, per actionem reflexam, illam intendat.

Supp. 4. Reflexionem qualitatum poſſe euenire in quacumq. qualitate, contra quoſdam, præcipuè Arcſium 1. de Gen. quæſt. 42. ſec. 9. illam ſolùm admittentem in luce: Hoc autem experientiis patet, ſpecies enim viſibiles reflectuntur, quando adinueniunt obſtaculum, motus pilæ impingentis in obſtaculum, reflectitur, calor itidem aliquando ſentitur maior in medio ratione obſtaculi impedientis illius diffuſionem, ſonus etiam reflectitur, vnde Eccho efformatur, & huiuſmodi, quæ videre eſt diffusè apud authores.

19 Prima Concluſio. Intenſio qualitatum, quæ ſit per Antiperiſtaſim, in qualitatibus, quæ ſunt in naturali ſubiecto, prouenit intrĩſecè à forma ſubſtãtiali. In qualitatibus verò, quæ non ſunt in naturali ſubiecto, vt v.g. in calore aquarũ putealiũ tẽpore hyemis, non prouenit ab intrinſeco, ſed per accidens ab aliqua alia cauſa aduentitia, putà, exhalationibus calidis incluſis in ipſa Aqua, nec exire valentibus, propter circumſiſtentiam frigoris. Ità Suarez in metaph. diſp. 10. ſec. 9. Conimbric. 1. de Gen. cap. 9. quæ. 1. ar. 2. Rubius ibidem quæ. 7. à num. 120. Maſt. diſp. 2. in lib. de Gen. quæ. 2. ar. 2. Tellez par. 4. diſp. 74. de Gen ſect. 4. & Alii.

Explic. prima pars concluſionis. Dicimus, quòd intenſio per Antiperiſtaſim ſit à forma ſubſtantiali, in qualitatibus tamen, quę ſunt in ſubiecto naturali, quia cum forma ſubſtantialis habeat virtutem proprias qualitates connaturales cõtinuè producendi, & illas diffundendi per gyrum intra propriam ſphęram actiuitatis; hinc ſit, quòd quando ratione contrarii circumſtantis, & impedientis, illas diffundere nequit per totam ſuam ſphæram, ſolùm in minori ſpatio diffundat, ex quo prouenit, quod cum in illo minori ſpatio diffundat, & illas qualitates quas neceſſariò diffundit, vt potè per medium agens, & etiam illas, quas per totam ſphæram diffunderet, ſi contrarium circumobſtans non eſſet, ex hoc prouenit inquam intenſio illarum qualitatum, cum .ſ. plures gradus ponantur in eadem parte ſubiecti. Neq. ex hoc ſequitur. Agens in ſe ipſum agere, hæc enim actio eſt æquiuoca non vniuoca, non eſt enim qualitas intendens effectiuè qualitatem, ſed forma ſubſtantialis intendens effectiuè qualitatem.

Neq. dicas. Poſſe dici, intenſionem per Antiperiſtaſim fieri, vel quia à qualitate obſeſſa ſpecies intentionales emittuntur, quæ in cõtrarium obſiſtens impingentes, in ſuum principium reuerberantur, atq. adeò illud intendunt; vel quia qualitates obſeſſæ, ad præſentiam contrarii, quod naturaliter fugiunt, magis inter ſe vniantur, & conſtipentur, & quia virtus vnita fortior, ideò ipſæ qualitates intenduntur; vel deniq. quia à ſubiecto affecto qualitatibus aliquibus per obſidionem contrarii non effluunt partes aliquæ, ſiue exhalationes in ipſo contentę, à quibus prouenit intenſio in eodem ſubiecto.

Reſp. enim ad primum. Non dari tales ſpecies intentionales in qualitatibus actiuis, qualitates enim producunt ſimiles ſibi qualitates, non autem ſpecies. Deinde, ſi producuntur hę ſpecies à qualitatibus, producuntur æquiuocè, ſunt enim diuerſæ rationis, quare non poſſunt qualitates intendere; Deniq. ſpecies intentionales præcipuè à natura ordinantur ad ſenſationes cauſandas, ergo &c.

Ad ſecundum Reſp. Verum eſſe, illam intenſionem fieri à qualitatibus magis vnitis, & conſtipatis in eadem parte ſubiecti, at hoc non poteſt dici prouenire efficienter ab ipſis qualitatibus, ita vt ipſæ ſint illæ, quæ ſe vniant, vna enim non habet potentiam aliam effectiuè intendendi, ſimile enim non agit in ſimile, quare tota efficientia talis intenſionis reponenda eſt in forma ſubſtantiali, vt diximus, & ſolùm formaliter ipſæ dici poſſunt cauſa intenſionis, quatenus .ſ. vna ſecundùm propriam formam, & eſſe, alteri vnitur.

Ad tertium Reſp. Hoc ſolùm poſſe dici, quando talis intenſionis cauſa intrinſeca excogitari nequiret, quando enim cauſa intrinſeca alicuius effectus reperitur, fruſtra recurrendum eſt ad cauſas extrinſecas per accidens; quare cum formam ſubſtantialem poſſimus dicere cauſam talis intenſionis, alia non eſt excogitanda. Neq. ex hoc ſequitur, tali pacto poſſe fieri intenſionem in infinitum, cum ſemper forma habeat vim producendi ſuas eſſentiales qualitates; eſt enim reſponſio, ex hoc non ſequuturam infinitam intenſionem, quia ad intenſionem in ſummo corrumperetur ſubiectum,

biectum,

biectum, & sic ex incapacitate subiecti non posset fieri infinita intensio.

20 Quare intensio per Antiperistasim solùm hoc modo fieri dicendum est in qualitatibus, quæ non sunt in naturali subiecto, vt v.g. in calore qui intenditur tempore hyemis in aquis putealibus, cum enim calor non sit essentialis Aquæ, neque à forma Aquæ dicendum est produci. Intenditur ergo talis qualitas (& sit explicatio secundæ partis conclusionis) per accidens, & ab extrinseco ab exhalationibus, aut ab aliqua alia causa extrinseca inclusa in illius subiecto, sic v.g. Aqua putealis hyemali tempore fit calida, ex eo quia, cum Sol æstiuo tempore non potuerit extrahere à terra omnes exhalationes calidas, & siccas, quæ ibi reperiuntur, & tali tempore propter frigus, quod circumdat terram exire nequeant, ideò intus remanent, & calore suo inficiunt Aquas subterraneas, atque adeò solùm per accidens, & ab extrinseco recipiunt illum calorem, qui producitur, & intenditur efficienter ab illis exhalationibus calidis: Et hæc est vera ratio intensionis per Antiperistasim.

Col. 1. Posse etiam prouenire intensionem per Antiperistasim, ex eo quia ad præsentiam contrarij partes subiecti constipentur, & condensentur, ex hoc enim fit, vt qualitates, quæ priùs erant extensæ, in ipso sint minùs extensæ, & per consequens magis intensæ: hæc tamen causa est per accidens, talisq. intensio aliam causam efficientem respicit scilicet, vel formam substantialem, vel exhalationes, &c. quæ produxerunt, & conseruant illas qualitates.

Col. 2. Intensionem per Antiperistasim posse etiã fieri in qualitatibus existentibus in naturali subiecto, ab exhalationibus ibi inclusis, seu, vt in viuentibus à spiritibus vitalibus ibi existentibus, & obsistente contrario, concurrentibus ad intensionem qualitatis oppugnatę, vt quando ad contactum niuis, calescit manus, hoc tamen fit per accidens, & non ordinario modo; concursus verò spirituum fit solùm in viuentibus sensitiuis, in quibus anima ob conseruationem illius viuentis naturali instinctu partibus aliquid detrimẽti patientibus, per spiritus vitales subuenit. Et hæc sufficiant de intensione per Antiperistasim, transeamus ad intensionem per reflexionem.

21 Secunda Conclusio. Intensio qualitatis per Reflexionẽ fit primariò à qualitate directè producta à principali Agente in obstaculo; potest tamen etiam aliquando fieri, secundariò tamen, ab eodem Agente principali, actione tamen directa, non reflexa. Ita quoad primam partem Ioan. de S. Thom. 1. de Gen. quæst. 5. ar. 1. 2. Spin. in lib. de Gen. disp. 4. concl. 2. à qua opinione parum etiam distat Suarez disp. 18. Metaph. sect. 9. num. 34. Quoad secundam partem respectu Agentis, est ferè communis, non tamen respectu modi, scilicet actionis directę, non reflexæ.

Conclusio autem sic intelligitur, Omne Agens habet determinatam sphæram, intra quam suam qualitatem potest diffundere; si ergo in medio sphærę obstaculum ponatur impediens, vel totaliter, vel partialiter diffusionem qualitatis, tunc agens principale in illo obstaculo producit omnes illos gradus qualitatis, quos alioquin diffunderet per sphæram, ex quo fit, vt illi gradus in ipso obstaculo veluti condensentur, & in eadem parte constipentur, sicque intendatur qualitas, ita ut ibi sit intensior, quàm in medio; hæc autem qualitas sic intensa existens in obstaculo, intendit qualitatem, quam propè obstaculum cum minori intensione produxit Agens principale, & ita intensio per reflexionem primariò fit à qualitate intensa in obstaculo.

Quia verò Agens principale, non obstante obstaculo, continuat suam actionem producendo vniformiter difformiter suas qualitates, ideò inuenies in medio magis intensam qualitatem, ac ipse produxit, in ipso medio producendo gradum, quem iam produxisset, si non fuisset obstaculum, magis intendit illam qualitatem, & ita maior illa intensio fit primariò à qualitate intensa in obstaculo, secundariò verò ab ipso Agente principali, directè tamen agendo, nõ reflexè; sic autẽ explicata cõclusio.

Prob. 1. quoad primam partem. Detur Agens luminosum, v.g. illiq. opponatur obstaculum aliquantisper diaphanum, vitrum, v.g. in tali casu experientia videmus, lucem propè vitrum esse magis intensam, quam sit illa diffusa per aerem, sed talis intẽsio nõ potest prouenire primariò ab Agente, ergo à qualitate intensa in obstaculo, min. prob. Agens suam actionem continuat directè trans obstaculũ, illuminat enim aerẽ post vitrũ, ergo non est dicendum reflectere in se suam actionẽ, ab actione enim directa, quam continuat, impeditur ne suam actionem in se ipsum detorqueat, nequit enim eodem tempore, & per eamdem actionem, directè, & reflexè agere, ergo tota causa intensionis tunc est qualitas intensa in vitro. Quòd autem talis qualitas intendatur in vitro, patet ex eo quia, non omnes gradus lucis transeunt per vitrum, minor enim lux cernitur post vitrum, quàm ante vitrum, maior lux post chrystallum conspicitur, quàm post vitrũ, ergo quia aliqui gradus lucis respectu capacitatis obstaculi, in ipso remanẽt; illi ergo gradus, qui non transeunt, remanent in illo, sicq. per multiplicationem graduum in eodem subiecto, lux intenditur.

Neq. valet. Obstaculũ esse causã talis intensionis. 22

Res. enim. Obstaculum de sua natura non esse productiuum illarum qualitatum, vitrũ enim, v.g. non est productiuum lucis; quare neq. potest dici causa intensionis eiusdem qualitatis. Neq. ad qualitates occultas obstaculi est recurrendum, hoc enim est ignoto Deo sacrificare.

Neq. valet sec. Ex hoc sequuturum, quòd Agens principale posset adiuuari à tali qualitate intensa in sua actione directa, sicque vires refractas posset hoc modo resarcire, atq. adeò non remissius ageret trans obstaculum, quod tamen experientia est falsum.

Resp. enim. Non posse adiuuari Agens ad operandum in sua actione directa, quia lux existens in obstaculo nequit agere versùs agens, nisi ratione subiecti, in quo reperitur, & à quo incipit agere, quare cum illius actio,

non possit vniti, vtpotè opposita in modo, actioni Agentis, per consequens non potest illud adiuuare in sua operatione directa.

Prob. 2. In obstaculo percipitur maior copia qualitatum, quàm in parte vicina obstaculo, seu proximiori ipsi agenti principali, ergo signum est, quòd non Agens reflexè intendat qualitatem in medio, sed quod intendatur à qualitate intensa impressa in obstaculo; conseq. prob. si enim esset Agens principale, quod reflecteret suam actionem, non tam intensam produceret qualitatem in obstaculo, sed statim ac in illud impingeret, reflecteret suam actionem, quod cum ita non eueniat, dicendum est, Agens principale in obstaculo producere omnem illam qualitatem, quàm vltrà obstaculum erat producturum, iuxta tamen capacitatẽ obstaculi, quæ qualitas postea intendat qualitatem in medio.

Prob. 3. Reflectitur calor aliquando. l. sit ablatum Agens principale, ergo talis reflexio oritur à qualitate impressa in obstaculo; antecedens experientia patet, prob. conseq. dum enim ibi habetur reflexio, & non Agens principale, ergo aliud agens assignandum est, nempè calor in obstaculo.

Prob. 4. Quando quis se ipsum conspicit in speculo ratione reflexionis specierum visualium, talẽ reflexionem non potest producere, ergo reflexio qualitatis nequit haberi ab agente principali illam producente, ergo ab ipsa specie producta in obstaculo; conseq. patet supposito antecedenti; quod prob. si enim produceret, esset quia cum vltra illas emittere non posset, vt potè impingentes in obstaculum, illas in se reflecteret, at hoc non potest esse, hoc enim pacto, quotiescunq. impingerent in quodcunq. obstaculum opacum, hoc eueniret, & sic prospiciẽs parietem, per species in illum impingentes, se ipsum videret, quod est falsum; ergo.

Neq. dicas, ex hoc argui obstaculum esse causam principalem talis reflexionis, cum enim per omne obstaculum non reflectantur, ideo earum reflexio refundenda est in talestatem obstaculi.

Resp. Obstaculum esse solùm conditionem necessariam ad agendum, speciebus in ipso impressis, cum enim quodlibet agens aliquas exigat dispositiones in ordine ad agendum, sic species visuales requirunt ad agendum in obstaculo, ne dùm opacitatem, sed & tersitatem, soliditatem, quare &c.

Quòd autem obstaculum non sit causa reflexi-
23 ua talium specierum reflexarum, patet, ex eo quia obstaculum solùm potest impedire, ne vltra tales species extendantur, taliter autem impedire specierum progressum non est illas reflectere, primum enim consistit in aliquo negatiuo, secundum verò dicit actionem positiuam, quare talis actionis realis, & positiuæ, aliqua causa est assignanda, quæ cum non possit esse agens principale, vt ex supra probatis, dicẽdum est, esse ipsã qualitatem impressam in obstaculo, quæ causat talem reflexionẽ; &c.

Conf. insuper, quòd talis species reflexa nequeat produci ab agente principali, ex eo quia, si species visualis reflexa, per quam quis videt se ipsum in speculo, esset eadẽ quam ipse à se emittit in speculum, ergo eadem species eodem tempore, esset in duplici subiecto disparato, & disiuncto, quòd implicat; item, ergo semper eodem modo, & cum eadem vbicatione, & situatione obiectum repræsentare deberet, quòd est cõtra experientiam, multoties enim repræsentat obiectũ diuersimodè, & cũ variis accidentibus, quæ non habet. Quare concludendum est, species visuales impingentes in obstaculum, producere alias species visuales reflexè, quæ infectæ, & circumstantiatæ, à qualitatibus obstaculi representant obiectum modò vno, modò alio modo.

Conf. 2. Quando quis videt se ipsum in speculo, videt se dupliciter, & per imaginem in speculo repræsentatam, & per imaginulas in oculis talis imaginis principalis existentes; quæro ergo; estne eadem species, per quam se videt in speculo, ac illa, per quam se videt in oculis imaginis? si non est eadem, ergo dicendum, speciem reflexam esse distinctam à directa, atq. adeo neq. productam ab agente principali; si dicant esse eamdem, hoc est falsum, & quia reperitur in pluribus subiectis, & quia diuerso modo repræsentat obiectum, ergo &c.

Prob. secunda pars. Si Agens principale impeditum ab obstaculo, nè per totam sphæram diffun- 24
dat suas qualitates, ita intendat illas in obstaculo, vt ampliùs intendere nequeat, tunc continuando actionem, necessariò intendet qualitates reflexas iã productas à qualitate obstaculi, ergo quandoq. per accidens, & secundariò Agens principale poterit intendere qualitates reflexas, directè tamen agendo.

Ob. 1. In tantùm reflectitur qualitas, ex qua reflexione intenditur propè obstaculum, in quantùm Agens impeditur ab obstaculo, ne actione directa operetur, ergo dicendum est, illam actionem, quam Agens diffudisset per totam sphæram, nisi fuisset obstaculum, ab eodem continuari, reflexè tamen.

Res. Concedendo continuationem operationis Agentis, non tamẽ reflexè versùs se, sed in obstaculo, experientia enim videtur, in obstaculo intendi qualitatem; si reflecteret Agens suam actionem versus se, statim faceret, absque eo quod intẽderet illam in obstaculo.

Ob. 2. Si intra sphæram ignis v.g. apponatur aliquod marmor frigidum, priùs intenditur calor medij, quàm calor in marmore, ergo intensio per reflexionem non habetur à qualitate impressa in obstaculo; cons. patet, cum enim in obstaculo tunc qualitas intensa non reperiatur, nec operari, & intendere potest; maximè quia debilius nequit agere in fortius.

Respondetur, talem intensionem non futuram per reflexionem, sed directè; cum enim gradus caloris successiuè producti ab agente calido, non possint tam citò introduci in frigido mormore, ideò remanent in medio, qui per alios successiuè productos ab agente, & illis additos, intenduntur.

Ob. 3. Quando pila impingit in parietem, & & resilit, non potest esse causa illius resilientiæ, nisi Agens principale, ergo cuiuscumq. reflexionis est causa primaria agens principale.

Resp. neg. antecedens, dicimusq. causam illius resilientiæ esse impulsum, cum enim virtus illa motina,

tiua, seu impulsus in pila de sua natura illam citra obstaculum impulisset, quia impingit in parietem, nec vltrà directum motum pilæ potest continuare, ideò reflexum causat; obstaculum autem se habet, vt conditio requisita ad talem reflexionem, & resilientiam.

Ob vlt. Aliquando in reflexione producitur effectus, qui omninò superat intensionem qualitatis insidentis in obstaculo, ergo dicendum, reflexionem non fieri à tali qualitate, sed ab Agente principali; antecedens prob. quia aliquando ex reflexione radiorum comburitur stupa, quæ combustio non eueniret, licet stupa esset quasi compenetrata cum obstaculo.

Resp. Si experientia est vera, quòd tamen improbabile videtur, talem intensionem produci, tanquam à duabus concausis, & à qualitate impressa in obstaculo, & ab Agente principali, directè tamen concurrente; quare nihil contra nos, & hac responsione facilè eluditur quodcumq. argumentum, quod in simili materia fieri possit.

Coll. quòd talis intensio propriè non potest dici per reflexionem, quia qualitas intensa in obstaculo non agit reflexè, sed directè, diceretur enim solùm reflexa actio, si Agens suam actionem in se reflecteret; diximus tamen eam intensionem per reflexionem, nos conformantes communi vocabulo, quo communiter explicatur similis intensio.

SECTIO V.

De contrarietate qualitatum, & De earumdem Resistentia, & Reactione.

Aliquas qualitates ita inter se opponi, vt ad introductionem vnius, expellatur altera, continua experientia compertum est; hæc autem oppositio, cum non sit nec contradictoria, nec priuatiua, cum vtrumq. extremum sit positiuum, nec relatiua, cum neutrum extremorum fundet relationem, ideò oppositio contraria communiter appellatur, & qualitates ita oppositæ, contrariæ vocantur; an autem hæc contrarietas sit propria ipsarum qualitatum, & ex natura sua, vel solùm sit talis ex incapacitate subiecti, quia s. nequeant stare in eodem subiecto, dubitatur ab aliquibus, probabiliùs tamen existimo.

29 Dicendum cum communiori contra Arriagam disp. 5. Metaphysicę num. 37. Qualitates, quæ sunt contrariæ, tales esse ex natura sua, & non ex incapacitate subiecti.

Hoc autem deducitur ex Arist. 10. metaph. 26. & etiam suadetur ratione, quia si qualitates essent contrariæ ex incapacitate subiecti, non minùs daretur contrarietas inter calorem, & frigus, quàm inter duo frigora, vnum vt octo, aliud vt tria, sed hoc nequit dici, ergo &c. Sequela patet, si enim calor, & frigus essent qualitates contrariæ, quia illas in summo subiectum aliquod nequiret recipere, neq. etiam aliquod subiectum potest recipere simul frigus vt octo, & frigus vt tria, nequit enim intendi supra octauū gradum, ergo contrarietas non se tenet ex parte subiecti, sed ex natura ipsarum qualitatum.

Tùm quia, si contrarietas proueniret ex incapacitate subiecti, non esset assignabilis ratio, cur aliquod subiectū post quam recepisset octo gradus caloris, non posset recipere vnum gradum frigoris, & tamen reciperet vnum gradum lucis, vel alterius qualitatis non contrariæ, ergo ratio est, quia contrarietas se tenet ex parte qualitatum, quę intensæ in summo ex natura sua sibi inuicem sūt contrariæ, ratione cuius contrarietatis subiectum euadit incapax ad illas in se recipiendum in summo, licet non ī remisso. Videatur de hoc diffusè Pontius disp. 24. de alteratione quæst. 7.

Ratione ergo contrarietatis, quam dicimus reperiri inter qualitates, euenit, vt cum simul stare non possint in eodem subiecto, ideò inter illas quàdoq. detur pugna, in qua cum non subitò vna superet, & vincat aliam, sed illi aliquantisper resistat, ideò quamlibet qualitatem habentem contrarium, habere etiam resistentiam ex sua natura ad resistēdum contrario, asserunt communiter Philosophi.

Hæc autem resistentia duplex est, alia positiua qua s. qualitas reagendo in agentem qualitatem, 26
diminuit illius vires, ne tam fortiter agat, sicuti ageret, si passum non ita reageret, & hæc dicitur resistentia impropriè, vt quando Ignis v. g. producit calorem in niuem sibi applicatam, nix vicissim producit aliquid frigoris in igne, quo pacto eius vim actiuam, seu calorem diminuit; alia resistentia est negatiua, seu formalis, estq. quando qualitas quidem per suam entitatem informando subiectū resistit s. l. nihil agendo in contrariā, per quod illius actionē, vel ipediat, vel retardet, & hæc propriè dicitur resistentia, vt quando calor informans aquā, impedit ne tam citò ad suam frigiditatem se reducat, hoc enim facit per meram informationem materiæ aquæ, nihil in aqua producendo; sic grauitas in lapide resistit impulsui, nihil in illo producendo: Hic ergo inquirimus, in quo cōsistat hæc resistentia formalis, quæ propriè dicitur resistentia; resistentia enim actiua, & positiua, est potiùs appellanda reactio, de qua infra. Inquirimus autem de resistentia formali in actu secundo, nam huiusmodi in actu primo nihil aliud est, nisi principium resistendi s. eademmet res quatenus est potens resistere, & impedire actionem agentis contrarij.

Prima Conclusio. Resistentia formalis qualitatis in actu secundo, est duratio, & permanentia earūdē in suo statu, cōnotans nixū Agentis contrarij, cuius actio frustratur, aut retardatur. Ita Auersa quæ. 39. sect. 9. Mast. disp. 1. in lib. de Gen. quæ. 4. Motādus 1. de Gen. tract. 3. quę. 5. Serbell. disp. 1. de Ortu, & Int. quæ. 2. ar. 5. & alij.

Prob. autem. Resistentia formalis non est actio, neq. passio qualitatis, ergo est illius permanentia, &c. antecedens prob. non actio, alioquin non distingueretur à resistentia actiua; non passio, nam si pateretur aliquid à contrario, ergo illi non resisteret, sic quia Aer statim recipit lucem, illi resistere non dicitur, ergo &c.

Prob. 2. Data permanētia alicuius rei in suo statu s. l. à cōtrario Agente ipugnatę, habetur cōceptus adæquatus resistētię formalis, ergo in hoc cōsistere

talem resistentiam qualitatis asserendum est, antecedens prob. per hoc enim quòd mons conseruet in se immobilitatem, dicitur resistere impellenti, per hoc quòd ferrũ in se duritiem conseruet, resistere intelligitur comprimenti, &c. ergo &c. cons. patet, videmus enim calorem resistere aquæ, ne se ad pristinam frigiditatem reducat, per hoc solùm, quod se conseruat in suo statu, neque enim dum est in aqua potest se intendere, aut aliquem gradum caloris producere in aqua, ergo solum resistit se conseruando, ergo resistentia, &c. Hæc autem permanentia, &c. vel est quidam modus eiusdem rei resistentis, vel est quædam actio immanens, eiusdẽ rei se ipsam conseruantis in suo esse, & cum tali conseruatione resistentis contrario, in illo tamen nihil agendo.

27 Quæres 1. Quomodo resistentia conueniat primis qualitatibus.

Resp. Resistentiam actiuam conuenire primis qualitatibus eodem modo, ac illis conuenit actiuitas, cum enim talis resistentia nihil aliud sit, nisi agere in contrarium, & illius vires debellare, producendo in illo suas qualitates, ideò eo modo, quo gradatìm dicuntur actiuæ, eodem etiam sunt resistitiuæ, sicq. quia calor maximè est actiuus, deinde frigus, postea humiditas, & vltimò siccitas, sic hoc modo positiuè. & actiuè dicuntur resistitiuæ.

Resp. 2. Probabilius esse, resistentiam formalem non conuenire primis qualitatibus eodem modo, ac actiuitatem, sed è contra; ita vt .s. qualitas magis actiua, sit minùs resistitiua, & quia in actiuitate primum locum obtinet calor, secundũ, frigus, tertiũ, humiditas, quartum, siccitas, sic in resistentia, primum locum tenet siccitas, secundũ, humiditas, tertiũ, frigus, quartũ, caliditas. Ita sustinent cum multis antiquis, Ruuius 1. de Gen. tract. de act. & reac. quæst. 2. Auersa quæst. 41. sect. 6. Mastrius disp. 1. in lib. de Gen. quæst. 4. Aresius 2. de Genet. disp. 2. quæst. 9. & multi alij; hoc est autem ob bonum Vniuersi, nam si calor v. g. qui est maximè actiuus, esset etiam maximè resistitiuus, in hoc mũdo prædominaretur, omniaq. paulatim cosũmeret.

Verum tamen est, quòd cuiuscumq. qualitatis resistentia est minor actiuitate sui cõtrarij agentis, nam si non esset minor, ergo in illud agere non posset, cum virtus resistitiua superaret virtutem actiuam, quare ortum est illud philosophicum axioma desumptum ab Aristotele, quòd .s. actio oriri debet à proportione maioris inæqualitatis .s. quòd illa qualitas dicitur agere in aliam, quæ aliquem excessum habet supra illam, ita vt per talem excessum sit illi inæqualis, eiusque actiuitas sit maior, quam resistentia passi.

Quòd tamen non est intelligendum, quod Agẽs habeat intensiorem qualitatem, quàm passum ad resistendum, nam frigus vt duo, agit in calorem vt sex, sed quòd virtus actiua agentis simpliciter, & tota simul superet resistentiam sui contrarij, in quod agere conatur, sic frigus vt duo, agit in calorem vt sex, quia tota virtus frigoris vt duo, superat resistentiam caloris, vt sex.

28 Quæres 2. Quid sit Reactio, & an detur.

Resp. Reactionem esse actionem, qua passum quodammodo se vindicando, reagit in agens à quo patitur, in illo aliquid producendo, vel destruendo; sic v. g. si ferrum candens immitatur in aquam, & illam calefacit, & illud refrigeratur, dum enim calorem immittit in aquam, ipsa è contra frigus in illo producit: quare Reactio importat duas actiones, & duas passiones, cum enim duo contraria inuicem agant, & patiantur, ideò duas actiones, & passiones importat Reactio. Vt autem possit esse Reactio, tres conditiones requiruntur. Prima, vt vtrumq. Agens sit intra sphæram actiuitatis alterius, nam si Agens calidum intensum, esset in magna distantia à frigore remisso, vtiq. à frigore non tepateretur, quia talis distantia esset maior, quàm se ad illam posset extendere actiuitas frigoris. Secunda, quòd Agentia sint eiusdem ordinis, & ex defectu huius conditionis, terra non reagit in cœlum à quo patitur, cœli in Intelligentias motrices, &c. Tertia, quòd sit inter qualitates corruptiuas, & habentes contrarium, quare .l. colores agant in potentiam visiuam in illam introducendo species intentionales, non tamen ab ipsa repatiuntur, quia tales qualitates sunt perfectiuæ ex natura sua, non corruptiuæ.

Resp. 2. Dari veram Reactionem in Agentibus contrarijs, & secundùm qualitates contrarias, & secundùm eãdem partem. Hoc autem est ita commune inter Philosophos, vt hoc negans experientiæ videatur contradicere; est tamen contra quemdam Riccardum Suisset Anglum, communiter Calculatorẽ appellatum, eo quod nimium quasi computum graduum qualitatum incat.

Prob. autem ipsa experientia. Manus frigida coniuncta calidæ, illam aliquantisper refrigerat, ipsaq. calefit, ergo quia inuicem reagunt; Aqua calida immissa frigidæ, tota tepida euadit, ergo quia frigida in calidam aliquos gradus frigoris producit, calida verò in frigidam gradus caloris; lignum sectum cultro, illum habeat, ergo quia in illum, lignum sua duritie reagit, dum ab ipso incisionem patitur, &c. in similibus enim experientijs adducendis nunquam esset finis.

Prob. autem ratione. Agens naturale non impeditum, & sufficienter applicatum passo proportionato, potest agere, sed hoc euenit, quando duo contraria calidum, v. g. & frigidum sunt applicata, ergo in tali casu vtrumq. in aliud debet agere; min. pr. nam si ambo non agerent, vel esset quia essent æqualia in actiuitate, vel quia vnũ excederet aliud in actiuitate, (cum enim omnis actio supponat superioritatem Agentis, in primo casu, vtpotè æqualia, neutrum ageret, in secundo verò, tantùm vnum ageret,) sed hoc nihil officit, ergo &c. hæc min. pr. nam vt aliquid agat in aliud, sufficit quòd sua actiuitate superet resistentiã formalem passi, quidquid sit, an sint similia in actiuitate, cum autem quodlibet agens in sua actiuitate, vt supra diximus superet resistentiam formalem sui contrarij, inde est, quòd licet talia agentia essent æqualia in actiuitate, tamen possent agere, vtpotè inæqualia ratione resistentię, indeque euenit, quòd possint dari hę reciprocæ actiones, seu Reactio, ita quòd vnum Agens calidum, v. g. secundùm omnes

suas

ſuas partes, & gradus operando, aliquem gradum caloris producat in frigido, deſtruendo in eodem vnum, aut duos gradus frigoris, è contra verò illud frigidum, ſecundùm omnes ſuos gradus agendo in calidum, introducat in illo aliquos gradus frigoris deſtruendo ſolos paucos gradus caloris, quare cum, vt ſupra diximus quæcumq. qualitas in ſua actiuitate ſuperet reſiſtentiam formalem ſuæ contrariæ qualitatis, inde eſt, quòd nulla eſt implicantia, dari talem mutuam actionẽ, ſeu Reactionem.

29 Ob. ex Calculatore. Vt agens agat, debet ſuperare reſiſtentiam alterius, ſed implicat duo agentia ſimilia in intenſione inuicem ſuperari, ergo implicat reactio.

Reſp. diſt. ma. debet ſuperare reſiſtentiam actiuam, nego ma. reſiſtentiam formalem, con. ma. quare &c.

Ob. 2. Si daretur reactio, ſequeretur quòd nunquam agens poſſet aſſimilare ſibi paſſum, ſed hoc videtur improbabile, ergo &c. ſequela prob. quia ſemper à paſſo reagente debilitaretur, & ſic paſſum, ad gradum, & intenſionem quam habebat, nequiret reducere.

Reſp. primò neg. mai. Nam, licet à contrario repateretur, poſſet poſtea illo ſuperato, ſe per propriam formam, ad priſtinum ſtatum reducere, & tũc ſibi aſſimilare paſſum; ſed.

Reſp. 2. Data maiori reſpectu aliquorum agentium, neg. minorem, nam, & propter hoc instituta fuit reactio à natura, vt .ſ. ex aliquibus agẽtibus ĩ mutua actione, neutrum vincat, ſed ita ãbo refrangantur, vt tertium conſtituant, quomodo euenit in miſcibilibus; ex mutua enim actione miſcibilium, dum nullum ſuperat aliud, nec ſibi illud aſſimilat, tertium producitur, mixtum .ſ. ex miſcibilibus inuicem agentibus, & nemine aliud ſuperante; Quare &c.

30 Ob. 3. Qualitas, v.g. calor conſeruatur efficienter à ſubſtantia Ignis, ergo Agenti contrario nedum reſiſtit aliquis gradus talis qualitatis, ſed tota ipſa ſubſtantia conſeruatiua talis qualitatis, ergo cum ſit ſubſtantia longè perfectior accidente, habebit maiores vires, ad conſeruandas qualitates, quàm habeat qualitas contraria, ad deſtruendum, ergo non dabitur Reactio.

Reſp. Per hoc argumentum nedum deſtrui Reactionem, ſed etiam omnem Actionem, ſi enim ſubſtantia eſſet fortior ad conſeruandum, quàm accidens ad deſtruendum, nullum accidens reperiretur deſtruens aliud, vt potè conſeruatum à propria ſubſtantia; quare dico, quòd licet ſubſtantia, ſit perfectior accidente, non eſt tamen dicendum eſse actiuiorem quoad omnes effectus, & ideò cũ experientia habeatur, accidens deſtruere aliud, aſſerendum eſt, maiorem eſſe illius actiuitatem, quã ſit illa ſubſtantiæ in conſeruando.

Ob. 4. Si daretur Reactio, ſequeretur idem moueri motibus contrariis, hoc implicat, ergo &c. Sequela prob. detur Ignis v.g. aliquantiſper diſtans à niue, & inuicem agant, tunc aer intermedius, & reciperet calefactionem ab Igne, & frigefactionem à niue, ergo contrariis moueretur motibus.

Reſp. diſt. ma. Moueretur &c. in gradu intenſo, & nego maiorem, in gradu remiſſo, & con. & in hoc nulla eſt implicantia, nam ſicuti poteſt idem ſubiectum habere qualitates contrarias in gradu remiſſo, ſic poteſt affici actionibus producentibus tales qualitates in gradu remiſſo; quare dico, aerẽ fore mixtum ex vtraq. qualitate, calore .ſ. & frigore in gradu tamen remiſſo.

Ob. 5. Quãdo duo Agentia ſimilia applicantur, vel inuicem agunt in eodem inſtanti, vel non; ſi non, ergo nunquam agent, eadem enim difficultas, quæ eſſet in primo, eſſet & in ſecundo; ſi primum hoc non poteſt eſſe, nam cum Reactio ſupponatur eſſe in eadem parte, ſi in inſtanti eſſet Reactio, qualitas, quæ ageret, eſſet, & non eſſet; eſſet quia ageret, non eſset quia eſset corrupta à contraria.

Reſp. Reactionem fieri in inſtanti, quando enim Agens, & paſsum ſunt inuicem applicata, neceſsariò debent agere, nec eſt maior ratio, cur vnum primò agat, vel aliud, ergo in eodem inſtanti agũt. Hoc autem non implicat, nam quando dicitur, Reactionem fieri ſecundùm eamdem partem, non intelligitur de parte qualitatis, ſed ſubiecti, actio enim, qua paſsum reagit, non prouenit à gradu, qui corrumpitur, ſed à gradibus exiſtentibus, ſeu à tota virtute ſubiecti, quare quando duo Agentia ſimilia in gradibus contrariis applicantur, calidum v.g. vt octo, & frigidum vt octo, tunc in eodem inſtanti deperdunt inuicem aliquem gradum, à quo tamen actio non procedit, ſed quem ante actionem habebant, & ſic non euenit, qualitatem non eſse, & eſse, Reactio enim ſumenda eſt ex parte ſubiecti, ita vt ipſum dicatur poſse agere, & pati, agere quidem per qualitatem exiſtentem, pati verò per qualitatem de nouo receptam, aliàs enim eſset imperceptibilis Reactio, de qua ſufficiant dicta.

SECTIO VI.

De Rarefactione, & Condenſatione.

QVia Rarefactio, & condenſatio fiũt ſæpè per alterationem, vt quando frigore condenſatur Aqua, calore verò rareſit; vel quia aliquo pacto aſſimilãtur alterationi, ideò hic poſt alterationem de illa tractant D. D.; quos, & nos ſequemur. 31

Rarefactio autem definitur ab Ariſtotele, quòd ſit *Mutatio facta in Corpore, per quam partes eius ſub magnis dimenſionibus, magis inter ſe fiunt diſtantes, & maiorem occupant locum:* Condenſatio verò è contra, eſt quando *ſub paruis dimenſionibus partes corporis minus inter ſe diſtant, minoremq. occupant locum*, hoc autem patet ipſa experientia, quando enim res aliqua eſt condenſata, minorem locum occupat, atq. adeò ipſius partes minùs inter ſe diſtant, quod è contra euenit in re rarefacta.

Quòd autem detur hæc rarefactio, & condenſatio, nemo hactenus philoſophorum ſani iudicii negauit,

gauit, illiusq. clarissimum testem ipsam quotidianam experientiã habemus, sic aqua feruens, & ebulliens maiorem locum occupat, quàm dum est frigida; sic puluis sulphureus accensus, maius exigit spatium, quàm priùs occupabat, & ideò inclusus in tormentis bellicis, dum accenditur, ad maiorem occupandum locum coactus, magno cũ impetu pilam æneam obtrudit, sic castaneæ igni integræ appositæ, crepitant, secùs verò, si scindantur, quia .s. vel earum substantia, vel aer in ipsis inclusus, dum calore rarescit, maiorem exigit occupare locum, sic patet multis aliis experientiis quas fusè videre est apud auctores; quare tota difficultas cõsistit ĩ assignãdo modo, quo fiat talis rarefactio, & condensatio, & in quo consistat ratio formalis raritatis, & densitatis, qua in re propè infinitę sunt sententiæ, cum quisque aliqua explicatione conetur aperire rationem formalem huius raritatis, & densitatis, quod iure cõmuniter mysteriũ naturæ appellatur.

Supp. est autem primò. Rarefactionem non fieri per acquisitionem nouæ substantiæ materialis, siue quantitatis (idem enim est per nos) eiusdem rationis, condensationem verò per deperditionem substantiæ acquisitæ, ita vt, ideò v. g. aqua rarefiat, quia acquirat aliam aquam; quæ fuit opinio Gofredi, Marsilii, Pomponii, Caietani, & aliorũ Ratio autem est, quia substantia materialis non acquiritur nisi creatione, non deperditur, nisi anihilatione, ergo cum hæc non interueniant in rarefactione, & condensatione, neq. &c. tum quia, non distingueretur rarefactio à Nutritione, neq. à Generatione, sed distinguitur per omnes Philosophos, ergo &c. tum deniq. quia, quando aliquid rarefactum condensaretur, vel destrueretur illa substantia quantitatiua, vel non; non secundum vtiq. quia non daretur condensatio, sed semper remaneret rarefactum, ergo primum, ergo Agens causans condensationem destrueret materiam primam quantam, quod contra totam Philosophiam pugnat: Neq. etiam potest subsistere huiusmodi opinio, supposita etiam distinctione quantitatis à materia; Nam, quando deperderetur in condensatione pars quantitatis; vel materia, quæ erat sub illa quantitate remaneret expoliata quacumq. quãtitate, vel penetraretur cum alia materia; primũ nequit dici, materia enim secundùm communem Philosophorum, non potest naturaliter expoliari quacumq. quantitate, neq. secundum, quia hoc pacto idem accidens quantitatis naturaliter transiret ad aliud subiectum, quod naturaliter repugnat, ergo.

32 Supp. 2. neq. Rarefactionem fieri ex eo quia pori corporis rarefacti dilatentur, sicq. partes illius corporis magis inter se distent, siue inter illas per talem dilatationem medient vacuitates, vt volebant ãtiqui quidam relati ab Aristotele 4. Physic. tex. 83. siue corpuscula quædam, aut atomi intromittantur, vt communior sententia recentiorum tenęt; condensationem verò è contra, ex eo quod constringantur pori, & per consequens deperdantur, vel vacuitates, vel corpuscula intromissa, ita vt raritas formaliter consistat in maiori dilatatione pororum, densitas verò formaliter in eorumdem condensatione.

Non inquam consistit in distantia partium adinuicem, interiectis vacuitatibus, quia absolutè naturaliter non datur vacuum, quod in tali casu daretur naturaliter, cum rarefactio fiat naturaliter.

Neq. etiam consistit rarefactio in intromissione corpusculorum, ratione quorum res rarefacta occupet maiorem locum, condensatio verò è contra, sicuti sustinent Nominales, Ocham Gabriel, Valesius 4. Physicorum tex. 84. Tassonus lib. 2. quæ. 8. Arriaga disp. 6. Physicæ sect. 9 subsec. 2. Oniedo de Gener. Contro: 7. punc. 5. Serbellonus disp. 2. de Ortu, & Interitu quæ. 2. ar. 7. & ferè recẽtiores omnes; si tamẽ propriè, & phil. loquamur, si enim impropriè, & largè loquamur, potest etiam appellari rarefactio, & condensatio, quando in corporibus porosis fit restrictio, vel dilatatio per ingressum, vel egressum quorũdam corpusculorum tenuiorum, condensatio verò, & rarefactio philosophicè loquẽdo nõ fiũt hoc modo, quia ĩ hac sẽtẽtia non saluatur conceptus rarefactionis, & condensationis propriè, & philosophicè sũptus, qui cõsistit in eo quod idem corpus, vel materia quanta possit esse sub maioribus, vel minoribus dimensionibus; in tali enim sententia, non esset idem corpus, eadem materia, sed plura corpora, plures materiæ, atq. adeò spongia diceretur rarefacta, quia inter illius partes mediat Aer, quod tamen philosophicè non est dicendum.

Tum quia multa corpora rarefacta occupant duplo, & triplo plùs loci, ac priùs occupabant, ergo si proueniret per interpositionem corpusculorum, in maiori quantitate essent corpuscula interposita, quàm corpus rarefactum, sicq. illud totum non esset quod priùs erat, & variaretur in accidentibus, vinum v. g. multum deperderet in rarefactione de sua rubedine, vt facit quando miscetur illi Aqua, quod tamen experientia est falsum.

Tum quia, si condensatio fieret per extractionẽ corpusculorum, &c. res condensata leuior deberet fieri, at hoc est contra experientiam, ergo &c. neq. valet, illa corpuscula non ponderare; gratis enim hoc adinuenitur subterfugium.

Tum quia, si hoc modo fieret rarefactio, ergo 33
etiam quando Aqua misceretur Vino, vel alter liquor alii liquori, aut aliquod densum alicui corpori liquido, siquidem interponeretur aliquod corpus, diceretur fieri rarefactio, quod tamen nemo dicit.

Tum quia hæc corpuscula, quę deberent intromitti inter corpora rara, deberent esse subtiliora illis, & sic tenuiora aere, & igne, quæ tamen absque vllo fundamento non sunt imaginanda.

Tum quia sunt aliqua corpora, quæ non sunt porosa, qualia sunt corpora cælestia, & tamen aliqua sunt aliis densiora; non sunt autem porosa corpora cœlestia, quia non est assignabilis substantia, quæ in illorum poris infundatur

Tandem

Tandem hoc apparet falsum ex uariis experientiis adductis à Mastrio disp. 4. in lib. de Gen. quæ. 2. & ab Ares. 1. de Gen. disp. 4. quæ. 36. sect. 1. & præcipuè ex illa quę apparet in instrumēto Termoscopio uocato, hic claritatis causa delineato, in hoc enī aqua ascendente vsq. ad certam partem cānulæ vitreæ, reliqua superiori parte cānulæ aere plena, si parti superiori cannulæ applicetur manus, vel subiectum calidum, statim, & immediatè ex calore rarefit aer inclusus, maioremq. per consequens exigens locum, comprimit, & deorsum depellit aquam, sed non potest dici, corpuscula per illud densissimum vitrum, & tam citò intrare ad replēdas vacuitates causatas à rarefactione, & neq. ab aqua corpuscula, & uapores educi, in aeremq. rarescentem īmisceri, talia enim corpuscula neq. sunt assignabilia in aqua, neq. est causa illa educens, calor enim solùm in aerem agit, & deniq. si ab ipsa aqua talia educerētur corpuscula, ipsa cōdensaretur, quod tamen est falsū, ergo in intromissione, seu expulsione corpusculorum non constituendam esse rarefactionem, & cōdensationem dicendum est.



His ergo Sent. reiectis, vt inuidētissimis rationibus probatis, remanet inquirendum, in quo consistāt tales actiones rarefactiua, & condensatiua, & illarum termini formales, raritas & densitas. Pro
34 quo.

Not. est. Nos dixisse in Physicâ in tract. de Quantit. essentiam quantitatis consistere in extraritate partium in ordine ad se, non verò in earumdem extensione quoad locum, hoc enim diximus esse quid accidentale ipsi quantitati, cum possit stare sine tali extensione, non deperdendo propriam essentiam, vt patet ī corpore Christi existēte sub speciebus consecratis cum sua tota quantitate, absq. illius extensione ad locum. Hoc notato. Sit.

Prima Conc. Raritas formaliter consistit in quodam modo extensionis, per quem substantia quāta maiori extenditur loco; Densitas verò, in modo contractionis, per quem eadem substantia quanta minori extenditur loco. Ita Capreolus in 2. disp. 19. quæst. 1. ar. 3. Aresius 1. de Gen. disp. 4. quæ. 36 Mastrius disp. 4. in lib. de Gen. quæ. 5. Morandus, Guarinus, & alii ab ipsis relati.

Prob. primò auctoritate Aristotelis, qui in prædicamēto Qualitatis loquens de Raro, & Spisso, postquam dixit non esse qualitates, in hæc verba concludit, *quamdam enim positionem magis videntur partium vtrumq. significare, spissum enim dicitur eo quod partes sibi ipsis propīquæ sunt, Rarum verò, eo quòd distēt à se inuicem*, ex quo textu clarè cognoscitur ex mente Aristotelis, raritatem, & densitatem formaliter consistere in quibusdam modis extensionis, & restrictionis partium substantiæ ad locum.

Prob. 2. ratione. Tunc corpora dicuntur formaliter rarescere, & condensari, quando eorum partes non ampliùs eumdem seruant inter se ordinem respectu loci, sed ampliùs comprimuntur, vel ampliùs dilatantur, quod nihil aliud est, nisi compressio, vel dilatatio, sed hoc non importat nisi varios modos extensionis ad locum, ergo in talibus modis extensionis, vel restrictionis in ordine ad locum, formaliter consistunt raritas, & densitas, atque adeò rarefactio, & condensatio in actionibus productiuis talium modorum.

Prob. 3. In omnibus sententiis, corpora per raritatem extenduntur loco, per densitatem coarctātur loco, at hoc non potest intelligi in genere causæ efficientis, quasi quod raritas extensionem efficiat, talis enim causa est agens extrinsecum, vel calor .s. vel humiditas, vel aliquid aliud, ergo in genere causę formalis, ergo raritas, quæ est terminus rarefactionis, aliud formale non erit, quàm extensio eiusdem corporis ad ampliorem locum, densitas contractio ad minorem; Sed.

Ob. Raritas, & densitas sunt termini alterationis, sed alteratio terminat ad qualitatem, dicitur enim motus ad qualitatem, ergo formaliter raritas, & dansitas non sunt modi, sed qualitates:

Resp. dist. ma. sunt termini primarii, & nego maiorem, secundarii, & transeat; nam raritas, & densitas sequūtur in corporibus ex illorum natura habentibus tale temperamentum, & qualitates, & ideò agens causans raritatem, & densitatem, prius debet alterare subiectum, vel qualitatem, vel temparamentum in illo producendo, ex quo postea sequatur raritas, &c. Deinde, non ideo corpus est rarum, aut densum, quia aliqua qualitate informatum, sed præcisè quia illius partes sunt propinquiores ad inuicem, vel remotiores, sed hic est quidam modus, ergo &c.

Secunda Conclu. Maior extensio quoad locum
producitur in rarefactione per extractionem indi- 35
uisibilium quantitatiuæ substantiæ, ab aliis, cum quibus prius erant penetrata: contractio verò in condensatione, fit per penetrationem eorumdem. Ita multi recentiores, quos suppresso nomine referūt Mastrius disp. supracitata, quæ. 1. Auersa disp. 38. sect. 3. Ita etiam aliquo pacto noster Guarin. disp. 4. in lib. de Gen. de Raref. & Cond. exp. 2.

Prob. 1. à Guarino multis experientiis, quibus tamen cum non sit fidendum, ideò ratione.

Prob. 2. quando aliqua substantia quantitatiua rarefit, vel partes illius magis inter se distant, vel non; secundum non potest dici, rarefactio enim hoc importat, deinde experientia videmus, in quātitatiua substantia palmari rarefacta ad duos palmos, vltimam partem palmi, quæ prius à prima distabat per palmum, tunc distare per duos

palmos,

palmos, ergo si duę extremæ partes ad iuicē distāt hoc etiam præstabant cæterę, non est enī maior ratio de vna, quàm de alia; distant ergo, sed non possunt distare per interpositionem vacui, non per interpositionem alterius substantiæ, vt iam probatum est, ergo per extractionem indiuisibilium ab aliis, cum quibus erant penetrata, quando corpus erat densum.

Neq. dicas ex Arcs. loco supracitato sec. 4. Hāc non esse penetrationem, sed solùm maiorem constipationem partium, ratione cuius, quando fit rarefactio, partes propinquæ, non magis distant, quā antea, secundùm id quod alteri comparti coniunguntur ratione lateris extrinseci indiuisibilis, distāt verò ratione lateris itrīseci, seu ab itrīseco, quia secundùm illud sunt diuisibiles in infinitum, & per hanc diuisibilitatem, possunt magis dilatari, & rarefieri.

Resp. enim. Hanc maiorem constipationem partium non posse explicari, nisi per penetrationem, quid enim importabat ante constipationem raritas? partium disiunctionem? & hoc non; constituebant enim vnum continuum, ergo coniūctionē, sed nō datur maior, & minor coniūctio, nisi per penetrationem, ergo maiorem constipationem importare penetrationem asserendum est. Neq. valet, rarefactionem fieri ratione diuisibilitatis quam in infinitum habent partes ab intrinseco, seu secundùm latus intrinsecum; primò, quia eam negauimus cum de quantitate. Deinde inquiro, pars diuisibilis, quæ coniungitur indiuisibili extrinseco, distat ne magis ab illo vel non? si distat; ergo recurrit argumentum, si non distat, ergo non est rarefactio &c. neq. valet responsio quam adducit, illam partem .s. non esse assignabilem cum in infinitum sit diuisibilis, est enim fugere argumentum, non enodare dificultatem.

Prob. 3. Plura puncta indiuisibilia loci occupat quantitas bipalmaris, quàm palmaris, sed ex dictis quando quantitas palmaris per rarefactionē fit bipalmaris, non illi puncta eiusdem, vel diuersæ rationis adiunguntur, ergo dicendum illa puncta indiuisibilia loci, quæ de nouo occupantur, occupari à punctis extractis quantitatiuæ substantię, quæ in aliis latebant, erantq. cum illis penetrata.

Neq. dicas. Priora puncta dilatari per solam diuersam extensionem quoad locum; Resp. enim primò, puncta, vt potè indiuisibilia non posse dilatari, tunc enim essent diuisibilia. Deinde. hæc maior extensio quoad locum supponit, id cui adhæreat, est enim modus, vel ergo quot sunt partes huius extensionis, tot sunt partes substantiæ extensæ, vel non; secundum non potest dici, cui enim adhæreret? ergo primum, ergo maior extensio supponit maiores partes, quæ cum de nouo non apponantur, extrahi alias ab aliis, dicendum est.

36 Prob. 4. Corpora densa magis resistunt contrario corpori aduenienti, quàm corpora rara, difficiliùs enim scinditur glacies, quàm aqua; sed hoc non potest euenire à maiori, vel minori vnione inter partes, vnio enim vt potè talis non est maior, & minor, maximè in nostra sententia, in qua non est aliquod distinctum à partibus, neque potest euenire simpliciter à quantitate, quia est eadem entitatiuè tam densa, quàm rara, ergo dicendum est, euenire à penetratione aliqua, qua inuicem plùs, minùsue, penetrantur inter se puncta quantitatiua, ratione cuius magis intenditur illorū virtus resistitiua, si enī virtus vnita fortior, multò magis penetrata, Quod autem possit dari penetratio punctorum, prob. ex doctrina ipsius Aristotelis, dicit enim ipse, in tantùm implicare penetrationem corporum, in quantùm in eodem loco nequeunt dari plures dimensiones, & extensiones, sed punctum, nec habet secundùm se dimensiones nec extensionem, ergo non implicat penetrari cum alio: & ecce hac sententia euitatæ infinitæ difficultates, quæ in aliis opinionibus nequeunt ēnodari, licet enim in maiores incidisse, posset alicui videri, admittendo naturaliter penetrationem quantitatis, hoc tamen non ita esse, patebit ex solutione argumentorum.

Ob. ergo primò. Essentia quantitatis consistit in extraeitate partium, sed essentiæ non suscipiunt magis, & minus, ergo per rarefactionem non possunt partes quantitatis magis extrahi.

Resp. essētiā quātitatis cōsistere ī extraeitate partiū in ordine ad se, non in ordine ad locum, hanc enim diximus esse quid accidentale quantitati, & ideò, licet corpus Christi in Eucharistia, vtpotè quantum, habeat extraeitatem partium in ordine ad se, non tamen habet in ordine ad locum; quare. l. aliqua puncta quantitatis sint penetrata, non per hoc tamē deperdit illa quantitas extraeitatem illorum in ordine ad se, illam verò in ordine ad locum recipit ab hac, vel ab illa extensione modali, in ipsa producta ab agente extrinseco.

37 Ob. 2. Vel omnia puncta quantitatis possunt penetrari, vel solùm aliqua; si omnia, ergo quantitas naturaliter poterit redigi in punctum, si solùm aliqua, non videtur assignabilis ratio, cur ista, & non alia, vel si ista, cur non omnia. Deinde, si omnia non penetrarentur, ergo non fieret condensatio secundùm omnes partes, contra communem acceptionem Philosophorum.

Resp. omnia puncta quantitatis posse penetrari, nō autē sēper omnia penetrari, sed modò plura, modò pauciora, secūdū quod agēs causat maiorē, vel minorem raritatem; neq. ex hoc vllum videtur sequi inconueniens, quando enim philosophi dicunt, omnes partes quantitatis condensari, & rarefieri, intelligendi sunt de partibus diuisibilibus, non autem de punctis indiuisibilibus; quare verò hæc puncta, & non alia penetrentur, hoc reducendum est ad causam primam determinantem agentia naturalia ad effectus in indiuiduo. Non possent autem omnia in vnum penetrari, quia quodlibet corpus ex natura sua exigit tantam penetrationem, non verò maiorem, sicut enim quodcumq. agens limitatum est, vt possit tantùm agere, & non ampliùs, ita & cuicumq. corpori à natura limitatum est, vt ab agente possit restringi, & dilatari vsq. ad præscriptos terminos, & non ampliùs. Hoc autem totum prouenit ex natura, & vario temperamento illius corporis, cum quo ab agente naturali fuit productum.

Ob. 3.

Ob. 3. Si punctum posset penetrari cum alio, ergo etiam pars cum alia, sed pars nequit penetrari, ergo neque punctum, mai. prob. vtrobiq. enim militat eadem ratio; Item si partes eiusdem substantiæ possent penetrari, ergo etiam alterius substantiæ partes, cum ipsis possent penetrari, & sic non esset miraculosa penetratio corporum, contra dicta in Physica.

Resp. Partem formaliter, vt partem non posse, cum alia penetrari, cum enim vt talis habeat dimensiones, & extensionem, ideo non potest penetrari cum alia parte, habente pariter dimensiones, & extensionem, duæ enim extensiones, & dimensiones in eodem loco nequeunt esse; potest autem penetrari pars cum alia parte respectu punctorum, ex quibus constat, cum enim punctum non habeat dimensiones, neq. extensionem, ideo quodlibet punctum vnius partis potest cum puncto alterius penetrari. Non possunt autem cum aliquo corpore penetrari partes alterius corporis distincti, & separati, quia cum ad penetrationem requiratur vnio (ipsa enim est summa vnio) ideo nisi hæc prius producatur, nequeunt penetrari, & ita cum vnum corpus ferè semper apponatur alteri per motũ localem, qui non est sufficiens ad causandam veram vnionẽ, ideo numquã datur penetratio duorum corporum separatorum, quod si agens adducens vnum corpus alteri; haberet vim illa summè coniungendi, non implicaret aliqua penetratio secundùm exigentiam propriæ naturæ. Quare miraculosas diximus in Physica esse penetrationes corporum distinctorum; tùm quia fiunt in instanti. Tum quia corpora, quæ penetrant, non vniuntur cum corpore penetrato, vt euenit quando Christus ianuis clausis intrauit ad discipulos. Tum deniq. quia, non puncta, sed tota corpora alia penetrauerũt; & si ibi negauimus naturaliter penetrationem corporum, intelleximus de corporibus perfectis, habentibus trinam dimensionem, non de punctis, & ex hac sententia multæ etiam resoluuntur difficultates, quę in tractatu de Quantitate non ita clarè videntur explicatæ.

38 Ob. 4. In corpore addensato apparent eadem figura, eadem accidentia, & colores, qui in ipso cernebantur, quando erat rarefactum, ergo in cõdensatione non datur penetratio, alioquin confunderentur accidentia ad inuicem, & vna pars obtegeret aliam; Confir. exemplo, cum v. g. magnus mons, aut ciuitas repræsentatur in speculo, cernuntur secundùm omnes partes, quia licet species ab ipsis in speculum emissæ addensentur, non tamen penetrantur, ergo cum accidentia in corpore addensato eadem cernantur, non penetrari partes, in quibus subiectantur, sed solùm constipari, & addensari, dicendum est.

Resp. Quòd figura remanet in corpore addensato, non tamen in eadem extensione, accidentia etiam remanent eadem, sed cum maiori intensione, signum euidens penetrationis, quod experientia patet, quis enim negabit, aquam congelatam, & densam non esse magis frigidam, quàm sit fluida, & raram? quis negabit, butyrum densum, non esse magis coloratum, quam rarum? quis negabit saccharum condensatum, non esse magis dulce, quàm rarefactum, cum ergo maior intẽsio qualitatis proueniat ex multiplicatione graduũ illius in eadem parte subiecti, dicendum est illas qualitates intendi quia gradus illarum, qui priùs erant extensi in multis punctis extensis, intẽduntur ratione penetrationis eorumdem. Exemplum autem, ipsos iugulat aduersarios, nam videntur ne in speculo singulæ partes minutissimæ montis, singulæ arbores, singula illarum folia? nequaquam certe, ergo hoc prouenit, quia species illarum partium penetrantur cum aliis speciebus, in quibus latent; Quod verò species vastissimi montis recipiantur in paruo speculo, vel etiam in oculo nostro, hoc prouenit quia emittuntur à monte per modum pyramidis, ita vt cuspis illius terminet, vel in speculum, vel in oculum; quare in ipsis non tanta penetratio est necessaria.

Ob. 5. quando aqua rarefit, variæ in ipsa apparent bullæ, aere, aut atomis impletæ, ergo per introductionem corpusculorum rarefit: Item cato rarefit, quando pori illius replentur humoribus, ergo per intromissionem corpusculorum, &c. non verò per extractionem punctorum prius penetratorum.

Resp. tales non esse rarefactiones propriè, & Philosophicè loquendo, alioquin quando aliquod corpus interponeretur in aliud liquidum, etiam diceretur rarefactio, quod tamen non est dicendũ, licet vulgariter loquendo talis appelletur, vulgus enim quid quid intumescit, aut dilatatur, rarefieri dicit, sicut è contra, condensari, quidquid quocumq. modo, constipatur, sicuti etiam dicit, vas aliquod esse vacuum quando in ipso non reperitur vinũ, aqua, aut aliusliquor, licet philosophicè loquẽdo, nũquam possit dici vacuum, sed aere plenum.

Coll. ex dictis. Rarefactionem esse illam actionem, qua aliquod agens extendendo puncta penetrata in aliqua quantitate, diuersum modum extẽsionis producit, condensationem verò è contra, esse actionem causãtem penetrationem in punctis quantitatis; an autem talis modus, qui producitur totus de nouo producatur, & primus, qui erat, destruatur .l. aliqui hoc existimauerint; probabiliùs tamen existimo, non de nouo totum produci, sed remanente primo, quasi augeri in rarefactione, diminui in condensatione.

Coll. 2. Quòd quando vnum corpus rarefit, debet aliud proximum naturaliter loquendo condensari, & è contra, debet inquam condensari, vt cedat locum, cum in eodem loco stare non possit; in condensatione verò, contiguum debet rarefieri ad impediendum vacuum, & tunc talinm effectuum, agens aliquod vniuersale esse causam censendum est, si aliud agens non sit assignabile. 39

Coll. 3. Nec rarefactionem fieri per solum calorem, nec condensationem per solum frigus, aliquando enim condensatio potest fieri per motum localem, vt quando aliquod mobile mouetur in aere motu recto, tunc enim aer insequens mobile, rarefit ad occupandum locum relictum à mobili, pars verò cedens mobili condensatur. Item rarefactio etiam per accidens,

dens, & occasionaliter potest fieri à frigore, & condensatio à calore raritas enim non est effectus conuertibilis cum calore, neq. condensatio cum frigore, nam aer in nostra sententia frigidus ex sua natura, est tamen rarus, quis enim dicet, Aquilonem frigidissimum, esse mâgis densum, quam sit aqua calida? quare dicendum, raritatem prouenire à calore, densitatem verò à frigore cęteris paribus .s. iuxta proportionem subiecti capacis recipiendi à calore, vel frigore, tale, vel tale temperamentum, ratione cuius facilior fit in ipso, aut condensatio, aut rarefactio: & ex hoc deducitur, raritatem, & densitatem in actu primo consistere in tali temperamento, ratione cuius sit potens aliquod corpus, vel condensari, vel rarefieri.

Quæres. An rarefactio, & condensatio distinguantur à motu locali.

Resp. Rarefactionem esse motum localem, nec ab ipso distingui. Ratio autem est, quia termini horum motuum non distinguuntur, ergo nec motus, conseq. patet prob. antec. per rarefactionem vnum punctum fit extra aliud, sed non potest fieri extra aliud, nisi per acquisitionem loci, quem non habebat, ergo tam in motu locali, quam in rarefactione habetur idem terminus .s. locus acquisitus Tum quia, rarefactio, & extensio effectiua sunt idē, sed extensio non potest esse sine motu locali, ergo nec rarefactio, ergo rarefactio, & motus localis non distinguuntur. Neq. valet, quod in corpore Christi existente in Sacramēto sit vna pars alia rarior, caro .s. rarior ossibus, & tamen ibi non est ulla distantia inter illius partes respectu loci, ergo rarefactio non consistit in acquisitione .per motum localem, diuersæ distantiæ. Resp. enim cum Aresio lib. 1. de Gen. disp. 4. de Rarefactione, quæst. 36. sect. 5. carnem Christi in Sacramento Eucharistiæ esse tantùm rariorem in actu primo, non autem in actu secundo, quod patet ex eo quia, vbi non datur extensio, neq. potest dari maior extensio, sed corpus Christi in sacramēto, non est extensū, ergo neq. rarum in actu secundo, quod nihil aliud est, quàm esse magis extensum. Quare caro Christi in Sacramento solùm dicitur rarior in actu primo, quia postulat sibi maiorem raritatem, secundùm suam naturam, non tamen illam habet in actu secundo, sicuti etiam brachium dicitur longius manu, non quia in actu secundo longius sit, sed quia habet tantam quantitatem, vt si suæ naturæ relinqueretur, esset longius manu; Et hæc sufficiant dicta in hac materia.



DISPVTATIONES

IN LIBROS ARISTOTELIS DE ANIMA.

ANimã, vt potè formarum omnium nobilissimam, peculiaribus examinandam esse obtutibus iurè meritò existimauit Aristoteles; hìc ergo per varias quæstiones, tribus in libris diffusas, illius excellentissimam essentiam, potentias, operationesquè, curioso subtilique rimatur intuitu. Et licet ad Physicam illius cognitio minimè spectare videatur, vt potè sub Physicæ obiecto, quod est Corpus, non comprehensa, quia tamen est forma ipsius corporis, complementumque, & perfectio eiusdem, ideò illius cognitionem ad Physicam spectare optimè adiudicauit idem Philosophus, in his libris disputans, non de anima sola, sed de toto composito animato. Quod & nos facientes, primò ad animam in communi examinabimus spectantia, postea, data diuisione omnium specierum animarum, quæ cuiuscumq. animæ sunt propria, dillucidabimus. Quare sit.

DISPVTATIO PRIMA

De Anima in communi

CVm multa cuiuscumq. animę sint propria, ideò ne eadem sæpe redicere cogamur, omnia quæ spectant ad omnes animas, seu ad animam in communi, hic expendemus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit Anima, & Quinam sit conceptus Viuentis.

RElictis omnibus fallacibus antiquorum figmentis, quibus maxima delirabant ignorantia, in explicanda essentia Animæ, Alii dicentes, Animam esse atomos volantes, vt Democritus, Alii ventum, vt Diogenes, Alii Armoniam, vt Plato, Alii Aquam, vt Hippocrates; Alii Numerum, vt Zenocrates, alii alia, quos fusè in primo de Anima impugnat Aristoteles, certum est, ab omnibusq. anima præditis concessum, Animam esse formam substantialem, constituentem simul cum corpore, quod informat, compositum animatum, & quidem de Anima rationali constat ex fide, definitumq. est in Concilio Lateranensi 3. sub Leone X. sess. 8. De aliis autem animabus patet, quia datur compositũ substantiale viuens, sed si anima non esset formã substantialis, non daretur substantiale compositum viuens, cum sit viuens ratione animæ, ergo &c. Neq. audiendus est Galenus, qui lib. 3. de locis affectis cap. 6. ait, Animam esse temperamentum primarum qualitatum, ex eo quia ad mutationem ipsarum, pariter animatum mutatur, & moritur. Nam licèt dissoluto temperamento moriatur animatum, hoc prouenit, non quia ani-

ma consistat in tali temperamento, sed quia temperamentum est dispositio necessaria ad conseruationem viuentis. quod patet etiam in inanimatis, quorum forma corrumpitur, destructo temperamento, & tamen non consistebat in tali temperamento.

Certum est etiam, animam esse formam informantem, non autem solùm formam assistentem, vt sunt Nauta naui, Intelligentiæ cælis,&c. Ratio autem est, quia forma assistens aduenit rei in proprio esse constitutæ, nullumq. ei dat esse, sed solùm aliquam operationem communicat, ad quam est in potentia; anima autem dat esse specificum composito, per illamq. essentialiter differt vnum animatum ab alio, quod est proprium formæ informantis, ergo anima est vera forma informans. His ergo suppositis tamquam certis, quærendum est, quænam sit essentia animæ, vt sic; At quia non potest explicari quidditas animæ, nisi in ordine ad vitam, cuius est principium (omnia enim animata sunt viuentia,) ideò prius inquirendum est, in quo consistat conceptus viuentis, seu quid intelligatur pro ente habente vitam.

2 Supp. est autem primò. Dupliciter posse sumi viuens, in actu primo, & in actu secundo; Viuens in actu primò est illud, quod potest operari, & exercere operationes vitales; Viuens in actu secundo importat esse affectum ipsis operationibus vitalibus, quę ideò vita in actu secundo appellantur; sic homo dum intelligit, dicitur viuens in actu secundo, dùm concipitur potens intelligere, illius vitalitas in actu primo dignoscitur.

Supp. 2. Sæpe dixisse, actiones immanentes esse illas, quæ recipiuntur in eo principio, à quo pariter fluût, immanere enim nihil aliud importat, nisi manere In. Non est autem necesse, vt rigorosè, & formaliter subiectentur in eo principio, à quo formaliter deriuant, sed sufficit, quòd recipiantur in illo, quod denominatur illarum productiuum; licèt enim multæ actiones proueniant ab anima, & in ipsa formaliter non recipiantur, sed in toto composito, vt v.g. sensationes materiales respectu hominis, dicuntur tamen actiones vitales, quia actiones sunt suppositorum, & dicitur homo sentire, non verò anima sola dicitur sentire.

Supp. 3. Plura esse, quæ dicuntur viuentia scilicet Deum, Angelos, Homines, Bruta, Plantas, Flores, Herbas, &c. & l. contendant aliqui, non posse dari vnum conceptum vniuocum viuentis, his omnibus conuenientem, probabilius tamen conceditur communior opinio, dari, vt patebit ex assignatione talis conceptus. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Conceptus uiuentis in actu primo, consistit in hoc, quod sit principium per se productum ab intrinseco, in se, & immanenter aliquam perfectionem, non sibi debitam pro instanti suæ generationis. Ita cum D. Thoma, multi recentiores, præcipuè Spinula in lib. de Anima disp. 1. sect. 1. art. 1. num. 7. uidetur etiam M. stri disp. 1. de anima, quæst. 2. nu. 15. Pontii, & aliorum.

3 Prob. Conceptus definitiuus alicuius rei, debet conuenire toti, & soli rei definitæ, sed assignatus conceptus uiuentis conuenit omnibus, & soli uiuentibus, ergo est illorum adæquatus, & definitiuus conceptus.

Prob. minor quoad primam partem quod scilicet conueniat talis conceptus omnibus uiuentibus. Intellectio, uolitio, nutritio, sensatio, & huiusmodi, sunt perfectiones immanenter prouenientes à uiuentibus, & nulli uiuenti sunt debitæ pro instanti suæ generationis, ergo ab ipsis proueniunt non ratione generationis, seu generantis, sed ratione principij in ipsis existentis, & illarum productiui, ergo in tali principio, &c. consistit conceptus cuiuscumq. uiuentis; secunda pars antecedentis probatur; plantæ enim licet non augerentur per nutritionem, homines, & Angeli licet non intelligerent, & mouerentur per motum progressiuum, attamen non essent in statu uiolento, ergo hæ perfectiones non illi debentur pro instanti suæ generationis. Item Deus .s. ex ui propriæ naturę habuerit semper omnes perfectiones, etiam uitales, uolitionis, intellectionis, generationis, &c. attamen ipsi non fuerunt debitæ prout est uiuens, ut sic, sed prout est tale uiuens, infinitum .s. in omni genere perfectionis, quare si intellectio, n.g. diuina concipiatur uirtualiter distincta ab intellectu diuino, poterit dici operatio uitalis, uirtualiter distincta à suo principio, quia non debetur suo principio, nempè intellectui, per modum actus primi, cû in prima sui consideratione, seu in primo signo rationis cócipiatur solus intellect⁹, & nô intellectio.

Prob. secunda pars minor. principalis probationis. quod .s. assignatus conceptus uiuentis conueniat solis uiuentibus. Nam .l. aliquibus inanimatis conueniat operari immanenter aliquam perfectionem, hoc tamen illis conuenit in instanti suæ generationis, ergo esse principium operandi immanenter, & non pro instanti generationis, solis conuenit viuentibus; ant. paret, sic enim lapis, licet producat in se motum in ordine ad centrum, tamen non dicitur uiuens, quia talis motus in ordine ad centrum, est debitus lapidi in instanti suæ generationis. quare non existens in centro, dicitur esse in statu uiolento sic aqua producens in se frigus, & quæ iber alia inanimata forma in se producens naturales passiones, non dicitur uiuens, quia tales passiones illi debentur pro instanti suæ generationis, sic ignis se ipsum augens, non dicitur uiuens, quia augmentum, & pabulum debetur igni pro instanti suæ generationis, alioquin in illo instanti si non haberet pabulum, periret, ergo cum conceptus assignatus conueniat omnibus, & solis uiuentibus, in illo consistere rationem uiuentis, asserendum est. Vbi.

Aduert. ad effugiendas difficultates, quod dixi in concl. *principium per se, &c.* nam hoc principium debet esse ordinatum ex natura sua, & essentialiter ad operandum immanenter. lic. postea per accidens posset etiam operari transeunter, sed ratio vitæ in tali casu non consisteret in operando transeunter, nec talis actio diceretur vitalis, sed solùm in operando immanenter. 4

Aduert. 2. Quòd .l. alicui viuenti etiam in instanti suæ generationis, videatur conuenire aliqua ex his perfectionibus, quas postea in se producit, quat.

quatē. est vi..ens, v.g. homini, Angeloq. intelligere: Brutis sentire, Plantis vegetare, &c. non tamen illis conuenit pro instanti suæ generationis, sed pro tempore futuro; in instanti enim suæ generationis, habet solummodo esse tale ens, & .l. illas perfectiones in se non produceret in illo instanti, non esset in statu violento. Quòd si postea daretur aliquis Angelus, vel homo, cui in illo instanti essentialiter conueniret intellectio, non esset actio vitalis, sed passio ex sua essentia, per simplicem emanationem, sicuti cæterę passiones, emanans. Neq est mirum, posse dari intellectionem non vitalem; nam si, vt aliqui putant probabile, poneret in me Deus intellectionem à Petro, v.g. elicitam, ego dicerer intelligens per intellectionem non vitalem.

Aduert. 3. Conceptum uiuentis in actu secundo, seu vitam in actu secundo, consistere in actuali operatione, & productione perfectionum non debitarum pro instanti, &c. & ex hoc patet quomodo possit definiri actio uitalis, quòd .s. sic. *Actio immanens non debita principio a quo prouenit pro instanti suę generationis*; ex hoc etiam patet, Deum propriè non posse dici uiuens in actu primo, cum hoc importet imperfectionem, sed solommodo in actu secundo; quatenus semper, & pro omnibus instantibus necessariò operationes uitales exercuerit; quare solummodo conceptus uiuentis in actu primo illi conuenit per præcisionem nostri intellectus, quatenus in ipso concipit intellectum, per modum actus primi, & secundi, uitam in actu primo, & secundo; seu potest dici solùm uiuens in actu primo, in potentia Logica, & Metaphysica, non uerò Physica, quatenus ualet dicere, si actu uiuit, ergo est potens uiuere, ut supra dixi.

Aduert. 4. Quòd immanentia requisita ad actiones uitales sufficit, quòd sit essentialis, & per se, actionis, non autem termini eiusdem actionis (in sententia admittentium distinctionem inter huiusmodi actiones vitales finitas, & earum terminum) ita vt .l. terminus productus, non esset essentialiter immanens, tamen si actio essentialiter esset immanens, sufficeret ad hoc, vt esset actio vitalis, & sic, v.g. .l. intellectio producta à Petro sit indifferens, vt ponatur in subiecto extraneo, si tamen producitur actione essentialiter recepta in principio producente, dicitur actio vitalis.

Cognito ergo, quid veniat nomine viuentis, facile erit, animę essentiam intelligere. Sit ergo.

Secunda Conclusio. Anima vt sic, *est actus*
5 *primus corporis physici instrumentalis, seu organici, potentia vitam habentis*. Ita Aristoteles lib. 2. de anima cap. 1. tex. 6. & communiter omnes.

Explicatur Conclus. Dicitur *actus* loco generis, in quo conuenit cum actibus secundis, .s. operationibus accidentalibus. Dicitur *primus*, vt explicetur differentia, .s. illius esse substantiale, actus enim primus non est operatio, sed principium operationis; quare anima, quæ est forma substantialis, dicitur actus primus, quatenus est principium substantialis compositi animati; non dicitur autem actus primus, quatenus tribuat simpliciter esse corpori, cui vnitur, sed quat. tribuit tale esse .s. substãtiale, per ly enim *primus* explicatur solùm illius esse substantiale, quare anima solùm dicitur actus primus eo modo, quo explicauimus in primo physicorum disp. 2. sect. 2. ad octauum .s. non simpliciter, sed taliter actuans materiam corpoream, seu corpus organicum.

Dicitur *corporis Physici*, vt intelligatur secundùm probabiliorem doctrinam, non solam materiam, esse subiectũ animæ, sed materiã priùs informatam alijs formis partialibus, putà corporeitatis, carnis, &c. pro corpore enim physico communiter non intelligitur materia nuda, sed compositum. Additur autem *organici* ad differentiam illorum corporum, quæ organa non habent, corpus enim quod informandum est ab anima, exigit esse organicum, .s. dispositum per organa, seu instrumenta, ratione quorum omnes operationes vitales exercere valeat.

Dicit. tandem *potentia vitam habentis*, vt intelligatur, corpus, quod debet esse subiectum animæ, ita debere esse dispositum per organa, vt ratione illorum sit potens, quod in ipso operationes vitales exerceantur; ly enim *vita* sumitur in actu secundo, .s. vt iam explicauimus pro operationibus vitalibus. Et hic est verus, & adæquatus sensus definitionis animæ traditæ ab Aristot., quæ tamẽ clariùs posset definiri, quod sit *principium informans corpus organicum, illud constituens in potentia proxima ad operationes vitales*. Cũ enim anima sit fons vitæ in animatis, & conceptus viuentis cõsistat in eo, quod sit principium per se productiuum immanẽter perfectionis non debitæ pro instãti generationis .s. vt iam explicatum est, operationum vitalium; ideò anima potest definiri, quòd sit principium informans, &c. quæ definitio solis differt verbis ab Aristotelica, sed clarior apparet.

Vbi Aduert. Quòd forma cadaueris .l. sit forma corporis organici, tamen non est anima, quia per accidens est forma corporis organici, nec illa organa sunt in ordine ad ipsam formam cadaueris, quare ad hoc, vt forma aliqua sit anima, requirit, vt corpus sit organicum ratione illius, .s. vt ea organa, & instrumenta habeat, quæ sunt necessaria, vt suas operationes vitales in illo, anima exerceat.

SECTIO II.

Quot sint species Animæ, vt sic.

CErtum est de fide, vt supra diximus, dari ani- 6
mam rationalem, & cuicumq. homini propriam, nõ verò trasmigrantem, ut uolebant Pythagorici, de uno in alium: modò quærimus utrum pręter animam rationalem, dentur aliæ species animarũ.

Prima Conclusio. Tres dantur species animæ .s. Vegetatiua, Sensitiua, & Rationalis. Ita communiter cum Arist. 2. de anima cap. 2. & D. Th. 1. par. quæ. 18. art. 1.

Prob. Anima est principium intrinsecum operationum

tionum vitalium, ſed triplici modo ſpecificè diuerſo, poſſunt produci operationes vitales, ergo in triplici differentia debet eſſe principium talium operationum, ergo tres ſpecies animæ; min. prob. vel enim ab animatis fiunt operationes vitales per organa, & qualitates corporeas, & materialiter ſenſibiles, quæ dicuntur vegetatiuę operationes, & harum principium eſt anima vegetatiua; vel fiunt per organa, & qualitates aliqualiter incorporeas, & intentionales, vtendo ſpeciebus, quæ vocantur operationes ſenſitiuæ, & harum principium eſt anima ſenſitiua; vel fiunt per qualitates intentionales, ſed non materiales, nec dependenter ab organo corporeo, & dicũtur operationes rationales, & harum principium eſt anima rationalis, ergo triplex eſt ſpecies animarum, prima .ſ. vegetatiua, cõuenit plantis, ſecunda .ſ. ſenſitiua, Brutis; tertia .ſ. rationalis, Hominibus.

Prob. 2. Anima eſt principium productiuum operationum vitalium; vel ergo eſt principium productiuum talium operationum ſine pręuia cognitione, vel præuia cognitione; ſi non præuia cognitione, dicitur anima vegetatiua. ſi præuia cognitione, vel cognitione perfecta, vel imperfecta, ſi imperfecta dicitur ſenſitiua, ſi perfecta, rationalis. ergo tres tantùm ſunt ſpecies animarum.

Ob. primo ex Guarino diſp. prima de anima in
7 communi exp. 3. aſſerente duo ſolummodo dari genera animarum, corporearum .ſ. & incorporearum, & aſſignatam diuiſionem in vegetatiuam, ſẽſitiuam, & rationalem non eſſe bonam; Ob. inquã Si tria genera animatum aſſignarentur, deberet anima ſenſitiua eſſe aliquod medium inter modum operandi ſpiritualem, & materialem, & ideò operari per ſpecies intentionales, vt illa facit, deberet eſſe aliquid quod materialitatem excluderet; ſed ſpecies intentionales materialitatem includũt, vt patet, ergo in hoc, & cum anima ſenſitiua conueniunt, & ab anima rationali contradiſtinguuntur.

Reſp. Animam ſenſitiuam habere modum operandi, non quidem medium inter modum operandi ſpiritualem, & materialem, ſed medium inter modum operandi animæ rationalis, & modum operandi animæ vegetatiuæ, quod ſufficit ad conſtituendum ſpeciale genus, ſeu ſpeciem animæ; quòd autem habeat modum operandi medium, &c. patet, quia anima rationalis operatur mediis ſpeciebus intentionalibus, non materialibus, anima vegetatiua operatur, ſine ſpeciebus, ſed mediis qualitatibus corporeis, & elementaribus, anima verò ſenſitiua operatur mediis ſpeciebus intentionalibus materialibus, ergo habet modum operandi mediũ; Neq. enim valet, vtramq. animam, ſenſitiuam, & vegetatiuam operari mediis qualitatibus corporeis, & materialibus, atq. adeò per hoc ſeorſim peculiare genus animæ non conſtituere; Nam licet verum ſit, vtramq. operari mediis qualitatibus materialibus &c. attamen vegetatiua operatur mediis qualitatibus materialibus elementaribus, putà calore &c. ratione quarum habetur augmentatio, nutritio &c. anima verò ſenſitiua operatur mediis qualitatibus materialibus quidem, ſed non elementaribus, ſeu vt communiter loquuntur corporeis, ſed intentionalibus, inter quas, licet non ſit differentia, vt ipſe ait, quoad materialitatem, eſt tamen propria ſpecifica differẽtia, per quam eſſentialiter differunt, ratione cuius, & animæ mediis illis operantes, eſſentialiter differre debent, atq. adeò diuerſum genus, aut ſpeciem animarum conſtituunt.

Ob. 2. Quatuor ſunt ſpecies animantium; ergo quatuor debent etiam eſſe ſpecies animarum; ant. prob. primò enim datur ſpecies Animatorum ſimpliciter vegetãtium .ſ. habentium ſolas potentias nutritiuam, auctiuam, & generatiuam, vt ſunt arbores, frutices, & plantæ; ſecundò datur ſpecies animatorum ſenſitiuorum imperfectè .ſ. habentiũ præter ſupradictas potentias, etiam potentias ſenſitiuas, ſed non loco motiuam, vt ſunt quędam animantia lapidibus affixa, vt conchilia, oſtreę &c. tertiò datur ſpecies animatorũ habentium, præter aſſignatas potentias, etiam motum progreſsiuum, ut cętera animalia; quartò deniq. datur ſpecies animatorum rationaliũ, ergo quatuor debent eſſe ſpecies animarum; anima .ſ. uegetatiua, ſenſitiua abſq. motu progreſsiuo, ſenſitiua cum motu progreſsiuo, & rationalis.

Reſp. dato etiam quòd eſſet uerum ant. quod inferius uidebimus, neg. conſequentiam; Nam diuiſio animarum aſsignata ſumitur pro accidentalibus, quatenus .ſ. dicunt ordinem ad motum, qui eſt accidentalis, diuiſio autem animæ ſumitur pro eſſentialibus .ſ. pro diuerſis modis eſſentialibus producendi immanenter operationes uitales; quare gradus uiuentis tam ſe mouentis motu progreſsiuo, quam hoc modo ſe non mouentis, ſubordinãtur animæ ſenſitiuæ, cum illorum operationes vitales prouenjant à potentia ſenſitiua.

Ob. 3. Arbores, & plantæ nulla uita uiuunt, ergo non datur anima uegetatiua diſtincta à ſenſitiua. 8

Reſp. neg. ant. Plantæ enim nutriuntur, generant, & creſcunt ad modum animalium, ergo ſi nutritio, generatio &c. ſunt operationes prouenientes ab anima, uegatiuam habebunt animam. Tum quia, areſcunt arbores, non mutata forma corporeitatis, tuncq. nec nutriuntur, nec augentur, ergo ſi tunc non nutriuntur, nec augentur, eſt quia corruptum eſt principium talium operationum, quod eſt anima, ergo prius erant animatæ.

Inſt. Etiam aliqua inanimata augentur, & nutriuntur, vt ignis, ergo tales operationes non ſũt ſigna animę.

Reſp. Nutritionem dupliciter ſumi poſſe, uel propriè per intuſ-ſumptionem alimenti, qua nutritum propria uirtute cibum ad ſe trahit, & diſpenſat omnibus ſui partibus; uel per iuxta-poſitionem alimenti; ſi ſecundo modo ſumitur, hæc etiam cõuenit igni, ſed hæc non eſt propriè nutritio uitalis; ſi primo modo, nullo pacto conuenit igni, neq. alii inanimato, ignis enim non attrahit ad ſe pabulum, quo nutriatur, & diſpenſet cæteris ſui partibus, ſed illud deſtruere, & in alium ignem trãſmutare conatur.

Ob. 4. Potentiæ animæ ſunt quinque, ſed anima

cognoſ-

cognoscitur per potentias, ergo quot sunt potentiæ, tot debent assignari animæ; mai. prob. datur enim potentia vegetatiua, sensitiua, appetitiua, loco motiua, & intellectiua.

Resp. conc. mai. dist. min. anima cognoscitur per potentias, ita vt ad multiplicationem potentiæ, multiplicentur animæ, nego min. ità vt ex potentiis cognoscatur anima illarum principium, & concedo min. Quare licet sint quinque potentiæ, quia tamen in vna anima plures possunt reperiri potentiæ, quando ad actus illarum eodem modo essentiali concurrit anima, una solummodo debet recognosci, non plures.

Ob. 5. Anima rationalis non distinguitur realiter à sensitiua, & negetatiua, nec sensitiua à vegetatiua, ergo mala est dinisio assignata; consequentia prob. quia diuisio debet esse inter ea, quæ realiter distinguuntur.

Resp. neg. conseq. Nam licet uerum esset, quod postea inquiremus, in eodem animato non multiplicari, nec distingui animas; distinguũtur tamen in diuersis, quia s. aliqua reperiuntur animata, animam solùm uegetatiuam habentia, distinctam à sensitiua, vt arbores, & plantæ, alia habentia sensitiuam distinctam à rationali, ut Bruta, ergo benè datur dinisio animarum in sua genera.

Aduert. Quòd assignata diuisio animæ est generis in suas species, licet enim membra assignata
9 inter se propriè non opponantur, sed aliquo pacto subordinẽtur, cum in rationali includatur sensitiua, in sensitina vegetatiua, attamen, diuisio est in ipsas, non vt inuicem subordinantur, & vt superior includit inferiorem, sed pro vt inuicem excluduntur respectu diuersorum subiectorum, in quibus distinctè reperiuntur, cum enim omnes conueniãt in ratione generica, quod sint actus corporis organici &c. differant verò per diuersum essentialem modum operandi, ideò in ipsis optimè saluatur conceptus specificus, & omnes contrahuntur sub genere animæ, vt sic.

Coll. ex dictis. Tot debere assignari species viuẽtium, seu animatorum, quot sunt assignatę species animæ. Deducitur ex Arist. 2. de anima tex. 31. vbi postquam diuisit animam in tres species assignatas, iuxta illas dessignat tres species viuentium. Plantam .s. Brutum, & Hominem; suadet etiam ratio quia omne viuens per propriam animam constituitur viuens, ergo quot sunt species animarum, tot & debent esse species viuentium. Neq. audiendi sunt qui quatuor species animãtium constituunt, vegetatiuorum nempe, sensitiuorum se mouentiũ motu progressiuo, sensitiuorũ tali motu non se mouentium, & rationalium; Nam vna solùm debet dici species sensitiuorum; Tum quia virtus motiua localis, ut potè accidentalis, non est sufficiens denominare, & constituere diuersam speciem animatorum. Tum qnia omnia uiuentia prędita anima sensitiua, motum aliquem localem habent, cum illi sit necessarius, ad .s. se uniendum bono sensibili, si sit conueniens, uel ab illo recedendum, si sit inconueniens, licet tamen aliqua, perfecta organa habentia, & perfectum motum habeant, aliquæ uerò imperfecta organa habentia, & imperfectum motum habeant, solius .s. restrictionis, uel dilatationis, ut sunt conchilia, & ostreæ; Denique quia, si ex diuersis gradibus operationum animæ sensitiuæ, multiplicandę essent species viuentium, non quatuor, sed plures essent assignandæ, aliqua enim sẽsitiua viuentia sunt quæ habent sensus internos, alia quæ non habent; alia quæ habent omnes quinq. sensus internos, alia quæ non habent; quare &c.

SECTIO III.

Quot animę reperiantur in quocumq. viuente.

CVm operationes negetatiuæ reperiantur etiã in uiuentibus sensitiuis, vegetatiuæ uerò, & sensitiuæ in rationalibus; quærimus hìc, an hoc proueniat quia plures animæ reperiantur, uel quia una possit exercere operationes alterius. Plato enim existimauit tres animas reperiri in homine realiter distinctas, uegetatiuam .s. quam in hepate, sensitiuam, quam in corde, & rationalem, quam in cerebro residere dicebat. Philopponus etiam lib. 1. de Anima cap. vl. tres itidem animas in homine admittebat, vnitas tamen, & simul in toto corpore & in omnibus partibus eiusdem; inquirendum est igitur, quid in hoc sit dicendum. Quare sit.

Prima Conclusio In quocumq. viuente vna sola anima reperitur, continens formaliter gradus superioris vitæ, ita vt rationalis formaliter contineat gradum sensitiui, & vegetatiui, sensitiua verò gradum vegetatiui. Ita quoad primam partem cum Aris. 2. de anima tex. 91. D. Thomas, Scotus, & ferè communiter omnes; quoad verò secundam partem est etiam communior cum Suarez, disp. 15. sec. 8. Ruuio tract. de pluralitate animarum quæ. 2. Hurtado disp. 1. de anima sect. 4. § 18. Tellez par. 4. in lib. de anima disp. 78. sec. 3. Morando in 2. de anima trac. 1. quæ. 12. Serbellono disp. 2. de anima quæ. 2. art. 3. Pontio disp. 2. de anima quæ. 7. Arriaga, Comprono, Complutensibus Mastrio, & ferè recentioribus omnibus.

Prob. prima pars. Si plures essent animæ in viuentibus, discedente anima rationali in homine, & corrupta sensitiua in animali, adhùc homo, & Brutum possent viuere, siquidem vegetatiua in Bruto, sensitiua, & vegetatiua, in homine remanerent, sed hoc est contra experientiam, ergo vnam solam animam reperiri in quolibet viuente asserendum est; maior prob. cum enim anima vegetatiua requirat dispositiones inperfectiores, quàm sensitiua, sensitiua verò imperfectiores, quam rationalis, ideò discedente rationali, vel corrupta sensitiua, cum possent remanere dispositiones necessariæ ad cæteras animas imperfectiores, si distinguerẽtur, possent remanere, & sic viuere dicerentur homo, & animal, licet separata anima rationali, aut corrupta sensitiua.

Prob. 2. ex Auicena. Quantò magis anima intendit

dit alicui operationi, v.g. speculationi, tantò magis deficit in aliis, v.g. nutritionis, ergo vna sola est anima, consequentia prob. si enim plures essent animæ, vna non impediretur à sua operatione per vehementem applicationem alterius suæ operationi.

Prob. 3. Si plures essent animæ in viuentibus, sequeretur in animali esse simul substantiam plantæ, in homine, substantiam Bruti, & substantiã plãtæ; sed hoc videtur ridiculum, ergo &c. Sequela prob. si enim esset in animali anima vegetatiua, & in homine vegatatiua, & sensitiua, vt formæ substantiales distinctæ à propria, & principali forma, ergo &c.

Prob. 4. In tantùm plures animæ in homine essent necessariæ, in quantùm operationes materiales vegetandi, & sentiendi non possent fieri à substantia spirituali, sed à substantia spirituali possunt produci operationes materiales, ergo non sunt per hoc in homine multiplicandæ animæ, minor prob. Angelus enim spiritualis potest producere motum corporeum, ergo etiam anima rationalis, poterit

11 operationes vegetatiuas, & sensitiuas exercere.

Prob. 5. In Christo non fuerunt plures animæ, ergo neq. in aliis viuentibus; consequentia patet ex eo quia etiam in Christo fuerunt diuersi gradus essentiales vitæ, sicut & in ceteris; antecedens prob. quia in morte Christi, uel remanserunt cum corpores anima uegetatiua, & sensitiua, uel fuerunt corruptæ, uel fuerunt conseruatæ separatæ; primum non potest dici, quia alioquin fuisset nimium post separationem animæ rationalis; neq. etiam secundum affirmari potest, quod enim semel assumpsit, numquam dimisit, quod precipuè uerificatur de partibus substantialibus; Neq. demq. potest dici fuisse conseruatas separatas, nunquam enim ab aliquo dictum fuit, in morte Christi plures animas fuisse separatas, ergo cum in Christo unam solam animam fuisse certum sit, & tamen exercuisse operationes sensitiuas, & uegetatiuas, de cæteris etiam uiuentibus hoc est asserendum.

Prob. secunda pars. Homo per animam rationalem non minùs ratiocinatur, ac sentiat, & nutriatur, ergo si anima formaliter dicitur rationalis, formaliter etiam dici debet sensitiua, & uegetatiua, ergo anima perfectior formaliter continet gradus animæ imperfectioris.

Prob. 2. Gradus superioris continentur formaliter in indiuiduo, u. g. in Petro continetur formaliter gradus animalis, uiuentis &c. sed anima uegetatiua respectu sensitiuæ, & utraq. respectu rationalis se habent tamquam gradus superiores respectu inferioris, ergo continētur formaliter uegetatiua in sensitiua, & utraq. in rationali.

Prob. 3. Ea quæ sunt in plantis ratione uegetationis, sunt etiam, licet perfectiori modo, in Brutis, ea quæ sunt in Brutis quoad sentire, suot in homine, sed in plantis gradus vegetandi est formaliter, in Brutis gradus sentiendi, ergo formaliter etiam in quocumq. reperitur.

Ob. contra primam partem; Anima rationalis est spiritualis, ergo non potest continere gradus vegetandi, & sentiendi, qui sunt materiales, ergo cum tales gradus in homine reperiantur, tot erunt in ipso animæ distinctæ, quæ sint principia uegetandi, & sentiendi &; Confirmatur, quia anima spiritualis est incorruptibilis, cæteræ verò corruptibiles.

Resp. animam sensitiuam, & uegetatiuam secundùm suam rationem abstrahere à materiali, & spirituali, à corruptibili, & incorruptibili, secundùm enim suam rationem dicitur solùmodo esse principium talium operationum uitalium; quare gradus uegetandi, & sentiendi, respectu entitatis in qua reperiuntur, sunt materiales, aut spirituales, & ideò anima hominis, & quà rationalis, & quà uegetatiua, & quà sensitiua est spiritualis, & incorruptibilis.

Ob. 2. In homine sunt contrariæ operationes, caro enim concupiscit aduersus spiritum, ergo & diuersæ animæ.

Resp. Animam secundùm diuersas potentias, varias operationes elicere, sicuti etiam per animã sensitiuã habētur visio, auditio, &c. quæ sunt diuersæ operationes.

Ob. 3. Embryo prius informatur anima vegetatiua, deinde sensitiua, deniq. rationali, ergo diuersæ sunt animæ in homine; antecedens prob. ex Arist. dicente, fœtum prius viuere vita plantæ, postea animalis, ac tandem hominis.

Resp. neg. ant. primò enim informatur anima rationali, quæ tamen primò producit operationes vegetatiuas, deinde sensitiuas, deniq. rationales, quia primo habet proportionata organa ad solas operationes vegetatiuas producendas, deinde ad solas sensitiuas, deniq. ad rationales; hoc autem voluit Aristoteles

Ob. contra secundam partem Con. Anima rationalis non potest dici formaliter sensitiua, ergo neq. 12
valet affirmari, continere formaliter gradum sensitiuum.

Resp. dist. ant. Non potest dici absolutè, & solùm, concedo ant. non potest dici sensitiua, & rationalis, & nego ant. simul cum consequentia, sicut enim homo licet contineat formaliter gradum viuentis, non potest tamen dici esse solùm formaliter gradus viuentis, sic neq. anima hominis potest dici esse solùm formaliter sensitiua, sed etiam rationalis.

Ob. 4. ex Arist. secundò de anima tex. 31. habetur, quod gradus animæ inferior contineatur superiorem, sicuti quadrangulus continet triangulum, sed quadrangulus solùm continet triangulum in potentia, non formaliter, ergo hoc modo philosophandum est de anima.

Resp. duplicem esse modum continendi aliquid formaliter; primus est formaliter tantùm, quando s. unum est omninò eiusdem rationis, & ordinis, ac est aliud, sicuti est calor continens formaliter alium calorem; secundus est quando, licet sit eiusdem rationis, & ordinis, tamen est eminentiori modo, continentia enim formalis potest etiam stare cum continentia eminentiali; hoc ergo supposito, dico, & respodeo, gradum vegetandi in Brutis, vegetandi verò, & sentiendi in homine contineri formaliter eminentialiter, non autem solùm eminentialiter, vt volunt aduersarii, & ideo dixit Arist.

Arist. contineri vnum in alio sicuti triangulum in quadrangulo in virtute, & potentia .s. eminentialiter, quod nos non negamus, volentes tamen etiam formaliter contineri, quod licet non verificetur in triangulo respectu quadranguli, non obstat, cum similitudo non stet in omnibus, & ibi solùm Philosophus voluerit explicare continentiã eminentialem, non excludendo tamen formalem.

13 Ob. 5. Vna species con includitur formaliter in alia, nec de alia prædicatur, sed animæ, Vegetatiua, Sensitiua, & Rationalis constituunt diuersas species, ergo vna non potest includi formaliter in alia, nec de illa prędicari; minor patet in homine, qui nec formaliter includitur in Leone, nec de illo prædicatur.

Resp. dupliciter sumi posse animam vegetatiuã, & sensitiuam, vel generaliter pro omni anima exercente operationes vegetatiuas, & sensitiuas, vel specialiter, pro anima exercente operationes solas vegetatiuas, non alias, & pro exercente operationes vegetatiuas, & sensitiuas, non alias; si sumitur primo modo anima vegetatiua, non diuiditur in plures species distinctas, sed potiùs in plures gradus subordinatos vitæ, qui participantur ab aliis animabus, & sic se habet vt genus respectu animæ sensitiuæ, & rationalis, vtraq. enim conuenit in vegetatione; sensitiua verò se habet vt genus respectu rationalis, ambæ enim sunt sensitiuæ, & ex hac ratione talesgradus superiores dicimus participari formalitet ab illis animabus; si verò sumatur secundo modo, tùnc quælibet anima constituit speciem distinctam ab alia, nec vna prædicatur de alia, anima enim quæ est sensitiua, & vegetatiua, non prędicatur de illa, quæ est solùm vegetatiua, nec rationalis prædicatur, nec includit illam quæ est simpliciter sensitiua, & vegetatiua.

Ex qua distinctione patet, quòd anima vegetatiua in prima acceptione, .s. vt genus, cui subordinantur diuersi gradus vitæ contrahibiles à diuersis animabus, dicitur constituere corpus viuens, seu vegetans, sensitiua animal, siue viuens sensitiuum in communi, rationalis verò, hominem, & omnes hi gradus sunt ad inuicem subordinati; secundo verò modo, anima vegetatiua dicitur constituere solas plantas, sensitiua Bruta, rationalis verò, homines, & hæ vltimæ sunt species viuentium contradistinctæ, & per contradistinctam animam constitutæ, quæ inuicem non includuntur, nec vna prædicatur de alia, homo enim u. g. non dicitur habere eam animam uegetatiuam, quam habent plantæ, nec sensitiuam, quam Bruta, & sic clarè patet quomodo una anima inferior formaliter includat superiorem .s. includit formaliter illũ gradum essẽtialem uitæ, qui reperitur in superiori.

SECTIO IV.

De Animarum Diuisibilitate.

NVlli dubium est, animam purè uegetatiuam esse diuisibilem, & extensam per omnes partes, uidemus enim ramos præcisos ab aliqua arbore diù conseruari uiuentes, & etiam aliquando reflorescere, signum euidens, in ipsis remanere partem animæ, quæ reperiebatur in tota arbore. Itẽ de quibusdam animabus sensitiuis quorumdam animãtium imperfectorum, putà lacertarum, ferè communiter conceditur, esse diuisibiles, videmus enim horum animalium partes separatas per aliquod tempus moueri, & percussas sentire, signum euidens, in illis partibus partem animę sensitiuæ reperiri. Quare tota difficultas versatur circa animas cæterorum animalium perfectiorum, putà Leonis, Equi &c. & circa animã rationalẽ. Pro quo.

Supp. est primò. Nos non loqui de diuisione in partes entitatiuas graduales, quales habet 14
qualitas intensa, ne dum materialis, sed etiam secundũ nostram doctrinam spiritualis, (verè enim intenduntur habitus supernaturales, sicuti cęteræ qualitatesper additionem gradus ad gradum) cũ enim anima non sit qualitas, sed substantia, & substantia ex dictis non suscipiat magis, & minus, ideò non est locus quæstioni; solùm ergo loquimur de diuisione in partes integrales entitatiuas extensas, quales habet materia, sensusq. quæstionis est, an anima perfectorum Brutorum, & hominum talis sit, vt plures habeat partes extensas per quæcumq. mẽbra corporis, integrantes vnam totalem animã.

Supp. 2. Differre materiale ab immateriali, & corpus à spiritu, ex eo quia materiale habet partiũ integralium extensionem, non verò immateriale, cum enim omne materiale, vel sit, vel dicat ordinem ad materim, & materia sit quanta, ideò omne materiale, secundùm se dicit diuisibilitatem extensiuam partium integralium, & licet punctum materiale, indiuisibile, & inextensum sit, quia tamen dicit ordinem ad quantitatem, & materiam, & est aliquid corporis, ideò materiale est. E contra verò spirituale, licet possit habere diuisibilitatem intensiuam, vt accidentia spiritualia, tamen nullam poterit habere diuisibilitatem extensiuam, cum hæc sit propria quantitatis, & quodlibet spirituale abstrahat ab omni materiali. Hoc supp. sit.

Prima Con. Anima rationalis est indiuisibilis, cæteræ verò omnes diuisibiles. Ita Arist. 2. de anima text. 21. Scotus in 4. dist. 1. quæ. 5, num. 8. & dis. 44. quæ. 1. & omnes Scotistæ, quos sequũtur Suarez, Anersa, Ruuius Toletus, Arriaga, Mastius, Hurtadus, Ouiedo, Pontius, Spinula, Tellez, Serbellonus, Morandus, & ferè omnes recentiores, contra Thomistas, asserentes, ne dùm animam rationalem, sed etiam animas perfectorum animalium esse indiuisibiles.

Prob. prima pars. Anima rationalis est spirituali, sed ex supposito præcedenti, omne spirituale est indiuisibile, nec habet partiũ extensionem, ergo anima rationalis est indiuisibilis, min. & conseq. patẽt; prob. ma. & primò quidẽ cõstat ex fide; deinde suadetur ratione, quia operari sequitur ad esse, & modus operãdi est signũ modi essẽdi, sed anima rationalis multas operationes spirituales habet, ergo & modũ essẽdi spiritualẽ habet, seu est spiritualis, hæc min. prob. intelligit enim, & vult res abstractas à materia, complacet in rebus, quarum sẽsus nõ sũt capaces, discurrit, reflectit supra suos actus, & similes operationes, quæ in cæteris animalibus non reperiuntur, producit, ergo quia spiritualis est.

Prob. 2. Anima rationalis potest elicere operationem indiuisibilem, qualis est intellectio, & volitio, sed operatio indiuisibilis potest solùm produci à causa indiuisibili, ergo anima rationalis est indiuisibilis. Potest etiam probari hæc conclusio, ex principijs fidei sed sufficiant Philosopho naturali, rationes naturales.

Neq. dicas, partes hominis abscissas per aliquod
15 tempus moueri, vt patet in his, quibus amputatur caput, quod .s. abscissum aliquos efficit saltus, & uoces profert, ergo si ex motu partium dissectarũ lacertæ, v.g. arguitur diuisibilitas animæ, arguendam etiam esse in anima rationali.

Res. enim. Talem motum non esse vitalem, vt. potè non ab anima productum, sed ab agente extrinseco, à spiritibus .s. vitalibus; cum enim homo tempore abscissionis capitis maximè angatur, & maiori, qua potest vi, spiritus vitales emittat ad succurrẽdum læsioni, ideò illi spiritus magna vi impellunt sanguinem nutrimentalem puriorem, talisq. sanguis, ita motus, & in capite abscisso perseuerans, in illo talem motum causat, qui citò deficit, ex eo quia non est ab intrinseco principio.

Neq. dicas 2. Animam recipi in materiam extensam, & diuisibilem, ergo etiam ipsam esse diuisibilem, ex eo quia quidquid recipitur ad modum recipientis recipitur.

Res. neg. consequent. Nam vt anima possit informare materiam diuisibilem, sufficit quod sit virtualiter diuisibilis, quod quidem certum est, & per hoc diuersificatur à puncto indiuisibili, quod etiam radicaliter, & virtualiter est omninò indiuisibile, & hoc pacto intelligendum est illud commune dictum, quidquid recipitur, &c. Nam si ex hoc capite, anima deberet esse diuisibilis, deberet etiam esse corporea, quia in subiecto corporeo recipitur, quod nemo dicet

Prob. sec. pars. Anima etiam perfectorum animalium est materialis, & corporea; sed materiale, & corporeum per hoc contradistinguitur à spiritu, quia est diuisibile, & habet partes integrales extensas, quas non habet spiritus, ergo anima quæcumq., præter rationalem, etiam perfectorum animalium est diuisibilis; mai. conc. ab omnibus min. iam probata est, & quidem enumeratione patet, omnes enim res materiales de facto existentes sunt extensæ, & diuisibiles; ergo cum etiam animæ Brutorum sint materiales, prerogatiua indiuisibilitatis, supra alias res materiales, non est illis attribuenda, cum hoc faciendi nulla sit necessitas, vt patebit ex solutione argumentorum.

Prob. 2. Omnis anima, præter rationalem, dependet à materia, & quoad produci, & quoad esse, & quoad operari, nec potest existere absq. materia, nec vllam operationem producere separata à materia, ergo signum est, esse eiusdem rationis, ac materia, & aliæ formæ materiales dependentes à materia, sed materia, & formæ materiales sunt ex sua natura extensæ, & diuisibiles, ergo & ipsa erit talis.

16 Ob. 1. Partes perfectorum animalium non conseruantur viuæ separatæ, sicuti conseruantur partes animalium imperfectorum, sed hoc prouenit ex indiuisibilitate animæ, quæ nequit stare in pluribus partibus, ergo dicendum animas Brutorum esse indiuisibiles.

Resp. neg. min. Ideò enim partes animalium perfectorum non viuunt separatæ, quia quò perfectior est anima, eò perfectiores dispositiones, & organa exigit ad sui conseruationem; Quare cum animæ perfectorum animalium sint perfectiores, quàm cæteræ animæ, ideò nequeunt conseruari nisi cum suis dispositionibus, & organis, quorum aliquo destructo, etiam ipsæ corrumpuntur, quod sic nõ euenit in animalibus imperfectioribus, quorum animę cum sint imperfectiores, ideò minùs exigunt de organizatione completa corporis.

Ob. 2. Si Equus percutiatur in aliqua parte, mouetur statim etiam in alia, ergo ex eo quia anima, quę est in illa parte, reperitur etiam in alia, ergo quia anima indiuisibilis.

Res. Talem motum prouenire ex sympathia, quã inter se habent omnes partes animæ, ratione cuius quando vna pars sentit, seu patitur, sentit, & patitur alia.

Ob. 3. Abscisso pede, v.g. ab Equo, non moritur, sed in tali casu neq. deperdit partem animæ, ergo anima illius est indiuisibilis.

Resp. Quòd .s. non moriatur Equus, deperdit tamen partem animę, illam .s. quę informabat pedem abscissum; non moritur autem, quia pes non est pars tam principalis in ordine ad totum, quare cum cętera organa necessaria ad vitam conseruentur, conseruatur itidem uiuens pręcipuaq. parte animę informatum.

Ob. 4. Anima est actus corporis organici, sed quælibet pars animalis non est organum, ergo illa pars animę, quę non informaret organum, non esset actus corporis organici, ergo non est dicendum animam sensitiuã habere partes, sed esse indiuisibilem, atq. adeò ratione talis indiuisibilitatis, dici actum corporis organici, .s. etiam partes informet, quę organa non sunt. 17

Res. Animam totam esse actum corporis organici, non verò partem animæ; quare nihil concludit argumentum.

Quęr. An partes animę diuisibilis, sint homogeneę, vel etherogeneę.

Res. Ex communiori sententia esse homogeneas. Ratio autem est, quia nulla est necessitas illas etherogeneas admittendi, ergo; prob. antecedens; in tantùm enim admittendę essent etherogeneę, in quantùm deberent informare partes etherogeneas oculum .s. aurem, pedem, &c. sed anima rationalis .s. indiuisibilis, & eadem, potest tales etherogeneas partes informare, ergo hoc poterit etiam pręstare quęcumq. alia anima .s. homogenea in partibus. Videantur Spin. in lib. de anima, disp. 2. sect. 4. controu. 1. Mastr. disput. 1. de anima quæst. 6. Serbellonus dis. 1. de anima quę. 2. artic. 4. & alii.

Quęr. 2. Quomodo anima rationalis indiuisibilis informet omnes partes corporis diuisibilis.

Resp. Animam rationalem, vt potè totam in toto, & totam in qualibet parte corporis, informare totam totum, & totam quamlibet partem corporis; licet enim formaliter sit indiuisibilis, tamen

tur-

virtualiter est diuisibilis; sicuti est Angelus, qui potest esse in loco diuisibili per sui virtualem diffusionem; quare in qualibet parte corporis est tota anima; neq. tamen exercet operationes sensitiuas, nisi in illis partibus, quæ habent organa proportionata talibus operationibus, cum ad tales operationes, etiam ipsa organa concurrant; neq. tamen dicitur intelligere, & velle in omnibus partibus, quia tales actiones sunt totius hominis. Quare non dicitur, manum, aut pedem intelligere, sed hominem intelligere; Quomodo autem anima possit esse tota in toto, & tota in qualibet parte corporis, videantur quæ diximus in physicis, cum de Loco.

SECTIO V.

Quænam partes corporis informentur ab anima.

VT intelligatur quæstio, dignoscendæ sunt primò partes corporis, quæ cùm in animali diuersæ sint, ideò illas prius exponere breuiter, etiã curiositatis gratia, coogruum existimaui.

18 Partes ergo Animalis aliæ sunt similares, & homogeneæ, quæ. s. habent aliquam rationem cõmunem cum suis particulis, vt caro, os, nerui, sanguis &c., aliæ verò etherogeneæ, quæ ex homogeneis constituuntur, vt caput, brachium, pes &c. partes autem homogeneæ aliæ sunt solidæ, vt caro, nerui, suntq. de integritate viuentis, aliæ fluidæ, vt quatuor humores, pituita. s. vtraq. bilis, & sanguis, quibus addũtur lac, & semen. Ex his autem omnibus partibus, aliæ per se pertinent ad constitutionem corporis, & sunt quæ inseruiunt organis, aliæ sunt excrementitiæ, quæ ex partibus inutilibus alimenti gignuntur, quæ vt inutiles expelluntur à corpore; huiusmodi autem aliæ sunt purè excrementitiæ, vt fæces, saliua, & huiusmodi, aliæ verò excrementitiæ innatæ, quæ naturaliter ab ipso promanant corpore, & illius ornamento inseruiunt, ut sunt pili, ungues, pennæ, squamæ, &c.

Partium autem solidarum, tria præcipuè sunt membra, Iecur. s. Cor, & Cerebrum, cum enim corpus omne animalis in tres partes primò diuidatur, in uentrem, in thoracem, & caput, & Iecur in uentre, Cor in pectore, Cerebrum in capite resideant, ideò hæc membra principalia sunt.

Iecur ergo, seu hepar est membrum, in quo producitur totus sanguis, qui per corpus diffunditur, est autem in suprema uentris parte stomaco incumbens, quem suo calore fouet; nullius autem est figuræ; in quibusdam animalibus est vnicum, in quibusdam uerò, in diuersas partes discissum; illius substantia est spongiosa, & ueluti sanguis coagulatus, est mediocriter mollis, & colore rubro, ut est sanguis.

Cor aliud membrum principale animalis, constat ex quadam carne dura, quasi media inter carnem, & neruum, figuram habet pyramidalem, cuius basis secundùm Arist. 3. de partibus animalium cap. 4. occupat medium thoracis, cuspis uerò in anteriora, & sinistra declinat; secundùm uerò Galen. 6. de usu partium cap. 7. totum cor. secundùm omnem dimensionem, & æquilibrium est in medio thoracis; In ipso, ubi est fons præcipuus, & maximus caloris naturalis, residet uis uitalis; duos sinus, seu uentriculos in se habet, in quorum dexterum, dùm continuò motu cordis dilatatur, ab hepate, per ramum uenæ cauæ, ingreditur sanguis, atq. ibi efferuescendo, illius partes subtiliores, & spiritosiores in sinistrum uetriculum guttatim dilabuntur, per quamdam membranam inter utrũq. uentriculum interpositam, ibiq. perficiuntur, & in spiritus uitales attenuantur, hoc est in tenuissimũ, & spiritosissimum sanguinem; spiritus enim uitales, & animales, nihil aliud sunt, nisi tenuissimus, & purissimus sanguis deriuans à corde, & cerebro; deriuans à corde, utpotè à principio uitæ, dicitur spiritus uitalis, deriuans uerò à cerebro, utpotè à principio sensationis, dicitur spiritus animalis, & sensitiuus. Hi ergo spiritus uitales in ipso corde generati, per arterias à corde originem ducentes, expelluntur, per totumq. corpus ad uitam tuendam diffunduntur; præcipuèque ad cerebrum, à quo frigiditate natiua infrigidati, & humectati, in spiritus animales, & sensitiuos conuertuntur, ex ipsoq. per meatus ad id destinatos transmittuntur ad organa, ad sensationes eliciendas.

Cerebrum demiq. residens in capite, est corpus album, & molle, magis tamen in parte anteriori capitis, quàm in posteriori, quæ cerebellum appellatur, à duabus membranis tegitur *meninges* appellatis: Quatuor ventriculi, seu sinus, veluti anfractus reperiuntur in tota cerebri substantia, seu medulla; primi duo sunt in anteriori illius parte, dextera, & sinistra, longo ductu, sed obliquo à fronte retrorsum tendentes, suntq. pleni candidissimo, & aqueo humore. Hi duo sinus terminantur veluti ad cauitatem quamdam deorsum in cerebri medio, quæ tertium constituit sinum; quartus sinus reperitur in cerebello, estq. omnium angustissimus; in his cauitatibus, ventriculis, seu anfractibus, generantur spiritus animales ex spiritibus vitalibus, qui ex corde ad cerebrum ascendunt, per neruosq. ab ipso originem ducentes, adq. organa totius corporis descendentes, ad illa transmittuntur ad sẽsationes, operationesq. animales exercẽdas. His notatis.

Supp. est Partes solidas viuentis esse animatas, & de hoc nulli dubium est, Item partes purè excrementitias nulla anima esse præditas; quare solùm dubitatur de partibus, quæ non sunt purè excremẽtitiæ, vt capilli, vngues, &c. & etiam de humoribus, præcipuè de sanguine. 19

Supp. est 2. Aliquid posse dupliciter augeri, & per iuxta-positionem, & per intus-sumptionem, primo modo aliquid augetur, cum illi additur, seu iuxta illud ponitur aliquid, vt quando igni additur ignis, secundo verò modo, quando aliquid per propriam potentiam intus se recipit aliquid, ratione cuius, quælibet illius pars augetur, & hoc secundo modo viuentia per nutritionem dicuntur augeri, his suppositis. Sit.

Pr. Con. Sanguis non est animatus; Ita ferè communiter omnes cum D. Tho. pr. par. qu. 119. ar. 1. ad tertium Scot. in 4. distinct. 10. quest. 4. nu. 3. Suarez. 2. de anima cap. 5. num. 6. Durandus quæst. 2. ad se-

secundum, Paludan. quæ. 1. art. 2, num. 28 Capreolus quæ. 2. art. 3. Serbellon. disp. 3. de anima quæ. 1. art. 4. Pontius disp. 1. de anima quæst. 10. Tellez disp. 78. de anima sect. 7. Mastrius disp. 1 de anima quæst. 9. art. 2. Auersa quæ. 45. de corporibus animatis sect. 4. Murandus in 2. de anima Tra. 1. quæ. 7. & alii contra Hurtadum, Ouiedo, Arriagam, Spinulam, & alios paucos.

Prob. 1. Sanguis est vltimũ alimentum corporis, vt docet Arist. 2. de partibus animalium cap. 3. & alibi. sed alimentum non est animatum, ergo sanguis non est animatus, maior conceditur ab omnibus, ex sanguine enim diffuso per venas, omnes partes corporis nutriuntur: min. prob. quia alimentum debet esse diuersæ substantiæ ab alito, si enim esset eiusdem substantiæ, non esset cur illud in se alitum conuerteret, ergo si alitum est substantia animata, alimentum, non debet esse animatum.

Neq dicas ex Hurtado; posse vnam partem viuentis alteram alere, propter diuersa partium temperamenta, atq. adeo ex sanguine licet animato, posse nutriri cæteras partes.

Resp. enim neg. antec. nam hoc pacto viuens se ipsum destrueret, cum enim quælibet pars corporis habeat proprias formas partiales, ossis, carnis &c. vt dicebamus in physicis, si vna pars viuentis v. g. caro posset aliam partem viuentem, putâ sanguinem, in se conuertere, deberet destruere partem animæ (si anima est diuisibilis) informantem sanguinem, si verò est indiuisibilis, faceret vt cessaret vnio animæ indiuisibilis cum sanguine. si quidem destructa forma partiali sanguinis, & destrui, aut cessare deberet informatio principalis formæ, at hoc pacto viuens destrueret se ipsum, quod implicat, omne enim appetit esse, & viuere ergo &c. Tùm quia, uiuens per propriam uirtutem conuertit sanguinem in lac, & semen, quæ ex ipsorũ sententia sunt inanimata, ergo hoc pacto destrueret se ipsũ si quidem conuerteret partem animatam in aliam non animatam.

20 Neq. dicas ex Complutensibus, duplicem dari sanguinem in uiuentibus, imperfectum, & nutrimentalem, & perfectum magis decoctum, & purificatum, quem naturalem appellant, qui nutritioni non deseruit; primum autem non esse animatum, bene verò secundum.

Resp. enim, uanum esse hoc effugium, non enim apparet hæc distinctio sanguinis in corpore animalis; cum omnis sanguis producatur in iecore, & ex ipso diffuodatur per uenas, in quibus tanquã aqua in uase reperitur. ex quo toto, partes animalis nutritionem sumunt.

Prob 2. Sanguis non augetur per nutritionem, sed per iuxta-positionem, ergo non est animatus, antecedẽs patet, quia ipse non desumit alimentum, sed augetur quia de nouo reproducitur; consequẽtia clara est. quia quæ sunt animata, ab intrinseco, & per intus-sumptionem augentur.

Neq. dicas ex Arriaga, hoc gratia dici, nec probari posse augmentum sanguinis fieri per iuxta-positionem, non uerò per intus sumptionem.

Resp. enim, hoc optimè patere ex anatomica arte; habetur enim totum sanguinem generari, in iecore, & per uenas in totum corpus diffundi; quod est augeri per iuxta-positionem.

Prob. 3. Ab anima informantur solæ partes continuæ, sed sanguis non est pars continua, non enim continuatur cũ ceteris partibus corporis, ut probat Arist. 2. de partibus animalium cap. 3. ergo sanguis non informatur ab anima; minor patet, quia est solùm contiguus, non continuus, fluit enim per partes corporis, sicuti fluit aqua per terrã. cui dicitur contigua, non continua: maior prob. quia cũ omnis anima (excepta rationali) sit continua in suis partibus, nequit informare partes non continuas. Tum quia, una forma informat quod est simpliciter unum, quod autem non est continuum non est simpliciter unum, ergo ab una sola forma, & anima nequit informari,

Conf. argumento Theologico; sanguis non uenit formaliter in consecratione sub speciebus hostiæ ex ui uerborum, sed solùm concomitanter, ut definitum fuit in Con. Trid. sess. 13. cap. 3. ergo non est pars integralis corporis, quod formaliter uenit ex ui uerborum, ergo ut pote non pars integralis corporis, non est animatus.

Ob. primò. Sanguis mouetur per omnes partes corporis, ergo est animatus. 21

Resp. moueri, sed ab extrinseco .s. à uirtute impulsiua, & attractiua, sicuti etiam mouentur cæteri humores non animati.

Ob. 2. Verbum Diuinum assumpsit sanguinem, ergo est animatus.

Resp. Verbum assumpsisse sanguinem ratione connexionis, quam habet cum corpore, ut pars transiens, seu ut alimentum; deinde assumpsit etiam omnia alia, quæ spectant ad perfectionem corporis, licet inanimata.

Ob. 3. Ex Leuitico 17. habetur, quod anima sit in sanguine, ergo sanguis est animatus.

Resp. dictum Leuitici intelligendum esse de vita conseruatiuè non autem formaliter, quatenus ratione sanguinis vita conseruatur, cum enim partes solidæ animalis nequeant conseruari, nisi per continuum alimentum illi præstitum, cum tale alimentum sit sanguis, ideo in ipso dicitur esse vita conseruatiuè, non autem formaliter, quatenus ipse sit formaliter, forma animæ, seu forma vitali ĩformatus.

Ob. 4. Effuso sanguine moritur animal, ergo quia sanguis est animatus.

Resp. quod, licet sanguis non sit pars integralis corporis, est tamen pars necessaria ad tuendam vitam, vt potè quia est alimentum vltimum corporis; ergo ipso deficiente, deficit & vita, cum enim animal egeat continuo nutrimento, ideò deficiente sanguine illius vit. nutrimento, moritur.

Ob. 5. ex Arriaga, & Hurtado, licet sanguis non continuetur cum omnibus partibus, tamen cum iecore, a quo fluit, continuatur, ergo dicendum est esse animatum.

Resp. neque continuari cum iecore, sanguis enim ex Arist. 2. de partibus animalium cap. 3. est in omnibus partibus corporis tanquam in uase, quare sicuti aqua existens in uase cum ipso non continuatur, sic neq. sanguis, qui sicuti continuò producitur, sic semper fluit per uenas, nec cum suo

ptin-

principio, .f. iecore potest dici continuari, quia quod est continuom, nunquam loco diuiditur ab eo,cui continuatur.

Coll. Ex dictis,quòd neq.cæteri humores sunt animati, cum multò magis in ipsis militent rationes adductæ ad afferendum,sanguinem non esse animatum. Neq. etiam spiritus vitales, quia nihil aliud sunt,nisi partes subtiliores sanguinis,seu eiusdem exhalationes. Neq. adeps, neq. serum, neque medulla, neq. lac, hæc enim omnia sunt sanguis, vel magis decoctus, vel magis pinguis, vel magis defœcatus,inseruiens, vel pro alimento,vt medulla ossibus, lac infantibus, vel solùm vt pars excrementitia,vt adeps, &c.sine enim his omnibus saluatur integritas animalis, vt consideranti patet; lic. enim homines, & virgines eareant lacte, non censentur manchæ.

Coll.2. Neq. humores existentes in viuentibus solùm vegetatiuis esse animatos, & hoc eisdem rationibus supra allatis; cum enim & ipsi sint alimentum talium viuentium, cum non continuentur cum partibus solidis,cum non augeantur per intussumptionem,sed per iuxta-positionem, cũ in ipsis nulla operatio vitalis appareat, ideò neq. animati dicendi sunt.

Coll.3. Hoc etiam dicendum esse de semine animalium,siue viuentium sensitiuorum; sed quia de hoc multi contrariam sententiam mordicùs sustinent, ideò non ità transeuntes hoc asserendum est; Quare sit.

22 Secunda Concl. Semen animalis non est animatum. Ita ferè omnes supracitati D.D. qui sustinent de sanguine, Accedit S unula dis. 3. de anima sect. 1. ar.2. Guarinus disp.5. de Viuentium generatione, exp.9. & fere communiter,contra aliquos præcipuè Sennertum hic cap.6.& seq.

Prob. 1. Semen est excrementum animalis, sed ex communi Philosophorum, excrementa non sunt animata, ergo neq.semen. maior prob.auctoritate Arist. qui primo de Gener. animalium cap. 18. postquam quæsiuit, quid sit in corpore semen, postea conclusit, *excrementum igitur esse necesse est*.

Prob. 2. Semen est sanguis magis excoctus, seu est efformatum ex sanguine magis excocto,sed sanguis ex dictis non est animatus,ergo neq.semen Tum quia,non est pars integralis animalis, sed solùm partes integrales sunt animatæ, ergo &c. ant. patet,sine illo enim animal est integrum, vt patet in adolescentibus,& in fœminis, secundum sententiam sustinentium.in fœminis, verum semen non reperiri. Tum quia semen non est in ordine ad perfectionem,& integritatem animalis, sed elaboratum est ad efformandum aliud viuens, ergo vtpotè non pertinens ad integritatem animalis, non est animatum.

Prob. 3. Ab anima solùm informatur corpus organicum, sed semen non est organicum,ergo neque informatur ab anima ; maior patet, dicitur enim actus corporis organici. Tum quia,læso vno aut altero organo, vel separatur, vel corrumpitur anima, ergo quia exigit corpus organicum;minor etiam patet, nullus enim humor, qualis est semen, organis est prædictus.

Neq. dicas, non esse necessariam organizationem,ad hoc vt anima informet, ex eo quia ipsa organizatio est potius effectus ipsius animæ, atque adeò non necessariò prærequisita ad ipsam, Tum quia in aliquibus animant.bus, vt in plantis,mutatur organizatio in illorum augmento, non murata anima, ergo quia organizatio producitur ab anima.

Resp.enim. Falsum esse non requiri organizationem ad hoc, vt anima informet, non enim esset actus corporis organici, atq.adeò posset informare quamcumq.materiam,quod tamen,& experientia falsum est, & rationi repugnat, cum hoc pacto talis anima nullas actiones uitales, quæ necessariò mediis organis exigunt fieri, exercere posset: Organizatio autem non potest dici effectus animæ,cũ necessariò semper præcedat ad ipsam, numquam enim introducitur anima, nisi in corpore iam organizato, quare solum posset dici effectus illius in genere causæ finalis, quat est propter, seu gratia illius. Falsum est etiam, in plantis mutari organizatione, n,secundùm quod requiritur, & est necessaria ad animam ; nam licet partes essentiales plantarum, quæ in trunco, & radice consistunt, augeantur, tamẽ quoad organizationem non mutantur simpliciter, alioquin moreretur planta, sed perseuerant eodem pacto in quantum ad dispositionem organicam, ac quando in ipsis introducta fuit anima.

Prob.4. Ea sunt animata, quę operationes uitales exercent, at semen nullam operationẽ uitalem exercet, ergo non est animatum, maior patet ex omnium enim Philosophorum sensu, ex operationibus arguitur adesse substantiam. Tum quia, vbi reperitur anima, necessario actu uiuitur, quod est, exercetur operatio uitalis ; minor prob. operationes uitales, ratione quarum triplex distinguitur anima,sunt nutritio, sensatio, & discursus, at nulla ex his reperitur in semine, ergo &c. minor prob. de nutritione (de sensatione enim, & discursu nulli dubium est) ad nutritionem requiruntur organa, & ethetogeneitas partium, ut in ipsis possit residere uirtus attractiua alimenti, concoctiua,conseruatiua, distributiua, &c. at in semine non sunt organa, ergo in ipso non reperitur nutritio, sed solùm augetur,per iuxta-positionem, per hoc .f. quod semini iam existẽti in uasis genitalibus addatur alia pars seminis de nouo genita ab anima informante corpus. 23

Neq dicas,animam in semine producere operationem uiuificationis eiusdem seminis , uiuificatio enim sui subiecti, est operatio communis cuiuscumq. animæ.

Resp. Hoc esse uanissimum effugium, uel enim uiuificatio importat solùm, anim am esse in subiecto; uel animam operari in subiecto. Si primum, hoc nullam operationem uitalem importat, animam enim esse in subiecto, non est formaliter animam operari uitaliter, sed potius importat actionem causæ efficientis vnientis,seu conseruantis animam in subiecto ; deinde si esset operatio, esset operatio debita animæ pro instanti iux generationis,

tque aucò non vitalis: si verò dicatur huius-
ai, viuificationem importare animam operari in subiecto: hoc falsum est, nullus enim terminus adest talis operationis, neq. sensibilis apparet, quare sine fundamenro admittitur talis operatio, & sic posset etiam dici, cætera alia viuere ex hac viuificatione latente; quare &c.

Prob. 5. Si semẽ esset animatum, aut tale esset dũ est in animali, aut dùm est extra illud, neutrum dici potest, ergo. Non quidem potest dici animatom dùm est in animali, quia, vel esset animatum eadem anima, ac est animal, vel peculiari, nõ peculiari, alioquin essent duo animalia, vel idem animal duplicem animam habeus, oon eadem anima, quia solum animantur partes pertinentes ad integritatem animalia, quale non est semen, vt pote enim ordinatum ad productionem alterius animalis, non pertinet ad integritatem, illud habentis. Neq. etiam potest dici esse animatum dum est extra animal, qnia hoc pacto aoimal productũ participaret de anima animalis generantis, quod tamen est falsum, maxime respectu seminis humani, vel enim deberet admitti anima ratiooalia diuisibilis, cuins pars remaneret cum generante, para verò cum semine trasmitteretur in genitum, quod falsissimum est, vel eam indiuisibilem admittendo, totam animam Parentis trasmigrare cnm semine in sobolem, & eamdem animam esse in pluribus corpotibus, immò potiùs eamdem animam Adami in omnes hominea trasmigrare, cum magno deliramento, damnato in Con. Lateran. sub Leone X. sess. 8. sarendum esset; quare ergo.

Conf. quia nulla pars animata, sponte sua separatur à toto, cuius est, sed cum illo vnionem conseruare conatur; At semen iam maturum spõte sua sepatatur à toto, & è vasis genitalibus exit, ergo quia animatum non est.

Ob. primò. Spadones censentur homines man-
24 chi, quia carent semine, ergo quia semen pertinet
ad integritatem animalis, sed ea quæ spectant ad
integritatem snnt animata, ergo semen, &c.

Resp. Spadones non esse manchos ex defectu seminis, adolescentes enim, & in quorumdam opinione, fœminæ non habent verum semen, & tamen habent integritatem essentialem, sed ex defectu quorumdam neruorum precisorum, qui & animati, & instrumenta sunt seminis.

Ob. 2. Semen est principinm vitæ attingens vitam, sed quod est huiusmodi, est animatum, ergo semen est animatum.

Resp. Principium principale vitę non esse ipsummet semen, sed solum esse principiũ instrumentale, quare sufficit quod principium principale sit animatum, licet instrumentum non sit tale.

Ob. 3. Semen viuentium vegetatiuorum est animatum, ergo & semen viuentium sensitiuorum.

Resp. quidquid dicant aliqui, concesso antecedenti, neg. consequentiam, & disparitas est, quia semen horum viuentium est pars illorum solida, & continua cum cæteris partibus, & augetur per intus-sumptionem, vt patet, quia habet organa .s. quasdam venulas, ratione quarum per propriam potentiam attrahunt ad se alimentum, quod non facit semen viuentis sensitiui, quare &c.

Coll. ergo ex hoc. Semen viuentium vegetatiuorum esse animatum, cum enim habeat operationes vitales, vt supra dicebamus, .s. augmentum secundùm omnem sui partem per intus-sumptionẽ, & ex operationibus vitalibua arguatur vita, ideò & animatum debet dici. Est autem animatum, ne dum, cum est annexum plantæ, sed & per aliquod tempus postquam ab ipsa est decisum, sicuti rami, & folia præcisa ab arboribus aliquo tempore vegetant, & animata persenerant. Hoc autem patet, quia licet tunc talia semina plantarum non augeantur per nouum alimentum, quod intus suscipiant, attamen cum videamus talia semina postquam à propriis plantis fuerunt excisa, magis maturescere, dicendum est, per propriam virtutem vitalẽ decoquere humores iam attractos, & ad maturitatem, quæ est perfecta concoctio, se ipsa reducere; cum enim plantæ, a quibus excisa fuerãt, nequeant dici causæ talis maturitatis, cum, vel sint distantes, vel iam emortuæ, ideò in talibus seminibua inesse tale principium per animam vegetatiuam tales operationes vitales producendi, asserendum est.

Tertia Con. Probabilius est, dentes, vngues, 25
& capillos esse animatos, anima totius corporis.
Ita cum D. Th. in 4. dist. 44. quæ. 1. art. 2. Scotus, Suarez, Arriaga, Complutenses Tellez, & alii pauci.

Probatur. Hæ omnes partes augẽtur per intussumptionem, sunt continuatæ cum cæteris partibus, augentur secundùm omnes sui particulas, sed ex his omnibus arguitur animatio in cæteris partibus, ergo tales partes sunt animatæ. minor, & consequentia, supposita maiori, sunt euidentes, prob. ergo maior de singulis.

Et primò. Dentes eodem modo crescunt, ac ossa, sed ossa crescunt per intus-sũptionem, ergo sic & dentes, maior probatur, quia crescunt secũdum omnes sui partes, vt patet in pueris, in quibus, & secundum longitudinem, & latitudinem crescunt, ergo illis non fit additio, vel iuxta-positio materiæ, sed crescunt per attractionem materiæ per poros dentium, & per conuersionem illius in propriam substantiam; Continuantur etiam cum carne per quasdam fibras, vel ligamina, vt patet ex dolore, qui sentitur in ipsorum auulsione à carne; Item sunt partes integrantes corporis, sine enim ipsis multæ operationes humanę impediuntur, vt locutio, comestio, ergo verè sunt animati.

Secundò. Etiam Vngues crescunt per intus-sumptionem, vt patet quia in pueris crescũt secundùm omnes partes; Item sunt continuæ cum carne, sentitur enim dolor in illarum auulsione. Item sunt partes integrantes, sine enim ipsis manus diceretur manca, ergo sunt animatæ.

Tertiò. Etiam capilli crescunt per intus-sumptionem, augentur enim secundum omnes sui partes, in pueris enim sunt subtiliores, deinde grossiores euadunt. Item sunt continui cum carne, ergo sunt animati, & Conf. quia habetur, aliquando hominibus capillos ex timore mortis incanuisse, sed ta-

lis

lis mutatio tunc fuit facta, quia tales qualitates per poros capillorum ab ipsis attractæ fuerunt, ergo quia habent animam; alioquim attrahere non potuissent.

Quòd autem diximus de dentibus, vnguibus, & capillis, dicendum est etiam de cornibus, de plumis, & huiusmodi, eædem enim militant rationes.

25 Ob. Licet dentes, vngues, & capilli radantur, aut recidantur, non sentiunt dolorem, ergo signum est tales partes non esse animatas; consequentia prob. si enim anima sensitiua informarentur, necessariò in earum præcisione dolor sentiretur.

Resp. dato ant. neg. conseq. nam in talibus partibus non sentitur dolor, quia sunt partes remotæ à carne, quæ est sensitiua, non enim est necesse, in omnibus partibus animam suas omnes operationes exercere, cum hoc proueniat ex apta dispositione organorum; neq. enim anima rationalis in omnibus partibus intelligit; quare sicuti cætera ossa secundùm se non sentiunt dolorem, & tamen, ex omnium opinione, quia habent alias operationes vitales, dicuntur viuentia, hoc etiam poterit dici de dentibus, & pariter de capillis, in quibus omnibus datur nutritio vera per intus-sumptionem, licet tamen non tam perfecto modo, sicuti in cæteris partibus uitalibus.

Fateor tamen, etiam contrariam sententiam esse probabilem, quare dixi in concl. solùm *probabilius*, rationes enim adductæ à contraria sententia aliquam efficaciam habent; dicatur ergo quod magis placet.

26 Quæres. In qua parte prĩcipaliter resideat anima.

Resp. In omnibus partibus animatis esse animã, si sumatur vt forma informans, æque enim omnes partes ab anima informantur: si verò sumatur vt principium operationum vitalium, principaliter est in Corde. Ita Aris. 3. de partibus animalium, & ratio est, quia quod primò viuit; & vltimò moritur est Cor, in ipso enim primo cernitur palpitatio, quæ est prima actio vitalis, & vltimò terminatur, ergo &c. Item statim ac læditur cor, animal moritur, ergo; Item ab ipso, vt potè à principio caloris, dependent omnes operationes vitales, ergo: Item in organizatione primò efformatur cor, ergo quia est primum organum, cui cætera subordinantur, ergo in ipso principaliter residet anima. Deinde principaliori modo, ac in cæteris partibus, resſidet in Hepate, & Cerebro, hæc enim membra sibi subordinant cætera animæ instrumenta, & illis communicant virtutem, scilicet spiritus animales.

SECTIO VI.

Quot sint potentię animę vt sic

POtentiæ, quibus animæ sunt præditæ, sunt virtutes quædam, quibus anima suas exercet operationes vitales, nam licet etiam dicantur potentiæ eæ, quibus aliquid patitur anima, attamen hìc solum sumimus eas, quibus actiuè operatur, & inquirimus, quot sint respectu animæ vt sic, suo enim loco postea inquiremus, an potentiæ animæ vt sic in alias subdiuidantur, & quæ cuiuscumq. animæ sint proprię.

Not. autem. Quòd distinctio specifica potentiarum non est sumenda secundùm earum multiplicationem, sed secundùm diuersum modum operandi, & tendendi in obiecta, eæ enim, quæ eodem modo in obiectum tendunt, eiusdem debent dici speciei, vt dicebamus in physicis. Modi autem tendendi, nedum sumendi sunt penes operationes primarias, quia hoc pacto, sicuti ex his arguitur triplex species animæ, sic & triplex species potentiæ deduceretur, sed desumendi etiam sunt penes operationes secundarias. 27

Not. 2. Quòd illarum solùm operationum hìc attenditur modus tendendi, quæ sunt simplices, & vitales, non autem earum, quæ componuntur ex his simplicibus, vt risus, qui prouenit à potentia loco motiua, & intellectiua.

Prima Conc. Potentiæ animę, ut sic sũt quinq. .s. Vegetatiua, Sensitiua, Loco-motiua, Appetitiua, & Rationalis. Ita cum Aris. de anima cap. 3. & ferè communiter omnes.

Prob. Operationes uitales tantùm quinq. diuersis modis exerceri possunt, ergo quinq. tãtùm erunt potentiæ animæ ut sic ad tales operationes; ant. prob. uel enim anima operatur per modum naturæ absq. ulla cognitione tendendo eodem modo in idem obiectum .s. in producendo sibi simile, vel simpliciter, ut in generatione, uel secundùm quid, ut in nutritione, & augmentatione, & hoc facit per potentiam uegetatiuã; uel tendit in obiectum extrinsecum, secundùm esse sensibile per species &c. illud ad se trahendo per cognitionem tendentem in illius esse entitatiuum, & hoc facit per potentiam sensitiuam; uel tendit in obiectum per perfectam cognitionem illud ad se trahendo, uel cum illo se uniendo secundùm illius esse intrinsecũ, & quidditatiuum, & hoc facit per potentiam intellectiuã; uel tendit in obiectum per modum inclinationis, & prosecutionis obiecti, & hoc facit per potentiam appetitiuam, siue sensitiuam, siue rationalem, quæ est uoluntas, quæ licet secundùm alias rationes inter se differãt, conueniunt tamen in modo tendendi in obiectum; uel deniq. tendit in obiectum loco se mouendo ad sequendam cognitionem, & appetitum, & hoc facit per potentiã loco-motiuam, ergo cum his quinq. modis diuersis, exerceri possint operationes uitales, quinq. erunt potentiæ animę ad tales operationes.

Neq. dicas, duplicem esse potentiam cognoscitiuam, nempè sensitiuam, & rationalem, ergo & duplicem debere esse potentiam appetitiuam .s. sensitiuam, & rationalem.

Resp. enim neg. conseq. quia appetitus siue rationalis, siue sensitiuus habet eundem modum tendendi, (illum sumendo reduplicatiuè, vt appetitum) idest inclinando in obiectum; duplex enim specificatio potest considerari in potentia appetitiua, & illa per quam constituitur simpliciter po-

tentia appetitiua, ab aliis potentiis distincta, & illa, per quã constituitur talis potentia appetitiua, .f. vel sensitiua, vel rationalis; si primo modo sumatur, vt hic eam sumimus, specificatur potentia appetitiua à modo tendendi per modum inclinationis in obiectum, quo modo, nulla alia potentia tendit in suum obiectum, & secundùm hanc rationem, non distinguitur potentia appetitiua rationalis, à sensitiua; si verò sumatur secundo modo, specificatur à tali modo tendendi in obiectum, rationalis siquidem, à modo tendendi per modum inclinationis, sed præuia cognitione intellectuali, liberè, independenter ab organis &c. sensitiua verò à modo tendendi, per modum inclinationis, sed præuia cognitione sensitiua, nõ liberè, dependenter ab organis &c. & secundùm hanc rationem essentialiter, & specificè distinguuntur appetitus rationalis, & sensitiuus; in assignata autem distinctione potentiæ animæ vt sic, desumptæ fuerunt solũmodo rationes specificæ, quibus vna potentia distinguitur ab alia in modo operandi in communi, inquo cum tam potentia sensitiua rationalis, quàm appetitiua conueniant, ideò secundùm hanc rationem, vnam solam speciem potentiæ constituere dicendum est, quòd sic nequit dici de potentia cognoscitiua sensitiua, & rationali, quæ diuersis modis tendunt in sua obiecta, vt patet.

Neq. dicas secundò. Arist. 3. de anima tex. 48. dixisse, principium motus animalis esse appetitũ, & cognitionem, ergo superfluam esse potentiam loco motiuam.

Resp. enim, appetitum, & cognitionem esse quidem principia motus elicitiua, non verò operatiua; quatenus .f. à talibus potentiis, quibus cæteræ potentiæ quoad exercitium sunt subordinatæ, dirigitur, & imperatur motus, quare adhuc necessaria est alia potentia operatiua ipsius motus; quare &c.

SECTIO VII.

An potentia animę ab ipsa distinguantur, vel ad inuicem.

18 SVpp. est primò. Potentias animæ in duplici esse differentia, aliæ sunt potentiæ organicæ, aliæ verò inorganicæ; potentiæ organicę sunt, quæ nõ sunt completæ, nisi habeant organa, à quibus cõpleantur proximè ad operandum, sic v. g. potentia visiua quæ est organica, ab organo oculi completur ad operandum, deficiente enim organo, .l. in anima esset potentia, seu virtus productiua visionis, nunq. haberetur visio, quia organum est complementum talis potentiæ; potentiæ autem inorganicę sunt, quæ absq. dependentia ab organis operantur, & sunt intellectus, & voluntas.

Supp. 2. Potentias organicas duplici modo posse considerari, & præcisè, pro vt important solùm esse virtutes animæ, & completè, seu materialiter, pro vt inuoluunt organum, quo egent ad proprios actus promendos; hoc autem secundo modo saltem inadęquatè ratione organi, ab anima distinguuntur, & de hoc non est difficultas, solùmq. dubitatur, an primo modo sumptæ, & pręcisè pro vt sunt virtutes animæ, ab ipsa anima distinguantur. Hoc notato. Sit.

Prima Conc. Potentiæ animæ non distinguuntur realiter ab anima, sed sunt ipsammet substantia animæ. Ita Scotus in secundo dist. 16. cum Scotistis, quos pręter Nominales omnes, sequũtur etiã Arriaga disp. 3. de anima sect. 3. subsec. 4. Hurtadus disp. 4. de anima sec. 4. Morandus in 2. de anima tract. 1. quæ. 13. Serbell. disp. 1. de anima quæ. 2. ar. 1. Spinula disp. 3. in lib de anima sect. 3. ar. 2. Guarinus disp. 3. de anima exp. 5. Ouiedo Cont. 3. de anima Pũc. 2. Comptonus disp. 12. de anima sect. 1. contra Thomistas omnes, Auersã, Ruuium, Tellez, & alios. 19

Prob. primò. Si potentiæ realiter distinguerentur ab anima, nulla daretur actio vitalis, hoc est cõtra omnes philosophos, ergo &c. sequela prob. actio dicitur vitalis quia est à vita, seu à principio vitæ, quod est anima, sed potentiæ si distinguerentur ab anima, non essent vita, seu anima, ergo actiones, quæ ab ipsis haberentur, non essent vitales.

Neq. dicas, operationes vitales posse esse ab alio vitali, licet non fiãt immediatè ab anima.

Resp. quòd vitale est tale in ordine ad vitam, ergo si non esset à uita, non esset vitale. Tùm quia, nullum concretum denominatur ab alio concreto, sed à forma, ergo uitale non potest denominari ab alio uitali, sed ab ipsa uita

Neq. dicas 2. ad hoc vt operatio sit uitalis, sufficere, quòd sit à principio tantùm radicaliter uitali.

Resp. enim, quòd tùnc operatio non esset formaliter, sed tantùm radicaliter uitalis.

Prob. 2. Illud dicitur realiter indistinctum ab alio, quod facta quacumq. præcisione, etiam rationis, non potest non inuolui in illius conceptu formali, sed facta quacumq. præcisione, u. g. potentiæ intellectiuę ab anima, adhuc potentia intellectiua non potest non inuolui in illius conceptu formali, ergo quia realiter est indistincta ab illa; min. prob. quia anima intellectiua est formaliter talis; Neq. enim ualet quod respondet Ruuius, esse solummodo radicaliter intellectiuam; Si enim esset solũ radicaliter ĩtellectiua, ergo intellectio nõ esset formaliter actio uitalis, siquidem produceretur formaliter solùm à potentia intellectiua, quæ ut distincta, non esset uita, & solùm radicaliter ab anima.

Prob. 3. Si potentiæ ab anima realiter distinguerẽtur, ipsa anima deberet esse ipsarum radix, & principium, sed non potest esse, ergo non distinguuntur ab ipsa, sed sunt ipsamet anima; minor prob. nàm non potest dici quod eas producat per se ipsam, alioquin non esset maior ratio, cur etiam non produceret actus uitales, nec potest dici quod producat per aliam potentiam, alioquin daretur processus in infinitum, cum semper potentia

tentia

sentia potentiæ esset assignabilis, ergo cum ab ipsa nequeant produci, dicendum est, esse ipsammet animam potentem tales, & talea operationes vitales producere; hæc conseq. prob. si enim producerentur ab alio non habēte vitā, nō essent vitales.

Prob. 4. Si potentiæ realiter distinguerentur ab anima, saltem diuinitùs ab ea separatæ conseruari possent, sed neq. diuinitùs ab anima separatæ cōseruari possunt, ergo quia realiter ab ea non distinguuntur, maior est certa, & patēt in accidētibus Eucharisticis, quæ quia realiter distinguuntur à subiecto, diuinitùs separata conseruantur; min. prob. vbi enim nullum est potens, neq. potentia potest esse, ergo potentiam à potente implicat separari; Tùm quia si posset separari potentia à potente, vel talis potentia separata haberet potentiam ad effectum, vel non; non secundum, alioquin non esset potentia, ergo haberet potentiam, vel ergo hæc potentia, quam haberet potentia separata, esset etiam ab ipsa separata, vel non; si esset separata, ergo adhuc ista posset habere aliam potentiā, & sic procederetur in infinitum, si non, ergo quod dicitur de tali potentia, potest dici de ipsa prima potentia respectu sui principii .s. animæ; quòd .s. ab ipsa realiter non distinguatur.

Prob. 5. Si potentię realiter distinguerentur ab anima, vel distinguerentur tanquam substātiæ, vel tanquam modi, vel tanquam accidentia, sed neq. vt substātiæ, neq. vt modi, neq. vt accidentia possunt distingui, ergo &c. prob. de singulis.

Non possunt distingui tāquam substātiæ, alioquī plures formæ substantiales, seu plures partes formæ substantialis realiter distinctæ reperirentur in viuente, quòd est absurdum, maxime respectu viuentis rationalis, hoc enim pacto substātia animæ rationalis esset diuisibilis, quod est falsū, vt suo loco.

Neq. possunt distingui vt modi, quia distinctio
30 debet esse proportionata suis terminis, & rebus distinctis, at potentiæ non sunt modi, ergo &c. min. hæc prob. modus enim habet tantum modificare, potentię autem non important solùm modificationem, sed sunt principia intrinseca operationum vitalium; Tùm quia sine modis res modificata potest existere, secùs verò anima sine potentiis; Tū quia, nullus modus est productiuus effectus à se distincti, vt consideranti patet, potentiæ autem sūt productiuæ effectus à se distincti, ergo &c.

Neq. deniq. potentiæ possunt distingui ab anima, tamquam accidentia, quia accidentia possūt adesse, & abesse à subiecto præter illius corruptionem, at potentiæ neq. diuinitùs possunt abesse ab anima præter illius destructionē, ergo &c. in maiori nullum est dubium; minor patet, quia si à plāta v. g. Deus auferret potentiam vegetatiuam, impossibile esset, & diuinitùs, quòd viueret, ergo &c. hoc antecedens patet, cum enim viuere sit actio vitalis, necessariò exigens, vt īmanēter recipiatur in principio, à quo fluit, si à tali principio, vt potè priuato potentia vegetandi, non prouениret vegetatio, licet Deus illud uegetaret, & nutriret, talis uegetatio, & nutritio non diceretur uitalis; quare destructa potentia uegetandi, & illius esse necessariò destrueretur; ex quo deducitur talem potētiā nō esse accidēs realiter distīctū ab anima.

Prob. 6. ex Scoto. Si potentiæ realiter distinguerētur ab anima, sequeretur quòd anima rationalis solùm per accidēs vellet, & intelligeret, & per consequens, quòd solū per accidens mereretur, peccaret, beatificaretur, hoc falsissimum est, ergo & id ex quo sequitur; sequ. prob. quando actus primus alicui per accidens conuenit, pariter & per accidēs conuenit actus secundus, ergo si animæ rationali potentia intellectiua, & volitiua, quæ se habent, vt actus primus respectu volitionis, & intellectionis, qui sunt actus secundi, per accidens, seu tanquam accidentia distincta conueniunt, pariter & actus secundi .s. volitionis, peccati, meriti, &c.

Neq. valet dicere, potentias esse accidentia conuenientia animæ, non per accidens, sed per se, atq. 31
adeo, & operationes ipsarū, per se conuenire animę.

Res. enim; vel anima diceret immediatè aliquam actiuitatem respectu talium operationum, vel non; si primum, habemus intentum, .s. quod sit ipsa, quæ immediatè agit, non verò potentiæ distinctæ; si verò nullam diceret actiuitatem, ergo cum tota actiuitas refundenda esset in potentiam, potentia sola esset, quæ mereretur, quæ peccaret, quæ beatificaretur, quod tamen est falsū; ipsa enim anima debet dici principium, & causa immediata volitionis, & per consequens peccati, &c.

Conf. Con. auctor. S.S. P.P. & præcipuè D. Augustini de spiritu, & anima cap. 4. & 13. vbi sic ait. *Anima, quę secundùm sui operis officium, varijs nominibus nuncupatur, dicitur namq; vitalis dum vegetat; spiritus dum contemplatur; sensus dum sentit; animus, dum sapit; Ista tamen non differunt in substantia, sicuti in nominibus; quoniam anima ista, vna anima est.* Tum Isidori lib. 11. Ethy. his uerbis, *anima dum viuificat corpus, anima est; dum vult, voluntas; dum intelligit, mens, dum recolit, memoria; dum aliquid sentit, sensus.* Tum D. Bernardi 11. in Cant. tali pacto. *In anima tria intueor, rationem, memoriam, & voluntatem, & hęc tria eandem esse animam*

Ob. 1. Substātia nō est imediatè actiua, ergo animæ substātia nequit esse imediatè actiua, ergo indiget potētiis accidētalibus, quibus mediātibus operetur; antecedēs est certū, & patet experientia; Ignis enim calefacit mediāte calore, Sol luce mediāte illuminat, ergo idem dicendum de anima, maximè quia tam diuersas actiones operatur; & Conf. quia anima non videt per se ipsam, sed per potentiam videndi, & per instrumentum corporeum, nempè oculum, & sic de cæteris sensibus, ergo &c.

Res. neg. antec. Si intelligatur de actiuitate in ordine ad accidentia, nam omnes substantiæ immediatè producunt sua accidentia, sic in exemplis allatis, ignis immediatè producit calorem, Sol lucem; quare cum operationes vitales sint accidentales, ideò ab ipsa anima immediatè producuntur; ad Conf. dico, quòd potentiæ dupliciter sumi possunt, vt diximus in notabili, præcisè, vt virtutes animæ, & materialiter, & completè; si sumuntur præcisè, pro ut solùm dicunt virtutem, nullo pacto distinguuntur ab anima; si verò materialiter, & vt modificantur ab obiectis, & in ordine ad organum, hoc pacto aliquam dicunt distinctionem, & supra diximus.

Ob. 2. Idem non potest esse susceptiuum, aut actiuum diuersarum formarum, quales sunt intellectio, & nolitio, sed hoc esset, si anima talium actuum esset immediatum principium, non verò potentiæ ab ipsa realiter distinctæ, ergo, &c.

Resp. neg. antec. nam sicuti anima in sententia contraria potest recipere in se immediatè uoluntatem, & intellectum, licet sint potentiæ diuersæ rationis, immò eadem uoluntas potest in se recipere actum uolitionis, & nolitionis, qui sunt actus contrarii, tantò magis potest anima producere, & recipere in se intellectionem, & volitionem, qui actus inter se oppositionem non dicunt.

32 Ob. 3. Idem nequit affici contrariis cogitationibus, sed hoc esset, si potentiæ ab anima realiter non distinguerētur, ergo &c. min. prob. eadem enim anima cognosceret Solem bipalmarem per sēsum oculi, maiorem verò illum cognosceret per intellectum.

Resp. non esse absurdum, quòd eadem anima cognoscat Solem bipalmarem, & maiorem, quia id prouenit ex diuersa repræsentatione, & applicatione obiecti, vnde etiam oppositis modis potest operari, quia ad hos modos determinatur ab ipsis obiectis, & quia diuersis mediis potest affici contrariis cogitationibus.

Ob. 4. Potentiæ sensitiuę in homine sunt materiales, anima est spiritualis, ergo distinguuntur realiter.

Resp. Potentias illas formaliter esse spirituales, .i. ratione organi sint materiales; aliter sequeretur quod etiam gradus sensitiuus in anima rationali esset materialis, quod falsum est.

Ob. 5. Anima non est causa immediata actuum supernaturalium, ergo neq. naturalium, ergo ad illos eget potentiis distinctis. antecedens prob. non enim potest esse causa principalis, cum anima sit ordinis inferioris, ac sint ipsi actus, neq. potest esse causa instrumentalis, quia ipsa est substantia; atq. adeo perfectior actibus, qui sunt accidētia; sed repugnat instrumenta esse perfectiora, ergo; consequentia primi argumenti prob. nam eadē est entitas solùm eleuata, quæ concurrit ad operationes spirituales, ergo si ad illas non concurrit immediatè, est quia neq. concurrit ad naturales.

Resp. neg. antec. nam in actibus supernaturalibus sunt duæ formalitates, & vitalitas, & supernaturalitas, respectu vitalitatis anima cōcurrit imediatè, tam eleuata, quàm non eleuata, potest enim esse respectu huius formalitatis, causa principalis, quia est nobilior actu supernaturali, qua vitalis est, quia ipse est accidentalis, ipsa verò est substantia; respectu verò supernaturalitatis, quæ reperitur in ipso actu, est veluti causa instrumentalis, quia concurrit vt eleuata ad actum sub illa ratione supernaturalitatis, neq. hoc illi repugnat, cum in ratione supernaturalitatis, ipsa sit imperfectior effectu.

Ob. 6. Anima potest esse sine aliqua potentia v. g. visiua, vt euenit in cęcis, sed potentiæ nequeunt esse sine anima, ergo potentiæ sunt modi, ergo saltem modaliter distingui potest.

Resp. dist. antec. potest esse sine aliqua potentia entitatiuè, & substantialiter prout dicunt virtutem productiuam, & nego ant. potest esse &c. pro vt dicunt esse completas per organum, & conc. ant. ex hoc tamen deducitur, quòd solùm quòad actus, & ratione organi ab anima distinguātur, non verò præcisè, & secundùm puram rationem potentiæ.

Coll. ex dictis. Potentias cuiuscumq. animæ nullo pacto inter se realiter distīgui, sed solū, vel denominatiuè, vel per intellectū in ordine ad diuersos actus, quos producunt, & etiam formaliter, non quidem tanquam plures formalitates, vt volunt Scotistę, sed ratione diuersi modi tendendi, per quem eadēmet anima diuersimodè tendit in diuersa obiecta, hoc patet ex dictis, cum enim identificentur cum anima, ergo & inter se debent identificari, quæ sunt enim eadem vni tertio, sunt & eadem inter se; distinguuntur autem per intellectum, & denominatiuè; Neq. est inconueniens, eandem entitatem diuerso modo, & in diuersos actus exire, quia est veluti quædam causa vniuersalis potēs diuersos effectus promere per virtutes sibi identificatas, vt patet in omnibus causis vniuersalibus. 33

Coll. 2. Potentias solum virtualiter ab anima posse distingui, cum enim eadem anima habeat uirtutem in varios actus, & effectus exeundi, circa uaria obiecta sub diuersis rationibus formalibus, ideò potest distingui in plures uirtutes, quarum una correspondeat uni obiecto formaliter, alia alii, sic anima quatenus respicit uerum sub ratione ueri dicitur intellectus, quatenus respicit bonum sub ratione boni, uoluntas appellatur &c.

Coll. 3. Potentias, pro vt dependent ab organis in operationibus realiter inter se posse distingui, non quidem adæquatè, quia inuoluunt eandem animam, quę est eadem in omnibus organis, sed inadęquatè respectu distinctionis ipsorum organorum, cum enim etiam ipsa organa informata ab anima, concurrant effectiuè ad operationes vitales, ideò respectu ipsorum potentię possunt dici realiter distinctę, inadæquatè tamen.

Esset hic inquirendum, à quonam potentiæ animæ desumant suam specificationem intrinsecā, sed de hoc dictum est in secundo Physicorum cum ageremus de specificatione causarum, ideo sufficiāt ibi dicta. Inquirunt etiam aliqui quodnam sit subiectum potentiæ animæ, at cum eas ab anima distinctas non admittamus, neq. illarum subiectum est inquirendum, seu inuestigandum, cum sit ipsamet anima potens, &c.

SECTIO VIII.

De origine Animarum.

DE anima rationali non quęrimus, certum est enim à Deo creari, cum enim sit substantia spiritualis, & immortalis, vt probabimus, nec dependeat à materia, ideò exigit creari, non produci, creatio autem ad solum Deum spectat. Quare quæstio solùm procedit de cęteris animabus, inquirendo .s. à quo agente producantur. 34

Supp.

Supp. est 1. Aliqua animalia generari ex putri, vt mures, ranas, pulices, &c. aliqua verò ex semine producto à generante, vt equos, canes, &c. de vtrisq. ergo quæritur, à quibus effectiuè animentur.

Supp. 2. Tàm Patrem, quàm Matrem concurrere ad generationem fœtus, vterq. enim exibet materiam aptam, & necessariam, ex communi Philosophorum, & Medicorum sententia, quidquid dicat Arist. 1. de gener. anim. cap. 20. Item solam matrem immediatè concurrere ad organizationem fœtus, cum habeat ipsa sola sufficientem applicationem, Patrem verò solùm mediante semine. Quare solùm difficultas procedit de animatione; pro quo sit.

34 Prima Conc. Omnis anima animantium, quæ oriuntur ex semine, producitur immediatè à Matre, si sit viuipara, aut vermipara. Ita Scotus in 4. dist. 11. quæ. 3. Mastr. in lib. de gen. disp. 8. quę. 2. art. 2. Spinula in lib. de anima disput. 3. sect. 1. art. 5.

Prob. 1. Productio talis animę non excedit virtutem ipsius matris, ergo potest talem animam producere, ergo si potest, dicendum est producere, cum frustra recurratur ad alias causas, quando proxima, & immediata habetur; anteced. patet, mater enim est eiusdem perfectionis, & animata.

Prob. 2. Pater non potest dici causa immediata animationis illorum animalium, quandoque enim animantur, vel absente, vel mortuo patre, sed neq. potest esse causa aliqua vniuersalis, quia nō est animata, imperfectius autem, non potest producere perfectius, sed neq. recurrendum est ad Deum, cum causa creata assignari possit .s. mater, ergo, matrem, animationem immediatè producere, dicendum est.

Dixi autem in conclusione. Matres viuiparas, aut vermiparas esse causas immediatas animationis, ad excludendas ouiparas, causa enim animationis animalium ex ouis productorum, est Deus, sicuti dicemus esse de animatione cæterorum.

Neq. dicas. Animationem huiusmodi animalium ex ouis productorum, posse haberi à calore producto ab aue incubante ouis, siue ab anima eiusdem auis; quare &c.

Resp. enim. Nullo pacto calorem auis incubantis posse esse causam principalem productiuam animarum similium animalium ex ouis productorū, calor etenim est inferioris ordinis ac sic ipsamet anima, quare cum imperfectius non possit ut causa principalis producere quod est perfectius, neq. calor auis incubantis potest producere huiusmodi animas. Adde quod calor, non quà calor auis incubantis, sed solùm simpliciter quà calor, est causa cur animentur huiusmodi animalia, experientia enim quotidiana compertum est, oua siue in hypocaustis, siue in furno, siue sub fimo, & etiam aliquando Soli exposita, animari, ergo signum est talem calorem non esse causam principalem animationis, alioquin solùm haberetur à calore auis, non verò ab alio calore, sed solummodo concurrere instrumentaliter, ad organizationem, & dispositionem fœtus, in quo postea ab aliqua causa principali anima sit producenda.

Neq. etiam anima auis incubantis potest dici causa talis animationis; cum videamus, oua animari etiam deficiente aue incubante, ut in hypocaustis, furno, &c. Deinde anima auis distat ab ipsomet ouo, inter auem enim, & substantiam oui in- 35 tercedit cortex, qui non est animatus, quare &c

Secunda Conc. Causa productiua animæ in animalibus productis ex putri, est Deus. Ita cum Scoto, Mastrius loco supra citato, quæst. 3. concedunt etiam Spinula loco citato, & Guarinus disp. 4. de gener. & corrupt. exp. 3. & multi alii.

Prob. Ad productionem animæ, nequit concurrere effectiuè, nisi causa animata, sed nulla causa secunda animata reperitur concurrens ad talem generationem, ergo recurrendum est ad causam primam; maior est certa, alioquin effectus esset nobilior sua causa; min. prob. nulla enim alia causa cōcurrēs immediatè assignari potest, nisi vel vniuersalis, vel cæli, sed nulla ex his est animata, ergo.

Ob. contra 1. con. Si mater esset causa animationis, sequeretur, quòd perfectiùs attingeret generationē prolis, quam pater, sed hoc non videtur dicendum, ergo.

Resp. neg. min. Pater enim nobiliùs operatur solùm quoad exhibitionē materiæ, & decisionem seminis, ad matrem verò, sicuti spectat corporis formatio, & organizatio, ita spectant omnia, quæ in prole producuntur vsque ad partum, quare etiam animatio eiusdem.

Fateor tamen, posse etiam concedi, semen matris partialiter concurrere ad animationem, quatenus aliqua actiuitas in partibus subtilioribus ipsius potest concedi. Neq. enim absurdum est, non viuum, quale est semen, concurrere ad productionem viuentis; sic etenim etiam obiectum partialiter concurrit ad intellectionem, quæ est vitalis, licet ipsum non sit viuum.

Coll. Causam productiuam animæ in arboribus, plantis, &c. & alijs animantibus genitis, non concurrente immediatè aliqua causa animata; esse causam primam .s. Deum, & hoc ijdem rationibus, ac diximus de animalibus genitis ex putri; Aduert. tamen, quòd huiusmodi animæ non creantur à Deo, sed per ueram eductionem, & dependentiam à corpore, producuntur. Et hæc sint dicta de spectantibus ad animam ut sic.



DISPVTATIO SECVNDA

De Anima Vegetatiua.

QVæ ſpectant ad animam vt ſic, ſeu ad omnes animas in communi, iam vidimus; modò de ſingulis animabus quædam particularia ſunt perquirenda, & primò de anima vegetatiua. Quare ſit.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit anima vegetatiua, & quot illius potentia.

ANima vegetatiua eſt illa, vt iam diximus, quæ eſt principium operationũ immanentium, productarum mediis organis, & qualitatibus ſiplicibus, materialibus, & corporeis, & .l. in Brutis, & in hominibus gradus vegetandi, ſeu anima vegetatiua, non ſit entitas diſtincta, ſed formaliter contineatur, vel in illorum anima ſenſitiua, vel in rationali; attamen eſt entitas diſtincta, nullaſq. alias operationes habet, niſi vegetatiuas, reſpectu plantarum, quæ, quia ab hac ſola anima vegetatiua animantur, ideo vera viuentia, & dicuntur, & ſunt, contra Stoicos, qui rationem vitæ plantis negauerunt, quod quàm ſit falſum, optimè prob. ab Ariſt. lib. primo de plantis cap. 1. ex altrici, & auctrici facultatibus, quę ad operationes vitales ordinantur, quæq. in plantis reperiuntur, experientia enim compertum eſt, arbores creſcere, nutriri &c. quare, & viuere aſſerendum eſt, uita tamen vegetatiua, non ſenſitiua, ut Empedocles, & Anaxagoras, & alii ibi relati ab Ariſt. ſomniabant, quibus accedit Cardan. apud Scaligerum exercit. 138. qui omnes, ne dùm ſenſu præditas plantas affirmarunt, ſed amare, odio affici, delectari &c. conſtanter, licet imprudenter, aſſerebant, quorum imprudentiam manifeſtare conatur Ariſtoteles multis rationibus, & præcipuè ex eo quia, ſi plantæ anima ſenſitiua eſſent præditæ, & operationes iam aſſignatas præſtare poſſent, pariter, & ſomno affici, & vigilia excitari deberent, quod tamen ridiculum eſt, cum ab ipſis ſolùm producantur operationes vitales iuxta proportionem organorum, & qualitatũ ſimpliciter materialium, & corporearum, quas habent, quales non ſunt, ſomnium, vigilia, & multò minùs, amor, delectatio, &c.

Operationes autem huiuſmodi animæ vegetatiuæ in triplici ſunt differentia, Nutritio .ſ. Augmentatio, & Generatio; reſpectu quarum, & triplex aſſignatur potentia, Nutritiua .ſ. Augmentatiua, & Generatiua, vt habetur ex Ariſt. 2. de anima tex. 35. & alibi; cuius diuiſionis ſufficientia aſſignatur, ex eo quia, viuens anima vegetatiua, habet cauſam uniuocam, à qua producatur, arbor enim producit aliam arborem, ergo in ipſo debet eſſe potentia generatiua. Item creſcit, & augetur, ergo debet in ipſo eſſe potentia augmentatiua; Deniq. per aliquod tempus conſeruatur, ergo per potentiam nutritiuam, qua tranſmutando alimentum in propriam ſubſtantiam, ſe ipſum conſeruet. Quare tres aſſignatæ potentiæ primariò in ipſo reperiuntur. Quibus aliæ quinq. potentiæ ſubordinantur tamquam ſecundariæ primarijs, ſunt autem, Attractiua, Concoctiua, Retentiua, Diſcretiua, & Expulſiua; uiuens enim non poſset generare, augeri, & nutriri, niſi attraheret alimentum, & ad hoc deſeruit potentia Attractiua; deinde debet illud concoquere, & propter hoc neceſsaria eſt potẽtia Cõcoctiua; Inſuper neceſse eſt, ut illud retineat, & hoc præſtat potẽtia Retẽtiua; Tãdẽ oportet, ut excrementa ſeternantur, & expellantur, & hoc habetur per Diſcretiuam, & Expulſiuam, quare õnibus his potentiis ſecundariis, quas ſibi ſubordinant tres primariæ iam aſſignatæ, anima uegetatiua eſt prædita. Quæ omnes potẽtiæ ut ſupra probauimus, nullam diſtinctionem realem, aut ab anima, aut ad inuicem habent, ſed ſunt ipſamet anima potens tales diuerſos effectus producere, ad quod probandum cum militent eædem rationes, quas ſupra adduximus ad demonſtrandam indiſtinctionem potẽtiarũ ab anima ut ſic, ſeu à quacumq. anima, ideo ſufficiant ibi dicta.

Quæremus ergo hic ſolùm quędam ſpectantia ad potentias primarias animæ uegetatiuæ, ex cognitione enim potentiarum, perfectè innoteſcet quidditas, & eſsentia eiuſdemmet animæ. Sit ergo.

SECTIO

SECTIO II.

Quid sit potentia nutritiua.

2 FVit quorumdam opinio, calorem naturalem esse potentiam nutritiuam, cum enim ratione caloris concoquatur, & disponatur alimentum, ideò illum esse potentiam nutritiuã, existimarunt, quòd ao verum sit, est videndum.

Supp. est autem. Nutritionem esse operationem vitalem, qua viuens conuertit alimentum in propriam substantiam; cum enim viuens habeat in se qualitates contrarias, calorem .s. & frigus, quod secundùm probabiliorem sententiam consistit in humido radicali, & cum calor continuò agat in humidum radicale, ideò per talem continuam actionem, & ipsum humidum radicale attenuatur, & partes aliquę viuentis consummuntur, atq. adeò, ne viuens destruatur, necesse est, quòd reparentur partes deperditæ; hoc autem fit à viuente, per nutritionem, qua alimentum in propriam substantiam, in reparationem substantię deperditę, conuertit, quærimus ergo hic, quid sit principium huius operationis vitalis, .s. nutritionis. Sit ergo.

Prim. Conclusio. Potentia nutritiua est peculiaris facultas, seu virtus animę, qua anima conuertit alimentum in substantiam aliti: calor verò est instrumentum, quo ad talem operationem vtitur. Ita cum Arist. ferè communiter, vt apud Auersam, quæ. 50. de anim. veget. sect. 2. Morand. 2. de anim. tract. 2. quæst. 3. & alios.

Prob. prima pars auct. Arist. qui 2. de anima tex. 49. ait *alens quidem est prima anima, quod verò alitur, est habens hanc, corpus; quo autem alitur, alimentum.*

Prob. 2. Anima vegetatiua per operationem intrinsecam se perficientem viuit, sed non potest se ab intrinseco perficere, & viuere, nisi per nutritionem, ergo ipsa est causa principalis nutritionis, ergo potentia nutritiua est virtus ipsius animę, non calor.

Prob. 3. Experientia constat, propter nimiam speculationem, diminui vim nutritiuam, ergo signum est, potentiam nutritiuam esse ab anima; cõseq. clara est, si enim non esset ab anima, non esset cur minueretur vis nutritiua propter summam applicationem, quam facit anima speculationi.

Prob. 4. Per potentiam nutritiuam, informatur materia acquisita, seu alimentum, forma viuenti, sed non potest informari forma viuenti, nisi ab habente vitam, ergo potentia nutritiua debet esse habentis vitam, seu debet esse ipsiusmet animæ, quę est principium vitæ.

Prob. sec. pars auctor. Arist. qui 2. de anima tex. 41. ait. *Hic autem* (loquitur de igne, seu de calore) *concausa quidem quodammodo est, non tamen simpliciter causa, sed magis anima.*

Prob. 2. Solus calor non potest esse causa talis conuersionis, ergo dicendum est ipsum non esse potentiam nutritiuam, sed cum illa solùm concurrere instrumentaliter; antec. prob. nam alimentum antequam conuertatur in substantiam aliti, debet priùs per plures mutationes intermedias transire, sed solus calor hoc non potest pręstare, ergo

Prob. 3. Ex qualitatibus, solus calor habet vim transmutandi, quia habet vim corrumpendi, & resoluendi, ergo solus calor est instrumentum potẽtiæ nutritiuæ; conseq. patet, quia potentia nutritiua est essentialiter conuersiua alimenti in substantiam aliti.

Neq. dicas, in plantis, quę nutriuntur, nullum reperiri calorem, ergo. 3

Res. enim. Calorem necessarium plantis, esse extrinsecum, nempe calorem Solis, vtpotè enim instrumentum, non est necesse quòd sit intrinsecum; immò ex hoc confirmatur, potentiam nutritiuam, non consistere in solo calore, vtpotè enim potentia vitalis debet esse intrinseca, qualis non est calor in plantis. Quòd autem ratione caloris extrinseci suas vitales operationes exerceant plantæ, patet, nã per accesũ Solis, vel producũt, uel frondent, uel magis nutriuntur, per recessum uerò, ut autumnali tempore, plurimæ amittunt folia, utpotè quia .s. eo tempore humore abundet terra, illum tamen non sugunt, quia minùs calefiunt à sole; atq. adeò neq. folia conseruare queunt; hyeme tandem, quãdo quasi derelinquuntur a calore Solis, uix uiuunt, & nutriuntur, quare &c.

Hinc patet; Neq temperamentum posse dici potentiam nutritiuam, quia temperamentum solũ dicit primas qualitates temperatas, quæ non sunt uitales. Tum quia, scilicet ipsum, posset fieri nutritio absq. anima, quod implicat.

Hinc. Coll. 2. Quod si frigus concurrit ad nutritionem, solùm concurrit attemperando calorem, ipsum enim secundum se nullo pacto concurrit ad nutritionem, immò ipso crescente, non fit nutritio, & ideò solùm attemperando calorem concurrit, cum enim sint etiam nutriendæ aliquę partes, quæ sunt minùs calidæ, immò frigidæ, ut cerebrum, ideò alimentum, quod illis partibus debet inseruire, non haberet debitum temperamentum, nisi à frigore temperaretur calor.

Quęres. Quodnam sit subiectum, seu organum potentię nutritiuę: 4

Resp. Omnes partes corporis esse subiectum, seu organum potentiæ nutritiuæ, cum enim omnes ęquè nutriantur, ideò & habent uirtutem conuersiuam alimenti in propriam substantiam. Dubitatur solùm in quanam parte pręcipuè resideat uirtus præparatiuã alimenti; Dicimus autem, radicaliter residere in corde, formaliter uerò in hepate, cum enim in hepate conficiatur sanguis, qui diffusus in omnes partes corporis per uenas, omnibus est alimentum, & talis sanguis producatur in hepate concurrente calore, cuius principium est cor, ideò radicaliter uirtus pręparatiua residet in corde, formaliter uerò in hepate, & sic concordantur Arist. & Galenus, primus quorum dicit residere in corde, secundus in hepate.

Quæ. 2. Quodnã sit obiectũ potentiæ nutritiuæ.

Res.

Respond. Obiectum potentiæ nutritiuæ esse alimentum, quod nihil aliud est, quàm aliquis res apta in substantiã viuentis conuerti, ad quam aptitudinem duo requiruntur, primò quòd sit parti similis in qualitatibus, & partim dissimilis, viuenti, similis quidem, ad hoc vt possit concoqui, dissimilis verò ad hoc, vt in ipsam possit esse actio trãsmutatiua; triplex est autem alimentum, proximum, remotum, & medium, proximum est sanguis, vel in animantibus sanguine carentibus, quod vicem gerit sanguinis; remotum est cibus, seu in plantis humor, quem attrahunt à terra, medium est chylus, & alii humores intermedii; chylus autem, qui in solis animalibus reperitur, est quædam substantia coloris albi, in quam primò transmutatur cibus. Si autem sumatur alimentum, non respectu totius aliti, sed respectu præcipuarum partium, præcipuè animalium. Alimentum proximum ventriculi est Chylus, remotum verò cibus; Carnis, & cæterarum partium, remotum est Chylus proximum, sanguis; Ossium, proximum sunt medullæ, quæ sunt sanguis magis purificatus, Neruorum, proximum est humor quidam calidus, & glutinosus, medius inter sanguinem, & chylum.

Quæ. 3. Quid sit nutritio.

Resp. esse operationem vitalem essentialiter cõuersiuam alimenti in substantiam aliti. Ità tenent ferè communiter cum Arist. D. Tho. Bonauen. Ales. Albert. Scot. Durand., &c. cum enim in viuẽte, vi caloris naturalis semper deperdantur aliquæ partes substantiales, per nutritionem, quæ est vera quædam generatio substantialis inter species motus, & mutationis, reparantur; reparantur inquam, conuertendo alimentum in substantiam aliti; Nutritio autem dicitur generatio partialis, per ipsam enim non habetur aliquod nouum viuẽs de nouo genitum, sed solummodo per ipsam adduntur partes substantiales viuenti iam genito; quare ad differentiam totalis generationis solet vocari Ad-generatio, quasi generatio partis ad totum.

5 Quæ. 4. An nutritio sit semper necessaria ad vitam viuentis.

Resp. affirmatiuè cum Arist. 1. de Generatione tex. 41. & 2. de anima tex. 46. & D. Th. 2. contra gentes cap. 97. & fere communiter, contra tamen Licetum in lib. de his, quæ diù viuunt sine alimento. Ratio autem est, quia viuere in actu, dicit principium vitale actualiter operans, ergo viuere in actu vegetando, dicit potentiam actu operantem per nutritionem. Tùm quia, si semper non continuaret nutritio per intus-sumptionem alimenti, calor naturalis consummeret humidum radicale, & sic cum non remaneret temperamentum necessarium mixto, & viuenti, desttueretur; quare est semper necessaria nutritio; & licet aliqui pro pauco tempore abstinuerint à cibo, tamen in illis nutritio non cessauit, tunc enim potentia nutritiua conuertebat in substantiam, alimentum proximum, & immediatum .s. sanguinem.

Quæres 5. Quid producatur in viuente per nutritionem.

Resp. Nouam materiam addi viuenti, in reparationem materiæ, quam per calorem naturalem deperdidit, & partem formæ, seu animæ de nouo produci, si forma sit diuisibilis, quòd si indiuisibilis, solùm produci formã materialẽ similem partibusiã deperditis, quæ se habet, vt dispositio, tatione cuius forma spiritualis, & indiuisibilis extendatur, & vniatur materiæ de nouo acquisitæ. Quòd autem addatur viuenti noua materia euidentissimũ est, in tantùm enim indiget alimento, vt illius materiam in propriam substantiam conuertendo, reparet partes, quæ continuò à calore naturali consummuntur. Quòd verò pars formę de nouo producatur, si sit diuisibilis, prob. quia materia alimenti post nutritionem informatur anima viuentis, sed non potest informari ab anima, quæ priùs in ipso reperiebatur, ergo à parte animæ de nouo producta; min. prob. quia anima, vt potè forma materialis, & dependens à subiecto, ità exigit esse in suo subiecto, vt non possit extendi ad aliud subiectum, ergo si materia addita informatur anima, informatur à parte animæ de nouo genita, non verò à partibus animæ priùs existentibus in tali viuente; Tùm quia, quando viuens amittit partem materiæ vi caloris naturalis, pars animæ, quæ informabat talem materiam, uel se restringit ad materiam permanentem, vel in se ipsa sistit, vel corrumpitur, non primum, quia forma materialis, vt potè dependens à subiecto, non potest emigrare in aliud subiectum, sed quæcumq. pars, sicuti à proprio subiecto pendet in fieri, sic & in conseruati, dicit ab eadem dependentiam; secundum est impossibile, nulla enim forma, saltem naturaliter, absq. subiecto potest stare, ergo dicendum tertiũ, quòd.s. corrumpatur, si ergo corrumpitur, per productionem partis illi similis debet reparari.

Deniq. si noua pars animæ non produceretur, sequeretur quòd eadem anima posset extendi ad informandam infinitam, vt ita dicam materiam, & ad occupandum infinitum spatium, quod tamẽ est absurdum; hæc sequela patet, rami enim præcisi alicuius arboris, & plantari, alios ramos producunt, & hi iterum recisi, alios, & sic successiuè, si ergo quando augentur rami, perseuerat eadem anima, quæ in ipsis erat, & quando tales rami crescunt, non generatur noua pars animæ, ergo eadem anima, quæ erat in prima arbore, extendi posset ad omnes arbores, quæ ex tamis præcisis multiplicari possent, quare, &c. Hoc autem non potest dici de forma indiuisibili, quæ vt potè non dependens à subiecto, licet subiectum in aliam substantiam transmutetur, ipsa non corrumpitur, sed perseuerat, & vt ità dicam se restringit ad partem materiæ remanentem, & postea, materiam, de nouo additam, eodem modo informat, vt informabat eam, quam viuens vi caloris naturalis amittit.

Quæ. 6. Quomodo fiat nutritio. 6

Resp. Hoc pacto fieri nutritionem animalium; Cibus primò dentibus truditur, & in minutissimas partes diuiditur, deinde ministerio linguæ, & attractu gutturis, in ventriculum, seu stomachum traicitur; ventriculus autem, quia est veluti vas, in quo primò concoquitur cibus vndiq. circumdatus, sicuti vas decoquens carnes, à carbonibus, sic & ipse

à variis

à vatiis membris calidis, ab hepate .ſ. à dextris, à ſplene à ſiniſtris, deſuper à corde mediante diafragmate, & ab aliis partibus à quibuſdam muſculis, ideo poſtquã recepit cibũ per quoddam foramẽ, quod habet in parte ſuperiori *Os* vocatum, reſtringitur, & à calore membrorum fouentium adiutus, cibum trãſmutat in quandam ſubſtantiam lacteã, chylum appellatam à medicis, qua ipſe ſtomachus nutritur, illam attrahens per quaſdam venas, lacteas dictas. Chylus autem poſtquã eſt efformatus, emittitur uirtuteexpulſiua in quædã inteſtina flexuoſa per aliud orificiũ, quod idem ventriculus habet ex parte inferiori, oppoſitum alteri, vocaturq. *Ianitor* eo quia tandiù dùm cibus decoquitur, illum detinet, & poſtea laxatur; vt chylum prolabi ſinat. Talis chylus in bis inteſtinis ſecernitur, & partes terreſtriores, & fæces, veluti excrementa in alia inteſtina inferiora pelluntur, partes uerò puriores, & propriè chylus appellatæ, exuguntur à quibuſdam venis *Meſeraicis* appellatis, & ab ipſis defertur in quandam venam amplam *Portam* appellatam per quam ad Iecur tranſmittitur. Hic ergo chylus depuratur, cum enim Iecur ſit quædã pars corporis veluti ſanguis coagmentatus, origo venarum, & quatuor humorum principium, ideò ab eo chylus depuratur, & in quatuor humores tranſmutatur, in ſanguinem .ſ. pituitã, ſeu flegma, flauam bilem, ſiue choleram, & atra-bilem, ſiue melancholiam; flaua bilis ſecernitur in veſiculam Fellis, quæ alligata eſt iecuri; atra bilis ad Lienem longè ſeparatam à iecore, tranſmittitur, & ex talibus humoribus ille partes nutriuntur; ſanguis autem ſimul cum pituita, quæ ubiq. eſt ſanguini permixta, vt potè illi neceſſaria ad liquiditatem conſeruandam, tranſmittitur à iecore ad omnes partes corporis per venam amplam *Cauam* vocatam, quæ diramaſcit in alias venas ſubtiliores, in alias ſubtiliſſimas diuiſas, pro ſua ſubtilitate capillares vocatas, quæ uenulæ, cum ſint diffuſæ in omnibus corporis partibus, illis præbent alimentum proximum .ſ. ſanguinem nutrimentalem, quo nutriuntur, illum alterando, & in propriam ſubſtantiam conuertendo. Præter autem aſſignatos liquores, aliusà chylo ſecernitur humor aqueus in Iecore; qui .ſ. deſeruit ad uehendum chylum per uenas Meſeraicas ad Iecur, qui humor, ut potè non amplius deſeruiẽs, tamquã excremẽtitiũ expellitur perquas-
12 dam alias uenas dictas emulgentes, quarum ductu per renes in uesicam decidit. Ex ſanguine autem qui producitur à Iecore, magna pars traſmittitur ad Cor per unum ramum uenæ cauæ, qui ſanguis ab ipſo corde magis perficitur, & expurgatur, & in ſpiritus uitales conuertitur, qui nihil aliud ſunt, niſi puriſsima, & ſubtiliſsima ſubſtantia, ex puriſsimo ſanguine ad modum uaporis extracta, qui ſpiritus uitales per alias uenas, *arteriales* uocatas, à corde prouenientes, dimiſſi ad omnes partes corporis proprio calore, motui, & nutritioni inſeruiunt, & aliqui ex ipſis, per quaſdam obliquas, & anguſtas vias ad cerebrum aſcendentes, ibi magis depurantur, & in ſpiritus animales mutantur, qui ſenſationibus aliiſque operationibus animæ ſenſitiuæ inſeruiunt. Quia autem in omnibus alterationibus aſſignatis, quæ ſiunt in alimento, ſemper aliquæ ſuperfluitates, & impuriores partes à purioribus ſeparantur, indè eſt quòd excrementa aliqua effluant à corpore, & ſic in prima alteratione, quæ fit in ſtomacho, à chylo ſeparantur partes impuræ, fæces appellatæ, ſeu ſtercus; in ſecunda alteratione, quæ fit in hepate, ſeparatur ille humor, de quo ſupra diximus, qui eſt vrina; in aliis alterationibus, quæ ſiunt in omnibus partibus corporis, ſeparantur cæteræ aliæ ſuperfluitates, quæ emittuntur per aures, per nares, per poros in ſudore, &c. & ecce modus, quo fit nutritio in animalibus.

Reſp. 2. Plantas nutriri attrahendo alimentum à terra, in qua fixas habent radices, ipſa enim terra ipſis deſeruit tamquam ventriculus, in qua prima terræ, & aquæ concoctio fit, ex qua concoctione quidam humor producitur, qui à radicibus arboris ſugitur, & ab omnibus partibus eiuſdem attrahitur, & virtute animæ alteratur, & in ſubſtantiam plantæ tranſmutatur.

Quær. 7. Quid ſit Fames, & Sitis, & quomodo fiãt. 7

Reſ. Duplicem eſſe famem, & ſitim, naturalem, & elicitam; Fames naturalis conſiſtit in quodam dolore, qui in ventriculo cauſatur ob illius reſtrictionem ex defectu alimenti; Sitis verò naturalis eſt pariter dolor proueniens ab arriditate, & ſiccitate eiuſdem met ventriculi, qui & diffunditur per fauces, quæ etiam inareſcunt. Fames autem elicita, vt habetur ex Ariſt. 2. de anima tex. 28. eſt appetitus calidi, & ſicci; ſitis verò appetitus humidi, & frigidi.

Fames autem ſic cauſatur. Ex dictis, omnia 8
membra attrahunt alimentum à venis, venæ à iecore, iecur à venis meſeraicis, hæ verò à ſtomacho, cum ergo ſtomachus alimento nõ eſt plenus, venæ meſeraicæ exugunt ab illo quidquid reperitur, vt cæteris membris diffundant, ex quo fit, vt ipſe ventriculus conſtringatur, & corrugetur, ſicq. magnum dolorem patiatur, & præſertim in ore ventriculi, vbi fit maior reſtrictio, qui dolor propriè, & rigorosè, eſt fames, vt notat Galenus lib. de inæquali temperamento; ex quo prouenit, quòd cũ phantaſiá percipiat talem reſtrictionem in uentriculo ob defectum alimenti, apprehendit alimentum, vt neceſſarium, hocq. proponit appetitui ſenſitiuo, qui confeſtim in ipſum tendit, & hæc eſt fames elicita; quia autẽ ex defectu cibi mẽbra corporis neceſſarium alimentum percipere nequeunt, ideò euenit laſsitudo illis.

Sitis autem cauſatur cum ventriculus eget humore, & liquore ad coquendum alimentum, cum enim coquat per modum elixationis, & debeat alimentum liquidum ad modum ſucci traſmittere ad iecur, ideò ob huius defectum, aliquo pacto conſtringitur ventriculus, & dolet, mouetq. phantaſiam, vt ſupra. Prouenit etiam ex arriditate in faucibus, ſeu œſophago, quæ eſt quædam pars mẽbranea, neruea, ex duabus tunicis cõſtans à faucibus ad ſuperius os uentriculi deſinens, cibumque in illum defferens.

SECTIO

SECTIO III.

De potentia Augmentatiua.

9 POtentia augmentatiua, est quedam virtus, & facultas animæ vegetatiuæ, qua viuens per intus-sumptionem alimenti, illud transmutando, & propriæ substantiæ addendo, augetur, & crescit, hocq. omnes concedunt. Dubitatur solùm, vtrum huiusmodi potentia distinguatur à prima iam assignata in præcedenti sectione, s. à nutritiua: cum enim tàm per vnam, quàm per aliam habeatur conuersio alimenti in substantiam aliti, cum hac sola differentia, quòd per primam conuertitur alimentum in substantiam aliti, in reparationem partium deperditarum vi caloris naturalis, per secundam verò in augmentum aliti. & viuentis, ideò essentialiter, & substantialiter videtur vna sola potentia, duplex tamē denominatiuè. At quia non tam facilè hoc potest stabiliri, nisi priùs vidēdo, quid in suo conceptu formali importet operatio huiusmodi potentiæ s. augmentatio; ideò hoc priùs inquiremus.

Supp. est autem 1. Varia esse in hac re Philosophorum placita; Iandunus 4. Ph. qu. 10. Burleus 3. Phys. tex 3. Zimara, & alij existimarunt, augmentationem formaliter consistere in extensione ad maiorem locum, quam, ratione substantiæ adgenitæ, acquirit viuens. Zabarella de accretione cap. 9. vult, consistere, ne dùm in extensione ad maiorem locum, sed & in aggeneratione nouæ substantię. Noster Ares. 1. de gen. disp. 4. sect. 2. sustinet eandem sententiam Zabarellæ, addens, per augmētationem principaliter, & in recto haberi extensionem ad locum, secundariò verò & in obliquo, aggenerationem substantiæ. Ægidius 1. de gen. quę. 27. Tolet. eodem loco quæ. 11. Conimbricen. quæs. 12. art. 2. Ruuius tract. de augmentatione quę. 6. & alii multi, volunt, augmentationem formaliter consistere in acquisitione nouę quantitatis, tanquam accidentis distincti à substantia, quæ acquiritur, per nutritionem. Marsilius 1. de gen. quęst. 10. Albertus de Sax. quæs. 9. Serbellon. disp. 2. de Ortu & Inter. quæst. 2. art. 3. sustinent, augmentationem formaliter importare generationem nouę substantię quantę, secundùm quam crescit viuens. Videndum est igitur, quid in tanta varietate opinionum sit dicendum.

Supp. 2. Dictum fuisse in lib. de gen. augmentationem importare motum à minori ad maiorem substantiam, cum enim in physicis negauerimus distinctionem inter substantiam, & quantitatem, ideò augmentationem esse ad solam quantitatem asseri non potest, sed ad substantiam maiorem, seu quantam, hoc supposito. Sit cum vltima sententia, quam perbene sustinet noster Morandus impugnatis aliis sententiis, secundo de anima tract. 2. quæst. 5.

10 Prima Con. Augmentatio formaliter consistit in aggeneratione substantię, vt quantæ.

Prob. 1. auct. Arist. qui 2. de anima tex. 47. ait. *Est autem esse aliud alimento, & augmentatiuo: secundùm enim quòd quantum quoddam est, augmentatiuum est, secundùm autem quòd hoc aliquid, & substantia, alimentum*; & primo de Gen. tex. 31. ait *Augmētatio enim est existentis magnitudinis additamentum*, ex quibus, & alijs testibus deducitur mentem Arist. fuisse, augmentationem importare aggenerationem substantiæ, sed vt quantæ.

Prob. 2. ratione. Ille est conceptus formalis, & quidditatiuus, qui primò habetur in re, & ad quem cæteri consequuntur, sed huiusmodi est assignatus respectu augmentationis, ergo &c. maior est certa, min. prob. quia augmentatio est illa, per quam viuens fit simpliciter maius, sed per hoc quod acquirat substantiam quantam, fit simpliciter maius, ergo. Item ex hoc, quòd viuens acquirat substantiam quantam, extenditur, seu maiorem occupat locum, vt volebat prima sententia; acquirit nouam quantitatem. i. non distinctam à substātia, vt asserebat Ruuius, & si quę alia sunt ex hoc consequuntur, ergo &c.

Prob. 3. Augmentatio ex Aristot. & communi Philosoph. est verus motus, enumeratur enim inter species motus, sed non est motus ad qualitatem, quia alioquin nō distingueretur ab alteratione; Tū quia per qualitates non augentur viuentia, augerētur enim accidentaliter, non substantialiter; neque est motus ad quantitatem solam, quia per nos, utpotè indistincta à materia, ad ipsam solam motus haberi nequit, neq. etiam est motus ad substantiam, quia vt substantia, est terminus mutationis, ergo debet esse motus ad substantiam, vt quantam, ergo &c.

Prob. 4 Viuens dum augetur, magis extenditur loco, sed hunc non potest acquirere per acquisitionem substantię simpliciter, & reduplicatiuè, substantia enim ut substantia, non dicit extensionem loco, ergo per acquisitionem substantię quantę, ergo augmentatio formaliter consistit in aggeneratione nouę substantię quantæ; hoc ita clarum est, vt supposita nostra doctrina de indistinctione quātitatis à substantia materiali, ferè nihil in contrarium obijci potest, cui clara, & patens non sit responsio. Quare, ex hoc habetur.

Secunda Conclusio. Nulla est distinctio entita-
tiua inter augmentationem, & nutritionem, sed 11
solùm denominatiuè, aut rationis. Ita docet Arist. 1. de gen. tex. 41. dicens *etenim sic differunt nutrimentū, & augmentatio, ratione* Hoc itidē uidētur in puero Auersa quæ. 50. de anima uegetatiua sect. 6. Marsilius de Gen. quæst. 10. Albertus de Saxon. 1. 6. quæ. 9. Venetus ibid. cap. 6. Valesius controuer. 29. & alij multi, præcipuè recētiores, quos sequitur Pont. disp. 26. de augment. quæ. 3.

Probatur. Tàm in augmentatione, quàm in nutritione aggeneratur substantia quanta. ergo uera conclusio: antecedens patet, in nutritione enim cum producatur noua substantia in reparationem substantiæ deperditæ, cum substantia deperdita fuerit quanta, ideo & substantia de nouo genita debet quanta produci, quòd etiam fit in augmen-

tatio-

tatione, per augmentationem enim etiam ageneratur noua substantia quanta, ergo &c. Licèt postea quando substantia quanta solùmmodo producitur in reparationem partium deperditarum, talis operatio denominetur nutritio, quia solùm nutriûtur, seu reparantur partes deperditę, quando verò, ne dum reparantur partes deperditę, sed & nouæ producuntur, denominatur augmentatio, quia viuens per additionem substãtiæ quantæ, maioris quantitatis, ac indigeat ad solum reparandas partes deperditas, crescit, & augetur. Hinc.

Coll. Augmentationem esse veram operationem vitalem, qua intrinsecè, & immanenter uiuentia, se augmentant per additionem nouæ substantiæ, ab ipsis, vi potentiæ augmentatiuæ, in propriam substantiam conuersæ.

Fit autem huiusmodi augmentatio hoc pacto; Vi caloris naturalis in viuentibus vegetatiuis, tanquã instrumento, dilatantur, & distenduntur versus omnem dimensionem, partes viuentis, ex qua dilatatione fit, vt pori earumdem partium (omnes enim partes viuentis sunt porosæ) magis dilatentur; Tùnc per virtutem attractiuam, à capillaribus venulis, quæ in partibus reperiuntur, quæq. desinunt in poros, attrahitur à viuente, vel quidam humor, quem exugunt venæ capillares viuentium solùm vegetatiuorum à terra, in qua fixas habent radices, vel sanguis, qui ductu venarum capillatiũ per omnes partes viuentis sensitiui diffunditur, hic autem humor, aut sanguis virtute potentiæ augmentatiuæ, ibi magis decoquitur, alteratur, & post varias mutationes in substantiã aliti trãsmutatur, vniturq. antecedenti substantię, quæ ideo crescit, & augmentatur. Quare ex hoc clarè patet, quod supra probabamus, nullã esse distinctionem entitatiuam inter nutritionem, & augmentationem, sed solùm denominatiuè differre, quat. quòd, quando acquiritur maior quantitas substãtiæ, ac sit necessaria ad reparandas partes deperditas viuentis, denominatur talis operatio, augmentatio; quando verò solùm acquiritur substantia necessaria ad partes deperditas reparandas, uocatur nutritio; ex quo deducitur.

Tertia Conclusio. Potentia augmentatiua entitatiuè, & realiter non distinguitur à nutritiua, nisi denominatiuè, & ratione, vt dicebamus de augmentatione, & nutritione. In hoc videntur conuenire omnes citati Doctores pro 2. Conclusio. quibus accedit Mastrius disp. 4. de anima quæst. 1. Guatinus disp. 6. de anima, exp. 12. Spinula disp. 2. de anima sec. 2. n. 7. Serb. dis. 2. de Ortu, & Inter. quæst. 2. art. 3. §. 25. & alij.

Probatur 1. Quando est idem modus operandi, & idem obiectum, est eadem entitatiuè potentia; sed idem est modus operandi, & circa idem obiectum, tàm potentiæ nutritiuæ, quàm augmentatiuæ, ergo tàm nutritiua, quàm augmentatiua est eadem entitatiuè potentia, minor ex antecedenti conclusione patet. Quare &c.

Probatur 2. Per eadem organa, & per eadem instrumenta, & in ijsdem partibus fit nutritio, & augmentatio, ergo entitatiuè earum potentiæ non distinguuntur. Tùm quia potentia nutritiua solùm per accidens non auget, nam dato quòd per calorem naturalem non deperderentur partes viuentis, per nutritionem augerentur, ergo quia entitatiuè non distinguuntur. Quare.

Ex hoc patet; Solùm distingui potentiam augmentatiuam à nutritiua denominatiuè, per rationem, & per effectus secundarios, quos causat, 12
scilicet dilatationem partium, quæ priùs erant, & motum localem earumdem, cum enim per interpositionem substantiæ quantę maioris, ac fuerunt partes deperditæ, necessariò partes, quę manent, ad inuicem dilatentur, & maiorem locum acquirant, ideò secundariò ad augmentationem tales sequuntur effectus, non verò ad nutritionem.

Ex quo patet 2. Augmentationem fieri secundùm omnes partes, cum enim nutritio fiat in omnibus partibus, & augmentatio non distinguatur à nutritione, ideò in omnibus partibus fit augmentatio.

Obijcies 1. ex Aristotele Augmentatio est motus ad quantitatem, ergo distinguitur à nutritione, quæ est motus ad substantiam, ergo & earum potentię distinguuntur.

Respondetur. Per nos non distingui quantitatem à substantia, quare tàm nutritio, quàm augmentatio, sunt motus ad substantiam quantam. Aristoteles autem supponebat contrarium, & ideò dixit augmentationem esse solùm motum ad quãtitatem, & ex hoc deducitur, neque augmentatiuam potentiam à nutritiua distingui.

Ob. 2. Potentia nutritiua semper perseuerat in viuente, secùs verò augmentatiua, ergo quia distinguuntur.

Respondetur Negando secundam partem antecedentis. Semper enim in virtute perseuerat potentia augmentatiua, licet per accidens augmentationem non producat, in quantum scilicet, postquã corpus est auctum vsque ad certam magnitudinem, cum virtus nutritiua, vtpotè magis diffusa, fit infirmior, cum substantia quanta sua duritie magis resistat, ne à calore naturali aperiantur pori, cum alimentum, quod paruis membris erat, nedum nutrimentum, sed & augmentum, illis iam auctis, penè sufficiat ad nutrimentum, ideò per accidens cessat augmentatio, .i. perseueret potentia augmentatiua, quare ex hoc.

Colligitur. Augmentationẽ non fieri toto tempore vitæ, vt deducitur etiam ex Aristotele 3. de anima tex. 60. & ratio est, quia corpora viuentia habent triplicem statum, augmentationis, consistentiæ, & decretionis, vt ipsa experientia patet, tàm in arboribus, quàm in animalibus, quòd autem animalia quando postquam cessarunt crescere pinguescant, hæc non est augmentatio, pinguedo enim prouenit ex debilitate virtutis nutritiuæ, quæ cum non possit conuertere totum alimentum in carnem, & ossa, illud alimentum, seu sanguis concoquitur, & fit pinguedo.

Quær. 1. An viuentia in augmentatione habe-
13 ant terminum magnitudinis.

Reſp. Affirmatiuè cum Ariſt. 4. de gen. animal. cap. 4. & 2. de anima, tex. 41. & alibi cum communi Philoſoph. ratio autem eſt, quia quæcumq. viuentia habent virtutem limitatam, cum principiū operationum ſit limitatum, & habeat ſphæram determinatā, quare in ipſis nequit haberi augmentatio in infinitum; Et ex hoc etiam deducitur, omnia viuentia habere etiam certum terminum paruitatis, quia viuens componitur ex partibus, & qualitatibus etherogeneis, quæ vt poſſint inuicem operari, exigunt, vt corpus quod componunt, ſit in aliqua magnitudine determinata.

Quær. 2. An poſt augmentationem remaneat idem numero viuens, ac priùs; & quomodo hoc ſaluetur.

Reſp. Remanere idem numero viuens; ita omnes Philoſophi cū Ariſt. 1. de gen. cap. 5. ratio autē eſt, quia remanent eadem numero accidentia, vt cicatrices, neui, maculæ, talis conformatio partium, &c. ergo ſignum eſt remanere & camdem numero ſubſtantiam. Conſ. quia de fide certum eſt, Chriſtum eodem corpore, quo conceptus fuit in vtero Virginis, paſſum fuiſſe, ſed hoc non eſſet, ſi non manſiſſet idē numero, ergo &c. Tota ergo difficultas cōſiſtit in explicādo quomodo idem numero maneat, cū omnes partes, quæ in augmētatione acquirūtur de nouo, addātur viuenti iam conſtituto in ſuo eſſe indiuiduali, & cum ui caloris naturalis, ita ſemper conſūmantur partes viuentis, vt in proceſſu tēporis, ita mutetur, vt nihil ſerè ex illa materia, ex qua primò fuit efformatum, remaneat. Zabarella cap. 17. de accret. Niphus 1. de gen. tex. 38. & alii ſuſtinent, viuens ſemper remanere idem numero, ex eo quia ſemper perſeueret eadem forma principalis .ſ. anima. At huiuſmodi opinio parùm ſubſiſtit, tum quia eſſet idem quoad vnam partem ſubſtantialē, ſecus verò quoad aliā ſ. materiam, quare cum viuens æquè cōſtituatur tale per vtramq. partem ſubſtantialem, materiam, & formam, ſecundū vtramq. debet perſeuerare idem numero. Tū quia, dato quod hoc valeret reſpectu hominum, in quibus, eadem ſemper remanet anima ſpiritualis, & indiuiſibilis, hoc ſaluari non poſset reſpectu cæterorum uiuentium, pręcipuè animalium imperfectorum, & plantarum, in omnium ſententia animas diuiſibiles habentium, ratione enim talis diuiſibilitatia, quælibet pars animæ informat, non totum uiuens, ſed partē particularē, qua cōſumpta, & ipſa pars animæ perit, & de nouo reproducitur, cum reproducitur illa pars deperdita, ut potè enim pars formæ materialia dependet à ſubiecto, ne dum in fieri, ſed & in conſeruari, & non poteſt tranſire de ſubiecto in ſubiectum, ſed in eo à quo fuit educta perſeuerat, quoaduſque ipſum perſeuerat corrumpitur uero ipſo corrupto; quare ex his omnibus apparet improbabilitas huiuſmodi opinionis. Scotus autem in 4. diſtinct. 44. quæſt. 1. cum ſuis aſſeclis multiſque recentioribus aſſerit, uiuens ſemper remanere idem numero moraliter, & per æquiualentiam, quat. .ſ. ex communi hominum placito, cenſetur idem numero, id quod habet ſeriem continuatam partium, ſic fluuius ſemper dicitur idem numero, licet uarientur aquę fluentes, ſic Nauis dicitur eadem numero, .l. dum reficitur ſemper ſucceſſiuè, per addiunctionem unius partis ad aliam, in fine tandem non habeat ullam partem ex his, ex quibus priùs fuit efformatæ, At neq. huiuſmodi ſententia ita explicata ſubſiſtit, hoc enim pacto, moraliter, & per ęſtimationem, non phyſicè remaneret idem numero viuens, experientia tamen conſtat etiam remanere idem numero phyſicè, remanent enim cicatrices, neui, & huiuſmodi ſigna indicantia, & idem ſubiectum phyſicè, non ſolùm moraliter remanere. Quare melius exiſtimo.

Reſpōdēdū quæſito. Viuens dici remanere poſt augmentationē idem numero, quia .l. viuens augeatur in magna extenſione, tamen partes, quæ adduntur, continuantur cum toto corpore, & ſic cum illo unum numero indiuiduum conſtituunt; nam .l. ui caloris naturalis partes aliquæ corporis corrumpantur, quia tamen non datur actio totalis corruptiua totius, ſed ſolummodo plures actiones partiales corruptiuæ partium corporis, ideò ſemper dicitur remanere idem numero, cum enim id quod additur, uel detrahitur corpori, cui proximè fit additio, uel detractio, adeo exiguum ſit, ideò nunquam illud mutari totaliter dicitur, ſed remanere idē numero. In hanc ſententiam conueniūt Auerſa diſp. 50. Phil. ſect. 4. Morand. tract. 2. de anima quæſt. 9. Guarinus diſp. 2. de uiuentibus, corporeis exp. 6. citantes D. Thom. 1. par. quæſt. 119. ar. 1. ad 5.

Dicitur etiam uiuens remanere idem numero, quia in ipſo probabiliùs eſt, ſemper remanere quoad ſubſtantiam, quaſdam partes ſolidiores, & duriores, ut oſſa, pellem, &c. cum enim iſtæ partes cum humiditate, magnam habeant annexam ſiccitatem, ideò ex ſe habent uirtutem magis reſiſtendi actiuitati caloris, quare .l. in illas agat calor, & humidum cibale, ſeu nutrimentale conſūmat, quia tamen etiam habent ānexam aliquam partem terreſtrem, & ſiccam, ideò ſecundùm totum non conſummuntur, ſed aliqua pars perſeuerat, quare idem numero, &c. Hanc opinionem deffendunt noſter Areſius 1. de Generatione quæſt. 35. ſect. 3. Ruuius tract. de augmentatione, Maſtr. in lib. de generatione diſp. 8. quæſt. 3. loco ſupracitato. Videantur de hoc fusè iidem Maſtrius, Auerſa, Morandus in locis ſupracitatis.

SECTIO IV.

De potentia generatiua.

IAm vidimus quid ſit operatio generatiua in
lib. de Generatione, ſcilicet origo uiuentis à 14
uiuente, &c. quare de potentia ſolùm procedit quæſtio, quæ potentia communiter definitur; quòd ſit facultas animę vegetatiuæ, qua uiuens ex ſuperfluo alimento, producit ſemen cū uirtute ſeminali,

quo

quo medio, sibi simile in specie potest producere ad propriæ speciei conseruationem ; pro specie autem nō intelligitur solùm atoma, sed etiā subalterna. Dubitatur ergo præcipuè hic à Philosophis (diffusior enim tractatus de hac materia spectat ad Medicos) an talis potentia distinguatur à potentia nutritiua, seu augmentatiua.

Sup. est autem. Potentiam generatiuā non sumi, pro potētia, qua organizatur corpus genitum, sed
1 solùm pro potentia, qua producitur semē, potentia enim qua semen iam decisum organizatur, non est potentia illius viuentis, à quo productum fuit semen, ergo neq. potentia illius vitalis, non enim posset subiectari in alio; intelligitur ergo pro potentia generatiua, potentia factiua seminis. Sit ergo.

Prim. conc. Potentia generatiua realiter non distinguitur à potentia nutritiua, aut augmentatiua. Ita Durand. in 1. dist. 3. par. 2. qu. 2. Conimbricenses 2. de anima cap. 4. quæst. vnica §. 2. Ruuius tract. de potentijs vegetatiuis qu. 2 n. 33. Vallesius lib. 2. controuersiarum cap. 19. Suarez 2. de anima cap. 9. & 10. Morandus in 2. de anima tract. 2. quæ. 2. Serbellonus disp 2. de anima vegetatiua quæ. 1. at. 1. & alii.

Prob. 1. Lic. in parte aliqua determiuata producatur semen, tamen per eandem potentiam producitur, per quam, & fit nutritio, ergo potentia nutritiua, & generatiua non distinguuntur; consequen. patet; prob. antecedens, eadem potentia nutritiua vertit sanguinem in lac, medullas in ossa, ergo poterit, & semen producere; hæc consequentia patet, quia licet semen non sit de substantia viuentis, neq. etiam est lac, ergo &c. Tùm quia semina arborum nutriuntur, & augentur per additionem partium eiusdem rationis, ergo quia potentia generatiua, augmentatiua, & nutritiua realiter non distinguuntur conseq. patet, ex productione enim termini omninò eiusdem rationis, arguitur identitas producentis & potentiæ.

Prob. 2. In tantùm deberet distingui potentia generatiua à nutritiua, in quantùm per generatiuā producitur in semine virtus generatiua, non uerò talis uirtus in cæteris partibus à potentia nutritiua producitur; sed hoc nihil officit, ergo &c. min. pt. per potentiam nutritiuam nutriuntur partes iuxta propriam exigentiam, sic in oculo producitur substantia cum uirtute receptiua specierum, in musculis substantia susceptiua motus, &c. & tamen est eadem potentia, ergo l. producatur in semine virtus seminalis, alia potentia realiter distincta à nutritiua non debet dici potentia generatiua, sed eadem. Ita tamen vt, quia producit semen cum tali virtute in ordine ad sibi simile producendum, denominetur generatiua.

Conf. auctor. Arist. qui 2. de anima tex. 42. ait *eadem potentia animæ est vegetatiua, & generatiua.*

15 Ob. 1. Potentia nutritiua sistit in viuente, generatiua verò tendit ad extra; nutritiua reparat substantiam in eodem viuente, generatiua verò producit aliud viuens; nutritiua assumit ab extra, & intromittit alimētum, illud conuertens in substantiam viuentis, generatiua aufert, & trāsfert de substantia ipsius viuentis ad generationem alterius; ergo & respectu termini producti, & respectu modi producendi distinguuntur, saltem formaliter, hæ duæ potentiæ.

Res. Potentiam generatiuam non esse explicandam modo assignato, sed solùm consistere in virtute producendi semen præditum virtute generatiua, hæc enim potentia, vtpotè vitalis, non habet producere suam actionem in termino alieno, sed imanenter, & in se; quare trāslatio seminis, efformatio fœtus, organizatio, & huiusmodi, non dicuntur actiones formaliter vitales, cum fiant in alieno subiecto; atq. adeo neq. sunt actiones vitales potentiæ generatiuæ vitalis, sed illius actio imanens, & vitalis solùm consistit in productione seminis, cum virtute generatiua, quæ productio cum fiat, sicuti fiunt cæteræ aliæ corporis partes, ideò ab eadem potentia nutritiua fieri dicendum est, quæ tamen respectu talis partis, scil. partis seminalis producta, denominatur generatiua.

Obiic. 2. Omnia viuentia habent potentiam nutritiuam, non verò generatiuam, ergo distinguuntur; antecedens patet in mulis, & in quibusdam alijs animalibus, quæ solùm ex putri gignuntur.

Resp. neg. antecedens, & ad probationem dico. Quòd aliqua eadem potentia potest requirere plura ad producendum vnum effectum, quam alium, quæ si desint, illum effectum non producit, bene verò alium, & tamen distincta potentia non est dicenda; quare cum potentia generatiua ad producendum semen cum virtute generatiua, requirat tale temperamentum, tales dispositiones, &c. cum non sint in quibusdam animalibus, inde sequitur, in ipsis generationem non reperiri, non vero arguitur defectus potentiæ, vel distinctio eiusdem.

Obiic. 3. Generatio viuentium est origo viuentis, &c. ergo non est sola productio seminis, ergo potentia generatiua, non in solo posse producere semen consistit, sed in aliquo alio, ratione cuius distinguatur à potentia nutritiua.

Resp. dist. consequens non est sola productio seminis, si generatio sumatur inchoatiuè, & nego consequentiam; si sumatur terminatiuè, & concedo consequentiam, ex parte enim generantis, sufficit, quod producatur semen cum virtute seminali potente ad efformandum fœtum; quare quando dicitur generationem esse originem, &c. explicatur generatio terminata recepta in genito, quæ sic sumpta totaliter, non est totaliter vitalis, cum non subiectetur in principio, à quò fluit. Quare per generationem, quat. dicit ordinem ad generantem, sufficit quod producatur id, ratione cuius genitum debet esse coniunctum generanti in similitudinem naturæ, quod est semen, neq. enim requiritur omnina, & perfecta coniunctio, ita vt agens totam actionem in se ipso perficiat, sed sufficit, quòd in se quodammodo inchoet generationem in aliqua parte sui, scilicet in semine, quod postea loco sui substituat, vt prosequatur actus generationis, vt clarè patet in arboribus, quę verè dicuntur habere potentiam generatiuā, & generare,

& tamen solùm semen producunt, illud postea à se expellendo per potentiam expulsiuam, subordinatam, vt iam dixi, potentiæ generatiuæ, & nutritiuę. quòd etiam euenit in cæteris animantibus, Atq. adeo ex hoc non deducitur, potentiam generatiuam esse à nutritiua distinctam, licet ad generationem perficiendam totaliter, requiratur aliqua alia potentia, vel illi subordinata, vel si disparata, concomitans, & coadiuuans.

Coll. ex dictis Animam vegetatiuam habere vnam solùm potentiam tàm realiter, vt iam diximus cũ de anima in communi, tàm formaliter, solùm autem denominatiuè distinguibilem, quatenus terminat ad productionem diuersarum partium in corpore vegetante.

SECTIO V.

An ad Generationem requiratur duplex principium actiuum.

16 NOn loquimur hìc de generatione vitali incoatiuè, quatenus .s. sistit in sola productione seminis cum virtute generatiua, certum est enim, quod ad huiusmodi generationem, solum viuens, in se per actionem immanenté producens semen, concurrit; sed quæstio procedit de generatione completa, per quam .s. aliquod viuens aliud sibi simile in natura generat; loquitur autem quæstio tàm de viuentibus vegetatiuis solùm, quàm de cæteris; primò tamen inquiremus de sensitiuis,

Supp. est autem. Ad quamcumq. generationem viuentium sensitiuorum, quæ per propagationem fiat, necessarios esse duos progenitores, masculum .s. & fœminam, in quibus necesse est residere potẽtiam generatiuam communem; hoc autem ita cõmuniter acceptum est, vt contrarium, licet ab aliquibus credatur possibile, & à Varrone lib. 2. de re rustica, & à Plinio lib. 8. cap. 24. asseratur, aliqua in regione, equas sine mare, soloq. vento cõcipere, attamen falsissimum, & erroneum communiter censeatur, talisq. fabulę sic rationem reddit Iustinus lib. 44. Historiar. *qua fabula, ex equarum fœcunditate, & gregum multitudine natę sunt, qui tanti in Gallecia, & Lusitania, ac tam pernices visuntur, vt non immeritò, vento ipso concepti videantur*: quare, & compertum est, ex ouis, quæ fœminæ quorundam animalium, ex se ipsis absq. mare educunt, nunquam enasci filios, si mas aliquo pacto non concurrat, sic de piscibus notauit Arist. 1. de Gener. animalium cap. 20. his verbis, *Vbi fœmina oua ediderit, mas semen aspergit & quæcumq. attigit, fœcunda efficiuntur, quę non attigit remanent infœcunda*: & licet referatur, aliquas esse species animalium, quæ, aut solas fœminas, aut solos mares videantur habere, attamen cum habeatur, semper ex mutuo congressu generare, vel dicendum est, vtrumq. esse vtroq. sexu prę ditum, vel non dignosci differentiam sexus ob maximam similitudinem. His suppositis, dubitatur hìc, an utrumq. principium, masculus .s. & fœmina concurrant ad generationem actiuè, ita quòd uirtus generatiua resideat tota in utroq. principio, an uerò in uno solo .s. in mare; asserebat enim Arist. fœminam non esse principium actiuum, sed solum passiuè se habere, præbendo materiam, sine qua. Sit ergo.

Prima Con. In uiuentibus sensitiuis, uirtus generatiua in duplici reperitur principio, in mare .s. & in fœmina, atq. adeo, tàm mas, quàm fœmina de necessitate concurrunt actiuè ad generationem, uerum semen emittendo. Hoc innuimus supra cũ de principio, aut origine animarũ; est contra Arist. 1. de Gener. animalium cap. 20. Auicenam lib. 9. de anima cap. 3. Auerroem 2. coll. cap. 10. Albertum lib 15. de animalibus tract. 2. cap. 11. aliosq. plures philosophos. Est tamen ferè omnium medicorum, Hippocratis lib. de Genitura, Gale. lib. 6. de locis affectis cap. 5. & lib. de usu partiũ, Vallesij lib. 1. Controu. cap. 6. & ferè recentiorum omnium Philosophorum. 17

Prob. autem 1. Ex anatomica arte, eadem vasa semen deferentia, concoquentia, & seruantia, tàm reperiuntur in maribus, quàm in fœminis, ergo dicendum est, uerum semen, & produci, & emitti in generatione uiuentis, tàm à mare, quàm à fœmina, atq. adeò utrumq. principium actiuè concurrere ad generationem. consequentia patet, natura enim nihil frustra operatur.

Neq. ualet, in testibus, & in aliis organis fœminę, non produci, seu reperiri uerum semen, sed quẽdã humorem serosum, qui se habet ut materia, circa quam, atq. adeo naturam nullum finem habuisse in productione horum uasorum in fœminis, nisi quem & habuit in productione mãmarum in uiris.

Resp. enim, hoc esse falsum, neq. enim huiusmodi vasa tot gyris, & anfractibus essent implicata, vt conspiciuntur, si solùm in ipsis humor aqueus, crudus, & serosus debuisset contineri: quare cum tot gyri, & anfractus in vasibus maris deseruiant ad elaborandum, & efformandum verum semen, etiam ad hoc deseruire in fœminis dicendum est. Deinde, & ante emissionem seminis, motus libidinosi sentiuntur in fœminis, sicuti & in maribus, & post emissionem quiescunt, ergo signum est, tàm à fœmina, quàm à mare verum semen & produci, & emitti, atq. adeo, & actiuè vtrumq. concurrere ad generationem viuentis.

Paritas autem de Mamillis maris non ualet, in maribus enim sunt solũmodo ad ornatũ, & robur, quod patet ex eo quia neq. sunt glandulosæ, neq. cum organa necessaria ad concoquendum, & efformandum lac, quales sunt mamillæ fœminarum. quod non est dicendum de organis, & vasibus seminalibus fœminę, quę sunt ferè omninò similia illis marium, glandosa .s. tortuosa, variis gyris, & anfractibus implicata &c.

Prob. 2. Si fœmina uerum semen non produceret, neq. haberet potentiam generatiuam uitalem, hoc implicat, ergo minor patet, potentia enim generatiua est potentia inseparabilis ab anima uegetatiua, quam non habere fœminas, nemo dicere potest. 18

potest; mai. prob. potentia generatiua vitalis est qua viuens potest, & producit in se immanenter actionem generatiuam vitalem, sed nullam aliam actionem generatiuam vitalem in se producit, nisi actionem, qua in se producit semen cum virtute generatiua, ergo si fœmina non produceret in se verum semen, non haberet in se potentiam generatiuam vitalem; quare, ne dicatur, fœminam non habere in se potentiam generatiuam vitalem, asserendum est producere in se verum semen; atq. adeo & actiuè concurrere ad generationem.

Neq. dicas, aliqua viuentia esse sterilia, & tamẽ habere potentiam generatiuam vitalem, vt patet in mulis, & in quibusdam plantis, quæ semina non producunt, vt Lenticula palustris, Salix, Asplenum, & si producunt, sterilia, & inefficacia sunt, vt semina Iunci, & Hypocystris, & omnium florum duplicium.

Resp. Omnia viuentia habere potentiam generatiuam, ex defectu tamen alicuius requisiti necessarii, putà apti temperamenti, loci necessarii, optimi alimenti, &c. non exire in actum perfectum, & completum generationis, qualis est productio sibi similis in natura; huiusmodi autem nè dum sunt muli (de quibus tamen asserit Arist. pluribus in locis. & præcipuè 2. de gen. animal. cap. 6. in fin. fœcundos fuisse, & genuisse) sed alia animalia, mares, & fœminæ. Ad id autem de infœcundis seminibus aliquorum vegetatiuorum, respondeo (quidquid dicãt aliqui mordicùs sustinentes, omnes plãtas proprium habere semen, & hoc fœcundum), dato quod aliqua semina sint infœcunda (quæ tamen tunc non sunt propriè appellanda semina, sed fructus talium vegetatiuorum:) non per hoc talia vegetatiua esse infœcunda, multiplicantur enim vel quia eorum rami præcisi in terra plantentur, vel per viuistolones, ex eo quia virtutem seminalem, non in eorum fructibus, quæ communiter appellantur semina, sed per totum corpus producant; Quare à primo ad vltimum patet, quòd si aliqua viuentia non haberent virtutem producendi in se semen cum virtute generatiua, non possent dici pollere potentia generatiua.

Prob. 3. Filius assimilatur ne dùm Patri, sed etiã Matri, ergo quia ad illius productionem Mater actiuè concurrit: antecedens patet in Mulo progenito ex Equo, & Asina, qui vtriusq. delineamenta repræsentat: in natis ex mauro, & fœmina alba, qui medij coloris sunt, nec totaliter nigri, nec totaliter albi; in genitis à fœminis aliquo morbo laborantibus, qui eodem patiuntur morbo, &c. cons. prob. quia agens est illud, quod intendit assimilare sibi effectum, & solùm principium actiuũ, non passiuum, est principium distinguendi, & assimilandi.

Neq. dicas, talem similitudinem prouenire ex materia, quam præbet passiuè Mater.

Resp. hoc non valere, quia animalia, quæ generantur ex putri, non assimilantur illi putri materiæ .i. ex illa generentur, neq. pediculi, qui ex materia hominis generantur, illi assimilantur; ex eo quia principium solum actiuum, non passiuum habet vim producendi sibi simile. Quare.

Ob. tamen 1. Fœminæ sine virili semine nequeunt concipere; quandoq. tamen conceperunt absque effusione proprij seminis, vt testatur Auerroes apud Zerb. 8. Metaphy. quæst. 2. ergo ipsę actiuè non concurrunt ad generationem, ad quam solum actiuè concurrit semen virile.

Resp. Neq. fœminas sine virili semine, nec mares sine fœmineo semine vnquam posse pertingere ad generationem animalis, quare fabulosum est quod dicitur, aliquas fœminas ex solo semine virili concepisse; hoc autem ex effectibus deducitur, videmus enim omnia animalia semper, ex vtriusq. seminis effusione generari, immò oua subuentanea gallinarum non esse apta ad generationem pullorum manifestum est, quare ex effectibus dignoscitur semper propria virtute vtrumq. principium masculum .s. & fœminam ad generationem actiuè debere concurrere.

Ob. 2. In quacumq. procreatione, semper requi- 19
ritur agens, & patiens, ergo cum masculus concurrat actiuè, fœmina solùm passiuè prębendo materiam concurret.

Resp. neg. conseq. Vtiq. enim fœmina concurrit passiuè, vel recipiendo semen, vel quoad subministrationem sanguinis menstruosi; attamen per hoc illi aliqua actiuitas non est neganda, sicuti neq. aliqua passio respectu masculi negari potest, quare dico, partem utriusque seminis, tàm masculi, quàm fœminæ esse passiuum, seu se habere passiuè, respectu alterius partis itidem utriusque seminis, quæ se habet actiuè; Quòd autem hoc ita sit, patet, ex eo quia non tota quantitas seminis uirtutem conformatiuam ad producendum actiuę habet; sed talis uirtus ad aliquas solas illius particulas restringitur, ut patet in seminibus arborum, & segetum, quæ licet corrodantur, & deficiant in ceteris partibus, si tamen in illis perseuerat oculus, aut acumen grani, & perseuerat uirtus seminalis, & conformatrix, quare aliquæ particulæ seminis, utpotè quia in ipsis resider uirtus seminalis, agunt actiuè, reliquæ uerò subministrant materiam, in quam datur actio, atq. adeò .l. aliqua pars seminis fœminei passiuè se habeat, aliqua pars actiuè concurrit.

Ob. 3. Si fœmina actiuè concurreret ad generationem, uerum producendo, & emittendo semen, sequeretur, posse concipere, & generare absq. maris congressu, hoc est falsum, ergo &c. minor patet. si hoc enim naturaliter posset esse, ergo supernaturalis non fuisset conceptio Christi in utero Virginis; mai. prob. nam semen mulieris est eiusdem rationis, & speciei ac semen maris, cum sanguis ex quo gignitur, & potentiæ producentes sint eædem specificè utriusq. ergo solùm numero, & accidentaliter, non substantialiter differrent talia semina, atq. adeò, tam posset concipi ex sola massa seminis fœminei, quam ex massa seminis, & fæminei, & uirilis.

Resp. neg. mai. ad cuius probationem dico. Non posse ex solo semine fœmineo haberi generationẽ completam, ex eo quia semina utriusq. maris scil. & fœminæ concurrunt ad generationem, tamquam duæ causæ partiales instrumentales, quarum una necef-

necessario dependet, ex lege naturæ, à consortio alterius, quare licet augeretur semen muliebre tamen non augeretur ad qualitatem necessariam ad generationem, quia in hac dependet à causa alia partiali, à semine .s. virili, cum quo necessariò ex naturæ lege, debet vniri, & commisceri, ad hoc vt ex vtroq. tanquã ex vna causa totali instrumẽtali resultet temperamentum, & qualitas necessaria ad generationem, quæ neq. ex fœmineo solo, neq. ex solo virili haberi potest.

Secunda Conclusio. Etiam viuentia vegetatiua duplex habent sui cumprincipium, terram .s. & semen. Ita cum aliquibus Guarinus disp. 5. de viuentium generatione exp. 7.

Patet hæc concl. ex eo quia semina nisi terræ mandentur, progerminare non possunt, ergo quia terra etiam ipsa actiuè concurrit. Tùm quia aliqua semina secundùm proprietates terrarum, in quibus seruntur, mutantur, vt refert idem Guarinus de semine peponum, quod in Peru delatum, in magnam crescit arborem, ergo quia terra simul cum semine concurrit ad generationem vegetatiuorum.

Quæ. A quo efformetur fœtus, & organizatio illius, in generatione viuentium sensitiuorum.

Resp. Efformationẽ fœtus (vt supra inuimus) radicaliter, & ĩ genere causæ prĩcipalis haberi à parẽtibus à quibus semẽ decidit, proximè vero à calore ĩnato, seu spiritu seminis, concurrente etiam actiue, & anima, & vtero matris, ĩ animalibus perfectis, ĩ ouiparis verò, à calore innato insidenti in ouo, concurrente calore extrinseco fouentis oua; De causa principali, & radicali nullum est dubium; patet etiam de causa proxima, ex eo quia, efformatio fœtus cõsistit in congregatione, & separatione partium seminalium, quæ alterentur, condensentur, rarefiant, vt ex illis educantur formæ substantiales partiales efformantes organizationem necessariam ad animam, formam principalem, sed hoc potest præstare calor innatus, & virtus seminis, maxime concurrẽte actiuè anima matris, & cum propria dispositione, vtero eiusdem, ergo &c.

Resp. 2. Organizationem fœtus imperfectam produci à matre in cuius vterum recipitur semẽ; perfectã verò, & cõpletã fieri ab anima adueniẽte, & informante fœtum, cum enim ipsa habeat virtutem attractiuam, expulsiuã, &c. potest disponere materiam in diuersas perfectas formas, & perfectè organizare corpus, quod cùm imperfecta organizatione reperit.

DISPVTATIO TERTIA

De Anima Sensitiua.

AGit Phi. in 2. loco de anima Sensitiua, vt potè quia est vniuersalior, quàm Rationalis, quare cum hùcusq. expenderimus quæ spectant ad vegetatiuam, in præsenti sectione dilucidabimus, quæ ad sensitiuam sunt ordinata. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit anima sensitiua; quæ, & quot illius potentiæ.

ANima sensitiua, vt iam diximus, est principium vitale operationũ immanentium, quæ fiunt per organa, & qualitates aliqualiter incorporeas, & intentionales, mediis speciebus, cum dependentia ab organo corporeo; per hãc autem animam in communi constituitur animal pariter in communi; animal enim non est quodcunq. corpus animatum, sed corpus animatum anima sensitiua, vt notauit Arist. cap. 1. de Iuuent. his verbis *Per sentire autem, animal a non animali determinamus.*

Huius autem animæ, tres communiter assignãtur potentiæ primariæ, Sensitiua Cognoscitiua, Appetitiua, & Loco-motiua, quæ singulæ diuiduntur in alias potentias inferiores subordinatas, Cognoscitiua si quidem diuiditur in sensus internos, & externos, Appetitiua, in irascibilem, quæ habet pro obiecto bonum sensibile, vt arduum, & concupiscibilem, quę habet pro obiecto bonum sensibile, vt conueniens, Loco-motiua deniq. in perfectam, & imperfectam, perfecta est illa, qua mouetur corpus totaliter de loco ad locum, imperfecta verò,

qua mouetur partialiter, vel mouendo partem solam, vel acquirendo locum partialem, non relicto totali, vt quando mouet brachium in toto corpore.

Potētiæ autem externæ, seu sensus externi, quinq. communiter assignantur, & sunt Visus, Auditus, Odoratus, Gustus, & Tactus; dicuntur autem potentiæ externæ, quia habent organa externa, ad differentiam internarum, quæ interna organa habent.

Potentiæ verò internę quinq. ferè communiter assignantur. Prima est, Sensus communis, ita dictus, ex eo quia versatur circa obiectum omniū sensuum exteriorum, cum enim ipse spiritus animales ad sensus externos immitat, vt possint suas functiones exercere, ipsi verò è contrà ad ipsum remittant species obiectorum, ideò ipse percipit obiecta omnium sensuum externorum. Secūda est, Imaginatio, quæ retinet species sensibiles internas, & iam delatas ad sensum communem, etiam absente obiecto, operatur autem repræsentando sensibus per tales species, obiecta. Tertia est, Æstimatiua, quæ e speciebus sensibilibus efformat species insensibiles, sic agnus, ex specie sensibili lupi illā repręsentata, efformat speciem disconuenientiæ, unde fugit; hæc autem potentia, in Brutis, dicitur Æstimatiua, in hominibus, Cogitatiua. Quarta est Phātasia, quæ uarias species obiectorum sensibiliū inter se coniūgit, sic .I. quis nunquam uiderit montem aureum, tamen interiùs hunc effingit coniungens species montis, & auri, sic agnus apprehendit lupum, ut inimicum, pastorem, ut amicum, Vltima est. Memoria, quæ conseruat species obiectorum sensibilium.

An autem tales potentiæ inter se distinguantur formaliter, aut inadæquatè materialiter, patebit ex illarum cognitione, quæ enim habent diuersum organum, materialiter inadæquatè distinguūtur; quę verò diuersimodè etiam operantur, formalem, seu virtualem inter se habent distinctionem.

His ergo suppositis, & tanquam alibi probatis, & tanquam ferè communiter concessis, primò agendum est de potentia sensitiua siue cognoscitiua, & prima difficultas, quę in hac materia se se offert est, an sensus, siue potentiæ sensitiuę effectiuè concurrant ad sensationem, & ad terminum productum. Pro quo. Sit.

SECTIO II.

An sensitiuę potentiæ effectiuè concurrant ad sensationem, & ad terminum productum.

SVpp. est. Potentias sensitiuas esse potentias passiuas, vt habetur ex Arist. 2. de anima tex. 37. & præcipuè tex. 121. vbi ait, *similiter autem, & sensus unusquisq. ab habente odorē, aut saporem, aut sonum patitur*, & alibi; conceditur q. ferè etiam ab omnibus; & ratio est, quia cum agant immanenter, debent in se recipere suam operationem, ergo. Tùm quia actus sensationis, non potest recipi in subiecto disparato à sensu, alioquin ille sensus non diceretur sentire, ergo in ipsis potentijs. Tùm denique quia illud est subiectū sēsationis, quod dicitur sētire, sed sensus dicitur sentire, ergo recipit in se actū sensationis. Quare hoc tanquā certo supposito, solùm dubitatur, an sint etiam potentię actiuæ; fuit enim quorumdam opinio, esse solùm potētias passiuas, & in ipsis sensationem fieri, per solam receptionem, & vnionem cum ipsis potentijs, specierum ab obiecto in ipsas immissarum contra, quos. Sit.

Prima Conc. Potentię sensitiuę sunt actiuę, atq. adeo effectiuè concurrunt ad suos actus. Ita cum Arist. 2. de anima tex. 36. & alibi, D. Th. 1. par. qu. 79. art. 3. Scot. in 3. dist. 14 qu. 4. art. 2. Auersa dis. 51. de anima sensit. sect. 2. Morandus 2. de anima tract. 3. qu. 2. Suarez. 3. de anima cap 4. nu. 3. Serb. disp. 2. de anima qu. 2 art. 2. Guar. disp. 7. de anima sensitiua exp. 6. & ferè recentiores omnes.

Prob. 1. Sensatio est actus vitalis, & immanens, sed huiusmodi supponit principium intrinsecum, à quo fiat, ergo cum aliud non sit assignabile, dicendum est, hoc esse potentiam, effectiuè, & actiuè ad talem actionem vitalem concurrentem.

Prob. 2. Multoties est in potentia receptio speciei, & nō sensatio, ergo ad sensationem non sufficit receptio speciei, vt volūt auct. contrariæ sententiæ, sed est necessarius concursus actiuus potentiæ; an. tec. patet, quando aliquis in aliqua contemplatione est abstractus à sensibus, vel quando tenuis species soni recipitur in aure, aut species obiecti visibilis in oculo semidormientis, &c. tunc est receptio speciei & non sensatio, ergo quia effectiuè tunc non concurrit potentia, ergo &c.

Prob. 3. In aere, & in speculo recipiuntur species obiecti sensibilis, & tamen hæc non dicūtur videre, sentire, &c. ergo quia ad visionem, auditionem, &c. requiritur concursus actiuus potentię.

Neq. dicas, per hoc quod recipiatur in sensu species obiecti, quæ est illius imago, obiectum repræsentatur sensui, & fit illi præsens, diciturq. obiectum percipi à sensu. ergo ad sensationem sufficit sola receptio speciei obiecti.

Resp. enim. Hoc pacto etiam speculum, & aerem posse dici sentire, siquidem in ipsis recipiuntur species obiecti, quare dico, nedum requiri ad sensationem receptionem speciei obiecti, sed etiam efficientiam ipsius potentiæ sensitiuę, per speciem enim obiectum repræsentatur sensui virtualiter, nō formaliter, virtualiter si quidem, quia species est virtus obiecti, qua virtute informatus sensus, elicit actum sensationis, qui actus est formalis, & expressa repræsentatio obiecti, quę est veluti idolum, seu imago obiecti, à sensu producta, ut terminus actionis, sicuti intellectus producit Verbum.

Aduer. Nō esse distinguendas potentias actiuas, à passiuis, nam eademmet potentia est actiua, & passiua, cum enim de ratione actus immanentis sit elici, & recipi in eodem principio, ideo eadem potentia, quatenus elicit, dicitur actiua, quatenus recipit, passiua.

Coll. Quòd etiam obiectum, per speciem impressam effectiuè concurrit ad sensationem simul cum

cum potentia; cum enim potentia nequeat producere ſenſationem, niſi determinetur ab obiecto per ſpeciem, neq. ſpecies niſi vniatur cum potentia, ideò ambo effectiuè concurrunt ad ſenſationem, ſpecies enim complet potentiam ſenſitiuam in ratione operantis, & ideò ſimul cum illa dicitur effectiuè concurrere ad ſenſationem.

SECTIO III.

De obiecto Senſibili.

QVoniam potentiæ Senſitiuæ circa obiectum ſenſibile verſantur, inquirendum eſt, quid ſit tale obiectum ſenſibile.

4 Supp. eſt 1. Obiectum ſenſibile eſſe omne id, quod poteſt terminare potentiam ſenſitiuam. Tres autem conditiones, in communi doctrina, requiruntur, vt aliquid ſit obiectum ſenſibile; prima eſt quòd ſit reale, non enim ſenſus, maximè externus, poteſt efficere ens rationis, aut actu poſitiuo cognoſcere negationes, cum non habeant ſpecies, quas immittant in ſenſus, ſic oculus non videt tenebras, auris non percipit ſilentium &c. ſecunda, quòd ſit corporeum, ſenſus enim corporeus nequit niſi res materiales, & corporeas percipere; tertia, vt ſit ſingulare, ſenſus enim ex Ariſt. 2. de anima tex. 60. eſt ſingularium, & ſcientia vniuerſalium, quare licet aliquando ſenſus videatur plura, vt vnū cognoſcere, ſenſus tamen non cognoſcit pluritatē, ſed ſolā ſingularitatē; quarta vt ſit accidētale, ſubſtantia enim qua ſubſtātia, ſolùm intellectu percipitur, & ad ſummum vt ſubſtat accidentibus, ſeu, vt per accidentia ſit manifeſta, denominatur ſentiri, ſic dicitur homo videri, licet tamen vera ſubſtantia hominis, verè non videatur.

Supp. 2. Duplex ab Ariſt. 2 de anima tex. 63. & communiter aſſignari obiectum ſenſibile, per ſe .ſ. & per accidens. Obiectum ſenſibile per ſe eſt id, quod immediatè cadit ſub ſenſu, ſeu immediatè terminat actum ſenſationis, vt v. g. color, qui immediatè attingitur ab oculo: obiectum verò ſenſibile per accidens, eſt quod per accidens ab aliquo ſenſu percipitur, nō per propriam ſpeciem, ſed quia eſt annexum obiecto ſenſibili per ſe, ſic quando oculus videt filium Petri, illa relatio filiationis dicitur obiectum per accidens, quia oculus in tantùm videt filium Petri, in quantum eſt coloratus, color ergo eſt obiectum per ſe, filius Petri verò per accidens; hoc tamen obiectum per accidēs, niſi confusè à ſenſibus percipitur.

Diuiditur inſuper ab eodem Ariſt. loco citato obiectum ſenſibile per ſe, in proprium, & in commune; obiectum ſenſibile proprium eſt, quod ita eſt obiectum alicuius ſenſus externi, vt nequeat attingi ab alio externo, licet poſſit ab internis, qui omnia obiecta ſenſuum externorum attingunt, huiuſmodi autem eſſet, color reſpectu viſus, ſonus reſpectu auditus, odor reſpectu odoratus, ſapor reſpectu guſtus, durities, & mollities reſpectu tactus; obiectum autem ſenſibile commune, eſt id, quod poteſt attingi non ab omnibus, ſed ſaltem à duobus ſenſibus externis, vt optimè declarauit Ariſt. in lib. de ſenſu, & ſenſi cap. 4. vt v. g. extenſio, magnitudo, quæ & oculo, & tactu poteſt percipi: Circa ergo hoc obiectum commune, maior difficultas verſatur, in aſſignando .ſ. quotuplex ſit; pro quo Sit.

Prima Conc. Obiecta ſenſibilia communia, ſunt tantùm quinq. .ſ. Motus, Quies, Numerus, Magnitudo, & Figura. Ita cum Ariſt. 2. de anima tex. 64. ferè communiter, vt videre eſt apud Aueſſam quę. 52. de anima ſenſitiua ſec. 2. Maſt. diſp. 4. de anima ſec. 3. 5

Prob. Omnia iſta quinq. percipiuntur à diuerſis ſenſibus, ergo ſunt obiecta ſenſibilia communia, prob. antecedens de ſingulis; motus enim (materialiter tamen ſumptus, prout dicit ſucceſſionem materialem partium) & viſu, & tactu percipitur; vt patet; item olfactu, & auditu, ſentimus enim an obiectum ſenſibile ſonus, aut odoris, nobis accedat, vel recedat, quies etiam ab iiſdem ſenſibus percipitur, non formaliter, quatenus quies dicit negationem motus, ſed materialiter, quatenus dicit permanentiam rei in eodem ſtatu, hoc enim pacto dicit aliquid poſitiuum; & ad hæc duo reducuntur velocitas, & tarditas, & tempus.

Numerus percipitur etiā a pluribus ſēſib⁹, nō formaliter, ſed materialiter, videmus enim tot obiecta colorata, tot ſentimus ſonos, &c.

Magnitudo item percipitur tàm viſu, quàm tactu, & ad hanc reducitur diſtantia, ſenſu enim percipitur, rem magis, minuſue diſtare.

Vltimò deniq. Figura his duobus ſenſibus cognoſcitur, & ad hanc ſpectant lene, & aſperum, denſum, & rarum, & aliæ ſimiles quantitatis proprietates. Aduert. tamen, quòd hæc omnia materialiter ſumpta, ſunt obiecta ſenſibilia, non formaliter, ad intellectum enim ſolùm ſpectat dignoſcere formalitates, ſunt autem obiecta, nedùm ſenſuum externorum, ſed etiam internorum, ſenſus enim externi ipſorum ſpecies immittunt ad ſenſus internos.

Quę. primò. An obiectum ſenſibile commune mittat ſpeciem peculiarem, diſtinctam à ſpecie, quam emittit, vt ſenſibile proprium.

Reſp. probabilius eſſe, non ĩmittere nouam ſpeciem, ſed per eaſdem, quas emittit vt ſenſibile proprium, ĩmutare ſenſum; ratio autem eſt, quia ſpecies obiecti repræſentat, non ſolùm obiectum, ſed etiam omnes illius affectiones, ſic ſpecies repræſentans colorem nigrum, nedum repræſentat illud obiectum nigrum, ſed etiam illius magnitudinem, & extenſionem, ergo cum talis ſpecies, poſſit ſecundùm vnam rationem immutare vnum ſenſum, ſecundùm aliam, alium, nouam ſpeciem, ab ipſa diſtinctam, non efformari dicendum eſt, ſed primam perſeuerare. Videatur de hac re diffuſius Maſtrius diſp. 4. de anima ſec. 5. ar. 2. num. 60.

Quæ. 2. An poſſit dari ſenſatio, abſq. eo quòd ſenſibile ſit præſens.

Reſp. Naturaliter non poſſe, benè verò ſupernaturaliter; Quòd naturaliter non poſſit, patet, 6

nam

nam in tantùm fit sensatio, in quantùm a sensibili, aut imediatè, aut mediante illius specie mouetur, & imutatur sensus, ergo deficiente ipso, nec motus nec mutatio potest fieri, ergo neq. sensatio.

Supernaturaliter autem potest fieri, quia aliquando in Eucharistia visus fuit Christus sub forma pueri, aliquando ibi inspecta est caro Christi, sed huiusmodi sensationes, seu visiones fiunt solùm per solā speciem à Deo productam, causantem sensationem illarum rerum, vt docent D. Tho. 3. par. qu. 76. ar. 8. Scotus, Durandus, & alii, ergo &c.

Quæ. 3. Vtrum sensibile supra sensum faciat sensationem? Ratio autem dubitandi est, quia videtur Arist. hoc negasse 2. de anima tex. 75. vbi ait *nihil enim ipsorum* (loquitur de sono, & odore) *tangens sensitrium facit sensum*, & tex. 98. *&* *in ipso quidem positum sensorio* (loquitur de odore) *insensibile esse, omnium commune est*.

Resp. tamen posse facere sensationem, si adsunt cætara requisita; videtur esse contra cōmunem, est tamen P. Morandi 2. de anima tract. 3. qu. 6. Guar. dis. 7. de anima sensitiua exp. 4. & aliorū paucorū.

Patet Concl. Experientiis, odores enim in olfactu illius papillas attingunt, gustus immediatè percipit saporem, sonus productus, in auribus sentitur, omne tangibile immediatè à tactu tangitur, lux deniq. immissa in oculum videtur, ergo, &c.

Conf. de visu, in quo est maior difficultas, cum videatur indigere medio ad percipiendum proprium obiectum; Ab Ictericiis, & Opthalmiōtibus cernūtur colores quibus eorum oculi tinguntur, ergo. Item affirmant aliqui, vt refert Guar. quibus ablatæ sunt cataractæ, se vidisse ferrum, dum in oculum impigeretur à Lithoromo, ad euellēdas cataractas, ergo. Ratio etiam suadet, quia posito sensibili supra sensum habetur sufficiens causa, & principium sensationis, ergo non est cur impediatur sensatio, ant. patet, sensus enim est potentia necessariò actiua, quando est illi applicatum obiectum, ergo supposita applicatione obiecti, necessariò debet agere, ergo &c.

SECTIO IV.

An dentur, & quid sint. species intentionales sensibiles.

CVm quædam potentię sensitiuę suas sensationes producant, propria attingendo obiecta; quamuis ipsa obiecta secundùm suum esse ipsis coniuncta, & vnita nō sint, ideò cōmuniter asserunt Philosophi, vniri obiecta cū ipsis potentiis, mediis quibusdam qualitatibus, quas immittunt obiecta, quasq species intentionales vocant, species quidē, ex eo quia sunt veluti imagines, & species obiecti, quod repræsentant, intentionales autem, quia sunt principium cognitionis, quæ dicitur intentio, nisi enī darētur huiusmodi species determinātes, & ut ita dicam, fœcundantes potentiam, potentia nec posset talia obiecta exprimere, imaginesq. illorum producere, cum enim causa nequeat producere effectum, quem aut eminenter, aut formaliter non contineat, & cum potentia neq. eminenter, neq. formaliter præcontineat obiectum; ideo nec illud posset exprimere, nisi concurrente obiecto, media specie impressa, fœcundante ipsam potentiam. Hoc autem ita inconfesso est apud ferè omnes Philosophos, ità consonum est rationi, & experientiæ, ut contradicentes, experientiæ ipsisq. sensibus contradicere uideātur; quia tamen aliqui conantur has species sensibiles intentionales à rerum natura ablegare, vt potè nulli potentiæ sensitiuæ necessarias, ideò contra hos. Sit.

Prima Con. Dantur species intentionales, saltē respectu sensuum internorum, & potentiæ visiuę. Ità cum D. Thoma hic tex. 138. Scoto in 1. dist. 3. quæ. 6. & 7. & 2. dist. 13. & alibi, ferè communiter omnes; contra tamen Porphyrium, lib. de sensu, Plotinum Enead. 4. lib 5. Galenum lib. 7. de Hipp. & Platonis decretis, Durandum in 2. dist. 3. quæ. 6. Gabrielem quę. 2. Ocham in 2. quæ. 14. & 17. Hieronymum Prouenzalem lib. de sensibus par. 1. cap. 7. Gianninum disp. de lumine, & speciebus cap. 27. Dandinum 2. de anima digress. 31. Bassonum lib. de visu inten. 1. de Garbo in sua summa lib. 1. quæ. 63. & nouissimè Serbellonium disp. 2. de anima quæ. 2. ar. 3. Guarinum diuersis in locis, & alios, qui omnes, vel omnes species negant, vel ab aliquo sensu illas ablegant.

Prob. 1. auct. Arist. pluribus in locis, & præcipuè secundo de anima tex. 138. vbi sic ait *vnumquodq. sensorium susceptiuum est sensibilis sine materia, vnde, & abeuntibus sensibilibus, insunt sensus, & imaginationes in ipsis sensoriis*, ex quo textu clarissimè apparet mens Aristotelis.

Prob. 2. ratione. Nulla potest fieri sensatio, nisi sensus patiatur à sensibili, sed non potest pati à sensibili, nisi cum illo vniatur, ergo ad hoc vt fiat sensatio debet cum illo vniri, at aliquando cum illo non potest vniri imediatè, vt v.g. sensus visus cum sensibili visus, ergo hoc debet fieri mediante specie sensibili, & intentionali, ergo &c. maior tùm ex ipso Arist. patet, qui 2. de anima tex. 121. sic habet, *similiter autem, & sensus vniuscuiusq. abstrahente odorem, aut saporem, aut sonum patitur*, tum ratione, sensatio enim non potest fieri nisi concurrente obiecto sensibili, undè habetur illud dictum D. Augustini *ex obiecto, & potentia gignitur notitia*, sed non potest concurrere obiectum sensibile, nisi recipiatur in potentia, ergo &c. minor etiam patet, quęlibet enim passio supponit unionem inter agens, & passum, & propter hoc negauimus actionem in distans, absq. medio.

Prob. 3. Potentiæ sensitiuę sunt indifferentes ad hoc, uel illud obiectum intra propriam speciem; ergo debet dari aliquid, à quo determinentur ad hoc, uel illud obiectum, sed hoc respectu aliquorū sensuum non potest fieri ab ipsis obiectis immediatè, ergo mediantibus illorum speciebus sensibilibus, ergo dantur huiusmodi species.

Prob. 4. experientiis. In speculis videmus nos ipsos, & obiecta illis anteposita, sed in speculis, neque nos sumus, neq. obiecta, ergo aliquid reale repræsentatiuum illorum, ergo species; Tum quia, si inter obiectum, quod videtur interponatur corpus opacum, non ampliùs videtur, ergo quia impeditur

transmutio specierum: neq. enim valet tale corpus non esse præsens, est enim adhuc inter sphæram actiuitatis oculi; Tùm quia si adhibeantur perspicilla pluribus angulis efformata, multiplex videtur obiectum: at hoc non prouenit ex ratione obiecti quia est vnū, nō ratione potētiæ, quia est etiā vna, ergo ratione specierū, quæ in illis angulis recipiuntur, & refranguntur. Tùm denique quando quis dormit, phantasia, tùm recordamur rerum præteritarum, ergo quia dantur species sēsibiles, quæ remotis sensibilibus, remanent in sensibus.

Ob. tamen 1. Species si darentur essent diuersæ rationis ab obiectis, ergo non possēt illa repræsentare, ergo non dātur. Itē hæ species essent mediæ inter spirituale, & materiale, ergo non possent ab obiectis produci, siquidem essent nobiliores, quam suæ causæ, s. obiecta purè materialia. Item si visio fieret mediis speciebus non esset intuitiua, si quidē fieret per medium, s. mediis speciebus; Item si darentur tales species, deberent & ipsæ cognosci, & tamen non cognoscuntur. Item hæ species essent materiales, ergo nō possēt imutādo potentiā agere in animā spiritualē. Itē potētiæ sūt completæ absq. speciebus, ergo ad nihil deseruiūt huiusmodi species.

Res. ad pri. Species esse diuersæ rationis ab obiectis in essendo, non verò in repræsentando; ad secūdum, species non esse medias inter spirituale, & materiale & si habēt quoddam esse spirituale, hoc esse in entitate, materiale, & solùm videri accedere ad esse spirituale, vel quia relatæ ad obiectum, habent esse diminutum, & minùs materiale, quàm obiectū, vel quia se habent indiuisibiliter in repræsentando, vel quia habent esse intentionale, quod tamen est ignobiliùs in essēdo, quàm obiectum, quod repræsentāt, & à quo producūtur: ad tertium, visionem esse intuitiuam, quia species se habent, vt quo, non vt quod, quare sicuti Beatus dicitur intuitiuè videre Deum, licet illum videat medio lumine gloriæ, quod se habet, vt quo, sic, quia species intentionales respectu oculi se habēt vt quo, visio oculi dicitur intuitiua; ad quar. tales species non cognosci in se ipsis, quia sunt similitudines virtuales, non formales obiecti, vt inferiùs videbimus; viderentur autē in se ipsis, si essent similitudines formales reales obiecti, sicuti videtur imago Cæsaris, quia est similitudo formalis realis Cæsaris; ad quītū dicimus, tales species, licet materiales, agere in animam spiritualem coniunctam cum organo; Deinde non est incōueniens species materiales vniri cum anima spirituali, & illam determinare, cum videamus, & corpus materiale cū ipsa vniri, & animam per organa materialia varias exercere operationes, ad vltimum. Resp. potentias esse completas, quoad proprium esse substantiale, nō verò quoad esse accidentale; vltimum enim cōplementum, & vltimam dispositionem in ordine ad operationes, recipiunt à speciebus. Quare &c.

Ob. 2. ex Serbell. Huiusmodi species non possūt produci ab obiectis, ergo non dantur, cum alia causa non sit assignabilis; ant. patet, vel enim producūtur per realem efficientiam ab ipsis, vel fluunt vt passiones & proprietates; non primum, quia vera efficientia est solùm per physicas qualitates, quæ qualitates nō producunt effectiuè, nisi qualitates eiusdem rationis, & physicas, non verò intentionales; neq. secūdū potest esse, quia qualitates emanantes à subiecto, recipiuntur in subiecto, a quo emanant: si ergo recipiuntur in subiecto, & obiecto à quo emanant, non possunt deseruire ad visionē. ergo &c.

Resp. Species vera efficientia produci ab earum obiectis, neq. hoc esse inconueniens, .s. enim intentionales, non excedunt virtutem obiectorum materialium, quæ habēt virtutem ad producendos effectus sibi proportionatos, quales sunt huiusmodi species; quare verum est, posse producere per qualitates physicas solum qualitates physicas, operando tanquam causas vniuocas, secùs verò operādo, tanquam causas æquiuocas, nō enim per hoc, quòd per primas qualitates, calorem v.g. producant semper alias similes, propterea eodem modo debent agere cum aliis qualitatibus, quando autem obiecta producunt sui species, hoc faciūt tanq. causæ æquiuocæ; atq. adeo cum huiusmodi specierum productio non excedat illorum virtutem, nullum est inconueniens ab ipsis produci.

Ob. 3. ex Serb. & Guarino. Eatenùs admitti deberent species sensibiles intentionales respectu potētiæ visiuæ, vt colores rerum ad oculum deferrent, sed hoc potest præstare sola lux, ergo aliæ species ab obiectis prouenientes non sunt necessariæ. maj. prob. lux enim terminata ad obiectum, & in potentiam resiliens, est repræsētatiua obiecti, quòd patet, tùm quia lux est susceptiua coloris, ergo potest recipere colores obiecti, & illos oculo repræsentare; tùm quia in quacunq. parte medii, in quo diffunditur lux, videtur obiectum, ut si apponatur speculum, aut corpus tersum. Tū n quia tandem, lux ingrediens per foramen, lente uitrea in eo accommodata, in aliquod cubiculum obscurum, ita quòd per talem obscuritatem secernatur à cætera luce, perfectè repræsentat in pagina opposita imaginem rei extra cubiculum existentis, ergo quia lux incidens in aliquod obiectum, ab illo determinatur, & modificatur, ita ut sit potens colores illius etiam uisuales deferre ad oculum, ergo, &c.

Resp. neg. min. ad cuius probat. dico. Lucem, ut lucem nullo pacto habere uirtutem repræsentandi obiectum, uidetur autem repræsentare, quia uel cū luce, uel cum speciebus intentionalibus eiusdem lucis, sunt unitę species intentionales emissæ, per gyrum intra propriā sphæram ab obiectis; quod autem hoc ita sit patet. Tùm quia, lux si esset repræsētatiua obiecti, repræsentaret eodē modo, ac repræsentat colores, sed colores repræsentat formaliter, ergo & obiectum deberet repræsentare formaliter; hoc autē est falsum, cum non uideātur in medio, in quo repræsentantur colores, ipsæ imagines formales obiecti; quòd autem deberet repræsentare eodem modo, ac repræsentat colores, per ipsos patet, cum in tantùm sit repræsentatiua obiecti, in quantùm rerum colores ad oculum deferre potest; min. etiā & ab ipsis cōcedit, & experiētia patet, uidetē enī lux modo subrufa, ut quę habet à Marte, modò aurea, ut à Sole, modo subcādida, ut à Luna, modò cerulea, ut à sulphure, modo rubra, vt a carbone, ergo quia formaliter repræsētat colores, quib. inficit. Tū etiā quia si lux posset repræsētare obiecta deferendo illorum colores ad oculos, deferret vel quia se extendens obiecto, ab illo modificaretur; & co-

loraretur, & sic modificata reflectens in oculum,
obiectum illi repræsentaret, sed neutrum ex his di-
ci potest, ergo; non primū, quia .l. lux possit recipe-
re colores obiecti, in quod incidit, attamen non
potest recipere, neq. illorum dispositiones, & or-
dinationem, neq. colores debiliores, in viuaciori-
bus permixtos, si enī posset, sicuti in quocumq. cor-
pore oppaco reflexa, colores viuaciores, quos in se
recipit, exprimit, sic & faceret de debilioribus, quod
experientia est falsum, ergo ad exprimendos ta-
les colores, & illorum dispositionem, & ordinatio-
nem in oculo, requiritur aliquid aliud, quàm
lux; neq. potest dici quòd lux modificetur à su-
biecto, & ita modificata, &c. nam vel talis modifi-
catio importat colorationem ipsius lucis, & recur-
rit modò factum, & etiam supra allatum argumen-
tum, vel importat quamdam mutationem factam
in luce, ratione cuius euadat repræsentatiua talis
obiecti; & hoc neq. potest asserri, quia si ipsa lux
esset mutata, & modificata, ergo formaliter, modi-
ficatio enim importat mutationem modalem, per
formam modalem in re modificata, ergo vbicumq.
reperiretur, formaliter esset taliter repræsentatiua,
.s. imago obiecti, quod tamen est falsum. Item si
ipsa lux, vt modificata ab obiecto, posset repręsen-
tare obiectum, ergo & posset illud repræsentare .l.
absens, dum perseueraret modificatio in luce, neq.
enī potest respōderi talē modificationē cōseruari in
luce, à pręsētia obiecti, atq. adeo solo pręsēte obie-
cto, illud posse oculo repręsentare; Nā cum per ip-
sos, non lux quia reperitur in obiecto, sed quia re-
flectitur in oculum, sit quæ repræsentat obiectum,
ergo lux in instanti in quo reflectitur in oculum, &
relinquit subiectum, in quo subiectabatur, posset
illud repræsentare .l. in eodem instanti tale obie-
ctum destrueretur, neque enim modificationem,
quam acquisiuit ratione extensionis, quam habuit
supra tale obiectum, posset ita statim deperdere, si-
cuti neq. statim deperditur extensio palmaris (quæ
est quidam modus) quam recepit, v.g. aliquis ca-
lor productus ab agente palmari, in aere, .l. pereat
agens, quod produxit, cum ratione diuersi subie-
cti possit aliquantisper durare.

10 Neq. Respondeant, hanc etiam rationem mili-
tare contra species intentionales. Non enim mili-
tat, quia species intentionales cum in conseruari
dependeant ab obiecto, à quo sunt, ideò illo abla-
to, & ipsæ pereunt; lux autem in conseruari non
dependet ab obiecto, sed à corpore luminoso, à
quo est, quare cum corpus luminosum possit per-
seuerare, .l. auferatur obiectum, in quo primò in-
cidit lux, talis lux posset perseuerare, & sic per il-
lam repræsentari oculo obiectum, .l. iam ablatum,
quod falsum est.

Item; vel lux recipit talem modificationem, per
hoc solùm, quòd extendatur, seu recipiatur in o-
biecto, vel per aliquid aliud efficienter productum
ab obiecto; si primum, hoc non potest esse, quia hoc
pacto mutaretur solùm extrinsecè, & vt mutata so-
lùm extrinsecè, in quocumq. subiecto reflecterte-
tur, & appareret, appareret cum modificatione re-
cepta, quod tamen experientia est falsum, reflecti-
tur enim lux prouenicns à sole in pariete, & repræ-
sentat colorem, quem ab ipso recepit, non verò il-
lius speciem aut formam demonstrat; si dicatur se-
cundùm, cum tribuatur obiecto virtus, & efficien-
tia ad ita īmutandam lucem, vt euadat imago vir-
tualis obiecti, potens in subiecto proportionato
imaginem illius formalem exprimere, poterit & di-
ci, idem obiectum habere virtutem producendi
suas species visuales, cum tali virtute, cum in hoc
appareant minores difficultates.

Ad exemplum autem allatum de luce ingredien-
te in aliquod cubiculum obscurum per foramen,
&c. dicimus, talem expressionem in papyro obie-
cti extrinseci existentis, non prouenire, a sola luce,
benè verò, & à speciebus intentionalibus impressis
talis obiecti, quòd patet ex eo quia, si à sola luce
proueniret, non representarentur omnes disposi-
tiones talis obiecti, non omnes colores cum distin-
ctione, cum vmbris, &c. lux enim licet sit susce-
ptiua colorum, attamen nō est reflexiua illorum cū
distinctione, nam sicuti tales colores reflectit in
quodcunq. corpus opacum .l. non tersum, sic etiā
illos reflecteret cum distinctione, ordine, & dispo-
sitione, quam inter se seruant, quod cum non faciat,
signum est ipsam solam non defferre colores, neq.
ad corpus tersum, aut crystallum, neq ad oculum,
benè verò defferre species intentionales ipsorum,
atq. adeo concurrere, & necessariam esse, tamquā
conditionem sine qua non.

Ob. 4. Colores permanentes in eadem intensio-
ne, per diuersam lucis intensionem, aut remissionē, 11
uiuaciores, aut languidiores conspiciuntur, ergo
quia non ipsi colores emittunt à se species intentio-
nales, quia semper essent eiusdem rationis, cum ipsi
perseuerent in eadem intensione, sed quia lux diuer-
sæ intensionis modificata ab ipsis coloribus, ipsos
deffert ad oculum.

Resp. dato antecedenti, neg. causalem, & conse-
quētiam, nā in tantùm per remissionem, & intensio-
nem lucis apparent colores, aut uiuaciores, aut lan-
guidiores, quia etiam ipsamet lux, seu species intē-
tionales lucis, simul uniuntur cum speciebus coloris,
& simul unitæ incidunt in oculum, quare cum lux
est remissa, & colores apparent remissi, secùs verò
quando est intensa.

Ob. 5. Si species intentionales darentur præter
lucem, ut potè accidens, deberent in luce inhærere,
sed in luce non possunt inhærere, ut potè enim ac-
cidens, & indigens substentatione, substentatio-
nem exhibere non potest, ergo dicendum est, non
dari, sed solum esse ipsam lucem modificatam.

Resp. species intentionales non subiectari in luce,
sed in eodem subiecto, in quo subiectatur eadem-
met lux. .s. in aere, quare corruit tota nis argumēti;
deinde, dato quòd deberent subiectari in luce, neq.
hoc esset impossibile, vnum enim accidens potest
substentare aliud accidens, non propriè per se, sed
ratione subiecti, in quo ipsum inhæret, licet etiam
aliqui concedant per se, ut de accidente quantita-
tis, quod dicunt cætera substentare accidentia.

Ob. 6. Si quodlibet corpus emitteret à se spe-
cies, intentionales uisuales, hoc etiam faceret
corpus diaphanum, sed hoc nō facit, ergo quia cor-
pora à se nō emittūt species, sed solū lux ī opaco, nō

verò in diaphano ad oculoareflectit; maior prob. ex eo quia corpus diaphanum ſine ſui mutatione eſſentiali tranſit in opacum, vt dum cryſtallum in puluerem reducitur, ergo quòd tũc emittat ſpecies, quas priùs non emittebat, non poteſt dici prouenire ab illius natura, benè uerò à luce.

Reſp. Omne corpus emittere ſui ſpecies viſuales, ſed diaphanum emittere ita tenues, vt per ipſas tale corpus non poſſit repræſentari; hoc autem ita diſpoſitum fuit ab auctore naturæ, vt poſſint videri res creatæ, ſi enim omne corpus emitteret ſpecies, quæ illud repræſentarent, oculus poſſet ſolùm videre corpus, à quo ĩmediate circũdaretur .ſ. aerem; Quare corpus diaphanum, ſtatim ac acquirit opacitatem, abſq. ſui mutatione eſſentiali, & ſui ſpecies emittit, vt patet in aere, qui eſt ſummè diaphanus, & tamen quis ob illius maximam quantitatẽ, quæ intercedit inter oculum, & maximam diſtantiam, aliquam opacitatem ſortitur, ideò ceruleus apparet, & ſpecies cerulei coloris ad oculum tranſmittit; ſic etiam aqua, ſi ſit in minima quantitate, diaphana eſt, nec ſui emittit ſpecies ſufficientes ad immutandam potentiam; Si verò in maximam quantitatem decreſcat opacitatem ſortitur, & ſui emittit ſpecies; Ex quo deducitur, omne corpus, quantùm eſt ex ſe, habere virtutem emittendi ſpecies, emittere tamen quando eſt diaphanum, ita tenues, vt per ipſas tale corpus nequeat repræſentari.

12 Coll. Tales ſpecies intentionales, eſſe accidentia, ſeu qualitates; contra quoſdam, qui aſſerebant eſſe corpuſcula; Ratio autem eſt, quia producuntur ab obiectis, vt accidentaliter perficiant potentiam, ergo ſunt accidentia. Tùm quia penetrant corpus diaphanum, ergo non poſſunt eſſe corpuſcula, quæ non poſſunt penetrare aliud corpus, benè vero accidentia corporea; Tùm quia, nequeunt ſtare abſq. aliquo ſubiecto, ergo quia accidentia; ſunt ergo accidentia producta ab obiectis, & per gyrum intra propriam ſphæram in medio vniformiter diformiter diffuſa. Non ſunt autem in eſſendo eiuſdem rationis, ac ſunt obiecta, ſed diuerſæ rationis, quod patet, quia ab obiecto colorato non producitur color in aere, vel in ſpeculo, vel in oculo, neque in ſenſu interno producitur albedo, &c. quare ſolùm in repręſentando ſunt eiuſdem rationis, ac ſunt illarum obiecta.

SECTIO V.

Quales ſint ſpecies intentionales ſenſibiles.

13 CVm ſpecies intentionales in quacunq. parte medii ſint potentes ad repræſentandum obiectum, cuius ſunt; Hinc oritur magna difficultas apud Doctores, quales ſint huiuſmodi ſpecies intentionales, an .ſ. diuiſibiles, an verò indiuiſibiles. Difficultas autem non procedit de ipſis entitatiuè, & in eſſendo, cum enim ab obiectis diuiſibilibus producantur, & per ſubiecta diuiſibilia extendantur, ideò entitatiuè, & in eſſendo diuiſibiles eſſe, nulli dubium eſſe poteſt. Dubitatur ergo ſolùm, an tales ſint etiam in repræſentãdo, quòd eſt dicere, an ſpecies alicuius obiecti ſit talis naturæ, vt quæcumq. illius pars entitatiua poſſit totum obiectum repræſentare, non verò ſolùm quælibet pars ſpeciei ſolam partem obiecti repræſentet, ſed tota ſpecies ſecundùm omnes ſui partes, totum obiectum indiuiſibiliter, & ſecundùm illius partes, ità vt tota repræſentet totum, & quælibet pars, etiam totum obiectum, & quamlibet illius partem.

Suppon. eſt autem. Quamlibet partem obiecti emittere ſui ſpeciem; nam .l. à toto obiecto vna ſola ſpecies illius repræſentatiua habeatur, tamen huiuſmodi ſpecies eſt conflata, vt ita dicam, ex pluribus ſpeciebus partialibus; cum enim in obiecta poſſint eſſe partes etherogeneæ, & diuerſi coloris, ideò debet dici, quamcumq. partem, quemcumq. colorem propriam emittere ſpeciem; neq. enim vna, & eadem ſpecies poteſt repræſentare colorem nigrum, & viridem, vel in homine, v. g. eadem ſpecies emiſſa à capite, poteſt illius brachium exprimere. Hoc ergo ſuppoſito. Sit.

Prim. Concl. Species ſenſibiles impreſſæ, etiam in repræſentando ſunt diuiſibiles. Ita Suarez. 3. de anima cap. 2. Hurtad. diſ. 12. ſect. 5. Arriaga diſp. 4. ſect. 7. Maſtr. diſp. 4. quæſt. 5. art. 3. Ouiedo cou. tr. 13. de anima pun. 6. Pontius diſ. 2. de anima qu. 7. concl. 5. Ruuius 2. de anima tract. de obiecto, & ſpeciebus ſenſibilibus, Tellez. in lib. de anima diſp. 80. ſect. 5. Morandus 2. de anima trac. 3. quæſt. 4. Spinula diſp. 2. ſect. 4. & alii.

Expl. autem Conc. Si in aliquo obiecto ſenſibili, ſint, v. g. centum puncta, dicimus vnumquodq. ex his punctis emittere ſui ſpeciem in omnes partes ſphærę, ita vt in quocunq. puncto ſphæræ, ſit ſpecies talis puncti; hoc ergo & præſtant cætera puncta, indeque fit, vt in omni parte, ſeu puncto ſphærę, ſint ſpecies omnium punctorum obiecti, dummodo ab illo puncto, & ad puncta, ſeu partes obiecti, duci poſſit linea recta, quę ſpecies, cum ſint qualitates, penetrari poſſunt, ex qua tamen penetratione non ſequitur confuſio, ſicuti neq. ſequitur in pupilla .l. in ipſam ſpecies diuerſorum colorum recipiantur. Ita ergo ſi aliqua ex his punctis ſint alba, aliqua verò nigra, ſpecies ipſorum diſtinctæ ſunt, & obiectum, ità diuerſimodè coloratum exprimunt, & hoc eſt dicere in repræſentando eſſe diuiſibiles; Quòd ſic.

Prob. 1. Obiectum non poteſt cognoſci, niſi per ſpeciem ab ipſo emiſſam, ſed non poteſt emittere ſpeciem indiuiſibilem in repræſentando, ergo diuiſibilem; mai. patet ex dictis, min prob. vna pars obiecti non poteſt emittere ſpeciem repræſentatiuam alterius partis, alioquin ablata etiam illa, repræſentaretur, quod eſt falſum, ergo quælibet pars emittit ſuam ſpeciem, ergo totum obiectum ſpeciem emittit diuiſibilem, etiam in repręſentando.

Prob. 2. Obiectum ſæpè ſepiùs habet partes etherogeneas, ſed hæ partes vna indiuiſibili ſpecie nequeunt repræſentari, ergo &c. min. prob. nequit enim

enim eadem specie color niger, & albus repræsentari, brachium, & manus, &c.

Prob. 3. Partes obiecti videntur cum inæquali claritate, propinquiores quidem, clarius, remotiores, obscurius, ergo quia species repræsentatiua illius obiecti est diuisibilis, consequentia prob. si enim indiuisibiliter species repræsentaret obiectum, repræsentaret æquali modo.

Prob. 4. Partes discontinuę non repræsentantur indiuisibiliter per unam speciem, ergo neq. partes continuę, antecedens patet, consequentia prob. cum enim partes continuæ, permanente eadem sensatione, seu visione circa illas, possint breui spatio discontinuari, & sic discontinuatæ quæq. propriam speciem emittere, hoc & facere dicendum est dum sunt continuæ.

Prob. 5. Si species esset indiuisibilis in repræsentando, sequeretur quòd aliqua pars obiecti, licet cooperta, cerneretur, hoc est contra experientiam, ergo, &c. Sequela prob. si enim quælibet pars speciei diffusæ in medio, indiuisibiliter repræsentaret totum obiectum, ergo perseuerante tali specie, vt potè conseruata ab aliis partibus obiecti, quæ non sunt coopertæ, repræsentaret & partem coopertam.

Prob. 6. Si species essent indiuisibiles in repræsentando, sequeretur, quòd quando in speculum emissæ resiliunt, ex quolibet puncto speculi resileret species repræsentatiua totius obiecti, hoc, etiam experientia est falsum, ergo quia non sunt indiuisibiles, sed diuisibiles, & sic diuisibiliter resiliunt; sequela prob. si enim quælibet pars speciei indiuisibiliter posset totum obiectum repræsentare, in quacumq. parte speculi, à qua pars speciei resilit, totum obiectum cerneretur, & repræsentaretur.

14 Neq. valet quòd respondet Auersa quæ. 53. de speciebus sensibilibus sec. 3. quod licet ex quolibet puncto speculi reflectatur species repræsentatiua totius obiecti, attamen non congeminantur, & multiplicantur tot species in oculo, sed vna simplex species producitur à toto speculo, vnde obiectum vnum, & simplex debet apparere per reflexionem, sicuti apparet, quandò directè cernitur in ipso, ex eo quia apparet vnum, aut multiplex obiectum ratione multiplicationis, seu identitatis speciei.

Resp. enim, inintelligibile esse, quomodo quęlibet pars speciei sit indiuisibiliter repræsentatiua totius obiecti, & plures partes speciei resiliant à speculo, seu ab obiecto, & tamen non multiplicatum repræsentetur obiectum; si enim, vt ibi aic ipse, obiectum apparet multiplex, quando mediis inspicillis, multis quadrangulis distinctis, inspicitur, eo quod per talia inspicilla multiplicetur species repræsentatiua totius illius obiecti; ità & ego dico, quod si quęlibet pars speciei, indiuisibiliter totum obiectum repræsentaret, multiplex necessariò deberet videri obiectum, cum sint multiplicatæ species totius illius esse repræsentatinæ; quid enim est dicere omnes partes speciei repræsentare totum obiectū, nisi esse multiplicatum repræsentatiuum totius obiecti, hoc est esse multiplicatas species; si quidem quælibet pars potest dici species totalis, cum habeat virtutem repræsentandi totum obiectum.

Conf. Conc. Quando in aliquod cubiculum obscurum, per foramen ingrediente luce, apparent in cetta opposita, res extrinsecus existentes; ità apparent, vt si puncto, in quo v.g. apparet sūmitas alicuius turris applicetur oculus, solùm appareat sūmitas turris, non verò illius basis; si verò applicetur, vbi repræsentatur basis, nullatenus conspiciatur sūmitas, ergo quia quælibet pars speciei nō est indiuisibiliter repræsentatiua totius obiecti; antecedens est ità certum, vt sola egeat experientia incredulus, consequentia patet, si enim quælibet pars esset indiuisibiliter repræsentatiua totius obiecti, inquocumq. puncto, totum videretur obiectum.

Ob. primò. Multa grana tritici v. g. diffusa per terram non videntur, videntur autem si omnia simul vniantur, sed hoc prouenit, quia species omnium efformant vnam speciem indiuisibilem, illorū repræsentatiuam, ergo species vt repræsentatiua est indiuisibilis.

Resp. neg. mio. non enim videbantur illa grana priùs, quia imittebant species leuissimas, quæ non poterant imutare potentiam visiuam, vnita autem videntur, quia oculus, qui priùs à specie à quocūq. grano imissa, vt potè leuissima, non mutabatur, à pluribus simul, licet leuissimis, immutatur, & hoc ex eo quia, sicut multa modica faciunt vnum satis, ita multæ leuissimæ species faciunt vnam speciem, diuisibilem tamē potentem immutare potentiam.

Ob. 2. Si species non repræsentaret indiuisibiliter plures partes obiecti, sequeretur nullum obiectū videri, hoc est falsum, ergo, sequela prob. punctum indiuisibile seorsim sumptum, non est aptum emittere speciem, ergo ad hoc vt obiectum constans ex punctis videatur, pluta puncta debent emittere vnā solam speciem, illa indiuisibiliter repræsentantem.

Resp. neg. sequelam, & ad probationem dico, punctum indiuisibile posse emittere speciem sui quæ erit vtiq. indiuisibilis, & si illud solum repræsentaret, indiuisibiliter faceret, quia verò indiuisibila de se insensibile, additum alijs, facit extensionem, sic & species illius addita alis speciebus, apta est facere extensionem.

Ob. 3. Ex Auersa loco citato. Si species esset diuisibilis in repræsentando, non posset tota species repræsentatiua magni obiecti v. g. montis, restringi in tam exigua pupilla, seu in quolibet puncto medii, à quo potest cerni totum obiectum, ergo necesse est esse indiuisibilem in repræsentando, ita quòd, licet sit extensa per totum medium, tamen quęlibet pars illius, in quocumq. puncto medii sumatur, sit repræsentatiua totius obiecti. 15

Resp. neg. antecedens. Species enim compenetrantur ad inuicem, neq. conficiunt molem, vt enim supra dicebamus in quolibet puncto medii, à quo possit duci recta linea ad obiectum, reperiūtur species cuiuscumq. puncti illius obiecti, quare cum in quolibet puncto possint esse speciescuiuscūq. obiecti visi, inde est, quòd ab illo totum obiectū potest cerni, & id dicendum est de pupilla, quòd s. in ipsam emittatur à quocumq. puncto obiecti propria peculiaris species.

Ob 4.

Ob. 4. Species ex Perspectiuis procedunt ab obiecto, in quodcunq. punctum medii, & in centrū oculi applicati vnicuiq. parti medii per modum pyramidis, ita vt basis sit in superficie obiecti visi, conus verò, seu cuspis pyramidis in quouis puncto medii, seu in centro oculi, ergo species debet esse in repræsentando indiuisibilis, siquidem punctum huius pyramidis intentionalis,est indiuisibile, & per illud totum obiectum videtur.

Resp. concedendo omnes partes obiecti emittere in oculum,& in quodlibet punctum medii per lineas rectas sui species, atq. adeò hoc pacto efformare pyramidem intentionalem; at ex hoc non sequitur,speciem esse indiuisibilem in repræsentando; nam non vna simplex, & indiuisibilis species à toto obiecto producitur,sed quælibet pars,suam speciem producit, & quia quælibet pars emittit sui speciem in quæcunq. puncta medii, ideo euenit, quòd in quocunq. puncto medii sit cuspis,seu cornua huius pyramidis intentionalis, atq. adeò quod ibi totum conspiciatur obiectum, non per speciem simplicem, indiuisibiliter illud repræsentantem, sed per vnam speciem conflatam ex pluribus speciebus partialibus, in illud punctum, sicuti & in alia, à quocunq. puncto seu parte obiecti, emissis; neq. ex hoc arguenda est confusio inter species, quia sicuti à centro oculi, seu à quolibet puncto medii, possunt duci lineæ rectæ ad quamlibet partem obiecti sine confusione; ità potest obiectū emittere species in quancumq. illius partem absq. confusione, quia emittit per lineam rectam.

Quæ. A quonam producantur, & conseruentur species sensibiles.

Resp. Species sensuum externorum produci, & conseruari ab obiectis, deficientibus enim obiectis, neq. producūtur, neq. conseruantur species: sensuum autem internorum species, licet ab aliquibus censeātur esse eædem species sensuum externorum, atq. adeò produci ab iisdem obiectis, probabiliùs tamen existimo cum Spinula 2. de anima sec. 3. num. 22. Auersa quæ. 53. sec. 9. & aliis,produci ex sensationibus sensuum externorum, quæ per neruos. sensorios ducantur ad cerebrum, ibiq. in sensu interno recipiantur, & cum eo concurrant ad suas sensationes, atq. adeo hæ species producuntur, nō dūm à speciebus, sed & à potentia sensitiua externa per actum sensationis; Conseruantur autem à potentia, in qua resident, propria virtute, recordamur enim obiecti semel visi, cum neq. sit præsens, neq. actu conspiciatur, ergo per species impressas in memoria.

SECTIO VI.

Quomodo species impressa intentionales sensibiles, repræsentent obiectum.

16 SVpp. est. Similitudinem, seu imaginem repræsentatiuam,triplicem esse,formalem .s. realem, formalem intentionalem, & virtualem; similitudo formalis realis, est quæ exprimit realiter obiectum, cuius est similitudo, cum eoq. conuenientiam specificam habet, sic imago D. Petri dicitur similitudo illius formalis realis, quia illum exprimit, & secundùm figuram, magnitudinem, colores &c. similitudo formalis intentionalis, est quæ producitur à potentia exprimendo obiectum, & dicitur etiam species expressa, dicitur autem intentionalis, vt distinguatur à reali, & quia per ipsam sensus tendunt in obiectum, seu est ipsa intentio expressiua obiecti; similitudo deniq. virtualis, sine effectiua, quòd est idem, est quæ non repræsentat formaliter obiectum, sed est ratio, & virtus,per quam formaliter repræsentatur obiectū, sic semen v. g. potest dici similitudo virtualis, quia virtute continet filium repræsentatiuum Patris; sic ars pictoria potest dici similitudo virtualis hominis, quia est virtus productiua imaginis formaliter repræsentantis hominem; Quæritur ergo hic,cum supra dixerimus, speciem esse imaginem, seu similitudinem obiecti; quænam similitudo sit,seu quomodo exprimat suum obiectum, ex hoc enim facilè deducetur,quomodo concurrat ad sensationem; quod inferiùs erit inuestigandum.

Prima Conc. Species intentionalis impressa,est solùm similitudo virtualis. Ita ferè communiter cum Patre Morando 2. de anima Tract. 3. quæ. 4. Mast. disp. 4. quæ. 6. Auersa quæ. 53. sec. 3. Ouiedo cont. 13. de anima Pū. 4. nu. 5. Suarez 3. Tom. sūmę Theol. trac. 3. de anima lib. 3. cap. 2. num. 20. Toleto 1. de anima quę. 34. concl. 5. & aliis multis.

Prob. 1. Huiusmodi species nequit esse similitudo formalis, quocunq. modo sumatur, ergo virtualis; antecedens prob. non potest esse similitudo formalis realis, quia hæc conformatur obiecto, sicuti est, ità vt, si obiectum sit palmare, imago sit palmaris, si obiectum sit album, imago sit alba &c. sed hoc pacto non est species impressa, ergo non est similitudo formalis realis, seu obiectiua; neq. est formalis intentionalis similitudo,quia hæc producitur à potentia exprimente obiectum, ergo &c.

Prob. 2. quòd non sit similitudo formalis realis, seu obiectiua,Species expressa est solùm ratio, qua videatur obiectum, ipsa verò non videtur, ergo nō est similitudo formalis realis obiecti, consequentia patet,similitudo enim formalis realis in se cognoscitur, & videtur; antecedens prob. obiectum enim quod per species repræsentatur in speculo, si est distans non videtur in superficie speculi, vbi est species, sed in profundo, siue in distantia, ergo ipsa non videtur, sed solùm est ratio, qua. Item si quis talem habeat facultatem videndi, vt è propinquo perfectissimè videat, è longinquo verò, egeat peculiari quodam genere perspicillorum, licet satis propinquum habeat speculum,facileq. possit videre omnia, quæ supra ipsum sunt, attamen eget perspicillis ad intuendum aliquod obiectum, in ipso repræsentatum, si in aliqua distantia sit, & ita repræsentatur, ergo signum est, speciem ipsam non videri, cum enim sit in superficie crystalli, non egeret

egeret perspicillis, benè verò obiectum ipsum; atq. adeo speciem solùm esse rationem, qua videtur obiectum. Item maximus mons in tota sua magnitudine repræsentatur in oculo, seu in paruo speculo, ergo est mons qui videtur non species, ergo species non est similitudo formalis realis, alioquin deberet esse in tãta magnitudine, ac est mõs; alioquin deberet in se videri, & conspici.

Prob. 3. Si species intentionalis impressa esset similitudo formalis realis, esset eiusdem rationis, ac est obiectum, sed hoc est absurdum, ergo: maior patet, quia si deberet realiter formaliter repræsentare obiectum, deberet habere eosdem colores, figuram, proportiones, &c. min. prob. quia cum tales species reciperẽtur in oculo v. g. essent in oculo realiter diuersi colores, diuersæ figuræ, quæ impedirent visionem, vt patet, quando quis habet in oculo aliquem humorem alicuius coloris, videt enim obiecta illius coloria. Quare concludendum est, speciem impressam esse solùm similitudinem virtualem obiecti .s. virtutem productam ab obiectis, quæ impressa in potentia, illam fœcundando, adiuuat ad eliciendum actum sensationis repræsentantem formaliter intentionaliter obiectum; ità quòd, sit veluti semen obiecti, ratione cuius actus sensitiuus habet similitudinem, & conformitatem cum obiecto sensibili.

Ob. 1. ex Complutensibus disp. 18. de speciebus
17 intentionalibus quę. 2. Species impressa per se primò est instituta ad repræsentandum suum obiectũ; sed quod per se primò institutum est ad repræsentandum aliquod obiectum, est talis conditionis, vt primum, quod ei competit, sit esse repræsentatiuum talis obiecti, ergo primum quod competit speciei impressæ est, quod sit repræsentatiua sui obiecti, ergo non potest dici quod sit similitudo, seu repræsentatio virtualis; hæc consequentia prob. quod enim alicui competit virtualiter, non conuenit primò, sed secundò, cum primò illi conueniat esse formaliter tale, ratione cuius virtualiter contineat aliud, sic ex eo quòd lux solis sit virtualiter calida, non primò illi conuenit esse calidam, sed esse lucem, ergo.

Resp. dato primo argumento, neg. subsumptam consequentiam; nam quòd aliquid sit virtualiter tale, potest illi competere per se primò, & formaliter, aliud est enim dicere, quòd esse repræsentatiuum conueniens speciei, sit esse repræsentatiuum virtualiter, aliud quod illud esse repræsentatiuum competat ipsi speciei virtualiter, quando autem dicimus speciem esse virtualiter repræsentatiuam, non per hoc intelligimus, hoc illi conuenire virtualiter, sed dicimus esse repræsentatiuam virtualiter, esse primam illius rationem quidditatiuam, & formalem; quare tota vis argumenti in æquiuocatione consistit.

Ob. 2. Species expressa est similitudo formalis obiecti, illudq. formaliter repræsentat, ergo & huiusmodi debet esse species impressa; antecedẽs ex omnium consensu patet; potentia enim operãdo fit similis obiecto, & intellectus, ex Arist. intelligendo fit omnia; consequentia probatur, cum enim species expressa procedat per generatione vitale aliquo pacto tanquam filius, hoc est secundum esse intentionale, à specie impressa, & quidquid procedit hoc pacto, debeat esse simile suo principio, realiter quidem, si procedit realiter, intentionaliter verò, si intentionaliter, ideo, cum species expressa sit similitudo formalis realis, huiusmodi debet & esse species impressa, quæ est illius principium, fœcundando potentiam, ergo.

Resp. neg. consequentiam, & ad illius probationem dico, quòd id quod procedit ab alio per generationem vitalem tanquam filius, non est necesse quòd sit simile omni suo principio, sic pariter sensatio non est similis potentiæ, à qua procedit, filius non est similis semini, à quo habetur, sed sufficit, quòd sit similis suo principio principaliter determinatiuo, huiusmodi autem respectu speciei expressæ est obiectum, non species impressa, obiectum enim est illud quod determinat potentiã per speciem impressam, quæ se habet, vt semen fœcundans potentiam, producentem postea ità fœcundatam speciem expressam: quare licet species impressa non sit illi similis, cum obiectum sit huiusmodi, sufficit, vt possit dici producta vitaliter in similitudinẽ naturæ secundùm esse intentionale.

Ob. 3. Si species debet ducere in cognitionem obiecti, hoc debet facere in quantùm est similitudo, & imago illius repræsentans, sed non potest repræsentare, nisi sit imago realis, ergo &c.

Resp. dist. min. non potest repræsentare obiectiuè, & concedo, effectiuè, & nego min. species autem impressa effectiuè repræsentat obiectum .s. virtuta, seu impressa in potentia, simul cum illa repræsentat obiectum formaliter; quare licet non sit formalis realis, sed solummodo virtualis similitudo obiecti, hoc potest præstare.

SECTIO VII.

Quomodo deseruiant species impressæ intentionales sensibiles, & intelligibiles ad sensationem, & intellectionem.

18 Diximus, species impressas sensibiles intentionales necessarias esse respectu saltem aliquarum potentiarum sensibilium; modò in præsenti inquirimus, quomodo sint necessariæ. Sunt quidam, qui affirmant, species intentionales sensibiles, esse necessarias ad sensationem solùm materialiter, seù formaliter, determinando .s. solùm potentiam ad eliciendam sensationem, ita quòd, sola potentia sit, quæ se sola immediatè, & totaliter eliciat ipsã sensationem. Huius autem opinionis fuerunt Hẽricus Quodlibet 4. quę. 7. Iauell. 3. de anima quæ. 12. con. 2. & 4. Burid. apud Thienęum, quę. de sẽsu agente. Alij è contra sustinent, ipsas species actiuè, & efficienter concurrere, tanquã causam partialem, simul cum potentia ad suos producendos a-

ctua

ctus; modò inquirimus, quid in hac re sit dicendum, & cum similis quæst. possit etiam agitari de speciebus impressis intellectualibus, ideò sub hac quæstione etiam ipsas comprehendemus. Sit igitur.

Prima Conc. Species impressa, ne dum sensibilis, sed & intelligibilis, concurrit actiuè, ad sensationem, & intellectionem per modum principij complentis potentiam ad suas operationes. Ita cum Arist. 2. de anima tex. 59. & 60. & alibi D. Thomas 1. parte quæ. 56. ar. 1. Scotus in 1. dist. 3. quæ. 7. Capreol. in 1. dis. 33 quæ. 1. art. 1. Rubius lib. 2. de anima tract. de speciebus quæ 2. Hurtad. disp. 12. sect. 4. Arriaga disp. 4. sect. 8 Ouiedo contr. 13. de anima Pun. 4. Complutenses disp. 18. de speciebus intention. quæ. 5. Mast. disp. 4. de anima quæ. 6. Auersa quæ. 53. at. 8. Morandus tract. 3. de anima quæ. 3. & alij molti.

Prob. 1. Actus sensationis, & intellectionis productus à potentia, est expressio, seu similitudo formalis intentionalis obiecti, diciturque species expressa, sed huiusmodi expressio obiecti non potest haberi à potentia, nisi per speciem impressam fœcundetur, ab illaq. adiuuetur, ergo dicendum est talem speciem simul cum potentia concurrere effectiuè ad sensationem, seu intellectionem; mai. est certa, min. prob. si enim potentia sola absq. concursu speciei impressæ posset producere sensationem, aut intellectionem, posset facere etiam quãdo obiectum esset absens, seu quando inter ipsum, & potentiam intercedit obstaculum, seu quando de illo nunquam habuit speciem.

Prob. 2. Illa dicitur causa effectiua alicuius effectus, quando in effectu reperitur peculiaris ratio, & formalitas, tali causę attribuenda, sed in sensationibus, & intellectionibus reperitur peculiaris ratio, & formalitas, ne dum correspondens potentiæ, qualis est vitalitas, sed etiam obiecto, qualis est similitudo in repręsentando, ergo dicendum est, non tantum potentiam, sed & obiectum, aut illius speciem esse causam effectiuam sensationis, seù intellectionis.

19 Nec valet, speciem impressam esse solam conditionem, sine qua non.

Resp. eum non posse esse solùm conditionem, eo quòd, conditio non influat in effectum, species autem influit in actum sensationis, & intellectionis, ergo &c. hęc min. prob. tunc arguitur influxus causæ in effectum, seù causalitas, quando in effectu reperitur similitudo, seu aliqua formalitas causæ, similitudo enim semper arguit causalitatem, eo quod agens semper intendit assimilare sibi effectum, sed in actu sensationis, seu in specie expressa, reperitur similitudo, seu formalitas, quæ reperitur in specie impressa, ergo &c.

Ob. 1. Sensatio, & intellectio sunt actus simplices, ergo non possunt produci à duplici principio à potentia s. & à specie.

Resp. speciem, & potentiam non concurrere ad actum sensationis, seu intellectionis tanquam duo comprincipia, sed solùm tanquam vnum principium; illa enim concurrunt tamquam duo principia, quorum effectus pars vnicuiq. principio debetur; at sic non euenit in casu nostro, species enim se sola, aut potentia se sola nihil effectus possunt producere, species enim est subordinata potentiæ, illamq. complet, constituiturq. hoc modo vnum integrum principium actionis, & tam speciei, quàm potentiæ totus integer effectus attribuitur. Quare &c.

Ob. 2. Sensatio est operatio vitalis, ergo non potest esse à specie, quæ non est vita.

Resp. quòd hoc pacto neq. habitus supernaturales concurrerent ad actus fidei, & charitatis, quia habitus non sunt vitales, quòd tamen est falsissimum. Quare respondeo, actus sensationis, seu intellectionis, duo dicere, & esse repræsentatiuos, & esse vitali modo repręsentatiuos; primo modo sumpti simpliciter non dicunt vitalitatem, sed eam dicunt solùm, quatenùs fiunt per sensum, seu intellectum, qui sunt principia vitalia; attamen quia species cum potentia facit vnum solum principium, ideò actus productus dicitur simpliciter vitalis, licet à specie non vitali producatur.

Ob. 3. In speculo non est vlla efficientia, & tamen à speculo repræsentatur obiectum per speciem in ipso impressam, ergo species non est causa effectiua, sed solummodo materialis.

Resp. neg. antecedens .i. enim ibi non sit efficientia vitalis, est tamen propria efficientia, qua recipiendo in se speciem, propter suam tersitatem repræsentat materialiter obiectum, in quo casu, eadem efficientia, qua concurrit speculum, concurrit etiam species.

Quæ. 1. Vbinam recipiantur species. 20

Resp recipi principaliter in organo, minùs pricipaliter verò in spiritibus, quod si anima est materialis, potest dici recipi etiam in potentia, secùs verò si sit spiritualis, cum species sint materiales.

Quæ. 2. Quomodo fiat sensatio.

Resp. Fieri hoc modo. ad impressionem specierum obiecti, per neruos sensorios emittuntur spiritus animales à cerebro ad potentiam, in cuius organum sunt receptæ species, quibus spiritibus potentia adiuta, & facta apta ad agendum, operatur, sensationemq. producit.

Quæ. 3. Quid sit species expressa.

Resp. Speciem expressam, esse ipsum actum sensationis, quatenus per ipsum exprimitur obiectum, potentia enim operans euadit similis obiecto, in sua s. operatione; huiusmodi autem operatio, vt potè similis obiecto dicitur species expressa .s. expressio obiecti; Quidquid, dicant alij, illam distinguentes ab ipso actu sensationis, tamquam illius terminum, sed hoc fusiùs cum de specie expressa intellectus. Et hæc sint dicta de anima sensitiua eiusq. potentiis in communi, modò ad illas examinandas in particulari, transeamus.

SECTIO VIII.

De potentia visiua.

QVinq. diximus esse potentias sensitiuas externas, de singulis ergo inquirendum est, quodnam

nam sit proprium organum, quoque proprium obiectum. Pro quo.

Quę.1. Quodnam sit Organum visus.

21 Res. Pupillam oculi, esse organum visus; quid autem sit pupilla patebit ex descriptione partium eiusdem oculi. Componitur ergo oculus præcipuè ex tribus humoribus vno intra aliũ collocato; primus est crystallious, seu glacialis, residens in medio oculo, efformatq. pupillam ad modum lẽtis; hic autem humor analogicè tantùm dicitur humor, non vniuocè, est enim consistens, ità vt anima informetur; secundus est vitreus, qui circumdat humorem crystallinum, seu pupillã, illam solummodo à parte anteriori relinquendo discoopertam, vt in ipsã species obiectorum recipi possint; tertius est aqueus, seu albugineus, ita dictus ob similitudinem, quã habet cũ albo oui, hic circumdat humorẽ vitreum, pupillam à parte anteriori pariter discoopertam relinquens; hi autem humores à quinq. tunicis, seu pelliculis diuersimodè continentur; prima tunica, quę dicitur specularis ob nitorẽ, seu aranea ob subtilitatem, continet humorem crystallinum, seu pupillam, secunda, quæ vocatur reticularis, ex eo quia habeat quasdam venulas intersectas, medio quarũ nutritur oculus, circumdat humorẽ vitreum, relinquẽdo tamen pupillam discoopertã; tertia quæ vocatur vuea, ex eo quia est ad similitudinem folliculi vuæ, in quo, pendulo detracto foramen relinquitur, ambit eumdem humorem vitreum, ratione illius, foraminis relinquẽdo discoopertam pupillam, hæc autem est variis affecta coloribus, tẽdentibus tamẽ, vel in nigrum, vel in flauum, ratione quorum pupilla ex parte interna, euadit opaca ad modum speculis quarta, quæ vocatur cornea, quia dura, & pellucida est ad modum corneę laminæ, circumdat humorem aqueum, & albugineũ, & etiam vndequaq. totum oculum, etiam pupillam, illam muniens sua duritie, non impediens tamen, vt potè trãsparens; quinta deniq. Pericranium vocata, quia oritur à tunica ambiẽte caluariam, estq. trãsparens, circumdat, sicut alia, totum oculum, illumq. in propria sede firmat, & capiti vnit, appellata etiam ex hac ratione Adnata, seu Adhærens. Insuper reperiuntur duo nerui, qui dicuntur visorii, seu optici, qui à cerebro ducenres originem se ipsos intersecando, efformando veluti crucem, ad oculos terminant, illos cerebro vnientes; per hos autem deferuntur spiritus animales ad oculos, & species sensibiles ab oculis ad cerebrum; tales nerui duobus tunicis sunt obtenti, interna tenui, à qua vuea tunica prouenit, externa dura, à qua deriuat cornea. Inseruiunt præterea oculis septem musculi, quorum ministerio oculi mouentur ad quamlibet partem; oculi tandem palpebris teguntur, & superciliis, ueluti quibusdam tutamentis.

Res. ergo quæsito. Pupillam esse Organum visus. Ita cum Arist. 1. de Hist. anim. cap. 9. & alibi. Gal. li. 8. de vsu partium cap. 6. & lib. 10. cap. 1. ferè comm. omnes. Suarez. lib. 3. de anima cap. 18. Conimb. 2. de ani. cap. 7. ad 2. Ruu. tract. de sẽsu visus qu. 8. Auer. qu. 54. sect. 1. Arr. dis. 5. sect. 3. nu. 43. Hurt. disp. 17. sect. 2. Ouie. coot. 4. de ani. puncto 1. Mastr. dis. 4. de ani. qu. 2. ar. 1. Mor. tract. 3. in 2. de ani. quæ. 6. & fere comm. omnes Philos. & Medici. Ratio autem est quia, illud est organum alicuius potentiæ, quo medio, anima exercet aliquam operationem vitalem, sed media pupilla, anima exercet operationẽ uitalem uisus, ergo pupilla est organum potentiæ uisiuæ; min. prob. læsa enim pupilla, non ampliùs habetur uisio, ergo quia est organum uisus, medio quo, &c. Tùm quia ad pupillam ultimò terminantur species, & in ipsa uniũtur. Tũ quia in ipsa cernitur formaliter repſentatio obiecti, qui enĩ in alterius oculo intuetur, ibi se conspicit, quasi in speculo. Tũ deniq. quia, talis pupilla est in medio oculo insisa, tamquam principaliter ordinata ad uisionem.

Neq. dicas ex Auice. 6. nat. par. 3. cap. 8. & aliis paucis, Organum uisus esse neruos opticos unitos, & in modum crucis se intersecantes, cum enim potentia visiua sit una, & uisio elicita circa obiectum sit una, ergo in uno solo obiecto, seu organo, qualis est neruus opticus unitus, non uerò in duobus, quales sunt duæ pupillæ, residere dicendum est.

Res. enim. Hoc esse falsum, nerui enim sunt ordinati ad uehendos à cerebro spiritus ad organum, & inde reportandas species, sicuti euenit in aliis membris. Deinde falsum est, in omnibus neruos opticos esse unitos, refert enim Valesius li. 4. de fab. corporis humani cap. 4. quemdam à se dissectum Patauii, habuisse neruos opticos à cerebro descendentes, non unitos, & tamen dum uixit, duplicatum non uidisse obiectum; hoc etiam uidemus in cãcris, & etiam in quibusdam aliis animalibus, quæ neruos opticos nullibi coniunctos habent; quare dicimus nullius momenti esse hanc rationem, ad dicendũ neruos opticos, ut unitos esse organũ uisus, cũ aliæ militẽt in cõtrariũ; maximè quia neq. cõcedimus unicã esse potentiã uisiuam, sumendo illam completam per organum, sicuti neq unam uisionẽ, sed duplicem potẽtiam visiuã, & duplicẽ uisionẽm, circa quodcumq. obiectum asserimus esse; & hoc ratione à posteriori, quam adducit Ioan. de S. Tho. ut. s. animal possit faciliùs recipere species obiectorum ex omni parte uenientes; Neq. per hoc sequitur, duplex uideri obiectum, quia linea recta uisionis, quæ consideratur à Perspectiuis dirigi ab uno oculo ad obiectum, incidit uniformiter in idem punctum, non solùm obiecti, sed etiam loci, in quod incidit linea recta alterius oculi, & inde euenit, quòd quando alter ex oculis, uel deprimitur, uel eleuatur, tunc duplex apparet obiectum, quia . s. linea recta, seu axis uisionis . l. terminetur ad idem obiectũ, terminatur tamẽ ad diuersum punctũ loci.

Neq. dicas 2. Pro organo uisus meliùs assignari aliquas ex tunicis, à quibus continentur humores, uel. s. araneam circumdantem humorem glacialem, 22
seu crystallioum. Sic Tolet. 2. de ani. qu. 16. uel retinam humorem uitreum continentem, sic plures Medici, Optici, & Philosophi, ut apud Guarinum dis. 8. de sensibus externis exp. 2. vel vueam eundẽ humorem vitreum, simul cum retina ambientem. Sic Kiperus Physic. lib. 8. cap. 5. contr. 13. § 2. quẽ citat, & sequitur Guar. loco supracitato.

Res. enim. Nullã tunicã posse assignari pro organo visus, nam tunicæ datæ sunt à natura, vt appa ret in cæteris membris, vbi reperiũtur, ob consisten

tiam, & conſeruationem eorum, & potiùs ipſę ſunt propter membra, quàm membra propter ipſas, neque operationes aliorũ mẽbrorũ reſidẽt in tunicis, vt patet, præcipuè in ſẽſibus internis. quorũ operationes nõ reſidẽt in tunicis, à quib' cerebrũ eſt coopertum, ſed in ipſa medulla cerebri; quare neque dicendum eſt, operationem vitalem viſus fieri in tunicis; Neq. valet, ipſas eſſe receptiuas ſpecierum, pręcipuè vueam, vt potè opacam, quòd non poteſt facere humor cryſtallinus, vt potè trãſparens, & diaphanus. Nam concedo quidem, etiam ipſas tunicas eſſe neceſſarias ad viſionem, araneam ſiquidem tamquam partem integralem cryſtalloidis, retinam, & vueam, tamquam recipientes, & terminantes ſpecies; attamen per hoc non ſequitur, ipſas eſſe inſtrumentum, ſeu organum viſus, ſicuti .ſ. in ſpeculo ſit neceſſarium corpus opacum à tergo, vt per ipſum terminatis ſpeciebus, in cryſtallo repræſentetur obiectum, tamen non corpus opacum, benè verò cryſtallus, dicitur eſſe repræſentatiua obiecti, ſic à pari, .ſ. retina, & vuea deſeruiant ad terminandas ſpecies, cryſtalloides tamen eſt illa, quę exprimit obiectum, atq. adeò cum in expreſſione obiecti conſiſtat viſio, ipſa debet dici organum viſus. Eſt autem huiuſmodi pupilla animata, eo quòd non ſit purus humor, vt dicebamus ſupra, ſed potiùs conſiſtens ad modum glaciei; quare &c.

Quæ. 2. Quodnam ſit obiectum proprium potentiæ viſiuæ.

Reſ. cum Ariſt. communiter eſſe duo. Lucem .ſ. & Colorem, ſed.

Quæ. 3. Quid ſit lux, & color.

Reſ. Lucem eſſe qualitatem realem, & phyſicã perficientem accidentaliter corpus lucidum; Differre autem à lumine dicendum eſt cum Scoto in 2. diſt. 13. quia lumen eſt ſolùm qualitas intentionalis ipſius lucis, qua .ſ. videtur lux, ſeu color, ipſa verò non videtur. Ratio autem eſt, quia ſpecies intentionalis eſt ratio, qua obiectum videtur, huiuſmodi eſt lumen, ergo. Tùm quia lumen habet omnes conditiones ſpeciei intentionalis, ergo; antec. patet, producitur enim in inſtanti, dependet in fieri, & conſeruari ab ipſa luce, ſine ipſo, lucidum videri nequit, ergo. Tùm quia lumen recipitur in oculo, & in medio, & non videtur, ſed huiuſmodi eſt ſpecies intentionalis, ergo. Verum tamen eſt, quòd lumen receptum in corpore opaco, ſicuti faciunt ſpecies ſenſibiles coloris receptæ in corpore terſo, ſeu ſpeculo, quæ euadunt ſpecies expreſſæ obiecti, ſic ipſum euadit lux, aliudq. lumen, ſecundum vocatum, producit; quare lumen exiſtens in oculo, & in medio eſt ſemper qualitas intentionalis, qua videtur lux, ſeu color, exiſtens verò in corpore opaco eſt qualitas naturalis realis, ſeu lux, quæ, vt quod videtur.

Reſp. 2. Colorem eſſe qualitatem permanentem in corpore colorato, reſultantem ex elementorum mixtione, diſtinctamq. à luce. Quòd autem color ſit diſtinctus à luce, contra quoſdam recentiores, clarè patet, ex eo quia oculus diſtinguit in obiecto lucem, & colorem, ergo quid diſtinguuntur, antec. patet, videt enim duo obiecta æqualiter illuminata, & tamen vnum videt nigrum, alterum album. Tum quia ſi colores non prouenirent ex intrinſeca natura corporis, ſed à luce, non tam facilè ſemper ijdem permanerent, ſed permanent, ergo &c. lux ergo, ſeù lumen eſt ſolùm conditio, qua uidentur colores, & ideo non pereunt diſcedente Sole, ſed occultantur colores. Quare ad ſummum dicendum eſt, colores apparentes eſſe lucem diuerſimodè reflectentem in uaria corpora, quales ſunt colores Iridis, colores in collo Columbæ. &c.

Deducitur ergo ex dictis, lucem, & colorem eſſe obiecta potentiæ uiſiuæ, quatenus tamen cõueniunt in unica ratione formali obiectiua uiſibilitatis; Tàm enim color, quàm lux habent eundem modum immutandi potentiam uiſiuam.

Quę. 4. An uiſio fiat per ſolam intromiſſionem 23
ſpecierum ſenſibilium in oculo, uel etiam per extramiſſionem ab oculo cuiuſdam fulgoris, & radiorum terminantium in obiectum, ut uolebat Plato in Thæteto, aſſerens ab oculo egredi quoſdam radios, qui pertingentes ad obiectum, ita ab ipſo afficiuntur, ut poſtea retrocedentes in oculum, & obiectum uiſibile reddant, & potentiam uidere faciant, actum uiſionis cauſantes.

Reſp. Fieri per ſolam intromiſſionem in oculum ſpecierum obiecti; ità cum Ariſt. cap. 7. tota ſchola Peripatetica; & ratio eſt, quia uiſio eſt uitalis, ergo debet in uiuente fieri. Tum quia, ſi emitterẽtur radii ab oculis, obiecta minima uiderentur in quacumq. diſtantia, ſicuti perſpiciuntur maxima, quia radii emiſſi æquè pertingerent ad obiectum magnum, quàm ad paruum; Tùm quia ille fulgor, qui ab oculo emitteretur in obiectum, & in potẽtiam regrederetur, non eſſet tantus, ut poſset illuminare magnum obiectum, & impoſsibile eſt tam breui ſpatio .ſ. in ictu oculi, & emitti, & reflecti illum fulgorem per longiſsimum ſpatium, ergo &c.

SECTIO IX.

De potentia Auditiua.

QVæ. 1. Quodnã ſit organũ potentiæ Auditiuæ.

Reſ. eſſe aerẽ inatum, ſeu ſubſtantiam aereã tympani; hæc autem reſponſio patebit ex deſcriptione eiuſdem auris. Componitur ergo auris ex cartilagine, in uarios anfractus diſpoſita, ad defendendum ipſum organum, in fine ergo omnium anfractuum, adeſt tunica quædam operiens cauitatẽ, ſeu vltimum ſoramẽ, ad modum tympani proteuſa, quę ideo tympanum vocatur; hoc tympanum tribus oſsiculis ſuſtinetur, affixumq. eſt cuidam neruo, à cerebro deſcendente, per quem ſpiritus à cerebro deferuntur ad ſenſum, & ſpecies à ſenſu ad cerebrum trãſmittuntur, cauitas autem tympani eſt repleta quadam ſubſtãtia tenuiſsima, ideo aerea uocata. Hoc ergo ſupp. dico, organum potentiæ auditiuæ eſſe aerem inatum, ſeu ſubſtantiam aeream in ipſa incluſam. Ita Ariſt. 2. de anima 8. & 2. de partibus animalium cap. 10. & ferè communiter, & ratio eſt, quia læſa hac parte, ſonus nõ percipitur, ergo. Tum quia ſenſorium debet eſſe proportionatũ receptaculum, & ſubiectum ſpecierum, ſed aer eſt proportionatum ſubiectum ſpecierum audibiliũ, ergo quod magis aeri correſpõdet in auris ſtructura, qualis eſt aſsignata ſubſtantia, dicẽdum eſt eſſe organum auditus.

Quæ.

Quæ. 2. Quodnam sit obiectum Auditus.

24 Resp. Esse sunum, sed.

Qnę. 3. Quid sit Sonns.

Resp. Sonum esse attritionem alicuius corpotis, factam per collisionem, seu concussionem duorum corporum solidorum, & sonatiuorum; Patet autem quia posita hac attritione habetur sonus, & qualis est hęc attritio, talis est sonus, ergo &c. ex quo patet, sonum fundamentaliter esse motum, nec esse aliam qualitatem à motu distinctam, cum non possit fieri attritio, seu expu'sio alicuius corporis, quin tale eotpus moueatur; formaliter verò supra motũ ĩportare attritionẽ corporis intermedii, productã à vehementi collisione corporum sonatiuorum: patet etiam, subiectum sonus esse corpus interceptum, quia ipsum solum est, quod atteritur, & frangitur, & in ipso solo subiectatur ipsa attritio; causæ verò effectiuę sunt ipsa corpora quatenus se collidendo intercipiunt aliquod medium, illudq. atterunt, expelluntq.

Quæ. 4. Quomodo sonus diffundatnt pet spa-
25 tium, & quomodo pertingat ad aures.

Res. Secũd. aliquos apud Auer. qu. 54. sect. 6. diffundi in medio per species intentionales, ab ipso productas, atq. adeò hoc pacto ad aurem pertingere. Patet autem, quia sonus non ita percipitur ab absente, sicuti à præsente, ergo non diffunditur secũdùm esse reale, sed solùm secundum sui species, aliter æquè ab omnibus perciperetur. Tùm quia si in vase Æneo clauso fiat repercussio, sentitur sonus, & aer ab ipso exire non potest, ergo tantùm exeunt species intentionales soni. Tum quia, sonus formaliter, ex dictis, est attritio corporis, sed attritio non euenit nisi vbi corpora sonantia collidũtur, ergo per medium, & ad aures diffunditur, per species intentionales.

Neq. valet, species intentionales diffundi in instanti, non sic verò sonum, prius enim sentitur à præsenti, quàm ab absente.

Resp. enim, species sequi naturam sui obiecti, & ideò, quia sonus, vtpotè motus, plures dicit partes successiuas, ideò & sui species successiuas producit.

Quæ. 5. Quot sint species soni.

Res. Diuidi primò sonum in grauem, & acutum; acutus est quando parum aeris agitatur; grauis verò cum copinsior aer colliditur; an autem essentialiter inter se differãt hæ species sonus, mihi probabiliùs videtur quòd non, cum non differentiam essentialem, sed solùm accidentalem sortiantur; quidquid dicant alii: diuiditur etiam in plures alias species subordinatas, sed res est parui momẽti, ideo, &c.

Res. 2. Diuidi sonum, in simplicem sonum, vocem, & sermonem, sonus prouenit à collisione cuiuscumq. corporis, atq. adeò etiam rebus inanimatis cõuenit; vox est sonus ab animalibus factus, vt animalia sunt cum imaginatione aliquid significandi, vt rugitus Leonis, hinnitus equi, &c. sermo est vox articulata manifestatiua conceptuum mentis, estq. solùm propria hominum.

Quæ. 6. Quid sit Vox.

Resp. Vocem quorumdam animalium putà cicadarum, apum, muscarum, grillorum, &c. consis- 26
tere in collisione alarum, seu alterius partis corporis, aer, seu alio corpore inter eas intercepto; hoc patet ipsa met experientia, videmus enim per collisionem talium instrumentorum, etiam emortuis iisdem animalibus, sonum produci, quare non potest consistere, vt quidam putant, in aliquo spiritu afficiente membranam quamdam, cum habeatur .I. non tàm efficacior idem sonus, etiam corrupta anima, &c.

Res. 2. Vocem *esse percussionem respirati aeris ab anima, quæ est in his partibus ad vocalem arteriã, cum imaginatione aliqua* Ità Arist. 2. de ani. tex. 90. Nõ potest autem percipi huiusmodi definitio, nisi ex explicatione, quomodo, & quibus mediis instrumentis efformetur vox. Sic autem efformatur. In ore, præter viam, qua cibus in stomachum traiicitur, alia reperitur ad pulmones terminans, ideò fistula pulmonaria, seu aspera arteria dicta, eo quòd multis flexuosis anfractibus sit composita; principium, seu os huius fistulę in faucibus reperitur, diciturq. Larynx, estq. latus extitus, quem habet talis aspera arteria, ex variis cõstans cartilaginibus, quarum vna, Scutalis dicta, admodum prominet sub mento, vulgoque dicitur pomum Adami; in hac varii reperiuntur musculi, ad varios sonos efformandos inseruientes; est insuper supra laryngem, membrana quædam cartilaginosa, os ipsius cooperiens, ne aliquid cibi, aut potus in eam incidat, hæc in respiratione aperitur, & clauditur, dicitur autem Lingula, quia est adinstar linguæ, à Græcis autem Epiglottis; ante ipsam est carũcula quædam pendẽs, à fundo palati, diciturq. gurgulio, vel collumnella, à figura, quã habet, seu vuula, eo quòd, aliquando ex concursu humorum, inflatur ad instar vuæ.

A pulmonibus ergo ad finem asperæ arteriæ existentibus, aer per ipsam propter respirationem attrahitur; deinde compressi pulmones virtute motiua musculorum Thoracis, qui ad id munus intra pectus inter costas à natura contexti sunt, magna vi expellunt aerem attractum, qui expulsus impingit per totam asperam arteriam, in aerem ibi existentem, impingit etiam in epiglottidem, ad gutturque transit; sicque efformatur sonus, qui media lingua, dentibusque, labiis, &c. imperante appetitu, cui omnia membra obediunt, ad apprehensionem phantasiæ, articulatur in variosque sonos disponitur, diciturque uox respectu animalium, respectu uerò hominum, etiam locutio, seu sermo appellatur, quatenus scilicet est expressiua, & significatiua conceptuum mentis; ex quibus clarè patet, quid sit uox iuxta definitionem Aristotelicam, quòd scilicèt sit percussio respirati aeris (aer enim attractus à pulmonibus, dicitur aer respiratus) facta ab anima, à qua omnis uirtus motiua habetur, in partibus iam assignatis, cum imaginatione, siquidem cum omnia membra obediant appetitui, hic solummodo membra mouet, pro ut ab imaginatione, &c.

Quid sit Echo.

27 Resp. Esse sonum reflexum, seu repercussum à corpore duro, & concauo. Reflexio autem fit per species intẽtionales, cum enĩ species soni, vt potè virtuales illius similitudines ĩpingẽtes in corpus cõcauũ, habeãt vim producẽdi ibi eũdẽ sonũ sicut faciũt in aure, ideò illud producũt, & multiplicant secundùm multiplicitatem concauitatum, in quas reflectuntur, qui soni producti, deinde emittunt sui species, ratione quarum ab aure, multiplicatio sonus auditur, sicuti euenit in speciebus visibilibus, quę ab obiecto in speculum emissę, vim habent producendi obiecti imaginem in ipso, quæ imago alias species producit, immittitq. in oculos.

SECTIO X.

De potentia Olfactiua.

QVær. 1. Quodnam sit organum potentiæ Olfactiuæ.

28 Resp. ex Arist. 1. de Hist. animalium cap. 11. & 5. de Gen. animalium cap. 2. In animalibus, quæ respirant, in naso residere potentiam olfactiuam; animalia verò, quæ non respirant, carentq. naribus, alia sui corporis parte odorare; Quænã autẽ pars nasi sit pręcipuum organum, non potest aperiri, nisi priùs illius compositio explicetur. Ad compositionem ergo nasi primò concurrunt duo nerui, à cerebro vsq. ad ĩterna foramina illius, iuxta cauitates oculorũ, deducti, quasi canales, per quos species, & spiritus trãsuehuntur; in horum extremitatibus sũt duæ caruncule ad modum extremitatis mamillæ, ideò carunculæ mamillares appellatæ, iuxta has carunculas est quoddam os spongiosum, seu caro spongiosa, plura foramina habens, & in his, duo maiora correspondentia naribus, quæ efformantur à duabus cartilaginibus, ab vna quidem, à qua inter se diuiduntur, ab alia verò, à qua cooperiuntur tanquã à fornice, hæc autẽ foramina in duas vias diuiduntur, vnam deducentem ad cerebrum, per quam expurgatur cerebrum, & deferuntur odores, alteram procedentem ad finem palati, & ad guttur, per quam aer in respiratione, vsq. ad cor transit. Organum ergo olfactus consistere in carunculis mamillaribus ferè communiter conceditur ab omnibus; & ratio est, quia sunt aptiores, quàm cæteræ partes ad recipiendum odorem, qui communiter assignatur pro obiecto sensibili olfactus.

Quæ. 2. Quid sit odor.

29 Resp. Esse qualitatem, seu accidens ortum ex temperamento primarum qualitatum, prædominante siccitate; magis autem percipitur, quàm possit explicari, quid sit odor; quòd autem sit accidẽs, non substantia, vt aliqui volebant, patet, quia trãsit de subiecto in subiectum, quòd non facit substantia. Tùm quia abest, & adest præter subiecti corruptionem. Tùm deniq. quia remanet in speciebus consecratis, in quibus perit omnis substantia. An autem emittat species intentionales, probabiliùs existimo, quòd non, in tantùm enim sunt necessariæ species, vt mediis ipsis coniungatur obiectum cum potentia, sed potest odor coniungi cum potentia, sine his speciebus, ergo &c. Quare ex hoc deducitur, diffundi per medium secundum suum esse reale, non verò intentionale (quidquid dicant alii) atq. adeò quando odor immutat potentiam olfactiuam, simul reperitur, vel in aere, qui respiratione attrahitur, vel in aliqua exhalatione attracta.

SECTIO XI.

De potentijs Gustus, & Tactus.

QVær. 1. Quodnam sit organum Gustus. 30

Resp. Esse linguam, in qua reperiuntur duo nerui immissi à cerebro, vsq. ad illius cuspidem, qui in alios minores per totam linguam diffusos, diuiduntur, per quosq. à cerebro trãsmittuntur spiritus animales; & insuper etiam esse palatum, quæ est pars oris superior instar fornicis modicè concaua. Hoc autem deducitur ex Arist. 1. de hist. animaliũ. cap. 11. & ratio est, quia in his partibus propriè gustamus, vt experientia compertum est.

Quę. 2. Quodnam sit obiectum gustus.

Resp. Esse saporem; sapor autẽ ex Arist. est qualitas secunda, orta ex permixtione primarum, humidi præcipuè, & sicci, ad cuius productionem tria requiruntur, siccitas terrestris, nam ignea est nimia tenuis, humiditas aquæ, & calor; saporis autem species ab Aristot. 2. de anima cap. 10. octo enumerantur, dulce s. & amarum, pingue, salsum, acre, acerbum, acutum, & accidum, ad quas omnes aliæ reducuntur.

Quæ. 3. Quodnam sit organum Tactus.

Resp. Esse carnem, & neruos, & quidquid his assimilatur. Ita communiter conceditur ab omnibus cum Arist. 1. de hist. animalium cap. 4. Ratio autem est, quia in ipsis est temperamentum aptum ad talem sensationem faciendam. Neq. valet, Neruos exclusos fuisse, vt organa aliorum sensuum, ergo neq. posse dici organa tactus.

Resp. enim. Neruos in sensu tactus, aliquid plus habere, quàm in cęteris sensibus, præcipue visus, & auditus, in illis enim solùm deferunt spiritus animales necessarios ad sensationes; in tactu verò, nedum deferunt spiritus animales, sed etiam concurrunt, vt organum, quod nobis demonstrat ipsa experientia, quam in aliis sensibus non habemus, nerui enim dum pungantur, dolorem afferunt, ergo quia &c.

Quæ. 4. Quodnam sit obiectum tactus.

Resp. Esse omnes qualitates tangibiles, quarum octo enumerantur contrarietates ab Arist. 2. de anima tex. 8. calidum s. & frigidum, humidum, & siccum, graue, & leue, durum, & molle, lubricum, & & aridum, asperum, & lene, crassum, & tenue, ad quas cæterę reducuntur.

Quæ. An Gustus distinguatur à Tactu.

Res. affirmatiuè. Ratio autem deducitur tum

cx

ex ipsa experientia, si enim res saporosa cuicumq. parti corporis, præter organum gustus, approximatur, non gustatur, ergo signum est, potentias esse diuersas respectu .s. organi, & modi tendendi in sua obiecta.

Quæ. 6. An gustus, & tactus operentur mediis speciebus intentionalibus.

Resp. negatiuè; Ratio autem est, quia species sunt institutæ à natura, vt obiectum remotum fiat præsens, & coniungatur cum potentia, sed obiecta harum potentiarum sunt maximè præsentia his potentiis, ergo non indigent speciebus.

SECTIO XII.

De potentijs sensitiuis Internis.

31 HAs potentias realiter non distingui iam diximus, neq. etiam respectu organi distinguuntur materialiter, ex eo quia cum substantia cerebri in communiori sententia ferè omnium Medicorum, & Philosophorum præcipuè recentiorum, vt videre est apud Auersam quæ. 55. sect. 1. & Mastrium disp. 5. de anima quæ. 8. art. 2. sit earum organum, hocq. sit vnum, ideo neq. respectu organi materialiter distinguuntur, quare solùm distingui per diuersum modum operandi posse dici, qui tamen modus operandi cum non sit essentialiter diuersus, ideò vnam tantùm esse potentiam internam materialiter, & formaliter dicendum est, diuersimodè tamen appellatã, iuxta diuersitatem officiorum, quæ præstat, His ergo supp.

Quæ. 1. Quodnam sit obiectum potentiæ sensitiuæ internæ.

Resp. 1. cum D. Th. 1. parte quæ. 78. ar. 4. Scoto, & aliis, esse omne obiectum sensuum externorum, & omnes eorum sensationes: patet autem, quia sensus internus deseruit ad hoc, vt animalia possint quærere vtilia, nociua fugere, sed vtilitas, vel nocumentum præcipuè sunt in ipsis sensationibus, ergo obiectum sensus interni, debent esse sensationes sensuum externorum; sed in sensationibus externis percipitur obiectum externum, ergo obiecta externorum sensuum sunt etiam obiecta internorum. Conf. quia per sensum internum apprehenditur dolor, sed dolor est sensatio sensus tactus, ergo sensationes sensuum externorum sunt obiecta internorum.

Resp. 2. Sensum internum, præter omnia sensibilia, & sensationes sensuum externorum, aliud habere obiectum, quod non percipitur à sensibus externis, quodq. propterea vocatur obiectum non sensatum, idest non sensatum per sensus externos; huiusmodi autem sunt quædam affectiones, quæ reperiuntur in ipsis obiectis externis, quæ tamen à sensibus externis non percipiuntur, vt amicitia, inimicitia, conuenientia, & disconuenientia, materialiter tamen consideratæ. Ita cum D. Th. 1. par. quę. 78. ar. 4. Auer. quę. 55. sec. 2. Complutenses quæ. 15. de anima quæ. 3. & alii, Ratio autem est, quia experientia videmus, Bruta, aliquas exercere operationes, quas ex sola apprehensione obiecti per sensum externum percepti, non exercent, ergo signum est illas exercere ex apprehensione alicuius alterius affectionis latentis in obiecto, sed à sensu externo non perceptæ, benè verò à sensu interno, qui eas proponit interno appetitui Brutorum, à cuius impulsu, ipsa mouētur ad eas exercendas; Hoc patet in Oue fugiente lupum, quæ quidem illum fugit, non ex sola apprehensione illius figuræ, & coloris, à sensu externo perceptorum, sed ex apprehensione inimicitiæ, quam solo sensu interno apprehendit, non verò externo vidit; Item Aues colligunt paleas, terram, aquam ad efformandos nidos, at hoc non possent facere, nisi à sensu interno mouente appetitum ad tales operationes, cognosceretur conuenientia inter tales res ad fabricandos nidos, quæ vtiq. à sensibus externis non percipitur. Equi insuper sono tubæ incitantur ab bellum, canes instrumentis uenatoriis ad insequendas feras, Bruta quædam cognoscunt significationes aliquorum nominum, & vocum, quæ omnia cum per sensus externos non percipiantur, dicendum est percipi à solo interno, atq. adeò præter ipsa obiecta sensuum externorum, aliquas affectiones insensatas à potentia interna cognosci.

Neq. valet, prouenire hęc omnia ex naturali quadam sympathia, per quam videmus etiam in rebus insensatis huiusmodi operationes, attractionem v. g. ferri à magnete, conuersionem eiusdem magnetis ad polum &c.

Resp. enim appetitum Brutorum non moueri nisi ex apprehensione conuenientis, & boni, ad illud prosequendum, ex apprehensione verò mali ad illud fugiendum, quare, cum huiusmodi apprehensio, non habeatur per solam sympathiã naturalem, necessaria est cognitio huius conueniētiæ, & disconuenientiæ, quæ cum per sensus externos non percipiatur, per internos cognosci asserendum est.

Quę. 2. A quonam producantur species, quibus operatur sensus internus. 32

Resp. cum Runio quæ. 9. produci à specie expressa sensus externi, Ratio autem est, quia cum huiusmodi species sit similitudines formales obiecti, vi habēt speciem intentionalem obiecti producendi, vt faciunt species expressæ in speculo, quæ species postea transmissæ per spiritus animales ad organum sensus interni, de ipso obiecto, & sensatione externa, sensationem simul cũ sēsu producũt.

Quæ. 3. An sensus internus sit Iudicatiuus. Pro responsione.

Not. est. Iudicium posse sumi tripliciter; primò impropriissimè pro quacumq. cognitione, seu perceptione obiecti; secundò propriissimè quando .s. comparato vno extremo cum alio, cognoscitur conuenientia, vel disconuenientia, & affirmatur vel negatur vnum de alio. tertiò sumitur pro cognitione, qua plura cognoscuntur absq. comparatione, sed tantùm ex proportione, quam habet potentia cognoscens cum obiecto, cognoscit esse

tale

tale, & vnum non esse aliud; hoc supposito.

Resp. 1. Sensum internum esse iudicatiuum primo modo, sicuti etiam hoc pacto sunt omnes sensus externi, cum enim nequeat percipi obiectũ, quin potentia cognoscat esse obiectum, ideò tale iudicium cuicumq. sensui, tàm interno, quàm externo conuenit.

Resp. 2. Iudicium secundo modo sumptum, non reperiri in sensu interno, benè verò tertio modo acceptum. Ratio autem est, quia Iudicium primo modo acceptũ, non potest efformari sine comparatione, seu relatione unius ad aliud, & cognitione eiusdẽ proportionis, & relationis, sed proportio, & relatio non sunt sensibiles: ergo non possunt cognosci à sensibus; si enim hoc esset, possent etiam propositiones efformare, syllogizare, &c. quod falsum est, Iudicium verò tertio modo sumptum, quia talem comparationem, & relationem non importat, ideò sensui interno potest concedi.

Ex his coll. Potentias sensitiuas non posse errare, rigorosè, & formaliter loquendo, ubi enim non interuenit proprium iudicium, nec proprius error reperiri potest. Quòd si error accipiatur materialiter pro apprehensione scilicet rei, aliter ac est, certum est posse omnes sensus per accidens tamẽ, non per se, errare, præsertim circa sensibilia communia, figuram, distantiam, motum, & quietem, &c. non verò circa ipsa sumpta simpliciter secundum rationem adæquatam sensibilitatis.

SECTIO XIII.

De potentia appetitiua, & locomotiua.

53 NOt. est. Duplicem dari appetitum, elicitum, & naturalem; elicitus est potentia animæ, per quam affectat, & inclinatur in obiectum sibi bonum, cum præuia cognitione obiecti. Naturalis est propensio cuiuslibet rei in suum bonum. Elicitus autem duplex est, sensitiuus, & rationalis; cum enim appetitus sequatur cognitionem, & duplex sit cognitio, sensitiua, & rationalis, ideò & duplex appetitus elicitus datur, hic ergo appetitus .l. vt supradiximus, diuidatur in irascibilem, & concupiscibilem, tamen vnicam potentiam, quæ consistit in quadam propendentia animæ in id, quod præcognoscit sibi bonum, dicendum est esse, quæ tamen diuersa præstat, vt enim prosequitur sibi bonum à sensu demonstratum, & fugit sibi noxium, vocatur concupiscibilis, quatenus verò resistit impedientibus, vel prosecutionem, aut fugam, dicitur irascibilis.

Ratione huius potentiæ dicitur animal delectari, & dolere, quando enim sensus apprehendit obiectum sensatum sensu externo, conueniens, vel disconueniens, illudq. repræsentat appetitui, ipse circa conueniens procliuis in illo quadam naturali propensione se detinet, quæ detentio delectatio dicitur, circa verò discõueniens minimè se detinet, imò fugã appetẽs, dicitur dolere, talisq. actus dicitur dolor. Hoc supp.

Quæ. 1. Quodnam sit organum potentiæ appetitiuæ.

Resp. cum Hurtado, Ouiedo, Morando, & cõmuniter, esse cerebrum. Ratio autem est, quia appetitus mouetur à sensu, quod repræsentat obiectũ sensatum, ergo debet residere in eodem organo, vbi residet sensus internus, qui tale obiectum repræsentat, ergo in cerebro. Tum quia appetitus debet membris motum imperare, ad hoc, vt rem appetitam consequantur, sed membra inseruientia motui, deriuant a cerebro, ergo &c.

Quæ. 2. Quodnam sit obiectum appetitus sensitiui.

Resp. Esse bonum sensibile, cognitum, materiale, & singulare, vel delectabile, vel vtile. Ratio est quia solum conueniens appetitur, sed huiusmodi est bonum, ergo &c. est autem solùm bonum vtile, & delectabile, quia tertia species boni .s. honesti, non potest sensibus, sed solo intellectu percipi, ergo neq. potest ab appetitu sensitiuo attingi.

Quę. 3. Quæ, & quot sint operationes appetitus sensitiui.

Resp. Operationes appetitus sensitiui, quæ etiã passiones vocantur, eo quòd importent semper aliquam corporalem commotionem, ad duo capita posse reduci, ad prosecutionem .s. boni, & fugam mali, quæ ambę tàm in parte irascibili, quàm in concupiscibili reperiuntur, specialiter tamen, & magis pressè vndecim enumerantur passiones, sex ad concupiscibilem, quinque verò ad irascibilem spectantes. Passiones Concupiscibilis sunt amor circa bonum, & odium circa malum, siuè sit absens, siue præsens. Deinde desiderium circa bonum absens, & auersio circa malum absens, quæ passio propriè fuga dicitur. Insuper Delectatio, Complacentia, Gaudium, seu Lætitia circa bonum præsens, & possessum, & Dolor siuè displicentia, & tristitia circa malum pręsens, siue præteritum.

Passiones verò Irascibilis sunt, Spes circa bonum arduum absens repræsentatum tamen possibile ad obtinẽdũ, Desperatio de bono admodũ difficili, & cognito vt impossibili, vt obtineatur, Audacia ad obtinendum aliquod arduum, & molestum, Timor recessus à malo, quod potest euenire Ira deniq. ob malum præsens illatum, vel bonum ablatum.

Quæ. 4. Quęnam sit potentia loco motiua.

Pro responsione supp. est. Duplicem dari motum in animali. Vnus dicitur naturalis, seu purè vitalis, & consistit in dilatatione, uel restrictione pulmonis in motu cordis, & arteriarum pulsu, & hic non fit ex directione, aut imperio alicuius potentię, sed naturaliter consequitur ex uirtute uitali. Alter dicitur animalis, qui .s. pendet à cognitione, & appetitu, qui itidem duplex est, alter perfectus, qualis est motus progressiuus animaliuo; alius verò imperfectus, vt est motus dilatationis, & restrictionis in ostreis, & similibus animalibus.

Resp. ergo. Potentiam loco motiuam esse vim quandam potentem membra animalis mouere ad prosequenda sibi necessaria, & nociua fugienda,

hæc

hæc autem potentia, .i. in ordine ad motum purè naturalem, & vitalem non sit subdita appetitui tamen in ordine ad motum dictum animalis perfectum .s. & imperfectum, subijcitur appetitui, huius enim est imperare talem, vel talem motum.

34 Quæt. 5. Quodnam sit organum talis potentiæ.

Resp. Esse musculos: musculus autem constituitur ex carne dura, variis neruis, venis, & arteriis contexta, habetq. figuram quasi saculi, ab vtroq. tamen capite testricti, in medio verò dilatati, in illius capite incipit neruorum in fibras diuisio, qui postea in ventre dilatantur, denique in cauda restringuntur. Hi ergo sunt organum potentiæ locomotiuæ; quando enim sciendus est motus, imperante appetitu, descendunt à cerebro per neruos in ipsos musculos spiritus animales, quorum auxilio potentia loco-motiua dilatando, & restringendo musculos, motum causat in membris.

SECTIO VLTIMA.

De quibusdam Affectionibus Animalium hoc est, de Somno, Vigilia, & Respiratione.

PRo complemento huius disputationis temanent quædam dicenda de affectionibus, seu passionibus, viuentibus anima sensitiua, conuenientibus, de quibus agit Aristoteles in libris, quos de paruis naturalibus nuncupat. Huiusmodi suntSomnus, Vigilia, Somnium, Respiratio &c. in præsenti, ergo de his agemus.

Quær. 1. Quid sit Somnus, & Vigilia.

35 Resp. Somnum esse *impotentiam quamdam sentiendi*. Vigiliam verò esse *potentiam expeditam sentiendi*, sic colligitur ex Arist. lib. de Somno, & Vigilia cap. 1. Quæ definitiones vt intelligantur, sciendum est, vt iam alias diximus, quòd quæcumque sensatio fit in viuentibus sensitiuis, mediantibus spiritibus animalibus, qui in cerebro geniti, per neruos, & meatus ad id destinatos, defetũtur ad õnia organa, & membra, in quibus fiunt sensationes: deficiente ergo defluxu spirituum ad organa, necessariò & deficere debet quæcumque sensatio, hic ergo defectus sensationis, seu impotentia sentiendi, est somnus, sicuti è contra potentia expedita sentiendi, quæ habetur quando continuè defluunt spiritus ad membra corporis, est vigilia: ex quo habetur, causam immediatam, & proximam somni esse impedimentum defluxus spirituum animalium à cerebro ad organa sensuum externorum, sicuti è contrà, causam proximam vigiliæ esse ablationem huiusmodi impedimenti, seu continuum fluxum eorumdem spirituum. Sed,

Quæt. 2. Quænam sint causæ remotæ Somni, & Vigiliæ.

Res. Duas præcipuè esse causas; primam assignat Arist. lib. suprac. cap. 3. & 2. de partibus animalium cap. 7. estq. obstructio meatuum, per quos spiritus animales desetuntur ad membra. Hæc autem obstructio fit à fumis, & vaporibus, in quos resoluitur cibus, dum in stomacho decoquitur, quiq. ascendunt ad cerebrum, vbi infrigidati propter innatam cerebri frigiditatem, & consequenter crassiores effecti, claudunt meatus omnes, per quos defluunt spiritus ad cæteras corporis partes, quæ ideo omni sensatione, & operatione priuantur; quare videmus post sumptionem cibi, excitari somnum, & quantò magis cibi sunt fumosi, vt papauer, mandragota, vinum, &c. tantò intensiorem induci somnum; secundam causam adducit Galenus lib. 1. de causis sympt. cap. vlt. & Auerroes 2. Colliget. cap. 21. est autem virtus retentiua cerebri, qua spiritus retinet, ne defluant ad mẽbra, ad se tefocillandum, & illos reparandos, sicuti enim quælibet corporis membra, uentriculus præcipuè, & hepar habent virtutem retinendi alimentum sibi necessarium, sic dicendum est, & cerebrum habere virtutem, ad spiritus à se productos tetinendos, ad se tefocillandum; ex quo prouenit, quòd cum tunc ad membra non defluant, ideo omni operatione sensitiua careant. Aliæ etiam causę remotæ assignantur, vt nimia corporis fatigatio, per hanc enim cum plures spiritus consumãtur, ideò deficiunt, & sensatio desinit; item intensa aliqua operatio, cum enim per ipsam multi spiritus destruantur, deficiunt in cæteris organis. Item infirmitates aliquæ, ratione quarum humores corporis commouentur, & in fumositates, obscurantes vt supra, meatus, per quos defluunt spiritus, resoluuntur. Item refrigeratio spirituum, ratione cuius, crassiores euadunt, atque adeo impotentes ad permeandos solitos meatus, quare opio, cicuta, & quibusdam eriam externis lotionibus infrigidantibus, magis excitatur somnus. Et ex hoc patet, quęnam sint causę Vigilię, .s. ablatio impedimentorum fluxus spirituum, per quem aperiuntur illorum meatus, vel quia .s. consumitur crassa, & fumosa materia, causans obstructionem meatuum deferentium spiritus, quod euenit quando naturaliter expergiscitur animal à somno, vel quia proposito vehementer alicui potentiæ aliquo obiecto vehementer sensibili, ut magno sono auditui, intenso lumine oculis, dolore tactui, &c. facultas interna transmittit spiritus ad tales sensus, vnde excitatur animal; quare hęc est differentia inter expergefactionem, & excitationẽ, quòd prima prouenit à causa interna, secunda verò ab externa.

Quæ. 3. An omne animal indigeat somno. 36

Res. ex Arist. libro citato cap. 2. & l. b. 4. de hist. anim. cap. 1. omnibus animalibus terrestribus, uolatilibus, & aquatilibus perfectis, & imperfectis sõnum suo modo, & iuxta propriam exigentiam esse necessarium, ratio autem est, quia cum per continuas operationes, & sensationes extrinsecas, maxima copia spirituum cõsumetur, viresq. debilitentur, ideo quãdoq. indiget animal vacatione, & quiete, vt calore intrinsecùs vocato, perfectior fiat nutritio, ob concursum illorum spirituum, qui ad extremos sensus debuissent fluere, & inde alii generentur spiritus, qui postea ad sensationes concurrant. Est autem necessarius somnus animalibus inæquali spatio temporis, iuxta proprium cuiusq. naturæ virtua-

vniuersaliter tamen nec nimius, nec breuis, sed moderatus debet esse somnus, nimius enim valdè nocet partibus in somno quiescentibus, si quidem cum multò tempore remaneant, & operatione, & spiritibus destitutæ, euadunt torpentes, & ineptæ ad operationem, calor etiam vitalis tempore somni, vt potè quia est inclusus, festinè decoquit cibum quare nimium durante somno, per talem festinam concoctionem multæ generantur superfluitates, & excrementa, calorq. ipse debilitatur, breuis etiam somnus, parùm iuuat, quia nec vires possunt resarciri, nec spiritus reparari. Item Spiritus citò relinquentes interiora, imperfecta concoctio cibi habetur, ex qua cruditates generantur, quare moderatus debet esse somnus; & ex hoc patet, quare animalia solùm, non verò plantę indigeant somno, quia .s. virtus sensitiua operando consumit spiritus, & necessaria est vacatio ab operatione, vt restaurentur, virtus verò nutritiua consumendo restaurat, & ideò in nutritione restaurantur vires.

37 Quæres 4. An omnes potentiæ sensitiuæ ligentur in somno.

Resp. Aliquando omnes ligari, quando .s. somnus prouenit ex vehementi vaporum copia, vt omninò obruantur spiritus animales, vel ex defectu spirituum, cum enim aliquando tàm exigui possint esse spiritus in cerebro, vt & hi attrahantur ad ventrem propter concoctionem cibi, aliasq. necessarias, & naturales functiones, ideo tùnc cum omnia organa cuiuscumq. sensus sint spiritibus destituta, omnes sensus, & somno sopiti remanent. Quando autem somnus prouenit ex obstructione meatuum, per quos fluunt spiritus, tùnc solùmmodo remanent sopiti sensus, quorum meatus occluduntur à vaporibus, atq. adeo multi sunt, qui dormientes, respondent interroganti, alii mouentur & deambulant, alii alias sensationes producunt, quia .s. illos sensus ligatos non habent, ordinariè tamen loquendo in somno omnes sensus externi ligantur, non sic tamē interni, qui vt plurimum liberi, & soluti remanent, vnde postea habentur somnia, alia passio, & proprietas animalium de qua.

Quæres 5. Quid sit Somnium.

Resp. ex Aristotele cap. 1. de somnijs, somnium esse *phantasma in somno apparens*, seu *apprehensionem, & cognitionem phantasmatis*, cum enim, vt supra diximus, in somno aliquando sensus interni non obruantur, sed liberi remaneant, ideo possunt operari circa phantasmata, hoc est circa species rerum, per externos sensus iam cognitarum, quæ conseruantur, vel in memoria, vel in Phantasia. Hæc ergo operatio est somnium, estq. commune tàm hominibus, quàm cæteris animalibus: ex quo deducitur, illos solummodo somniare, qui magnas fumositates non habent, cum hæ enim sunt in maxima copia, obruunt omnes sensus, etiam internos, vndè posteà nulla operatio haberi potest, quare pueri, & qui humidiores sunt, numquam somniant, quare etiam in principio somni, quando à stomacho ad cerebrum maior copia vaporum ascendit, non somniamus, in medio, quando vapores incipiunt decrescere, somniamus, sed valdè confusè, in fine verò, quando quasi desinunt uapores, clara, & distincta somnia efficimus, & hęc sufficiant de Somno, Vigilia, & Somniis, transeamus ad aliam passionem animalis, quæ dicitur respiratio.

Quæres 6. Quid sit, & quomodo fiat Respiratio. 38

Resp. Respirationem esse motum localem, ueluti ex duplici motu contrario constantem, quorum prior pars consistit in attractione aeris, quam facit animal, ad cor per pulmones, & asperam Arteriam, diciturque inspiratio, secunda uerò pars consistit in expulsione eiusdem aeris, appellaturq. expiratio. Fit autem hoc modo; Dùm Aer per os, & nares attrahitur, eleuatur lingula, quæ vt supra, cū de voce diximus, claudit os asperæ arterię .i. Laryngem, sicq. liberè descendit aer per asperam arteriā usq. ad pulmones, quos esse ad finem asperæ arteriæ supra demonstrauimus; Sunt autem Pulmones substantia carnea, ualde laxa, & porosa ad instar spongiæ, apta ad ebibendum aerem. In Pulmonibus ergo introducitur aer attractus per duos canales, in quos propè pulmones diuiditur aspera arteria, pro duabus pulmonis alis, & inde per plurimos riuulos per totum pulmonem spargitur. Hinc aer attractus, & per totum pulmonem diffusus, ex ipso exprimitur per arteriam uenosam in medium sinum cordis, sicq. cor refrigeratur, hæcq. est inspiratio. Deinde idem aer à calore cordis calefactus, ab ipso emittitur in pulmones, & per compressionem pulmonis expellitur, & per eamdem quiam egreditur; hęc. est expiratio, quibus motibus uarii inseruiunt musculi, hinc & indè ordinatè à natura distributi.

Quęres 7 Quænam sit causa finalis respirationis, & an omnibus animalibus necessaria sit.

Resp. 1. Respirationem fuisse necessariam ad attemperandum calorem animalis, qui precipuè residet in corde membro calidissimo, cum enim, vt ait Aristoteles, duabus de causis extingui possit calor, & ob contrarium adueniens, frigus .s. & ob marcorem, quo ipsemet calor per accidens se destruit, consumendo .s. nimia actiuitate materiam, qua ali, & foueri deberet, ideo ne in animali deficiat calor naturalis, vel ob excessum illius, animal cito intereat, optimè prouidit natura, continua respiratione, cor frigidum aerem attrahere, atq. adeo ita attemperari nimium illius calorem; secundò necessaria fuit respiratio, vt notauit Hippocrates in lib. de Alim. quem sequitur Galenus lib. 7. de usu partium cap. 7. & 9. & etiam Aristoteles in lib. de Spiritu, ad hoc ut per aerem inspiratum subministretur materia cordi, ad efformandos spiritus uitales, cum enim tàm magna copia spirituum continuò ī corde debeat generari, ut per totum corpus diffundantur, non uidetur solus sanguis posse prębere sufficientem materiam ad illos effurmādos, quare necessarius etiam fuit aer, maximè quod cū sit natura subtilis magis deseruit mixtus in sinu cordis simul cum sanguine, ad suppeditandam proportionatam materiam, ex qua tenuissimi, & subtilissimi spiritus uitales producantur.


Ex quo deducitur responsio secundæ parti. Ea solummodò animalia respirare, quę maximum habent

bent

bent calorem, contra quosdam Philosophos, quos refert Aristotel. hic cap. 5. contra etiam Hippocratem lib. de flatib. Mercurialem super eumdem lib. Cardanum apud Scalig. exercit. 273. & alios; ratio autem est quam adducit Aristoteles cap. 4. & 5. quia ea solùm animalia possunt respirare, quæ instrumenta necessaria ad respirationem habent scilicet pulmones, sed ea solùm quæ maximum habẽt calorem, indigentq. refrigeratione, habent pulmones, ergo ea solùm respirant: quare pisces, & etiam quædam animalia terrestria pulmone carẽtia, cum maximum calorem nõ habeant, neque ad illum attemperandum indigeant aere intus attracto, non respirant, sed sufficienter illorum calor attemperatur, vel per aquam, vel per aerem extrinsecùs ambientem, sicuti etiam hoc pacto refrigerantur viuentia vegetatiua, scilicet plantę; Et hoc satis sit de motu respirationis, quatenus ad Philosophum pertinet, transeamus ad alium motũ animalis huic affinem, qui dicitur pulsus.

Quæst. 8. Quid sit Pulsus.

59 Resp. Pulsum esse motum cordis, quo se dilatat, & contrahit, qui motus participatur etiam ab arterijs, quæ sunt veluti quidam canales à corde originem habentes, deferentesque spiritus vitales, quos ex corde exhauriunt, per totum corpus, sicuti faciunt venæ, sanguinem nutrimentalem, quem ab hepate, à quo originem ducunt, exugunt. Huiusmodi autem motus, & pulsus cordis fit per hoc, quod cor, quod est figuræ pyramidalis, abbreuiando propriam longitudinem, seu secundùm longitudinem se restringendo, fit breuius, secundùm latitudinem verò dilatatur, & iterum se restringendo in latitudine, fit strictius in latitudine, longius verò versùs cuspidem, & secundùm longitudinem, hunc motum imitantur etiam arteriæ, eleuantur enim & comprimuntur iuxta motum cordis, cum hac tamen differentia, quod cum cor dilatatur, & fit breuius in longitudine, ipsę deprimuntur, dum verò cor comprimitur, & fit longius, ipsæ eleuantur, & pulsant. Causa autem huius motus, est calor naturalis residens in corde, per quem tamquam per instrumentum animæ efferuescentibus spiritibus vitalibus, dilatatur cor, mitigatis postea, & compressis ratione frigoris aeris aduenientis media respiratione, pariter & ipsum comprimitur. Quia autem in dilatatione cordis, clauduntur illius orificia, in compressione verò aperiuntur, & ex vno recipitur sanguis à vena caua, ex quo postea efformantur spiritus, ex alio uerò spiritus iam geniti inmittuntur in arterias, inde euenit, quod in compressione cordis arteriæ eleuantur, ut potè quia nouos spiritus recipiunt à corde, quare patet, talem motum institutum esse à natura, & ad respirationem, & ad recipiendum sanguinem ad efformãdos spiritus, & ad illos, medijs arterijs, per totum corpus diffundendos. Ex his motibus deducunt Medici sanitatem, uel infirmitatem animalis, quando enim excedit calor naturalis, ut in febribus, uel quando maior copia sanguinis, quàm sit necessarius, accurrit ad cor, ut ob aliquem timorem, tunc uel frequentiorem pulsum sentimus, uel quosdam saltus cordis, & arteriarum experimur, indicia, internum temperamentum esse alteratum. Et hæc de motibus naturalibus cordis, & Arteriarum, deque omnibus spectantibus ad animam sensitiuam. Transeamus ad examinandam quidditatem, & affectiones animæ rationalis.



DISPVTATIO QVARTA

De Anima Rationali.

1 ANimam rationalem omnium perfectiſſimam, etiam antiqui agnouerunt Philoſophi, quapropter, nimiùm illius excellentiam extollentes, alii particulam diuinæ ſubſtantię ex Deo deciſam, crediderunt, vt Plut. lib. de Quæſt. Plat. IoſephusHebræus lib. 3. de Bello Iudaico cap. 14. Philo Indæus in libro quod deterius potiori inſidietur: ex Hæreticis vero Carpocrates apud Irenæum libro primo aduerſus Hæreſes cap. 24. Cerdon apud Theodoretum lib. de diuinis præcep. Gnoſtici, Manichæi, & Priſcillianiſtæ apud D. Auguſt. lib. de Hæres. cap. 46. & 70. Alii eam ſuperiorem Angelis fecerunt, vt Georgius Venetus in Harm. mundi cant. 3. t. 3. cap. 2. Alii eiuſdem rationis cum Angelis exiſtimarunt, vt Origenes lib. primo Periarchon cap. 5. & 8. His tamen erroribus reiectis, quid de illa ſentiendum ſit, & ſecundùm Philoſophiam naturalem, & ſecundùm catholicam, inquirimus. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid ſit Anima Rationalis.

2 ANimam rationalem eſſe formam ſubſtantialem corporis, ſpiritualem, & īdiuiſibilem, ſupponimus ex fide, vt definitum fuit in Concilio Viennenſi ſub Clemente V. in Clementina vnica § *Però* de ſumma Trinitate, vbi habētur hæc verba *Quisquis deinceps aſſerere, defendere, ac tenere pertinaciter præſumpſerit, quod anima rationalis, non ſit forma corporis per ſe, & eſſentialiter, tamquam Hæreticus ſit cenſendus* quod confirmatum poſtea fuit in Lateranenſi ſub Leone X. ſeſſ. 8. & etiam patet rationibus naturalibus ſupra allatis in principio huius tractatus, cum enim vnita corpori faciat vnum per ſe, hominemq. conſtituat eſſentialiter diuerſum ab aliis animalibus, ideo forma ſubſtantialis eſt, quę in ipſo exiſtens, operationes indepēdēter à materia exerceat, intellectuſq. vna eſt illius potentiis, idem habeat obiectum, ac Angelus, ideo ſpiritualis eſt: ex quo ſequitur illius indiuiſibilitas, vt iam diximus; Quærimus ergo hìc ſolùm, cum anima, vt potè rationalis non dependeat, vt videbimus in ſuis operationibus ab organis corporeis, vtrum vt talis poſſit dici forma informans; & inſuper an talis anima ſit immortalis.

Prima Concluſio. Anima rationalis informat corpus formaliter, vt rationalis eſt, & intellectiua. Ita ferè communiter cum D. Tho. prima parte quæſt. 76. art. 1. Auerſa quæſt. 57. de anima rationali ſec. 2.

Prob. 1. Anima rationalis conſtituit naturam rationalem viuentem, diſtinctam ab aliis naturis irrationabilibus, ſed hoc non faceret niſi informaret corpus, vt rationalis, ergo &c. min. prob. non enim forma poteſt conſtituere compoſitum eſſentialiter tale, niſi illi vniatur ſecundùm illam rationem, per quam habet eſſe tale, ergo &c.

Prob. 2. Forma, quæ vnitur à parte rei, vnitur ſecundùm totum ſuum eſſe reale continens omnes formalitates talis formę, ergo ſi anima vnitur corpori, illi vnitur, vt rationalis, & intellectualis.

Neq. dicas; anima rationalis formaliter vt talis, & vt intellectiua non reſpicit corpus in ordine ad ſuas operationes, operatur enim independenter ab organis, ergo vt rationalis illud non informat.

Reſp. neg. antecedens, cum enim anima rationalis ſit eſſentialiter forma corporis, in quo multas exercet operationes rationales, vt loqui, ridere, &c. ideo aliquem ordinem ad illud dicit, ut rationalis; & licet intellectus ſuas exerceat operationes independenter ab organo, ex hoc non ſequitur animam ſecundùm gradum intellectiui non uniri corpori, cum ipſi uniatur in ordine ad conſtituendam unam naturam per ſe rationalem.

Secunda Concluſio. Anima rationalis eſt immortalis. Eſt de fide determinatum præcipuè in Concil. Later. 3. ſub. Leone X. ſeſſ. 6. & deducitur ex S. Scriptur. Sap. 7. *Iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illos tormentum mortis &c.* Item Sap. 4. *Iuſtus ſi morte pręoccupatus fuerit, in refrigerio erit* Mat. 10. *animā autem non poſſunt occidere*, & alibi.

Prob. autem primò rationibus. Anima eſt ſpiritualis ſubſtantia, ſed quælibet ſubſtantia ſpiritualis eſt immortalis, ergo anima &c.

mai. probata est, min. prob. corruptio enim prouenit à materia, & ideo quia Angeli carent materia, ideo incorruptibiles sunt, sicuti est ipse Deus.

Prob. 2. Nullum est ens creatum potens animam destruere, ergo est immortalis: antecedens patet, aliquid enim non potest destrui, nisi ab eo, à quo in suo esse habet aliquam dependentiam, sed anima in suo esse à nullo creato habet dependentiam, ergo à nullo creato potest destrui, ergo est immortalis: consequentia probatur, immortalitas enim hic sumitur, non quatenus nõ potest destrui à Deo, sed ab Agente creato.

Prob. 3. Anima rationalis habet modum operandi independenter à corpore, ergo etiam habet modũ essẽdi indepẽdẽter à corpore, ergo ex sua natura potest manere etiam à corpore separata, ergo in separatione corporis, non est cur intereat.

Prob. 4. Homines habent appetitum innatum, & inclinationem naturalem, in perpetuitatem, & sempiternam durationem; Item quietem, & tranquillitatem perennem suspirant, sed non datur appetitus innatus, & inclinatio naturalis ad impossibile, ergo dicendum est, perpetuitatem, & perennem fœlicitatem, in qua tandem quiescat appetitus naturalis, esse possibilem, atq. adeo, cũ in hac vita nõ sit, illam animę immortali in futura vita destinatam esse.

4 Prob. vlt. congruentijs. Multi scelerati in hac vita bonis afficiuntur, boni verò è contra, malis, ergo dicendum est animam esse immortalem; consequentia patet, cum enim ad iustitiam diuinam spectet benè agentes præmio afficere, punitione verò malos, ideo vt saluetur iustitia diuina, dicendum est, in alia vita, in qua immortaliter viuet anima, bona bonis relicta esse, malis verò mala, & hæc ratio desumpta est ex D. Petro, qui vt refert D. Clemens eiusdem Discipulus 3. lib. recognitionum, probabat immortalitatem animæ contra Simonem Magum hoc enthymemate. *Deus est iustus, ergo anima est immortalis.*

Ob. 1. Anima pendet aliquo pacto à corpore in suis operationibus, ergo neq. habet modum essendi independenter à corpore, atq. adeo non est immortalis, antecedens prob. intellectus enim vt intelligat, Phantasmata speculatur, quare est illud axioma, nihil est in intellectu, quod priùs non fuerit in sensu.

Resp. animam rationalem habere illam dependentiam quatenus est in corpore, quia secundùm ordinem naturæ debet operari in corpore, vt forma corporis, absolutè tamen loquendo, in operatione intellectiua non dependet à corpore, quia dato quòd species illi subministrarentur ex alia via, infunderentur .s. illi à Deo, non egeret corpore, operatio enim intellectiua, & uolitiua absolutè loquendo non dependet à corpore.

5 Quæres primò. An omnes animæ rationales sint eiusdem perfectionis

Resp. In perfectione specifica esse eiusdem perfectionis, sicuti sunt cœteræ animæ materiales in propria specie; in perfectione uerò indiuiduali, probabilius est etiam esse eiusdem perfectionis; ratio autem est quia, licet uideatur aliquis habere perfectiorem intellectum, quàm alius, unus naturaliter perfectiores uirtutes morales, quàm alius, hoc prouenit à perfectioribus organis, cum enim in receptione specierum pendeat intellectus ab aliis potentijs, ideo quò sunt perfectiora illarum organa, eò faciliùs apprehendit species, & sic faciliùs operatur.

Quæres 2. An animę multiplicentur ad multiplicationem indiuiduorum. Hoc autem quærimus ex eo quia Auerroes tertio de Anima comm. 5. & alibi, vnam solummodo affirmauit esse animam rationalem immortalem pro omnibus hominibus, hancque non formam informantem, sed solum assistentem. Hoc etiam docuerunt veteres quidam Peripatetici, quos idem Auerroes refert, Theofrastus præcipuè, & Themistius, & etiam ex recentioribus quidam impudenter affirmare ausi sunt, vnã solam animam rationalem philosophicè loquendo, admittendam esse, plures verò secundum fidem, quasi quòd veritas veritati possit esse contraria. Hi fuerunt Achilinus lib. de intelligentiis Mirand. lib. 32. de Euersione sec. prima, & lib. 33. sec. 2. Bessarius Cardinal lib. 3. contra Calumniatores Platonis cap. 21. Iamdunus, Vicomercatus, Zimara, & alii. E contrà alii, vt Pythagoras, Plato, & Empedocles, quibus accedunt Manichęi Albanenses, & Albigenses, multiplicitatem animarum admittebant, non tamen propriam cuicumq. assignabant, sed illas quoad certum numerum productas credebant, & successiuè transmigrare de vno in alium. Ad euertendas autem horũ erroneas, & hæreticas opiniones,

Resp. Multiplicari animas, ad multiplicationem indiuiduorum, ita quod pro quocumq. homine noua anima creetur à Deo, in illiusq. corpus infundatur. Hoc autem est de fide, definitum in Concil. Lateran. sub Leone X. in Consil. quę incipit *Apostolici Regiminis* His verbis *est immortalis, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine singulariter multiplicabilis, & multiplicata, & multiplicanda.* Ratione etiam suadetur, quia videmus homines diuersas opiniones de eodem obiecto habere circa idem obiectum, aliquos exercere actum amoris, aliquos, odii, de eadem re vnum affirmare, alium negare, internum, & secretum cordis vnius non cognosci ab alio, ergo signum est non esse vnam animam rationalem communem omnibus, neq. enim circa idem obiectum, & eodem tempore contrarias operationes exercere posset, sed vnicuiq. propriam esse animam. Item si daretur transmigratio animarum, recordaremur actionum, quas anima aliud corpus informans, fecisset, at harum operationũ non recordamur, ergo &c. quare remanet, indubitanter esse asserendum, pro quocumq. homine, propriã à Deo creari animam, in illiusq. corpus infundi.

Quæres 3. Quot sit potentiæ animæ rationalis. Pro Responsione.

6 Supp. est. In hominibus esse omnes potentias, & uegetatiuas, & sensitiuas, quarum principiũ est eademmet anima rationalis, vt potè enim perfectior, eminenter continet omnes virtutes, quas

animæ imperfectiores, quærimus ergo hic, an præter has potentias, alias habeat, pro ut est rationalis. Hoc supp.

Resp. Potentias animæ rationalis proprias, tres esse, Intellectum .s. Voluntatem, & Memoriam, patet autem, quia homo cognoscit abstracta à sensibus, discurrit, arguit, sed hoc non est munus alicuius potētiæ ex assignatis in aliis uiuentibus, ergo dicēdū hæc prouenire à præcipua potētia intellectiua animæ rationalis. Itē in homine adest actus, quo recordatur obiecti præteriti, formaliter ut præteriti, reflectendo supra suam cognitionem, quam iam habuit, sed talis actus non potest prouenire à memoria sensitiua, quæ non discurrit, ergo alia memoria rationalis admittenda est. Item homo aliquando uult quædam contraria appetitui sensitiuo, quæ uolitio non potest prouenire à tali appetitu, ergo ab alia potentia rationali, quæ noluntas uocatur. De singulis ergo his potentiis spiritualibus agendum est, & primò Sit.

SECTIO II.

De Potentia Intellectiua: an intelligat per species.

7 SVpp. est 1. Intellectum non esse potentiam organicam exigentem .s. organum, cum quo unitus promat suas operationes, ita ferè communiter cum Arist. 3. de anima tex. 4. Ratio est, quia organum inseruit potentiæ ad illam complendam, vt simul cum illo operetur, at intellectus est per se completus, & in statu separationis operari potest absq. organo, ergo non indiget organo. Tùm quia, intellectus percipit vniuersalia, & spiritualia, & species ab omni corporeitate abstractas. Item supra suos actus reflectit, sed in organis solū species particularium, & sensibilium recipiuntur, & potētiæ organicæ nequeunt supra suos actus perfectè reflectere, ergo &c. Et.'.in corpore existens semper intelligat corporeo modo, scilicet mediante phantasmate, .l. læso cerebro impediatur intellectio; .l. ratione diuersæ perfectionis organi, diuersæ in perfectione producantur intellectiones, (quę sunt rationes contrariæ sententiæ, quam solùm pauci sequuntur) attamen hoc non arguit in illo necessitatem organi, sed solùm iudicat pro hoc statu, in suis operationibus dependere ab aliquo organo, cum enim nequeat operari, nisi mediantibus Phantasmatibus, ideo in operando dependet ab organo sensus producentis Phantasmata, sed hoc remotè, non .s. quòd tale organum inseruiat ipsi potentiæ intellectiuæ, sed quod per ipsum subministrantur intellectui Phantasmata necessaria ad intellectionem pro hoc statu; quare ideò dicitur operari corporeo modo, quia indiget speciebus Phantasiæ, quare læso cerebro organo Phantasiæ, & in ipse deficit in suis operationibus, quia tunc illi non subministrantur species, quare denique ratione perfectioris organi, perfectiores producuntur intellectiones, quia operationes intellectus, cum dependeat à phantasmatibus, cum puriora, & perfectiora sunt phantasmata producta medio perfectiori organo, tunc & perfectiores sunt operationes intellectiuæ, non verò illarum potentia, scil. intellectus, in se ipso enim eamdem habet perfectionem, & separatus à corpore relictus in propria natura, eadem perfectione operatur.

Supp. 2. Obiectum concurrere cum potentia intellectiua ad illius operationem; cum enim potentia intellectiua sit indeterminata ad hoc, vel illud obiectum intra propriam speciem, debet determinari à tali obiecto, ad hoc vt potiùs tendat in illud, quàm in aliud; modò inquirimus, an obiectum immediatè concurrat cum potentia intellectiua, an verò mediante sui specie, hoc est, an intellectus intelligat mediantibus speciebus. His suppositis. Sit.

Prima Conclusio. Potentia intellectiua pro quocumq. statu, ad intelligendum indiget speciebus. 8
Ita ferè communiter cum Arist. pluribus in locis D. Tho. pri. par. quæst. 51. art. 1. Conimb. 2. de anima cap. 5. qu. 3. art. 2. Suarez. 3. de anima cap. 1. & 2. Arriaga dis. 4. de ani. sec. 1. subsec. 9. Compl. Ouiedo, Morando, Spinula, Mastrio, Tellez, & aliis.

Prob. 1. Intelligere est exprimere imaginem obiecti intellecti, sed non potest exprimi imago obiecti intellecti, nisi etiam ipsum obiectum intellectum effectiuè concurrat cum potentia ad intelligendum, ergo dicendum est concurrere; at non potest concurrere effectiuè, nisi cum ipsa vniatur, ergo cum cum ipsa per se ipsum nequit vniri, necessariò debet vniri media sui specie, mai. patet, intellectus enim ex Arist. 3. de ani. tex. 14. est tamquam tabula rasa, & intelligendo fit omnia, .s. in repræsentando, vt explicatur communiter; minor etiam probatur, cum enim actus cognitionis sit repræsentantio, similitudo, & species expressa obiecti, debet prodire ab eodem obiecto, nec enim intellectus se solo hoc præstare potest, cum secundùm se nullam similitudinem habeat cum obiecto, min. etiam subsumpta prob. cum enim concurrat cum potentia tamquam complens illam, vnumque solùm principium constituens, ideò necessariò cum illa debet vniri, quòd cum secundùm suum esse nō possit facere, debet mediante sui specie.

Prob. 2. Si intellectus non indigeret speciebus impressis ad intelligendum, hoc esset, quia absque illis obiectum illi intimè vniretur, ut euenit in visione Beata, in qua, quia Deus intimè vnitur cum intellectu Beato, non est necessaria species impressa Dei, sicuti neq. in probabiliori doctrina sūt necessariæ in intellectu huiusmodi species, respectu propriorum actuum, quia intimè illi vniuntur, sed obiectum illi intimè vniri non potest, ergo indiget speciebus impressis obiecti, min. prob. Tum ex Arist. qui 3. de anima tex. 38. ait *necesse est autem, aut formas, aut ipsas res esse in anima; ipsas igitur non, non enim lapis in anima est, sed forma.* Tùm ratione, quia si res omnes intelligibiles reperirentur in ipso met intellectu secundùm propriam entitatem, intellectus esset quid compactum, & con-

stitutum

stitutum ex omnibus rebus, quod & impossibile est, & inexcogitabile, quis enim dicere audet in intellectu esse hominem, leonem, lapidem secundùm proprias substantias, & essentias? quare dicendum est, esse secundùm sui species, quando ab intellectu intelliguntur, seu ab eo repręsentantur.

Prob. 3. Nihil est in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, ergo signum est, intellectum indigere speciebus, quas per sensus ab obiectis exhauriat; anteced. est communissimum Axioma fundatum in experientia, ideò enim secundùm præsentem statum, rerum, quæ per sensus non attinguntur, non habemus, nisi conceptum emendicatum ab aliqua specie sensibili, sic si intelligimus Angelos, illos tamquam iuuenes alatos concipimus, si Patrem æternum, tamquam senem uenerabilem illum nobis proponimus, &c. conseq. patet, si enim intellectus possec intelligere absq. speciebus, non egeret ad intelligendum phantasmatibus, sed se solo intelligeret obiecta, ergo &c.

9 Prob. 4. Intellectus cognoscendo ex Aristotele, & communi, fit omnia .s. fit similis obiecto cognito, sed non potest fieri similis obiecto in actu secundo nisi sit talis in actu primo, ergo debet esse talis in actu primo; at secundùm suum esse non est similis obiectis, quæ ab ipso specie distinguuntur, ergo dicendum est fieri talem à speciebus, quæ illum fœcundando, reddunt in actu primo potentem ad eliciendam intellectionem repræsentātem obiectum, à cuius speciebus fuit fœcundatus, &

Confir. Quia intellectio est veluti quidam partus intellectus, iuxta illud dictum D. August. *ex obiecto, & potentia paritur notitia*, ergo sicuti in cæteris partibus, priùs requiritur vt in fœmina pariens, fœcundetur à semine &c. sic & intellectus debet priùs fœcundari à speciebus obiecti, quę sunt ueluti semina obiecti, antequam producat partum intellectionis, repræsentatiuum, & expressiuum talis obiecti, ergo sunt necessariæ species impressæ.

10 Ob. 1. Ad hoc sunt necessariæ species, vt obiectum absens intimè vniatur potentię, sed omne obiectum intelligibile ratione phantasmatis, in quo relucet, est intimè vnitum intellectui, ergo non sunt necessariæ species; min. prob. intellectus enim, vtpotè non distinctus ab anima informante corpus, intimè penetrat omnes partes, & organa corporis, & quidquid recipitur in organo, quare cum obiectum ratione phantasmatis sit in organo Phantasiæ, est intimè vnitum ipsi intellectui, qui intimè est vnitus organo Phantasiæ, atq. adeo nulla est indigentia speciei ad uniendum illi obiectum.

Res. Non quamcumq. unionem, & præsentiam obiecti esse sufficientem ad hoc, ut potentia dicatur determinari ab illo, sed necessarium esse, ut obiectum sit prętens intentionaliter .s. complendo potentiam, & illam fœcundando in ratione repræsentatiua obiecti, sic .l. Angelus aliquis esset alicui præsens per intimum illapsum, attamen non cognosceretur ab illo, nisi per propriam speciem redderetur intentionaliter pręsens; ratio autem est, quia in tantùm est necessaria præsentia, & vnio obiecti cum potentia, in quantum potentia, per ipsum completa & fœcundata, redditur in actu primo potens ad repræsentādum formaliter illud obiectum, sed per solam vnionem, & penetrationem cum obiecto quoad illius esse entitatiuum, non redditur fœcundata, & completa, ergo &c. hæc min. prob. quia ad hoc vt potentia dicatur fœcundata ab obiecto, debet obiectum cum potentia vniri non solùm in esse obiectiui, sed etiam in esse principii effectiui concurrentis simul cum illa ad operationem, at per vnionem, & præsentiam, de qua est sermo in obiectione, hoc modo non vnitur, ergo &c. Tùm quia ideò dicitur fœcundari potentia ab obiecto, quia obiectum ne dum debet se habere obiectiuè, terminando potentiam, sed etiam illam mouendo, & determinando; non potest autem determinare per solam suæ entitatis præsentiam, sed per præsentiā, qua immutetur potentia, fiatq. potens ad illud exprimendum, & repræsentandum, .s. per præsentiam intentionalem, ergo &c. Quòd patet etiam respectu specierum sensibilium, si enim aliquis à longè videat percutientem securi lignum, prius videt percussionem, quàm sonum audiat, & tamē in eodē instanti, tàm potentiæ visiuę, quàm auditiuæ est præsens entitatiuè, & somnus, & motus percussionis, non auditur autem in eodem instanti sonus, quia ne dum requiritur præsentia entitatiua obiecti, vt dicit Aduersarius, sed etiam est necesse, quod ab obiecto īmutetur, & determinetur potentia per præsentiam intentionalem, quòd cum non possit statim fieri, cum species soni non adeò velociter, sicuti visiuę, perueniāt ad aures, ideò non statim auditur sonus. Ex quo clarè patet, non quamcumq. præsentiam obiecti esse sufficientem, sed præsentiam intentionalem requiri.

Neq. valet. Supradictum fuisse, respectu visionis Beatę non esse necessariam speciē impressam Dei, quia Deus est intimè præsens intellectui Beato, ergo hoc etiam dici posse, respectu alterius obiecti intelligibilis existentis in Phantasia, & intimè vniti intellectui.

Resp. enim. Non esse necessariam respectu intellectuum Beatorum speciem impressam Dei, quia Deus, vt potè omnipotens supplet dependentiam illam præsentiæ intentionalis; quare clarè patet necessitas specierum obiectorum intelligibilium, ad hoc vt intellectus ab illis immutatus, & fœcūdatus, possit obiectum intelligere.

Ob. 2. Si darentur species respectu potentiæ intellectiuæ, deberent ab ipsa priùs cognosci, vt illis mediantibus intelligeret obiectum, sed non cognoscuntur, ergo non dantur.

Resp. neg. antecedens; hoc enim esset verum si species essent id *quod*; at sunt, id *quo*, neq. enim ipsæ obiectiue repræsentant obiectum, sed solum effectiuè, quatenus vnitę cum potentia, & illam fœcundando, actiuè, & effectiuè concurrunt ad intellectionem; quod etiam patet in speciebus sensibilibus, ipsæ enim non videntur, vt patet experientia, neq. enim in medio videtur species obiecti à lōgè visi, sic etiam ratione uidetur, quia species non sunt similitudines formales, sed solùm virtuales obiecti, similitudines autē virtuales cū sint rationes quibus, nequeunt in se ipsis percipi, ergo &c.

&c. quare à primo ad vltimum patet, necessarias esse species, ad hoc, vt ab illis intellectus fœcundatus, obiecta intelligere valeat: remanet solùm inquirendum, quales debeant esse huiusmodi species, & à quanam causa productæ.

SECTIO III.

Quales sint species impressæ intelligibiles, & à quanam causa productæ.

11 CVm species fœcundantes potentiam concurrant effectiuè, vt supra diximus, cum ipsa potentia, ideò videtur debere esse in eodem ordine, ac ipsa potentia; quare cum intellectus sit potentia spiritualis, & spirituales debere esse species, vt cum ipso vnum principium efficiant intellectionis, ferè communiter asseritur; quo supposito, cum vt potè spirituales à sola causa spirituali posse produci existimauerint, ideò quidam, vnam, quidam, aliam causam adinuenerunt productiuam harum specierum intelligibilium.

Quidam enim dixerunt. Species intelligibiles, quibus mediantibus intellectus intelligit, creari ab ipsomet Deo, & infundi in cuiuscumq. intellectum, sic Plato cum Platonicis. Quidam cum Auicenna à sua Cholcodea, Intelligentia separata, datrice formarum, affirmarũt produci species intelligibiles, quibus intellectus fœcundatur ad intelligendum obiecta.

Alij communiter, intellectionem fieri asserunt, mediantibus speciebus intelligibilibus productis ab intellectu Agente; Quod vt percipiatur, sciendum est, duplicem intellectum assignari à Peripateticis, cum Aristotele cap. 4. & 5. alium vocant Agentem, alium Patientem, seu Passibilem, aut Possibilem: intellectum patientem, seu possibilẽ dicunt esse illum, qui potest recipere, & pati species intelligibiles, cum illisq. efformare intellectionem, & verbum mentis: illum verò dicunt esse intellectum agentem, qui tales species producit, cũ enim species obiectorum intelligibilium, seu Phãtasmata proximè subministrata à Phantasia intellectui, sint materialia, & vt potè talia nequeant inseruire potentiæ spirituali, ideo dicunt, intellectum Agentem ad imitationẽ Phantasmatum producere species spirituales repræsentantes idem obiectũ, quod repræsẽtabãt Phantasmata, quæ species impressæ in intellectu patiẽti, illum fœcũdant, faciuntq. quod in ipso spiritualiter repręsentetur quod materialiter in Phantasmate relucebat, videndum est igitur, quid in hoc sit dicendum.

Supp. est autem primò. Non benè assignari causam productiuam specierum intellectus, ipsum Deum, aut intelligentiam aliquam separatam; non ipsum Deum, frustrà enim recurritur ad causam primam, cum suppetunt causę secundæ: Tum quia nulla est necessitas talium specierum intelligibiliũ de nouo productarum, vt infrà patebit: non Intelligentiam aliquam separatam, non enim datur, vt iam diximus in Physicis.

Supp. 2. Nomine Phantasmatis duo intelligi posse, & terminum actionis Phantasiæ, seu (si terminus non est distinctus ab actione) perceptionem obiecti, quam elicit Phantasia, sicuti est verbum mentis productum ab intellectu. & etiam speciem relictam talis obiecti sensati in Phantasia post ipsius actionem: Phantasma primo modo, importat formalem expressionem obiecti, estq. solùm, dum actu percipitur obiectum, secundo verò modo sumptum, importat solùm virtualem similitudinem obiecti, seu illius speciem, relictam, & cõseruatam in potentia, quando ergo loquuntur D.D. & nos loquemur de Phantasmatibus, intelligemus de Phantasmatibus hoc secundo modo sũptis.

Prima Concl. Intellectus pro præsenti statu ad primò intelligenda sẽsibilia, & materialia, solùm indiget speciebus obiectorum relictis in Phantasia, hoc est Phantasmatibus: atq. adeo superfluus est intellectus agens producens species intelligibiles. 12
In hanc Conclusionẽ videntur concurrere qui negant species intelligibiles, vt Themistius cap. 2. Theofrastus, & Auempace cap. 4. Heruæus Quod. lib. 4. quæst. 7. & 8. Durandus in 2. dist. 3. quęst. 6. Bacconus quæst. 2. Prolog. videtur etiam aliquo pacto Serb. disp. 3. de anima quæst. 2. Guatini Disp. 12. de anima exp. 10. Arelij, & aliorum.

Prob. prima pars. Intellectus indiget speciebus obiecti, ad hoc, vt ab ipsis fœcundetur, & determinetur ad tendentiam in tale obiectum, sed ad hoc sufficiunt Phantasmata, ergo &c. min. prob. in tantum non sufficerent Phantasmata, in quantùm, vt potè materialia non possent immutare potentiam spiritualem, sed Phantasmata, licet materialia, habent spiritualitatem sufficientẽ ad immutandam potentiam spiritualem, ergo sufficiunt; hæc min. prob. cum enim Phantasmata includant repræsentatiuè totam naturam obiecti, ideo includunt illius esse, & materiale, & spirituale, materiale quidem, quod consistit in omnibus conditionibus indiuidualibus sensitiuis, & per sensus externos perceptibilibus, spirituale etiã, quod importat illius quidditatem, essentiam, & naturam, quæ secundùm se spectata abstrahit à conditionibus indiuidualibus, & materialibus, atq. adeò spiritualis est, spiritualitate requisita ad hoc, vt possit immutare potentiam spiritualem, neq. enim est necessaria spiritualitas in eodem genere, ac est ipsa potẽtia, alioqui solũ posset imutari, & determinari à solis substãtiis separatis, quod est falsum; quare cum Phãtasmata sint similia in repræsentando obiecto, cuius sunt, ideò & spiritualia sunt in repræsentando, repræsentando .s. illius esse abstractum a materia, atq adeo vt talia complere, & determinare possũt intellectum ad agendum.

Prob. 2. Quando Phantasmata secundùm aduersarios cõcurrunt simul cũ intellectu ad efformationem specierum intelligibilium, vel concurrunt secundùm proprium esse materiale inuolutum in conditionibus indiuidualibus, & materialibus, vel secundùm aliud esse, latens sub conditionibus indiuidua-

bidualibus, non secundùm proprium esse materiale &c. ex entitate enim materiali non possunt educi species spirituales, quales ipsi exigunt ad intellectionem, ergo concurrunt secundum esse latens abstrahens à materiali, & quasi spirituale, ergo secundùm tale esse poterunt vniri cum intellectu, illumq. complere, fieriq. vnum principium totale ad intelligendum.

Prob. 3. In tantùm Phantasmata non possent concurrere effectiuè cum intellectu ad eliciēdam intellectionem, in quantùm non possent recipi in ipso intellectu, sed primò, non est necesse quod in ipso recipiantur, deindè, dato quod esset necesse, nulla est implicantia quod recipiantur, ergo &c. min. quoad primam partem prob. quia species cū potentia non debent vniri vnione formali, & inhæsiua, sed tantùm virtuali, sicuti vniuntur aliæ causę efficientes partiales concurrentes tamquam vnum principium ad eumdem effectum, in quibus non est necesse, quod sit proportio in entitate, sed sufficit quod sit in virtute, & causalitate; prob. etiam min. quoad secundam partem, nam si per aduersarios phantasmata possunt vniri cum intellectu agente, cum illoq. constituendo vnum principium, effectiuè concurrere ad producendam speciem intelligibilem spiritualem, cur non possūt eodem modo uniri cum intellectu possibili, cum illoq. efficiendo vnum principium totale, speciem expressam spiritualem, hoc est intellectionem producere? & ex hoc deducitur probatio secundæ partis.

Prob. secunda pars. Intellectus, quem uocant
13 Agentem, dum deberet illustrare Phantasmata, seu ex illis, aut cum illis efformare species intelligibiles, vel vniretur Phantasmatibus, vel non vniretur; si vniretur, cur non potest & illis vniri intellectus, quem vocant possibilem, cum vterq. sit spiritualis? si non vniretur, hoc non potest esse, cum enim Phantasmata deberent cum intellectu agēte concurrere tamquam causa effectiua specierum intelligibilium, ideo, vt simul concurrerent, necessaria esset vnio, quam si concedunt posse esse inter intellectum agentem, & Phantasmata, cur non inter eadem, & intellectum possibilem? Cum ergo huiusmodi vnio possit esse inter intellectum possibilem, & Phantasmata, ex quibus haberi potest principium totale intellectionis, non est cur alius intellectus agens excogitetur efformans species intelligibiles.

Neq. dicas, vniri solùm in ratione actionis, quatenus .s. intellectus operatur circa Phantasmata, vt circa materiam.

Resp. enim, hanc vnionem non esse sufficientem, neq. enim Phantasmata possunt esse materia, circa quam; Nam quando intellectus operatur circa illa, vel transmutat ipsa Phantasmata in species spirituales, vel producit aliquid præter ipsa ad illorū exemplar: si primum .s. si aliquid de materiali transmutat in spirituale, tantò magis aliquid materiale poterit mouere potentiam spiritualem, atq. adeo, non erit necessaria huiusmodi transmutatio: si secūdū, hoc est falsū, cū enī itellectus neq. formaliter, neq. uirtualiter, cōtineat similitudinē obiecti, illā exprimere non potest per solum concursum extrinsecum, & præsentiam exemplaris, cum huiusmodi præsentia non immutet intrinsecè potentiam, illamq. reddat fœcundam, ad producendum id, ad quod secundùm se, non est determinata.

Neq. dicas secundò. Phantasmata vniri intellectui in ratione esse obiectiui, quatenus .s. obijciuntur intellectui agenti.

Resp. enim, neq. hanc vnionem sufficere, quia hoc pacto non concurrerent actiuè, & effectiuè simul cum intellectu agente, ad producendas species intelligibiles, vt volunt quidam aduersarij, immò supposita tali opinione, necessariò omnes fateri debent, cum enim species intelligibilis producta debeat esse similitudo virtualis obiecti, hæcq. ab intellectu talem similitudinem, neq. formaliter, neq. uirtualiter continente, effectiuè produci non possit, ideò necessariò asserere debent produci à Phantasmatibus illi similibus, & effectiuè simul cum intellectu ad talem productionem concurrentibus; Quare cum necessaria sit vnio inter Phantasmata, & intellectum agentem etiam per aduersarios, melius uidetur asserendum, hanc unionem reperiri inter ipsa Phantasmata, & intellectum possibilem, atq. adeo superfluum esse intellectum agentem.

Prob. 2. Intellectus agens, quē, ad præsentiam Phantasmatum, dicunt efformare species intelligibiles, uel mouetur à Phantasmatibus, ut ab exemplari, uel ab his per modum naturæ determinatur; si primum, ergo posset haberi cognitio ante productionem speciei intelligibilis, neq. enim potest efformari aliquid ad exemplar alterius, nisi prius illud cognoscatur; si secundum, cur eodem modo Phantasmata non possunt determinare possibilem intellectum, non enim apparet ratio, cur agentem, qui etiam est spiritualis, non uerò possibilem intellectum, Phantasmata determinare possint.

Prob. 3. Species intelligibiles debent esse similitudines uirtuales obiecti, sed similitudines uirtuales obiecti debent esse ab ipso obiecto, non uerò ab aliquo extrinseco, qualis est intellectus, quem dicunt Agentem, ergo &c. min. prob. cum enim species emanent ab obiecto, ut proprietates illius, non possunt per ueram efficiētiam, ab extrinseco agente, diuerso in ratione, & entitate, produci; quare nequit dari talis agens intellectus, species intelligibiles, diuersas à Phantasmatibus, efformans. 14

Neq. dicas, non solum intellectum agentem sed & Phantasmata concurrere tamquam duas causas partiales ad efformandas species intelligibiles, eodem modo ac species impressa simul cum potentia uitali concurrit, uel ad sensationem, uel intellectionem, cum enim in specie intelligibili duplex formalis ratio debeat reperiri, & spiritualitas, & similitudo, seu repræsentatio obiecti, spiritualitatem habet ab intellectu agente, esse uerò similitudinis repræsentatiuæ obiecti, à Phantasmatibus recipit.

Resp. enim neq. hoc subsistere; nam uel Phantasmata concurrunt ad efformandas species intelligibiles in ratione sola obiectiua, quatenus solùm obijciuntur intellectui agenti, qui illa speculando,

ad

ad illorũ similitudinẽ efformat species intelligibiles, vel concurrunt effectiuè vnita cum intellectu, ad productionem talium specierum: si primum, hoc supra demonstratum fuit implicare; deinde tota efficiẽtia taliũ specierum haberetur à solo intellectu, si quidem concurrens obiectiuè, nihil actiuè efficit, & sic recurrit ratio supra allata, si secundum, quæ maior est ratio quod Phantasmata vniantur cum intellectu agente ad efformandas species intelligibiles, & non possint vniri cum intellectu possibili, seu intelligente, ad efformandã speciem expressam, & intellectionem obiecti; videtur ergo meliùs dicendum, ipsa Phantasmata, secundùm esse spirituale, quod habent, vt potè virtuales similitudines totius esse obiecti, & materialis, & abstrahentis à materia, vniri cum potẽtia intellectiua, illamq. determinare, & fœcundare ad intelligendum obiecta, quorum sunt similitudines virtuales, seu species impressæ.

15 Ob. primò. Licet res materiales possint terminare actum cognitionis, quam vis perfectissimè, non possunt tamen concurrere in genere principij effectiui ad producendam intellectionem spiritualem circa ipsas, ergo ad hoc vt intelligantur, debet dari principium effectiuum talis intellectionis, at solus intellectus possibilis, non est sufficiens, ergo assignandæ sunt species intelligibiles omninò spirituales, quę ab intellectu agente producantur; prob. antecedens primum, nam res materiales non possunt efficere actum spiritualem.

Resp. neg. antecedens, nam res materiales repræsentatæ in Phantasmatibus, seu Phantasmata, habent suum esse spirituale .s. essentiã, & naturã, & esse abstractum à materia sensibili, secundùm quod possunt concurrere in genere principii effectiui simul cum intellectu, ad eliciendam intellectionem vitalem; nam quando duæ causæ concurrunt tamquam vnum principium ad aliquem effectum; non est necessè quod quælibet concurrat secundùm omnimodam rationem, secundùm quam concurrit altera; sed quęlibet debet concurrere secundum eam rationem, quæ in effectu debet relucere; quare cum in intellectione, & debeat esse spiritualitas, & insuper repræsentatio, & similitudò obiecti materialis secundùm rationem abstractam à materia sensibili, ideo intellectus ad spiritualitatem debet concurrere, species verò impressa ad repræsentationem, & similitudinem obiecti, sicuti euenit etiam in cognitionibus sensitiuis, dum enim v. g. in homine, anima spiritualis per potentiam visiuam fœcundatam à specie impressa materiali, producit visionem, talis visio, & est vitalis, & est materialis, ad vitalitatem concurrit principium vitale .s. anima spiritualis, ad materialitatẽ, species impressa materialis, in taliq. visione, species materialis mediante organo vnitur, & determinat potentiam spiritualem animæ, ad eliciendam materialem visionem; sicut ergo species materialis impressa in organo, potest determinare, & mediante organo vniri cum anima spirituali, simulq. cum illa fieri vnum principium adæquatum visionis materialis, sic & species, seu Phãtasmata obiectorũ, secũdùm esse intelligibile, & abstractum à materia sensibili, possunt vniri eidemmet animæ, & simul cum illa fieri vnum principium adæquatum intellectionis spiritualis, & repræsentatiuæ obiecti materialis.

Ob. 2. Obiectum coloratum .l. ex se sit visibile, nequit tamen ab oculo uideri, nisi lumine illustratum emittat sui species, ergo licèt obiectum repræsentatum in Phantasmatibus sit intelligibile, nequit ab intellectu cognosci, nisi priùs illustretur ab intellectu agente, qui dicitur illustrare Phantasmata, ergo est necessarius talis intellectus agens, 16

Resp. Obiectum coloratum non posse percipi absq. lumine, quia uel lumen est medium deferens species uisuales, uel quia ex lumine, & obiecto integratur unum obiectum uisibile; sic autem non euenit respectu Phantasmatum, ipsa enim Phantasmata, ut potè repręsentatiua uirtualiter totius esse obiectorum, repræsentant etiam illorum esse intelligibile, & spirituale, quod utiq. potest percipi ab intellectu, ut potè quia Phantasmata illi sũt unita, ut enim residentia in organo sensus interni, ubi operatur intellectus (non ob dependentiam ab illo, sed ob dependentiam à Phantasmatibus, quæ in ipso reperiuntur) intimè sunt unita toti animæ organum informante, in esse principii effectiui, ab ipsis enim immutatur, & determinatur intellectus, ut supra. Deinde frustatoria est talis illuminatio, vel enim habetur à lumine vitali, vel à lumine non vitali; si à lumine uitali, hoc est proprium intellectus possibilis, qui includit formalem cognitionẽ per quam obiectum fit clarum, & manifestum intellectui, si a lumine non vitali, hoc modo solùm terminatiuè recipi deberet in obiecto, atq. adeo; non illustraretur intellectus; Deniq. in illorum sententia, quando intellectus Agens conuertitur ad Phantasmata ad illa illustranda, vel terminatur ad illa Phantasmata, uel non, si non, ergo neq. illa illustrare poterit, ergo neq. ad exemplar illorum species intelligibiles efformare poterit, ergo neq. ab illis species spirituales abstrahere poterit; si uerò terminatur ad illa, & hoc absq. eo quod priùs illustretur ab alio, cur hoc non poterit facere & intellectus possibilis, seu intelligens,

Ob. 3. Esse spirituale obiecti, seu quidditas illius, essentia, & natura occultatur sub conditionibus indiuiduantibus, ergo non potest cognosci ab intellectu in Phantasmate, nisi priùs ab intellectu Agente emundetur ab illis conditionibus indiuiduantibus, à quibus occultatur, ergo adhuc est necessarius talis intellectus agens.

Resp. Occultationẽ sub cõditionib' ĩdiuidualib' materialiter sũptis, hoc est ut sensibiles sunt, & sensibiliter afficiunt subiectum, esse penes sensus, non intelligentes totam quidditatem rei, sed solum extrinsecùs illas attigentes, non verò penès intellectum, sua acie penetrantem omne intelligibile in obiecto proposito, atq. adeo, &c. Deinde, dicant mihi aduersarii, quomodo emundetur ab intellectu agente Phantasma à conditionibus indiuidualibus, vel enim emundatur per abstractionem taliũ conditionum, & hoc non potest facere, nisi illud intelligat, illiq. vniatur, quod si potest illi vniri intellectus agens, cur non possibilis? vel per productionem

ductionem

ductionem speciei solùm repręsentatiuæ esse occultum, quidditatiuum, & materiale, & hoc neq. etiam potest facere, nisi intelligendo priùs totum illius esse, à cuius parte occulta desumat exemplar, ad producendam speciem illius repræsentatiuam, quòd si hoc potest facere intellectus agens per aduersarios, asserendum est, hoc neq. implicare respectu intellectus possibilis, seu intelligentis, neq. enim excogitari potest, quomodo intellectus agens vniatur cum Phantasmate, fiatq. vnum principiũ adæquatum, ad producendas species impressas intelligibiles, secùs verò hoc efficere possit intellectus possibilis, cum vterq. sit spiritualis, & rationes, quæ respectu vnius militant, & respectu alterius militare deberent.

17 Ob. 4. Res sensibiles sunt solùm potentia intelligibiles, non verò actu, ergo requiritur aliquid, illas actu intelligibiles faciens, hoc autem est intellectus agens, transferens obiectum de ordine ad ordinem, hoc est de ordine sensibilium, & materialium, ad ordinem immaterialium, & spiritualium.

Resp. Res sensibiles etiam actu esse intelligibiles, secundùm illud esse, secundùm quod sunt intelligibiles, quid est enim, aliquid esse intelligibile, nisi esse ens obiicibile potentiæ intellectiuæ, huiusmodi autem sunt quidditates, essentiæ, & naturæ rerum, ergo actu sunt intelligibiles, neq. amplius requiritur, nisi quod actu intelligantur.

Ob. 5. Species obiecti, quod intelligitur, debent esse subiectiuè in intellectu, at Phantasma, nequit hoc modo esse in intellectu, residet enim in sensu interno, ergo non potest concurrere ad intellectionem, sed requiritur intellectus agens producens species receptibiles in intellectu.

Resp. neg. mai. aliud est enim dicere, species debere esse vnitas cum potentia, aliud subiectari in potentia, primum, est necessarium, secùs verò secundùm, quod patet in sẽsationibus quæ certè proueniunt à potentia spirituali animæ (respectu animæ rationalis) & tamẽ species sensibiles, quæ simul cum illa effectiuè concurrunt ad sensationẽ, in solo organo, non verò in anima recipiuntur, sic ergo sufficit, quod species obiectorum intelligibilium subiectiuè sint in sensu interno, cui cum intimè sit vnitus intellectus, ideo & speciebus in ipso existentibus, vnitur.

18 Secunda Conclus. Ex intellectionibus, quas elicit intellectus obiectorum materialium concurrentibus Phãtasmatibus, producuntur ĩ eodẽ intellectu species omninò spirituales, quæ postea concurrũt simul cum intellectu effectiuè, ad producendas alias intellectiones, nedum circa eadem obiecta, sed & circa ea, quorum species à Phantasmatibus emendicare nequit. Ita ferè communiter.

Prob. Nam sicut per sensationem internam producuntur species, & Phantasmata in sensu interno, quæ ne dũ deseruiunt eidẽ sensui, sed & intellectui, sic & per intellectiones factas concurrentibus Phantasmatibus, producuntur species intelligibiles, quæ conseruantur in memoria intellectiua, quæ eidem intellectui deseruiunt ad alias intellectiones producendas; &

Conf. Quia recordamur intellectionum, quas aliàs fecimus, sed hoc, non ratione specierum sensibilium, & materialium, quæ, intellectiones omninò spirituales nequeunt repręsentare, ergo spiritualium, & intelligibilium concurrentium, &c.

Collig. 1. Potentiam intellectiuam formaliter sumptam, operari solùm pro hoc statu, in organo sensus interni. licet enim entitatiuè sumpta, vt potè identificata cum anima, sit in toto corpore animato. attamen, ibi solùm formaliter est intelligens, vbi habet omnia requisita, sicuti anima ibi solùm est videns, vbi est organum visus, quare cum intellectus in organo sensus interni habeat omnia requisita .s. Phantasmata necessaria pro hoc statu ad intellectionem, ideò ibi dicitur intelligere, nõ quòd egeat organo ad intelligendũ, sed quia organum inseruit, vt subiectum, in quo reperitur, & obiectum ipsius intellectus repræsentatum in Phantasmate, & comprincipium illius operationis .s. Phantasma ipsum.

Coll. 2. Non esse disputationem, secundùm nostra principia, à quonam sensu interno desumat intellectus species. & Phantasmata ad intelligendum, cum enim vnum solum entitatiuè sensum internum admittamus, variis nominibus appellatum pro diuersitate officiorum, ideò non est distinguendum à quonam, intellectus recipiat Phantasmata, à quonam verò, non, sed asserendum, ea recipere à toto sensu interno, nomine enim Phantasmatis exprimuntur quæcunq. species sensus interni, cum vno Phantasiæ nomine soleat sensus internus adæquatè, & simpliciter nuncupari. quarè ab omnibus Phantasmatibus tam exprimentibus obiectum absens, quàm præsens, tùm præteritum, tam non sensatum ad extra, &c. potest intellectus fœcundari ad intelligendum.

Coll. 3. Quòd etiam ipsi actus sensus interni, qui etiam dicũtur Phantasmata, sicuti intellectio, & expressio obiecti quam facit intellectus, dicitur verbum mentis, possunt concurrere simul cum intellectu ad aliquam intellectionem producendam, cum enim etiam tales actus possint intelligi, & suã intelligibilitatem habeãt, ideò secundùm eam possunt immutare potentiam intellectiuam, illamq. ad sui intellectionem determinare.

Coll. 4. Secundùm hanc doctrinam, debere concludi, species intelligibiles repræsentare secundùm, 19
se singularia, quod sustinent etiam in communi sẽtẽtia de intellectu Agente, Scotus in 4. dist. 45. quæ. 3. Ricc. in 2. dist. 24. quæ. 4. Suarez in Met. disp. 6. sec. 6. num. 7. Durand. Ocham Tol. Thienensis, Hurt. disp. 5. sec. 6. Ouie. contr. 5. Pun. 5. Morãdus in 3. de anima quę. 7. Serb. disp. 3. de anima quæstio. 2. articulo 2. & ferè recentiores omnes; Ratio autem est, quia cum non admittamus alias species intelligibiles, nisi Phantasmata, hæq. vt potè à sensibus habita, repræsentent singularia, ideo species intelligibiles debent repræsẽtare singularia, quare quando primò vniuersalia ab intellectu intelliguntur, nullo modo, talia vniuersalia relucent in specie impressa intelligibili, sed solũ in expressa, quã producit intellectus post cognitionem pluriũ singulariũ, ex qua specie expres-

sa produ.itur postea, & inprimitur in intellectu, species intelligibilia impressa repræsentans vniuersale, illaque concurrit postea cum intellectu ad actum similis cognitionis circa rea vniuersales. Ex quo deducitur, etiã primum cognitũ ab intellectu, esse singulare, non verò vniuersale, cũ enim quod primò cognoscitur, cognoscatur depẽdenter à Phãtasmate, omneq. Phantasma repręsentet singulare, ideo primum cognitũ debet esse singulare; Tũ quia cum nihil possit esse in intellectu, quin priùs fuerit in sensu, à sensuq. non possit percipi nisi singulare, ideo, & intellectus, primò singulare debet attingere, haneq. sententiam etiam in communi opinione de intellectu agente, & speciebus intelligibilibus ab ipso productis sustinent Durand. in 2. dist. 3. quæ. 7. Conimb. primò Phy. cap. 1. quæ. 4. art. 2. Hurt. disp. 5. art. 6. & alii quos reffert, & sequitur Morandus in 3. de anima quæ. 8.

Coll. 5. Intellectum pro hoc statu vnionis cũ corpore, dependere in suis operationibus à sensu, non ex propria natura, sed ita ordinante Deo. Hoc autem prouenit, quia cum non habeat species infusas obiectorum, sed ex Phantasmatibus deueniat in cognitionem obiectorum, ideò necessariò à sensibus producentibus phãtasmata dependere debet, vnde ortum est illud axioma, *quod nihil est in intellectu quod prius non fuerit in sensu.*

Coll. 6. Intellectum in statu separationis intelligere, vel per species intelligibiles relictaa in memoria intellectiua post actus intellectionis, de quibus in secunda Conclusione, vel per species productas, & in illo infusas à Deo.

Coll. 7. Quòd cum intellectus non possit cognoscere obiecta, nisi quatenus priùs fuerint in sẽsu, ideò quando cognoscit ea obiecta, quæ non cadunt in sensu .s. spiritualia, non cognoscit per proprias species, sed per discursum ad modum rei sensibilis, sic dum cognoscit Deũ, Angelos, animam, &c. illa cognoscit per quandam speciem rei sensibilis, vt patet. Et hæc de speciebus intelligibilibus.

SECTIO IV.

In quo consistat formaliter intellectio.

20 INtellectio nihil aliud est, nisi id, quo intellectus formaliter fit intelligens; fit autem intelligens, eo quod exprimat, & repræsentet sibi obiectum, prius incognitum, quare intelligere est exprimere obiectum incognitum, quod facit sibi intellectus, in qua expressione cum duo considerari possint, & ipsum exprimere, .s. actio exprimens obiectum, & ipsa expressio, .s. terminus talis actionis, quæ communiter Verbũ mentis appellatur, eo quod sicuti verbo vocali exprimitur internus conceptus, sic verbo mentis, intellectus sibi exprimit obiectum, quod intelligit, ideò dubitatur hic, in quonam formaliter consistat intellectio. Quidam enim affirmarunt, intellectionem formaliter cõsistere in productione talis Verbi, hoc est in actione distincta ab ipso verbo. Sic Thomistæ cum D. Thoma pluribus in locis, quos sequuntur Conimb. 3. de anima cap. 8. quęst. 3. Fonseca 5. Mataphys. cap. 15. quæst. 10. sect. 2. Compluten. disput. 21. de anima quæs. 1. Ioannes de S. Thoma quæst. 11. art. 1. & alij plurimi ab ipsis citati.

Alij sustinent, intellectionem formaliter consistere in verbo mentis, seu specie expressa, & similitudine obiecti producta ab intellectu, tamquam termino distincto, per actionem, quam *dictionem* vocant. Sic cum Scoto Scotistæ, quibus adhærent Vasquez in prima par. disp. 38. cap. 2. & disp. 112. cap. 4. & alibi, Suarez disp. 48. Metaph. sect. 2. & 1. par. Tom. 1. lib. 2. cap. 11. & 13. & 3. de anima cap. 5. & Alij.

Alij deniq. vtramq. sententiam reconciliantes, volunt tàm in actione productiua verbi, quàm in ipso verbo formaliter consistere intellectionem. Sic Hurt. dis. 6. de anima sect. 1. & 2. Molina pri. par. quæst. 12. artic. 2. Capreolus, Medina, Sotus, Lessius, & Alij. Tanta autem in hac re est varietas sententiarum inter D. D. quia admittunt distinctionem inter actionem productiuam verbi, & ipsum verbum productum, quare priùs videndum est, an verbum productum sit distinctum ab actione aliqua illud producente, ex quo faciliùs deducetur, quid sit dicendum de ratione formali intellectionis, hoc est, in quonam consistat formaliter intellectio.

Suppon. est autem. Nos aliàs dixisse, omnes actiones de Prædicamento actionis, non necessariò habere terminum tamquam aliquid, per ipsas productum, huiusmodi autem sunt omnes operationes immanentes, quod etiam notauit Aristoteles 9. Metaphy. tex. 16. sic expresse inquiens. *Quorum non est aliud quoddam opus præter actionem, in ipsis met actio est, vt visio in vidente, & speculatio in speculante, & vita in anima*; hæcq. secundùm multos est ratio diuersitatis inter operationes immanẽtes, & transeuntes, quod transeuntes, terminũ producunt, secùs verò immanentes. Hoc supposito. Sit.

Prima Conclus. Verbum mentis creatę, realiter identificatur cum cognitione, quæ per se ipsam immediatè, & essẽtialiter producitur, atq. adeò intellectus creatus nullum verbum producit distinctum à cognitione. Conueniunt in aliquibus partibus huius conclusionia Scotistæ, & recentiores multi relati à Mastrio disp. 6. de anima quæst. 3. est. tamen clarè Auersæ quęst. 58. de potentiis animæ sect. 3. Hurtadi disp. 6. sect. 5. & sequent. quem citat Arriaga disp. 6. de anima sect. 2. subsect. 5. Oniedi controuer. 6. de anima punct. 1. §. 6. Spinulę in lib. de anima disputat. 4. sect. 1. & aliorum. 21

Prob. 1. Non sunt multiplicanda entia sine necessitate, sed nulla est necessitas multiplicandi

in

in intellectione duas res, Verbum .s. & actionem illud producentem, ergo &c. min. prob. in tantùm enim deberent multiplicari, in quantùm imago intentionalis, seu verbum nequiret esse de sua essentia, essentialiter, & immediatè dependens à suo principio, vndè indigeret mediatione actionis distinctæ, sed in hoc nulla est assignabilis implicãcia, maximè quia, cum sit imago viua, importat essentialiter actionem, & motum ab intrinseco, in quo consistit formaliter vita in actu secundo, ergo

Prob. 2. Verbum est imago obiecti expressiua, sed non potest dari cognitio intellectiua, quæ non sit imago expressiua obiecti, ergo neq. dari potest cognitio intellectiua, quæ non sit Verbum, ergo realiter non distinguuntur; min. prob. intellectus habens cognitionem, ratione illius, habet perceptionem obiecti intentionalem, non enim physicè percipit obiectum, sed percipere intentionaliter, est formaliter exprimere, ergo intellectus habens cognitionem, per illã formaliter exprimit obiectũ, at huiusmodi expressio est Verbum, ergo Verbum à cognitione non distinguitur.

Prob. 3. Intellectum formaliter intelligere, est intellectum formaliter fieri rem intellectam, iuxta axioma Aristotelicum *intellectus intelligens fit omnia*, sed nihil fit aliqua res in genere causæ formalis, nisi per ipsam rem, vel per imaginem ipsius, si fiat illa res solùm intentionaliter, ergo intellectus non potest fieri, vt intelligens, res intellecta, nisi quatenùs illam exprimens, at illam exprimere, & se similem illi facere, est illam intelligere, ergo ipsa expressio, & verbum non potest distingui à cognitione, & intellectione.

Ob. primò, Verbum est terminus cognitionis, ergo debet realiter distingui à cognitione.

Resp. disting. ãtecedens, est terminus distinctus, & neg antecedens, est terminus indistinctus, & trãseat antecedens, & sic neg. conseq. terminus enim solũ materialis debet realiter distingui à cognitione, id enim quod est formaliter terminus, si per se essentialiter producitur, simul est sua actio, cognitio, & Verbum.

Ob. 2. Actio productiua Verbi, saltem natura est prior, quàm ipsum Verbum, ergo distinguitur.

Resp. neg. antecedens; Ipsa enim actio cognoscitiua, est etiam expressiua obiecti, ergo cum Verbum consistat in expressione obiecti, actu non potest esse prior natura. Verum tamen est, quòd per intellectum, & ratione, potest cognitio à Verbo distingui, quatenus .s. eadem entitas varios potest habere respectus, secundùm enim respectum, quẽ dicit ad intellectum, à quo est, dicitur cognitio, & intellectio, quatenus verò dicit respectum ad obiectum, cuius est imago, dicitur Verbum.

22 Ob. 3. Intellectio, est assimilatio quædam inter intellectum, & rem cognitam, sed hæc assimilatio consistit in exprimenda, & repræsentanda re cognita, quæ expressio est Verbum mentis, ergo datur Verbum mentis.

Resp. nos non negare Verbum mentis, immò asserimus, per quamcumq. intellectionem creatam produci Verbum mentis, contrà Thomistas, qui non in omnibus intellectionibus produci Verbum asserunt; & ratio est, quia omnis qualitas dimanans ab intellectu per modum manifestationis est Verbum, sed omnis intellectio creata est huiusmodi, ergo omnis intellectio creata est Verbum; sustinemus ergo, solùm tale Verbum non esse distinctum ab ipsa cognitione, & intellectione, cum per intellectionem, intellectus fiat formaliter similis in esse intentionali, obiecto, quatenus ipsa cognitio, & intellectio est Verbum, & expressio eiusdemmet obiecti; quare si per impossibile conciperetur perfectè ipsa itellectio absq. Verbo distincto producto, adhuc in intellectu, ratione solius cognitionis obiecti, appareret tota expressio, & similitudo, quæ circa obiectum cogitari potest.

Ob. 4 Nulla datur actio sine termino, nulla operatio, quæ aliquid non producat, sed intellectio est actio, & operatio, ergo terminum aliquem debet habere .s. Verbum.

Resp. Vt ĩnuimus in supposito, actiones immanentes ex Arist. nullum habere terminum, sed ipsas, vt ita dicam, sibi esse terminum, quare cum intellectio sit actio immanens, non est necesse quod terminum distinctum à se habeat; Quare solùm potest dici, ipsam intellectionem importantem in suo conceptu formali Verbum mentis, & expressionem obiecti, esse terminum ipsius intellectus, ab ipso productum, per efficere, & producere, hoc est dicere, per actionem de prędicamento modi, in qua diximus in physicis, consistere causalitatem cuiuscumq. causæ efficientis, & ideo. Sit.

Secunda Conc. Nulla datur actio de prædicamẽto accidentis, per quam ipsa intellectio creata, tanquã terminus producatur, sed sufficit actio de prædicamento modi, ratione cuius intellectio, dicatur dependere, & esse ab intellectu, tamquã ab illius causa; Prima pars defenditur ab auctoribus assignatis pro alia conclusione; secunda verò sequitur ex dictis in Phy. cum auctoribus ibi citatis. Cõformatur etiam aliquo pacto cum Sententia Scotistarum, qui volunt, intellectionem, licet non distinctam à Verbo mentis, produci tamen per aliam actionem, quam *dictionem* vocant, asserentes, intellectionem, & Verbum mentis produci per *dicere* intellectus, sunt tamen nobis contrarii, quia hoc *dicere* volunt esse actionem de prędicamento accidẽtis, realiter à Verbo distinctam, vt videre est apud Mast. disp. 6. de anima quæ. 3. ar. 2.

Prob. prima pars: Actionis non datur actio, sed intellectio est actio, ergo illius alia actio (de prædicamẽto accidentis) dari non potest; ma. est commune axioma, & fundatur in ratione, si enim cuiuscumq. actionis requireretur alia actio, per quam haberi deberet, daretur processus in infinitum, cum ad quamcumq. actionem semper requirenda esset actio, min. patet, ergo & consequentia.

Prob. 2. pars. Intellectio per veram efficientiã producitur ab intellectu, tamquã à causa efficiente spirituali, & vitali, sed quotiescumq. producitur aliquid ab alio per veram efficientiam, debet assignari id, quo producatur, & efficiatur, ergo & in intellectione assignandum est; at nihil aliud assignari potest, nisi modus dependentiæ, & causalitatis, quo habeatur ipsa ĩtellectio ab intellectu, ergo &c.

23 Tertia Conc. Intellectio formaliter consistit in actione intellectiua, qua ab intellectu exprimitur obiectum. In hanc Sententiā videtur conuenire Scot. quem cum aliis Scotistis, sequuntur Mastr. disp. 6. de anima quæ 3. ar. 1. Auersa quæ. 58. de anima sec. 3. Ouiedo multos ex societate referens eiusdē opinionis Con. 6. de anima, Pun. 1. § 3. Spinula disp. 4. de anima sec. 1. con. 2. & alii.

Prob. 1. Intellectio est expressio, & repræsentatio viua, quam sibi facit intellectus de obiecto intellecto, sed expressio, & repræsentatio viua, importat actionem exprimentem obiectum, ergo intellectio formaliter est actio expressiua, & repræsentatiua obiecti; maior est certa, per hoc enim intellectus fit intelligens, quia ad se trahendo obiectum, illud sibi repræsentat; min. prob. quia imago, & expresio viua obiecti, non est, vt imago depicta, & emortua Cęsaris, sed est captio, & perceptio, seu apprehensio obiecti viuo modo, per quam itellectus, quasi manu capit, & per exercitiū quodcā vitale importans actionem, ad se attrahit obiectum, sibiq. illud repræsentat.

Prob. 2. Per intellectionē itellectus assimilatur intentionaliter obiecto, sed huiusmodi assimilatio importat actionem expresiuam obiecti, ergo intellectio est actio expresiua obiecti; min. prob. assimilatio enim intentionalis importat intellectū vitaliter operando, illud intentionaliter ad se trahere, illiq. vitaliter vniri, quod vtiq. non potest fieri, nisi per actionem expresiuam obiecti.

Prob. 3. Ratio formalis constitutiua, est ratio formalis distinctiua, sed ratio formalis distinctiua intellectionis est, quòd sit actio intellectiua expresiua obiecti, ergo erit ratio formalis constitutiua eiusdem intellectionis; min. prob. nulla enī alia ratio distinctiua asignari potest, in vitalitate enim conuenit cum aliis actionibus vitalibus aliarum potentiarum, in expresione obiecti, conuenit cum actibus aliorum sensuum cognoscitiuorum, ergo tota ratio distinctionis consistit in eo, quod sit actio intellectiua, & spiritualis exprimens intentionaliter obiectum.

Ob. 1. In intellectione reperitur qualitas vitalis exprimens obiectum .s. uerbum mentis, item actio productiua huius qualitatis; item pasio, qua huiusmodi qualitas recipitur in eodemmet intellectu, īmanenter operante, ergo in his omnibus asserendum est formaliter consistere intellectionem.

Resp. dato antec. neg. consequentiam; uerum est enim, in quacumq. intellectione repetiri actionē, per quam habetur ipsa intellectio, quæ, ut supra, consistit in quodam modo dependentiæ, & fluxus per quem physicè producitur ipsa actio intellectiua; habetur etiam pasio, cum enim intellectus sit causa imanenter operans, etiam in se recipit qualitatem productam; attamen in his ratio formalis intellectionis non est constituenda, nam licet ēntitatiue ab ipsa non distinguantur, tamen in tali entitate potest considerari ratio formalis, per quā sit talis, huiusmodi autem est quod sit actio intellectiua expresiua, &c. sicuti licet sit entitatiuè eadem res actio, & pasio, attamen prout formaliter est actio importat formaliter, quòd res sit à causa, pro ut verò formaliter est pasio, quòd res fiat, & patiatur suum esse.

Ob. 2. Tùnc intellectus intelligit formaliter obiectum, quando fit obiecto perfectè similis in esse intentionali, sed intellectus fit similis obiecto recipiendo speciem expressam obiecti, ergo in tali receptione & passione, debet consistere formaliter intellectio; quod Conf. ex Arist. 3. de anima tex. 2. asserente, intelligere esse quoddam pati. 24

Res. neg. min. Eo quod receptio speciei expressæ solùm importat vnionem speciei expressæ cum intellectu, quæ vnio est posterior, saltem in aliquo signo, ipsa productione speciei expressę, quare intellectus in productione speciei expresæ formaliter fit similis obiecto, cum enim productio huiusmodi speciei, nihil aliud sit, nisi quòd intellectus fœcūdatus à specie impresa obiecti, sua vitali tendentia, trahat ad se obiectum, quod facit se, vt ita dicam, ita modificando, vt fiat intentionaliter obiectum; inde euenit, quòd huiusmodi actio tendendi in obiectum sit formaliter expressio obiecti, atq. adeò in ipsa consistit formaliter intellectio; ad Conf. dico, Aris. velle, intelligere non esse formaliter pati, sed inuoluere passionem, vt potè quia necesariò debet recipi in principio, à quo est; hoc autem deducitur ex eodem, qui ait, non absolutè intelligere esse pati, sed quoddam pati.

Ob. 3. Actio productiua v.g. albedinis, vel caloris, non facit formaliter subiectum album, aut calidum, benè verò efficienter, formaliter enim fit album, & calidum ab ipsa forma albedinis, & caloris, ergo similiter actio productiua intellectionis, non facict intellectum formaliter intelligentem, sed hoc habebitur ab ipsa qualitate intellectiua producta, informante intellectum, ergo intellectio formalitce non cōsistit in actione expressiua obiecti, sed in sola expressione, seu Verbo mentis, recepto in intellectu; quod Conf. ex eo quia, si Deus produceret aliquam intellectionem in intellectu creato, vtiq. non Deus diceretur intelligens, sed solùm intellectus creatus recipiens, nō causans intellectionem, ergo dicendum est, etiam modò intellectum intelligere, non quia causat, sed quia recipit intellectionem, atq. adeò intellectionem non consistere in actione expressiua obiecti.

Res. 1. Dato antecedenti, neg. consequentiam, & disparitas est, quia intelligere est viuere accidentaliter, .s. est actio vitalis, quæ vtiq. non potest iportare solā īformationē, vt euenit in albedine, & calore, quæ formæ quia solā informationem causant absq. alia efficientia, reddunt subiectū formaliter album, aut calidum; quare quia intellectus eo ipso, quòd ad se trahit intentionaliter obiectum illud intelligendo, per talē intellectionē exprimit vitaliter obiectum, & efformat verbum mentis, seu similitudinem obiecti, fitque formaliter similis obiecto, ideò in actione expressiua obiecti diximus consistere formalitee intellectionem.

Deindè, dato quòd paritas valeret, neq. argumentum contrà nos vim haberet; quæstio enim non loquitur, per quid intellectus fiat formaliter intelligens, sed quid sit formaliter intellectio .s. 25

quæ-

quænam sit ratio formalis quidditatiua, & constitutiua intellectionis; hancq. dicimus consistere in eo quòd si actio intellectiua expressiua obiecti, quidquid postea sit, per quid intellectus dicatur intelligens formaliter; sicuti si quæreretur, per quid formaliter constituatur calefactio, non benè respôderetur constitui per formam caloris receptam in subiecto, benè verò per actionem productiuam formæ caloris ; quare argumentum potiùs retorqueri posset contrà aduersarios, sic dicendo, calefactio formaliter constituitur, per hoc quod sit actio productiua caloris, ergo & Intellectio formaliter constituitur, per hoc quod sit actio expressiua obiecti (siquidem terminum distinctum non habet) Intellectus autem formaliter fit intelligens, eo quòd, vt causa immanenter operans, in se recipit intellectionem, quam producit, quæ nullum terminum distinctum habet, à qua intellectione tamquam à qualitate à se distincta informatur (si tamen ly formaliter intelligatur in sensu, in quo intelligitur in obiectione ; Si enim intelligeretur ly formaliter pro essentialiter, hoc modo fit intelligens, eo quod essentialiter producat intellectionē) ipsa verò intellectio formaliter constituitur per hoc quod sit talis actio intellectiua expressiua obiecti ; quare maximè in similibus argumentis aduertenda est æquiuocatio. Ad Conf. dico in nostra sententia implicare, Deum producere intellectionē in aliquo intellectu, cum enim intellectio formaliter cōsistat in actione vitali, emanāte ab intellectu, ideò implicat nō produci effectiuè à principio vitali, immanenter operante, actio enim vitalis, non potest non dependere ab eo principio, à quo producitur, & in quo recipitur; vitalitas enim formaliter, & essentialiter importat dependentiam subiectiuam actus ab eo principio, à quo producitur ; quare .l. Deus possit supplere omnem influxum effectiuum causæ secundæ, dummodo effectus essentialiter non dependeat à suis causis creatis, attamen quia intellectio essentialiter dependet à principio, à quo fluit, ideò non potest supplere influxum effectiuum, & vitalem intellectionis, producendo, seu educendo illam ab aliquo subiecto, à quo effectiuè, & vitaliter non fit, alioquin destrueret essentiam intellectionis . Ex quo patet; implicare poni à Deo intellectionem in lapide, & per illam fieri in actu secundo viuentem, & intelligentem, quod tenentur concedere, qui intellectionem, non in actione uitali, sed in Verbo distincto, ab ipsa producto constituunt, cum enim lapis ab intrinseco nequeat intellectionem vitaliter producere, ideò non potest dici intelligens, aut viuens.

Ex quibus omnibus concluditur, intellectionem formaliter consistere in actione intellectiua expressiua obiecti. Quòd vlteriùs Conf. Quia sensationes sunt actiones, ità quod .l. in sensibus sint imagines & formæ obiectorum, non sit sensatio, nisi actio intercedat, uteuenit quando in oculo sunt species obiecti, obiectum tamen non videt, quia non aduertit, nec operatùr, ergo & intellectiones debent esse actiones, ità quòd intellectus nequeat dici intelligens, .l. habeat speciem, aut impressam, aut expressam nisi operetur, ergo intellectio consistit in operatione, & actione, &c.

Ob.4.ex Guarino dis.12.de anima exp. t t. mul- 26
toties scimus, nos aliquid intellexisse, ignoramus tamen, quid illud sit, ergo dicendum est intellectionem non consistere in actione exprimente obiectum ; conseq. prob. si enim hoc esset, non possemus reminisci; nostram operationem, & intellectionem, absq. cognitione rei intellectæ, cum talis operatio sit expressiua, & imago rei intellectæ, nec alia illius species possit haberi, quæ imago obiecti non sit; quare meliùs videtur dicēdum, intellectionem consistere in actu, quo substantia animæ experiatur, se taliter affici, vel à specie alias expressa, & iterum afficiente, vel à phantasmate ; cū enim exprimere, & efficere imaginem obiecti, etiā sit proprium rei inanimatæ, quæ tamen vitaliter non operatur, ideò in tali expressione non est dicendum, formaliter consistere intellectionem, quæ est vitalis, benè verò in actu, quo anima percipit propriam modificationem, qui propriè actus vitalis est, quem nulla res inanimata præstare potest.

Resp. dato antec. neg. consequentiam, ad cuius probationem dico. Non implicare, nos aliquando reminisci aliquam operationem intellectiuam expressiuam obiecti, secus verò obiectum per ipsam expressum, ex eo quia, cum duplex formalitas in quacumq. intellectione reperiatur, vitalitas, .s. & expressio, seu similitudo obiecti, de qua duplici formalitate remanent in intellectu species, vnam tamen entitatiuè speciem perfectam, & completam efformantes, ideo potest intellectus vnius formalitatis, ratione illius speciei meliùs conseruatæ, perfectiùs recordari, quàm alterius, in quo nulla est implicantia ; quare quando reminiscimur solam operationem intellectiuam, illam reminiscimur, vt actionem vitalem ab intellectu productā, .l. non aduertamus alteri formalitati, illam specificanti ; sicuti euenit etiam, quando quis concipit solam rationalitatem in homine, non considerata animalitate, .l. enim dùm primò habuit cognitionem de homine, vtramq. formalitatem apprehendit, & per suam intellectionem expressit, attamen potest postea solam vnam formalitatem intelligere, alteri non aduertendo ; atq. adeò ex hoc capite non est asserendum, intellectionem non consistere in actione intellectiua expressiua obiecti.

Non post autem benè saluari ratio, & quidditas intellectionis in actu, quo anima experiatur, se taliter affici, vel à specie aliàs expressa, & iterum afficiente, vel à phantasmate ; primò, quia huiusmodi experimentum, aut affectio, vt ita dicam, non reperitur in intellectu, nisi quādo talis species excitata, simul cum intellectu de nouo producit aliam speciem expressam, atq. adeò tale experimentū nō est, nisi productio speciei expressæ, seu actio expressiua obiecti, quod idem est. Deinde, hoc solum importaret, animam, aut intellectum sentire, vt ita dicam receptionem speciei impressæ (species enim alias expressa remanet solùm in intellectu, ut species impressa, illumq. solum immutare potest, ue species impressa, sicuti etiam phantasma) per sentire autem receptionem speciei impressæ, aut per

ex-

experiri talem receptionem, aut affectionem, non potest immutari potentia intellectiua in ordine ad intelligendum obiectum, ità vt vitali modo illud intelligat, sed ad summum potest sentire se immutari, atq. adeo in tali imutatione, & affectione potiùs debet cōsistere intellectio, quàm in actu, quo experiatur mutationem, & affectionem, quæ mutatio, & affectio, cum importet actionem intellectus adiuti à specie impressa exprimēte obiectum, ideò, &c.

Quòd iterum probo, nam quando intellectus intelligit obiectum, secundùm Arist. & omnes, fit similis intentionaliter obiecto, vel ergo fit similis intentionaliter obiecto per hoc quòd afficiatur à specie impressa, vel per hoc quòd experiatur se affici à specie impressa, primum nequit dici, perseuerant enim in intellectu species impressæ multorum obiectorum, & tamen semper talia obiecta non dicitur intelligere, nisi sensus sit, quòd intellectus, ita afficiatur à specie impressa, vt simul cum ipsa exprimat obiectum, in quo casu vtique, cùm intercedat actio expressiua obiecti, ipsā esse formaliter intellectionem asserendum est; Neq. secundum asseri potest, quia talis actus, per quem intellectus experitur se affici à specie impressa, non tendit in obiectum, sed in se ipsum, vt affectum specie impressa, ergo per talem actum non potest constitui intellectio, quæ est ad obiectum.

27 Deinde, talis actus supponit intellectum affici à specie impressa; vel ergo supponit affici, & immutari à specie impressa, vt solùm in ipso recepta, & hoc nō potest dici, sola enī species impressa, nō immutat intellectum, in actu secūdo ad intellectionē, cum sit solūmodo virtualis, non formalis similitudo obiecti; vel supponit immutari, & affici à specie impressa simul cum ipso intellectu producente speciem expressam, illumq. ita afficiente, vt similis intentionaliter euadat obiecto, & hoc pacto supponitur intellectio, quæ vtiq. est actio expressiua, &c. ergo à primo ad vltimum, intellectio formaliter nequit consistere in tali actu, quo intellectus experiatur se affici, ergo.

Neq. valet quod asserit, exprimere imaginem obiecti esse etiam proprium rei inanimatę, atq. adeò intellectionem, quæ est actio vitalis &c.

Resp. enim, non esse proprium rei inanimatæ exprimere obiectum vitali modo, quomodo facit intellectus, non enim implicat, aliquam actionem secundùm esse genericum conuenire diuersis specificè causis, sic ignis dicitur generare alium ignem, sicuti potentia generatiua semen producit, & tamen, licet hæ actiones conueniant in genere generationis, differunt tamen specificè, eò quod vna sit actio vitalis, secùs verò altera, quare &c.

SECTIO V.

Resoluuntur quædam, ad intellectum pertinentia.

28 QVær. primò. Quoddam sit obiectum intellectus.

Resp. Obiectum materiale adæquatum esse ens in sua vniuersalitate sumptum, omne enim ens, siue sit vniuersale, siue singulare, siue reale, siue rationis intelligibile est; Formalitas autem, sub qua attingitur ens ab intellectu, est Veritas, cum enim intellectus tendat in ens suum obiectum, vt eius naturam sciat, & intelligat, non vt nesciat, ideò in illius veritatem, seu veram naturam tendit, hoc autem ità verum est, vt etiam quando decipitur, tendat in verum, licet apparens.

Quæ. 2. Quot sint operationes intellectus.

Resp. vt alias in summulis, Tres esse operationes intellectus, simplicem .s. Apprehensionem, Iudiciū, & Discursū. Prima apprehensio est actus intellectus, quo res primò vitaliter concipit, & apprehendit. Iudicium est actus intellectus cognoscitiuus, & affirmatiuus cōnexionis prædicati cum subiecto; Discursus est actus intellectus, quo vnum ex alio infert. De his satis aliàs; Solùm remanet not. intellectum in sua prima operatione conuenire cum alijs potentiis cognoscitiuis, omnes enim primò (suo tamen modo) apprehendunt propria obiecta, in reliquis verò omninò discrepat. nulla enim alia potentia præter intellectum, formaliter iudicat, aut discurrit, quidquid sit an materialiter hoc faciat.

Quæ. 3. Quotuplex sit cognitio intellectiua.

Resp. Dupliciter communiter diuidi cognitionē intellectiuam, in Intuitiuam .s. & Abstractiuam; Cognitio intuitiua *est cognitio rei præsentis, vt præsens est*; Cognitio verò Abstractiua *est cognitio rei, non vt præsens est*. An autem ad cognitionem intuitiuam requiratur necessariò, quòd res sit præsēs secundùm præsentiam realem, & experimentalem, an verò solùm sufficiat quælibet existentia, & pręsentia rei, licet non sit realis, & actualis, disputant Doctores, probabilius tamen mihi videtur dicēdum cum D. Tho. 1. par. quæ. 12. ar. 2. Suàrez in sum. lib. 2. Vasquez 1. par. disp. 64. cap. 3. & aliis ad notitiam intuitiuam sufficere quamcumq. differentiam temporis, vel præteriti, vel futuri, dūmodo res cognoscatur in se, uel per suam essentiam, vel per proprias species, si illas habeat. Ratio autem est quia sensus oculi, qui solùm intuitiuè cognoscit obiectum, potest illud videre .i. actualiter, & realiter non sit præsens, ergo præsentia realis non est absolutè necessaria ad cognitionem intuitiuam, præcipuè respectu intellectus potentiæ perfectioris; antecedens patet, Deus enim potest conseruare, vel de nouo producere in oculo speciē coloris non existentis, in quo casu oculus videbit obiectum, licet non existens, vt constat ex miraculosis apparitionibus factis per species in oculis impressas, vt communiter docent Doctores cum D. Th. & Scoto, ergo &c. Tùm quia, Deus cognoscit intuitiuè per scientiam visionis præsentia, & futura contingentia, quæ tamen semper non habēt præsentiam realem actualem, ergo ad cognitionem intuitiuam non requiritur præsentia actualis realis & experimentalis.

Quæ. 4. An intellectus, secundùm omnes sui operationes, possit cognoscere, & intuitiuè, & abstractiuè.

Resp. 1.

Resp. 1. Intellectum secundùm simplicem apprehensionem, & iudicium posse cognoscere, & intuitiuè, & abstractiuè; Quòd possit cognoscere intuitiuè patet, cum enim intellectus intelligat etiam per species obiecti singularis, ideò tale obiectum, per tales species intuitiuè poterit cognoscere per simplicem apprehensionem. Deinde cum intellectus per secundam operationem cognoscat connexionem prædicati cum subiecto secundùm propriam speciem, ideò intuitiuè potest cognoscere talem connexionem, &c. Quòd autem abstractiuè cognoscat, patet etiam, per simplicem apprehensionem apprehendit naturas vniuersales, & communes per conceptum simplicem, qui vtiq. est abstractiuus. Item per actū Iudicii affirmat naturas communes, & vniuersales de inferioribus; vel aliquando per iudicium affirmat aliquid de aliqua re futura sine propriis speciebus, quæ vtique cognitiones sont abstractiuæ, &c.

Res. 2. Intellectum per discursum formalem, solùm posse cognoscere abstractiuè: Ratio autem est, quia per discursum, semper cognoscit vnum in alio, aut ex alio, quæ vtiq. cognitio non est intuitiua, sed abstractiua, ergo &c. Dixi autem per discursum formalem, quia non videtur implicare dari vnum actum, qui sit discursus virtualis cadens super totam demonstrationem, in quo, & sit cognitio intuitiua, & abstractiua, intuitiua scilicet respectu præmissarum, abstractiua respectu conclusionis deductæ. Et hęc sufficiant de potentia intellectiua.

SECTIO VI.

De Memoria rationali, seu intellectiua.

Diximus de memoria sensitiua, nunc sermo est de memoria intellectiua, seu rationali.

29 Pri. Cōcl. Datur memoria intellectiua, quæ est virtus animæ cōseruatiua specierū obiectorū iam intellectorum, & per illas intelligens res iam præteritas. Ita comm. cum Arist. hic tex. 8. D. Tho. pri. parte quæ. 79. ar. 6. & 2. contra Gent. cap. 78.

Prob. Sæpè recordamur præteritorum, etiam vniuersalium, eaq. l. preterita cognoscimus, sed attingere preterita, est officium memoriæ, attingere vniuersalia spectat ad intellectum, ergo datur memoria rationalis, & intellectiua.

Ob. ex Auicena negante memoriam intellectiuam; Si memoria intellectiua daretur, intellectus semper intelligeret, sed hoc est falsum, ergo &c. sequela prob. quia semper actu adessent species, quibus operaretur.

Resp. Intellectum non semper actu intelligere, quia aliquando non est aduertentia, quæ requiritur, ut actio intellectiua producatur.

Secunda Conc. Memoria intellectiua nullo pacto distinguitur ab intellectu. Ita ferè commun.

Prob. 1. Causa productiua est etiam conseruatiua, sed causa productiua speciei intellectiuæ, est intellectus, ergo & conseruatiua, ergo &c.

Prob. 2. In tantum memoria intellectiua distingui deberet ab intellectu, in quantum ipsa res præteritas intelligit, intellectus verò solum præsentes, sed hæc differentia est extrinseca, & se habens ex parte obiecti, ergo ratione ipsius intrinsecè non distinguitur memoria intellectiua ab intellectu, sed est ipsemet intellectus, pro vt intelligens res præteritas per species, quas illarum rerum in se conseruat.

Prob 3. In illa potētia formaliter debēt esse species, quæ mediis illis debet operari, sed intellectus est ille, qui operatur mediis speciebus, ergo & in ipso debent esse species, ergo non distinguūtur memoria intellectiua, & intellectus; quare eadem potentia, quat. intelligit præsentia, dicitur intellectus, quatenus recordatur, & intelligit præterita, dicitur memoria cognoscitiua, & rationalis.

Collig. Memoriam intellectualem neq. esse organicam, cum enim talis non sit intellectus, neque memoria rationalis.

SECTIO VII.

De Appetitu rationali, hoc est de Voluntate.

Dari in anima voluntatem, seu appetitum rationalē, essentialiter, & specificè ab appetitu sensitiuo diuersum, iam supra ostendimus; esse etiam distinctam realiter potentiam, saltem ratione organi patet, appetitus enim sensitiuus organicus est, non verò rationalis, qui est quædam potentia omninò spiritualis, qua anima inclinatur in bonum in com muni, malumq fugit; an verò hi appetitus præcise sumpti sint distinctæ potentiæ, probabilius existimo, non distingui, nisi virtualiter, quat. eadem anima, vt sensitiua appetit sensitiuo modo, vt rationalis, rationaliter sicuti neq. etiam distinguitur realiter, & entitatiuè ab intellectu, quòd cum multis defendunt nostri, Morandus in 3. de anima quæst. 13. & Suar. disp. 1 a. de anima rationali exp. 13. cum enim eadem anima indiuisibilis, sit quæ & cognoscit obiectum, & in illud, si est bonum, inclinatur, fugitq. ab alio, si est malum, ideò & eadem entitatiuè potentia dicenda est, tam illa, qua cognoscit obiectum quam illa, per quam in illud inclinatur. l. tamen postea, ratione diuersi modi tendendi, & diuersæ formalitatis, sub qua diuersimodè attingitur idem obiectum, debeant distingui: potentia enim intellectiua cognoscendo obiectum, vt verum, illud trahit ad se, è contra verò potentia appetitiua rationalis trahitur ab obiecto proposito sub formalitate bonitatis. Quare his suppositis tamquā certis, multisq quæ circa voluntatem inquiri possent, relictis Theologis, hic solùm quædam de illius obiecto. 30

biecto, deque illius actibus inquiremus.

Supp. est autem primò in communi sententia. Obiectum materiale voluntatis esse ens in sua latitudine, sicuti tale est etiã obiectum intellectus, cum enim voluntas sit vniuersalissima potentia, debet habere pro obiecto materiali vniuersalissimum obiectum, .s. omne ens; obiectum autem formale est bonum, cum enim voluntas tendat in obiectum, eo quòd attrahatur ab ipso, ideò in obiecto aliquid debet esse, quod trahat voluntatem, quòd vtique non est, nisi bonitas; dubitatur ergo, vtrum bonum, ita sit obiectum voluntatis, vt nequeat nisi in illud tendere.

Suppon. 2. Duo esse genera actuum voluntatis, alii enim sunt actus prosecutionis, quibus voluntas tendit, & inclinatur in obiectum, vt amor, desiderium, &c. alii auersionis, & fugæ, quibus recedit, & fugit ab obiecto, ut odium, &c. modò inquirimus, vtrum ratione talis diuersitatis actuum, diuersum sit voluntatis obiectum; fuerunt enim quidam, qui affirmarunt, ratione talis duplicis generis actuum prosecutionis, & fugę, tàm bonum, quàm malum constituere adæquatum voluntatis obiectum, ex eo quia voluntas in sphæra suæ actiuitatis, non minus includit velle bonum, quam nolle malum, &c.

31 Prima Conc. Solùm bonum est obiectum formale, & adæquatum voluntatis. Ita ferè communiter.

Prob. 1. Voluntas fugit, & recedit à malo, quia in tali fuga proponitur illi aliqua conuenientia, & bonitas, ergo primariò etiam in actu fugę, tendit in bonum, ergo solùm bonum est illius adæquatum obiectum; antecedens patet, in tantùm enim quis fugit aliquod malum propositũ, in quantùm illud sibi disconueniens proponitur, sed in propositione disconuenientiæ, implicitè proponitur conuenientia fugæ. ergo &c.

Prob. 2. Licet Intellectus tendat in falsum illi dissentiedo, communiter tamen, solùm verum, dicitur esse intellectus formale, & adæquatum obiectũ, quia dissentiendo falsitati, elicit actum verum, ergo pari modo voluntas l. fugat à malo, quia in tali fuga tendit in bonum inuolutum in tali fuga, solùm bonum debet dici, illius, formale, & adęquatum obiectum; Atq. adeò ad summum, malum potest dici, illius secundarium, & materiale obiectum, sicut pariter, est falsum respectu intellectus.

Secunda Conc. Bonum, ità est formale, & adæquatum obiectum voluntatis, vt nullo pacto possit voluntas odio habere, & fugere bonum, formaliter vt bonum, vel è contrà, amare malum, formaliter, vt malum. Ità ferè communiter Thom. Scotistæ, & recentiores omnes, contra Nominales Ocham 3. dist. 13. dub. 3. Maior. 2. dist. 38. quæ. vnica ad prim. & 4. dist. 49. quę. 7. Almain. Tra. 3. Moral. cap. 4. in fine, & aliquos paucos Scotistas.

Prob. prima pars. Voluntas elicit actum fugæ, & odii circa id, quòd impedit assecutionem bonitatis, sed bonum, vt bonum, non potest impedire assecutionem bonitatis, ergo voluntas actu fugere nequit tendere in bonum, vt bonum.

Prob. 2. pars. Voluntas tendit in obiectum, dum trahitur ab obiecto, & ab ipso allicitur ad amorem media sui cognitione, sed malum, vt malum nequit allicere ad sui amorẽ, adq. se trahere voluntatem, ergo voluntas non potest tendere in malum, vt malum; maior conceditur ab omnibus, hicq. est modus, quo voluntas operatur; prob. minor, in tantùm enim obiectum potest allicere, & ad sui amorem trahere voluntatem, in quantùm potest esse conueniens ipsi voluntati (neq. enim traheret si esset inconueniens, & contrarium) sed malum, vt malum, nullo pacto potest esse conueniens voluntati, ergo &c.

Prob. 2. Voluntas, sicuti omne agens, semper agit propter aliquem finem, sed malum non potest esse finis, ergo &c. min. prob. si enim malum posset esse finis, voluntas intendens talem finem, intenderet sui destructionem, malum enim est defectus à perfectione debita, ergo voluntas intendens sibi malum, intenderet defectum perfectionis sibi debitę, sed nullum agens intendit sui destructionem, ergo.

Prob. 3. Si voluntas posset tendere in malum, vt malum, vel tenderet amore concupiscentiæ, vel amicitiæ (duplex enim est amor, concupiscentiæ .s. qui terminatur ad obiectum bonum, vt alteri conueniens, & amicitiæ, qui terminatur ad bonum in se) sed neutro modo potest tendere in malum, vt malum, ergo &c. non amore concupiscentiæ, nulla enim conuenientia reperitur in malo, vt malum est, neq. amore amicitiæ, cum nulla prosequibilitas, & bonitas reperiatur in malo, vt malo, ergo; &c. quare quotiescumq videntur aliqui amare malum, non in malum tendunt formaliter, vt malum, sed propter aliquam bonitatem illi ãnexã, sic Sancti amant sibi persecutiones, tribulationes, pœnitentiis se affligunt &c. propter bonitatem illis ãnexam, meritum .s. quod ex illis consequitur.

Ob. ex Nominalibus. Si voluntas non posset amare malum, vt malum, & bonum odisse ut bonum, non posset mereri, nec demereri, nec circa obiectum propositum liberè se exercere, si enim proponeretur obiectum ut bonum, non posset illud odisse, si ut malum, illud amare, ergo ut saluetur illius libertas, debet dici, quòd possit odisse bonum, vt bonum, & malum, ut malum amare.

Resp. neg. ant. simul cum consequentia; licet enim voluntas non possit tendere in bonum, nisi actu amoris, & in malum, nisi actu odii, attamen, & est libera, & meretur, ex eo quia cum duplex detur libertas in uoluntate, & contrarietatis, seu specificationis, & contradictionis, seu exercitii, quãdo illi proponitur bonum, ut bonum, seu malũ, ut malũ. l. nõ sit libera circa ipsa, libertate specificationis, ità quod circa bonum, uel possit exercere actũ amoris, uel odii, sicuti circa malum, attamen est libera libertate contradictionis, seu exercitii, si quidem potest uelle bonum, uel illud non uelle, sive negatiuè se habere per omissionem putam, potest non uelle malum, seu negatiue se habere; sola autem libertas contradictionis sufficit ad merendum

dum

dum, & demerendum, quia enim proposito obiecto bono, licet uoluntas non possit illud odio habere, potest tamen non velle, siue negatiuè se habere, ideò illud volendo, & amando, meretur, sicuti è contra. Quare ad saluandam libertatem voluntatis non debet ità illa ampliari, vt possit tendere extra suum obiectum.

De ide Resp. quodcũq. bonũ creatũ habere aliquẽ defectum boni, seu rationem mali, sub hacq. ratione posse voluntatem fugere ab illo, illudq. odisse, sicuti è contra potest sequi, & amare malum, non pro vt tale, sed quia habeat annexam aliquam bonitatem, putà delectabilitatis, &c. in quo casu oderit solum obiectum, quod materialiter est bonum, sicuti amabit malum, quod materialiter est malum, sic u. g. quis alicui disciplinæ deditus, diù noctuq. illi incumbit, somnum fugit, famem, sitim, indicibilesq. labores continuò, & uoluntariè patitur .i. hoc sibi malum, & proximum interitum accelerare præuideat, ex hoc quia aliquid boni habet ânexum .i. aliquam delectabilitatem in tali studio, sic alius fugit obedire præceptis Principis, quia aliquam difficultatem inuenit in obseruantia talium præceptorum, quæ tamen sunt bona, & hac Responsione facilè effugietur quodcumq. aliud argumentum contra hanc conclusionem fieri possit.

SECTIO VIII.

An, & quomodo Voluntas dependeat in suis operationibus, ab Intellectu.

32 Commune axioma est, *nihil esse volitum quin præcognitum*, scilicet necesse esse, ad hoc ut in aliquod obiectum tendat suis actibus voluntas, tale obiectum esse priùs ab intellectu cognitum, & voluntatiq. propositum; Inquirimus ergo hic primò, vtrum hoc ità sit necessarium, ot impossibilis sit aliquis actus voluntatis circa aliquod obiectum, si illius non præcedat cognitio intellectus, ità quòd necessariò in suis actibus dependeat uoluntas ab actibus intellectus, & hoc ne dum naturaliter, sed & supernaturaliter.

Supponen. est autem, Voluntatem esse potentiam cæcam, nec secundùm se ullo pacto cognoscitiuam, quæcumq. enim cognitio habetur ab intellectu, qui ad se trahendo obiectum fit intelligens, illudq. repræsentans, cum enim uoluntas tedupliciatiué, ut talis, non trahat ad se obiectum, sed potiùs trahatur ab obiecto, ideò ut potè non eumdem modum operandi circa obiectum habens, ac habet intellectus, nullo pacto est cognoscitiua. Hoc supposito. Sit.

Prima Conclusio. Voluntas neq. naturaliter, neq. diuinitus operari potest siue præuia cognitio-

ne, & propositione obiecti, atq. adeo in suis actibus dependet ab actibus intellectus. Ita ferè communiter, D. Tho. in prima secundę quæ. 9. ar. primò, Scotus in prim. dist. 10, quæ. unic. ad ult. Vasquez prima part. disp. 35. cap. 3. Hurtad. disp. 14. de anima sec. 4. Arriaga disp. 7. de anima sec. 4. sub. prima, Auersa quę. 58. sec. 7. Serbellonus disp. 3. de anima quæ. 3. articul 2. Comptonus disp. 23. de anima sec. 4. Mastr. disp. 7. de anima quæ. 6. articulo primo, Guarinus disp. 12 de anima rationali exp. 13. & alii

Probatur prima pars. Voluntas nequit versari circa suum obiectum, nisi obiectum cum illa aliquo pacto uniatur. illiq. fiat præsens, sed non potest uniri, nec fieri præsens, nisi media præuia cognitione, ergo uoluntas nequit uersari circa suum obiectum, nisi præuia media cognitione. Mai. patet, omnia enim potentia tendit in obiectum se illi uniendo; minor probatur, uoluntas enim non potest uniri obiecto uolibili extrinseco, nisi illud habeat in se, sed non potest habere in se, nisi ut cognitum, ergo &c. hæc minor probatur, in tantùm enim uoluntas dicitur habere in se, & ferri in obiectum extrinsecum, in quantùm ab illo excitatur, sed nullo pacto tale obiectum excitat uoluntatem, nisi per cognitionem, ergo &c.

Probatur 2. Voluntas uersatur circa obiectum, uel illud amando, si est bonum, uel illud odio habendo si est malum, ergo debet præcedere cognitio manifestatiua obiecti sub illa ratione, aut boni, aut mali, quæ debet mouere uoluntatem ad illud, uel amandum, uel fugiendum, ergo necessaria est, ad quẽcũq. actũ uoluntatis, præuia cognitio obiecti, atq. adeò uolũtas in suis actibus depẽdet ab actibus intellectus, ipsa enim ut potè cæca, nequit cognoscere naturam obiecti.

Probatur secunda pars. Voluntas, ità est potentia libera, ut neq. diuinitus absq. libertate, nisi destructa sui essentia, stare possit, sed implicat contradictionem, potentiam liberam operari absq. præuia cognitione, ergo implicat contradictionem, uoluntatem operari absq. præuia cognitione, ergo neq. diuinitùs, &c. minor probatur, illa enim est potentia libera, quæ positis omnibus requisitis potest operari, & non operari, quæ potest potiùs hoc, quàm aliud eligere, sed hoc præsupponit cognitionem eligibilium, & prosequibilium, ut patet, ergo &c.

Ob. primò. Multoties uiri contemplatiui absq. præuia cognitione, seu contemplatione bonitatis Dei, feruntur in altissima contemplatione, in ardentissimum Dei amorem, ergo non semper est necessaria præuia cognitio ad actus uoluntatis, &c. 33

Respondetur. Falsissimum esse in quacumq. licet perfectissima extasi, non præcedere cognitionem Dei, alioquin Sancti ita eleuati, nescirent an Deum, an creaturam amarent, quod implicat; non aduertunt autem tali cognitioni, quia tunc magis sunt intenti, & occupati in Dei amore, quàm in illius contemplatione.

Ob. 2. Voluntas amat se scire, quæ nunquã cognouit, u. g. uolũtas Astrol. âmat cognoscere cursus sydе-

syderum, quos nunquam attigit, sed in tali casu, voluntas fertur in id, cuius numquam præcessit cognitio, ergo &c.

Resp. Voluntatem in tali casu, non ferri in incognitum, benè verò in cognitum, voluntatas enim tunc fertur non in cursum syderum, sed in scientiam cursus syderum, amat enim scire, seu scientiam habere cursus syderum, huiusmodi autem scientia proponitur illi ab intellectu, vt bonum, .i. tamen in confuso illius obiectum, .s. cursus syderum; quare tunc fertur in cognitum.

Ob. 3. Saltem diuinitùs absq. præuia cognitione potest obiectum fieri præsens, & proponi voluntati, ergo &c.

Resp. dato antec. neg. cons. Neq. enim sufficit quòd obiectum, vt in illud possit voluntas tendere, fiat illi præsens quocumque modo, sed debet fieri præsens vitaliter, hoc autem modo non potest fieri præsens, nisi per cognitionem, per quam illi repræsentetur obiectum intentionaliter. Quare &c. Hoc autem ita clarum est, vt superfluum sit, in hoc amplius insudare. Maior difficultas est in explicando, quomodo huiusmodi præuia cognitio, seu actus intellectus concurrant ad actum voluntatis, quæ est secunda pars tituli sectionis.

Affirmarunt enim quidam, actus intellectus concurrere totaliter effectiuè ad actus voluntatis, ità vt voluntas passiuè solùm se habeat, quæ opinio apud Scotum 2. dist. 25. tribuitur Gotfredo, & quibusdam alijs. estq. opinio falsa, certum est enim apud omnes, & in Concilijs definitum, voluntatem esse potentiam actiuam, effectiuèq. ex se ipsa suos producere actus.

Alij non totalem efficientiam respectu actuum voluntatis, ponunt in ipsis actibus intellectus, sed partialem; ita quòd tā ex obiecto cognito, seu ex cognitione obiecti, & ex ipsa voluntate tamquā ex duabus causis partialibus constituatur vna integra causa effectiua actus voluntatis; hæc autem sententia adscribitur Gregor. 2. 25 quæ. Ochan. quodlibet. primi quę. 16. Duran. 2. dist. 24. qu. 2. Caiet. pr. part. quæ. 80. ar. 2.

Alij, meliùs defendunt, totam efficientiam actus voluntatis haberi ab ipsa voluntate, actus verò cognitionis, seu obiectum cognitum, concurrere in alio genere causæ, vel finaliter, vel formaliter, proponendo s. obiectum voluntati. Ita D.Th. pri. 2. quæst. 9. ar. 1. & alijs in locis, Scot. in 2. dis. 25. quæ. 1. Vasq. pr. 2. disp. 36. cap. 2. Hurt. disp. 14. de anima sect. 5. Auersa quæ. 58. sect. 7. Compronus disp. 23. de anima sect. 5. Serbellonus disp. 3. de anima quæ. 3. art. 2. & fere recentiores omnes, cum quibus. Sit.

34 Secunda Conclusio. Actus intellectus nullo pacto concurrunt effectiuè ad actus voluntatis, sed solùm, vt proponentes obiectum, & illustrantes circa illud, voluntatem.

Prob. 1. Actus intellectus eodem modo concurrunt ad actus voluntatis, sicuti concurrit conditio applicans obiectum potentiæ, sed hæc non concurrit effectiuè, ergo neq actus intellectus, mi. prob. intellectus enim proponit, facitque præsens voluntati obiectum illi absens, & extrinsecum.

Prob. 2. Causalitas, quam habent actus intellectus circa actus voluntatis, consistit in propositione obiecti, seu illustratione voluntatis circa obiectum, sed huiusmodi causalitas nullam importat efficientiam, ergo; maior necessariò concedenda est, neque enim ex alia causa sunt necessarij præuij actus intellectus ad actus voluntatis, nisi quia voluntas, vtpotè potentia cæca, nequit tendere in suum obiectum, nisi illi proponatur ab intellectu, minor clara est, ergo, &c.

Prob. 3. Si actus intellectus effectiuè concurrerent ad actus voluntatis, in actibus voluntatis reperiretur aliqua formalitas correspondens virtuti intellectiuę, sed nulla huiusmodi formalitas reperitur in actibus voluntatis, ergo actus intellectus effectiuè, &c. maior patet in quocumque enim effectu semper reperitur aliqua ratio correspondens illius causæ effectiuæ; minor prob. quidquid enim reperitur in actibus voluntatis, vel est tendentia in obiectum, per affectum, & inclinationem, vel per modum simplicis complacentiæ, vel delectationis, vel per intentionem efficacem ad realiter assequendum obiectum, quæ formalitates nullo pacto apparent in actibus intellectus, per quos solùm cognoscitur, & apprehenditur obiectum, ergo &c.

Prob. 4. Si actus intellectus concurrerent effectiuè ad actū volitionis, actus uoluntatis non essent liberi, hoc est falsum, ergo; seq. pr. quod est, effectiuè à causa determinata non est liberum, ergo si actus voluntatis essent, licet etiam partialiter, effectiuè ab intellectu, non essent liberi. intellectus enim est causa determinata, non libera.

Conf. Ex his omnibus, quæ diximus in physicis ad demonstrandum, cognitionem finis atque concurrere in genere causæ finalis mouendo ipsam voluntatem, sed solùm se habere, vt conditionem sine qua non; si enim ipsa cognitio obiecti non potest esse causa finalis respectu actuum voluntatis, multò minùs erit causa effectiua ad quā maior virtus requiritur, quare quæcunque præuia cognitio intellectiua, concurrit solummodo ad actus voluntatis, vt conditio prærequisita, & necessaria, ratione cuius proponitur ipsi voluntati obiectum assequibile, & amabile; quæ est secunda pars conclusionis claré patens ex dictis; vel etiā potest asseri, quòd concurrat in genere causæ formalis, non ita tamen vt explicant quidam Thomistæ, quòd scilicet sit ratio agendi, seu quatenus est ipsa formalis repræsentatio obiecti appetibilis.

Ob. 1. Verbum diuinum spirat tertiam personam, eamque verè producit, seu verbum diuinum, efficienter diuinum producit amorem, ergo & hoc præstare potest verbum humanum.

Resp. neg. cons. Et disparitas est, quia Verbum diuinum, vtpotè substantia habens a Patre voluntatem fecundam, quę importat virtutem spirationis diuini amoris, hoc potest facere, ictus verò Verbum creatum.

Ob. 2.

35 Ob. 2. Variata cognitione, & actu intellectus, uariatur & actus uoluntatis, ergo signum est, cognitionem, seu actum intellectus effectiuè concurrere ad actum uoluntatis, consequentia clara est; proba. antec. per diuersam enim cognitionem Dei, quæ habetur in uia, & in Patria, mutantur actus amoris, si quidem in Patriâ est necessarius, secùs uerò in uia.

Resp. dato antecedenti, neg. conseq. & ratio est, quia cum diuersa cognitio possit explicare diuersas rationes formales, seu applicare uolũtati, diuersas rationes formales obiectiuas, ideo actus ipsius uoluntatis ex mutatione ipsarum, pariter & ipsi mutantur, eo quia dependet à talibus cognitionibus tamquam ab applicantibus tales rationes formales, seu à conditionibus necessariò requisitis, non uerò tamquã à causa efficiente, sicq. quia Deus in Patria proponitur ab intellectu uoluntati, ut summa bonitas, clare cognita, ideo ibi amor est necessarius, quia uerò in uia proponitur per reuelationem, aut per rationes naturales non clarè demonstrantes bonitatem diuinã, amor non est necessarius.

Aliis argumentis, quæ fieri possent, & ex supra allatis responsionibus facilè erit respondere, & seruata proportione, ex his, quæ diximus in physicis cum de causa finali.

Quæ. 1. An actus intellectus, necessarius ad actum voluntatis, debeat esse Iudicium, an sufficiat etiam sola apprehensio.

Resp. sufficere simplicem apprehensionem, ratio autem est, quia simplex apprehẽsio materialis, obiecti boni, vel mali, est sufficiens ad mouendum efficaciter appetitum materialem, vt patet in Brutis, quæ solam apprehensionem materialem, non verò iudicium habent de obiecto appetibili, ergo hoc etiam poterit præstare intellectualis apprehẽsio, consequentia patet, non enim minùs est efficax spiritualis apprehensio ad mouendum appetitum spiritualem, quàm materialis ad materialem; quare si talis efficacia conceditur sensui materiali, non debet denegari rationi, seu intellecui. Aduertẽdum tamen, quòd .f. quæcumq. apprehensio sit sufficiens ad eliciendos actus inefficaces, & simplicis complacentiæ, ad actus tamen efficaces amoris, vel odii, necessaria est apprehensio, quæ ita apprehendat obiectum, vt sufficiat ad proximèdeterminandum intellectum ad iudicium, & assensũ, vel quæ apprehendat conuenientiam, vel disconuenientiam. Videãtur de hoc fusè, Vasquez Tom. 2. in prim. 2. disp. 44. cap. 2. Arriaga disp. 7. de anima, sec. 4. subsec. 3.

Quæ. 2. Qualis debeat esse propositio obiecti factã voluntati, vt voluntas illud amet, in illudq. tẽdat, ã. f. sit necessaria efficacior propositio vnius boni, quàm alterius, ad hoc vt illud velit, secùs aliud; ità quòd, ex duobus bonis æqualiter propositis ab intellectu vtrumq. debeat amari, ex duobus verò inæqualiter propositis, quod efficaciùs propositum est, teneatur sequi.

Resp. cum Scoto 1. dist. 1. quæ. 4. quem ferè communiter sequũtur recentiores, quidquid dicãt aliqui pauci. Voluntatem, facta quacumq. propositione obiecti, ex sua libertate, in quodcumq. posse tendere, ita vt possit amplecti inter æqualia bona proposita, vnum præ alio, & inter inæqualia, etiam quod minus est, & remissiùs proponitur; Ratio autem potissima est, libertas ipsiusmet voluntatis, quæ non saluaretur, si hoc modo operari non posset, immò destrueretur, tùm quòad specificationem, tùm quoad exercitium; quoad specificationem si quidem, quia si duo bona æqualia proponerentur, neutrum posset amare, si quidem ad vnum amandum (si vera esset contraria sententia) requireretur illius efficacior propositio; si verò duo inæqualia proponerẽtur, ex necessitate nõ posset amare, quod inefficaciter proponeretur, sed cogeretur ad amandum efficaciùs propositum; destrueretur etiam libertas exercitii; quia obiecta æqualiter proposita, amare, & eligere non posset, ex inæqualiter verò propositis, remissiùs propositum eligere nõ posset. Quare ad saluandam perfectam libertatem voluntatis, dicendum est, voluntatem, facta quacumq. propositione diuersorum obiectorum, posse pro sua libertate eligere, vel respuere, quod uult.

SECTIO IX.

Resoluuntur reliqua spectantia ad voluntatem.

QVæ. 1. Quot, & quinam sint actus uoluntatis. 36
Resp. Tres esse primarios actus uoluntatis correspondentes tribus actibus intellectus; primus est simplex complacentia, uel displicentia obiecti, hecq. correspondet simplici apprehensioni, secundus est actus intendens efficaciter in obiectum, illud prosequendo, uel fugiendo, correspondetq. iudicio, quo affirmatur uel negatur; tertius est electio mediorum, quando uult media propter finem, hicq. actus æquiualet discursui; alii etiam actus attribuuntur uoluntati, amor .f., odium, desiderium, spes, gaudium, timor, uoluptas, ira &c. qui subordinantur tribus primariis assignatis.

Quæ. 2. Quid sit libertas uoluntatis.

Resp. Libertatem uoluntatis in actu primo consistere in hoc, quod uoluntas positis omnibus ad operandum requisitis, possit operari, & non operari, hoc, uel oppositum agere; in actu uerò secundo, in actuali exercitio libertatis prioris, seu in ipsa actione, quam uoluntas elicit. Duplex autem est libertas, Contrarietatis, seu specificationis, & Contradictionis, seu exercitii, ut alias diximus; Libertas contrarietatis consistit in hoc, quòd uoluntas possit elicere hunc actum, uel illi contrarium, ut amorem, uel odium; contradictionis uerò, in hoc, quod sit indifferens, ad eliciẽdum, uel omittendum actum, seu ad actũ, & ad negationem actus, quæ est illi contradictoria. Multa de libertate erunt inquirenda, cum de actibus humanis, pro nunc sufficiant dicta.

Quæ. 3. Quænam potentia sit nobilior, & perfectior, intellectus, an uoluntas.

Resp. cum D.Th. 1. par. quæ. 82. art. 3. & prim. 2. quæ. 3. ar. 4. quem sequuntur omnes Thomistæ, recentioresq. multi, intellectum præcedere, & nobilitate, & perfectione ipsam uoluntatem, Ratio autem est, quia intellectus est regula omnium operationum, & actuum uoluntatis, ergo ipsa nobilior. Tum quia anima per intellectionem assimilatur obiecto, & aliquo pacto trahit ad se perfectionem obiecti, quod non accidit in actibus uoluntatis. Tùm quia actus intellectus non dependet ab actu uoluntatis, sicuti è contra, independentia autem dicit maiorem perfectionem. Tùm deniq. quia uoluntas est potentia cæca, nec operari ualet, nisi ratione ducatur, ergo &c.

Coll. tamen. Voluntatem esse reginam cæterarum potentiarum, quæ omnes illi subditæ sunt, & per quamdam sympathiam, & naturalem subordinationem illis omnibus imperat, quando tamen non sunt necessariæ in suis operationibus. Et hæc sufficiant dicta de uoluntate, prout spectat ad Philosophum plura de ipsa sunt uidenda in Sac. The. in tract. de actibus humanis.

SECTIO VLTIMA.

De anima Separata.

Animã rationalem existere separatam à corpore certum est de fide, ut suprà probauimus, cum de illius immortalitate, multa ergo quæsita circa statum talis animæ separatæ hic occurrunt.

Quæ. ergo primò. An status separationis sit naturalis animæ.

37 Resp. negatiuè cum D. Th. 1. par. quæ. 89. ar. 1. & ferè communiter. Ratio autem est, quia anima est forma corporis, sed naturale est formę informare, ergo & animæ, ergo esse à corpore separatam, & corpus non informare, seu status separationis, in quo non informat, non est naturalis animæ. Tùm quia duo contradictoria non possunt esse alicui naturalia, sed naturale est animæ informare corpus, ergo connaturale nõ potest esse, non informare, & esse separatam, quod est contradictorium.

Quæ: 2. An anima separata habeat inclinationem ad corpus.

Resp. Affirmatiuè cum D. Th. prima parte quæ. 75. ar. 1. ad 6. & ratio est, quia semper est forma corporis, ergo &c. Tum quia separatio est contra suam inclinationem, & appetitum, ergo &c. neq. ualet re-unionem animæ corpori esse supernaturalem, atq. adeò naturaliter non posse appeti.

Resp. enim, esse supernaturalem respectu corporis, quatenus non potest naturaliter reproduci, respectu verò animæ esse naturalem, ipsa enim est semper forma, quare &c.

Quæ. 3. An anima separata habeat diuersam subsistẽtiam, ac habeat quãdo informabat corpus.

Resp. Subsistere per eandem subsistentiam; & ratio est, quia quando anima rationalis est unita corpori, subsistit per propriam subsistẽtiam, neq. enim inhæret corpori, ergo per eandem potest subsistere etiam separata.

Quæ. 4 An anima separata perseueret cum suis potentiis, & operetur iuxta illarum exigentiam.

Resp. Perseuerare cum suis omnibus potentiis, præcisè sumptis, non quatenus tamen inuoluunt organa, quæ solùm sunt in corpore, quare omnes operationes, quas priùs faciebat, potest etiam separata facere, eas tamen quæ non inuoluunt in suo formali, corpus, sic non potest videre, audire, &c. potest tamen intelligere, velle, loco moueri, dolere, gaudere &c.

Quæ. vlt. Quodnam sit obiectũ animæ separatæ.

Resp. Esse omne id, quòd etiam vnita cognoscebat & multa alia quæ de nouo obiiciuntur; quorum species de nouo infunduntur, vt substantia separata, Angeli &c. & licet in statu separationis probabile sit, posse etiam semetipsam cognoscere absq. specie, cum sit intimè sibi vnita, tamen probabilius est, etiam se ipsam cognoscere, vel per speciem infusam sui ipsius, vel per discursum, & cognitionem aliarum animarum, quia licet sit sibi intimè vnita, non est tamen ità intelligibilis sicuti est Deus, ità ut possit se ipsam, sine specie intueri, & I. anima separata ad intelligendum nõ egeat Phantasmate, indiget tamen specie intelligibili obiectorum, siue in ipsa conseruata, siuè à Deo infusa. Et hæc sint dicta de anima rationali, ad Laudem Omnipotentis Dei, B. Mariæ Virginis, B.P. Caietani, & Andreę Omniumq. Sanctorum.

*

DISPV-

DISPVTATIONES IN METAPHYSICAM ARISTOTELIS.

PAttem Philosophiæ naturalis esse Metaphysicam, diximus in prologomenis ad physicam, quare postquam ad primam partem, s. ad physicam spectantia examinauimus, nunc nos breuiter à quæstionibus metaphysicis expediemus, breuiter inquam, non quod in metaphysica contineantur, ex omnibus scitu minimè necessaria, sed quia cum vbiq. toto triennij cursu, quæstiones metaphysicas expenderimus, ideò omnia ad ipsam spectantia, fermè iam discussa sunt. Metaphysica ergo idem est ac scientia transnaturalis, transgreditur enim scientiam naturalem, quatenus agit de rebus magis perfectis, quàm illa; est autem vera scientia, speculatur enim perfectissimo modo suum obiectum, in quo assignando, cum variæ sint D.D. opiniones, ideò ad hoc clarè elucidandum. Sit.

DISPVTATIO PROOEMIALIS

In Metaphysicam.

SVppon. est. In omnium, & communi sententia, obiectum adequatum metaphysicæ esse ens, quare tota difficultas consistit in explicanda acceptione entis, & in assignanda formalitate, sub qua consideratur à metaphysica; Alij enim dixerunt, obiectum metaphysicæ esse *ens vt sic* pro vt conuenit, & enti reali, & rationis; alij, esse *ens* pro vt conuenit enti reali, & enti per accidens; alii esse *ens* comprehendens solum substantias immateriales, Deum s. & Angelos. Alij, *ens*, vt comprehendens decem prædicamenta; alij deniq. *ens reale vt sic* quatenus comprehendit omnia entia realia immaterialia, vt cognoscibilia naturaliter. Hoc supposito. Sit.

Prima Concl. Obiectum adæquatum metaphysicæ, non est ens, secundùm primas enumeratas acceptiones sumptum, sed est tale, pro vt sumitur ab Auct. vltimę sententiæ, s. est ens reale vt sic, quatenus comprehendit omnia entia realia immaterialia. (s. abstracta à materia.) & cognoscibilia naturaliter. Ita cum D. Thom. Scoto, Alberto, & communiori, Suarez disp. 1. in metaph. sect. 1. Pontius disp. 1. in Metaph. quæst. 1. & alij.

Prob. autem de singulis, & primò quod ens rationis non inuoluatur in illius obiecto; Ens rationis non est aliquid per se, spectans ad ens reale, neq. tamquam pars essentialis, aut integralis, aut proprietas, aut accidens, aut species; neq. è contra ens reale, est aliquid entis rationis, ergo ex his non potest fieri vnus cõceptus communis vtriq. sed obiectum adæquatum alicuius scientiæ tale debet esse, vt sub se contineat aliquo pacto vniuocè, vel aliquo ex modis supradictis, ea omnia quę considerantur in illa, ergo cum ens rationis non conueniat cum ente reali, non potest ens, pro vt conuenit enti rationis, & reali, esse obiectum adæquatum metaphysicæ.

Prob. 2. non esse ens, pro vt conuenit enti reali, & per accidens. Ens per accidens, eodem modo se habet, ac ens rationis, neq. enim est pars essentialis, aut integralis, vt proprietas, aut accidens, aut species entis realis, ergo cum ipso non potest integrare vnum totale obiectum metaphysicæ; antecedens prob. ens enim per accidens, seu art. fi-

ciale

ciale secundùm uoluntatem artificis mutari potest, ergo nullam habet essentiam communem enti reali, ergo nihil dicit actualitatis essentialis super actualitatem entis realis, ex quo componitur, est enim quædam aggregatio entium, & sic non potest integrare unum obiectum totale metaphysicæ.

Pro. 3. quòd sit ens ut sic comprehendens omnia entia, ut explicat ultima sententia. Omnia genera entium realium, quatenus conueniunt in ratione entis, sunt speculabilia ab aliqua scientia, sed nulla alia reperitur scientia speculans entia pro ut sunt entia, seu entia ut sic, ergo hanc esse metaphysicam dicendum est, atq. adeo ens, ut ens, esse illius obiectum adæquatum.

Prob. 4. In ratione entis, quatenus entis, tàm conueniunt Deus, & Creaturæ, quàm substantia, & accidens, ergo ne dum Deus, & Creaturæ, sed substantia, & accidens pro ut cōueniunt in ratione entis, integrant unum obiectum totale, & adæquatum metaphysicæ, ergo ens ut sic, comprehēdens omnia entia realia immaterialia, & naturaliter cognoscibilia, est obiectum, &c. non uerò pro ut comprehendit, uel solùm Deum, & Angelos, uel ut solùm 10. prædicamenta, quod uolebant duæ penultimæ sententiæ.

Prob. 5. Ens secundùm omnem suam latitudinem debet esse obiectum metaphysicę, ut potè scientiæ uniuersalissimæ, sed secundùm omnem suam latitudinem comprehendit omnia ētia realia, ergo ens pro ut comprehendens omnia entia realia, est obiectum totale, & adæquatum metaphysicæ, , sed.

Ob. Ens rationis, & etiam ens per accidens, habent suo modo propriam essentiam, item proprietates entis realis, unitatem. s. bonitatem, & ueritatem, &c. ergo in ratione entis cum ipso conueniūt, ergo possunt integrare unum totale obiectum metaphysicæ. Item ens rationis, & per accidens sunt ab aliqua scientia speculabilia, sed nulla alia scientia reperitur, quæ illa speculetur, ergo hæc debet esse metaphysica, ut potè scientia uniuersalissima.

Resp. ens rationis, non habere realem, & positiuam essentiam, sed solum abusiuam, & negatiuam, sicuti etiam proprietates, quare non potest conuenire cum ente reali: ens uerò per accidens, quatenus tale, neq. habet essentiam, potest enim uariari ad uoluntatem artificis, essentiæ autem sunt inuariabiles, quare habet solùm illam essentiam, quam habent illa entia realia, quorum est aggregatum, & ideo formaliter, ut est illorū aggregatum, non est quid essentiale, & sic non potest conuenire primariò, & per se cum ente reali, atq. adeo cum illo integrare unum obiectum adæquatum Metaphysicæ. Quòd uerò debeat dari aliqua scientia quæ talia entia speculetur, concedo, & hanc dico posse esse metaphysicam, at hoc solum fatere secundariò, & per accidens, non autem per se, & primariò, sicuti etiam Physica cōsiderat priuationes, & negationes, non tamen primariò, sed per accidens, quatenus opponuntur productionibus positiuis: sic ergo etiam metaphysica considerat hæc entia, quatenus opponuntur enti reali, & solummodo reductiuè, similia entia ad ipsam spectant.

Quæ. Quodnam sit obiectum formale metaphysicæ, seu sub qua ratione consideretur à metaphysica, ens, ut sic.

Resp. Metaphysicam considerare ens sub ratione entis solùm, nec sub aliqua alia formalitate distincta à ratione entis, illud speculari, quare ens ut ens, est obiectum adęquatum metaphysicæ. Nō considerat autem illud sub aliqua ratione formali, quia tūnc obiectum materiale alicuius scientię debet coarctari ab obiecto formali, quando scientia illud non considerat secundū omnem suam latitudinem, sed solùmmodo secundùm aliquam formalitatem, sic quia logica non considerat ens secundùm omnem suam latitudinem, sed solummodo, pro ut scibile, ideo per scibilitatem coarctatur, & formalizatur illius obiectum materiale. At hoc non euenit in Metaphysica, ut potè quia considerat ens, pro ut ens, secundùm omnē suam latitudinem, & ideo ab ulla formalitate, nō coarctatur.

Coll. Metaphysicam considerare entia immaterialia, & supernaturalia, Deum s. & Angelos pro ut sunt naturaliter cognoscibilia, est enim scientia, licet transnaturalis, non tamen supernaturalis; illorum autem consideratio supernaturalis pertinet ad Theologiam. Et hæc breuiter de Proœmialibus.

DISPV.

DISPVTATIO SECVNDA

De Ente, vt sic

QVoniam ens, vt ens, seu vt sic, diximus esse obiectum adæquatum Metaphysicæ, ideo de eo sic sumpto, primò est inuestiganda natura. Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit conceptus entis vt sic

1 NOt. est. Hoc nomen *ens*, dupliciter posse sumi, verbaliter, seu participialiter, & nominaliter: participialiter sumitur, quatenus est verbũ *sum, es, est*, significatq. idem, ac existens in aliqua differentia temporis, immò strictius, quia est participium præsens, significat ea, quæ existunt in tempore præsenti; nominaliter autem sumptum præscindit ab omni differentia temporis, & significat id quod est extra nihil, & contradistinguitur à nihilo, seu quod dicit primam rationem realitatis, siuè perfectæ, siuè imperfectæ, sumitur enim transcendentaliter, quatenus transcendit per omnia entia, quare quidquid habet essentiam, vel illam habeat de facto, vel de possibili, seù clariùs, quidquid non implicat, dicitur ens, & hoc pacto explicatur conceptus entis; cum enim dicat simplicissimum conceptum, nequit propriè definiri, definitio enim debet constare ex genere, & differentia, aut saltem, ex aliquibus conceptibus quidditatiuis, vicem gerentibus generis, & differentiæ, quos cùm non habeat ens, ideo non propriè definitur, sed id intelligitur ens, quod contradistinguitur à nihilo.

Not. 2. Dubitari posse, an ens, quatenus cõcipitur, vt quid superius, tum increato, quàm creato, tùm substantiæ, quàm accidenti, possit dicere aliquam vnam rationem abstractam, & præcisã à talibus inferioribus, ita vt detur vna ratio abstracta, & præcisa entis, præscidens à Deo, & à Creaturis, à substantia, & ab accidente, quod est dicere, an possit dari vnus conceptus entis communis, & abstractus à suis rationibus differentialibus. Dubium autem procedit, tùm de conceptu obiectiuo, tùm de conceptu formali. Conceptus autem formalis est ille, quo res concipitur, & manifesta fit intellectui, seu manifestatio intellectiua repræsẽtatiua obiecti, se tenens tamẽ respectu ĩtellectus, & dicitur cõceptus formalis, quia est quædam forma informans intellectum; Conceptus verò obiectiuus est ipsa res, quæ cognoscitur, pro vt cognita, & repræsentata intellectui, quare eadem met cognitio intellectiua, quatenus est imago obiecti, seu quatenus dicit esse obiecti, in ipsa, intentionali modo, existentis, dicitur conceptus obiectiuus, quatenus verò dicit ordinem ad ipsum intellectũ tamquam repræsentans illi obiectum, dicitur conceptus formalis. Ratio autem dubitãdi est, quia cum ratio entis à parte rei, non possit nõ transcendere per omnes differentias, & in illis imbibi, cum quæcumq. sit ens, ideo maximè dubitatur, an per intellectum attingi possit talis ratio entis, abstrahens, & præscindens à quacumq. differentia, quod est dicere, an possit concipi ens vt sic, nullo modo cogitando de aliqua differentia. His not. Sit.

Prima Conc. Conceptus formalis entis vt sic, est vnus, præcisus, & abstractus à suis differentiis. Ita D. Thomas relatus à Suarez disp. 2. Metaphysicæ sec. 1. Scotus relatus à Pontio disp. 2. Met. quæ. 2. Tellez par. 3. disp. 51. in met. Auersa in sua phil. quæ. 3. sec 8. Ouiedo Con. 1. in Metaph. punc. 5. Serbellonus disp. 1. in metaph. quę. 1. ar. 2. Palqualigus disp. 33. Met. sec. 1. num. 5. Motand. quę. 1. in Met. & alii multi. 2

Prob. primò. Conceptus formalis entis vt sic, non est conceptus formalis entis increati, aut creati, substantiæ, aut accidentis, ergo est vnus solùm conceptus formalis entis vt sic, præscindentis s. à suis inferioribus; antecedens prob. experimur enim quod diuerso modo se habet noster cõceptus, quando concipit substantiam, aut accidens, ac quando concipit ens vt sic, ergo &c. consequentia prob. si enim ille conceptus non est formaliter repręsentatiuus substantiæ, aut alterius inferioris, ergo non est conceptus explicitus illius, ergo est cõceptus vnus abstractus à suis inferioribus.

Prob. 2. Potest quis cognoscere, aliquid posse existere, atq. adeo esse ens, absq. eo quod intellectus aduertat, hoc esse Deum, aut Creaturam, substantiam,

stantiam, aut accidens, ergo ens vt ens formaliter conceptum, præscindit ab esse Dei, Creaturæ, &c. ergo conceptus formalis entis vt sic, vnus solummodo est præscindens à suis inferioribus.

Prob. 3. Si conceptus formalis entis non est vnus, sed multiplex secundùm multiplicationem entium, vel per vnum conceptum repræsentatur, quod per alium, vel non; si primum, ergo ad quid admittere tot conceptus, cum per vnum repræsentetur quod per alium; si secundum, ergo repræsentabit diuersas rationes formales, non verò ens vt sic, & ita sumus extra quæstionem.

Secunda Conclusio. Conceptus obiectiuus entis, est etiam vnus abstractus, & præcisus à suis inferioribus. Ita Suarez dis.2. in Met. sect.2. Auer. in sua Philosofia quæst. 3. sect.7. con.2. Hurtad. dis.2. in Metaph. sect. 3 Arriaga disp. 11. in Log. sect. sub.2. Ouiedo contr.1. in Metaph. p.5. Morandus loco suprac. quæst.2. Pasqualigus in prima par. Metaph. dis.34. sec.2. & alii.

Prob.1. Vbicumq. datur aliqua cõuenientia, datur aliqua vnitas, (similitudo enim, & conuenientia fundantur in vnitate, seu est vnitas) sed omnia entia realia, tàm increata, quàm creata, tàm substantia, quàm accidens, habent inuicem aliquam similitudinem, & conuenientiam in ratione entis, vt suo loco probauimus, ergo habent aliquam vnitatem in ratione entis, sed hæc ratio communis, per quam habent aliquam vnitatem, sola potest cognosci ab intellectu, ergo de illa potest dari conceptus obiectiuus.

Neq. dicas. Non posse præscindi rationem entis à substantia, aut accidente, ita quod si concipiatur ens, vel concipiatur ens substantiale, vel accidentale.

Resp. enim. Hoc esse falsum, quòd clarè patet, ea eo quia, ad habendum conceptum obiectiuum entis, sufficit concipere aliquid habens esse, nec est necesse concipere habere esse, tali, uel tali modo, ad habendum verò conceptum obiectiuum substantiæ, aut accidentis, necesse est, quod concipiatur talis, & talis modus essendi determinatus, .s. vel esse per se, vel esse in alio; cum ergo per diuersos conceptus cognoscatur ratio entis, & ratio talis entis, dicendum est, vnam rationem esse diuersam ab alia, atq. adeò obiectiuè vnam posse concipi, non concepta alia, secùs verò de ratione communi.

Prob. 2. In substantia, & accidente, in Deo, & Creaturis, est aliquid, per quod formaliter, tamquam aliquid positiuum, tàm unum, quàm aliud à nihilo contradistinguitur, sed hoc nihil aliud est, nisi esse ens, ergo tam à Deo, quàm à creaturis, tàm à substantia, quàm ab accidente, participatur hoc esse ens, distinguibile aliquo pacto, à modo essendi Dei, & creaturæ, substantiæ, & accidentis, ergo huius entis poterit dari conceptus obiectiuus.

Prob. 3. Tàm Deus, quàm Creatura, tàm substantia, quam accidens sùt obiectũ intellectus, sed nõ possunt esse sub ratione substantiæ, & accidentis, &c. ergo sub aliqua ratione communi, at hæc ratio communis non potest esse nisi entis, ergo potest dari vna ratio communis entis obiectiua; mai. est certa, min. prob. ratio enim specificatiua potentiæ debet esse vna, cum potentia sit vna, sed ratio substantiæ, & accidentis non est vna secundùm suum proprium esse, sed solùm, vt conueniunt in ratione entis, ergo &c.

Prob. 4. Debet assignari aliqua ratio determinata entis, quæ correspondeat conceptui formali illius, sed non potest esse aliqua sola ex inferioribus, vt per se patet, neq. omnes simul, quia si repræsentarentur determinatè, essent diuersi conceptus, non vnus, ergo debet assignari aliqua ratio communis entis, quæ conceptui formali correspondeat, hæc autem non potest esse, nisi obiectiua, ergo datur vnus conceptus obiectiuus entis.

Ob. con. hanc conclusionem. Conceptus obiectiuus est imago obiecti repræsentati, sed obiecta à parte rei existentia non sunt vnum, sed distincta, ergo vnus conceptus obiectiuus illorum nequit dari, ergo &c.

Resp. disting. min. Non sunt vnum, sed distincta taliter, & concedo, non sunt vnũ similitudinatiè, vt conuenientia in ratione entis, & nego, quare cùm in ratione entis conueniant, licet per aliasrationes, vel indiuiduales, vel formales differant, potest illa sola ratio concipi, & ita concepta efformare vnum conceptum obiectiuum entis; & hæc responsione, supposita ea nostris principiis vnitate similitudinis à parte rei in rationibus communibus, facilis adomne argumentum erit responsio.

Coll. tamen. Hunc conceptum entis, siue formalem, siue obiectiuum, esse solùm adequatè abstractum, & præcisum à suis inferioribus per intellectum, non vero à parte rei; non enim à parte rei datur ratio communis entis, distincta ex natura rei, siue formaliter, vt volunt Scotistæ à suis inferioribus, sed solùm eo pacto, quo in sequenti sectione patebit, & hoc iisdem rationibus, quibus in logica negauimus distinctionem formalem, & ex natura rei.

SECTIO II.

Vtrum ens vt sic, sit vniuocum respectu suorum inferiorum; & Quomodo ad ipsa contrahatur, & de ipsis prædicetur.

Ex dictis videtur supponi, ens vt sic esse vniuocum respectu suorum inferiorum, cùm enim conceptus ipsius, & obiectiuus, & formalis sit vnus, ideo & ens uniuocum uidetur dicendum. At quia diuersimodè potest philosophari de ente præciso, & de ente, quod, seclusa præcisione, transcendit per sua inferiora, ideò hic inquirimus, an ratio communis entis, quam esse à parte rei supponimus ex nostris principiis, cum de vniuersali, sit verè uniuoca, ex quo facilè erit deducere de ratione entis præcisa, hoc est de ente ut sic. De hoc autem dubitatur, ex eo quia ratio entis non æquè videtur

uidetur participari ab inferioribus, ratio enim entis principaliùs, & perfectiùs est in Deo, cum sit ens infinitum simpliciter, quàm in Creatura, quæ est ens dependens, & imperfectum. Item substantia est ens simpliciter, & per se existens, accidens uerò est ens secundùm quid, & in alio, quare cum ratio entis, seu ens transcendens, non æqualiter participetur ab inferioribus, dubitatur, an sit uniuocum, de cuius ratione æqualis participatio uidetur esse; primò autem.

Suppon. est. Ens posse sumi, & secundùm rationem uniuersalissimam entis, & secundùm modum essendi ut sic in communi; primò modo dicit solùm rationem, qua aliquid contradistinguitur à nihilo, .s. ueram rationem solius entis, secundo uerò modo dicit rationem, qua aliquid habet esse, .s. determinationem essendi. Hoc supposito. Sit.

Prima Conclusio. Ens est vniuocum respectu suorum inferiorum .s. Dei, & Creaturæ, substantiæ, & accidentis. Ita quoad primam partem Scotus in primo dist. 3. quę. prima, Rad. primo tom. Contr. 21. & ferè omnes Scotistæ; hanc etiam sententiam deffendunt Nominales, Ocham in primo dist. secunda quæ. 4. Gabriel ibidem Greg. ibidem quæ. 4. his accedunt Arriaga disp. 11. in Logica sect. 4 Ouiedo Controu. prima in Metaphysica Pun. 8. Guarinus dis. secunda in metaphysica exp 4. Pontius disp. secunda in metaphysica quæst. 3. & alii multi recentiores; quoad secundam partem de Subt. & accidente omnes iisdem qui supra, quibus accedunt Pasqualigus disp. 39. in metaphysica sec. 3. Morandus in Metaphysica quæst. 5. & alii multi ferè communiter.

Prob. 1. Ens secundùm rationem formalissimam entis, importat id, cui non repugnat esse, seu, quod contradistinguitur à nihilo, sed hoc esse contradistinctum à nihilo, tam est in Deo, quàm in Creatura, tàm in substantia, quam in accidente, ergo ab illis vniuocè participatur ratio formalissima entis, ergo ens est vniuocum.

Neq dicas. Hoc esse contra sensum communem S.S. P.P. & Doctorũ, præcipuè D. Thomæ D. Dionysij, Damasceni, Augustini, Maximi, Pici Mirand. Caietani, & aliorum, quos refert P. Pasqualigus 1. par. disp. 29. sec. 6. de ente; Hi enim omnes asserunt, Deum non esse ens, sed super ens, non esse substantiam, sed super substantiam.

Resp. S.S. P.P. intellexisse Deum esse supra omne ens, sumendo ipsum ens Dei pro vt importans infinitatem, immensitatem, independentiam, vno verbo, Deitatem; hoc enim pacto certum est esse supra omne ens, supra omnem substantiam, at per hoc non est negandum, solam rationem simplicissimam entis, qua Deus, non taliter, sed simpliciter contradistinguitur à nihilo, non dicere aliquam similitudinem, rationi simplicissimæ, qua creatura pariter, non taliter, sed simpliciter contradistinguitur à nihilo, in hac ergo ratione simplicissima constituimus vniuocationem entis inter Deum & creaturam, in quo nulla apparet implicantia.

Neq. dicas 2. Esse ẽs diuerso modo in Deo, & in Creaturis, substantia, & in accidente, ergo &c.

Resp. enim diuersum modum essendi esse rationem coarctatiuã, siue differentialem ipsius entis: quare sicuti in cæteris vniuocis, ratio coarctatiua non tollit vniuocationem, per hoc enim v.g. quod animal à rationalitate coarctetur ad esse hominis, tamen dicitur vniuocum respectu omnium animalium, quia omnia in ratione animalis conueniunt, ita etiam hoc est asserendum de ente, quod secundùm suum simplicissimum conceptum, solùm dicit non esse nihil, non verò esse tale, vel tale non esse nihil; hæc enim est ratio contractiua, siue differentialis.

Prob 2. Ratio entis communissima, non est capax, vt inæqualiter possit participari ab inferioribus, ergo æqualiter debet participari, ergo vniuocè, ergo &c. consequentia, supposito antecedenti, est euidens, prob. ergo antecedens, ratio communissima entis est illa, per quam aliquid contradistinguitur à nihilo, & illi contradictoriè opponitur, sed hæc non potest esse inæqualis in vno, ac in alio, statim enim ac concipitur inæqualitas, & diuersitas, concipitur non ens simpliciter, sed tale ens, respectu enim taleitatis, vnum ens est diuersum ab alio, ergo; Tum quia ratio entis est prima ratio remouens à nihilo, ergo debet esse vna, consequentia patet, vbi enim est idem effectus formalis, est eadem ratio præstans hunc effectum formalem, sed remouere à nihilo est vnus effectus formalis, ergo & ratio remouens debet esse vna, & vniuoca.

Prob. 3. Vel inferiora entis habent inuicem aliquam conuenientiam in ratione entis, vel non; secundum nequit dici, vt inferiùs probabimus, ergo primum, sed hæc conuenientia importat vniuocationem, ergo &c. hęc min. probatur; huiusmodi conuenientia in entibus supponit rationem formalem per quam inuicem entia conueniant, sed omnis ratio formalis, est ita indiuisibilis, vt illi neq addi aliquid possit, nec ab illa detrahi, ergo & ratio formalis, per quam entia conueniunt est indiuisibilis, sed ratio indiuisibilis pluribus conueniens importat vniuocationem, ergo conuenientia in entibus, in ipsis importat vniuocationem.

P.ob. 4. Potentia vniuoca nequit specificari nisi ab obiecto uniuoco, sed intellectus est potentia uniuoca, ergo eius specificatiuum debet esse uniuocum; at in communi sententia specificatiuum intellectus est ens, ergo debet esse uniuocum respectu inferiorum; mai. patet, cum enim specificatio sit commensuratio specificantis cum specificato, quale est specificatum, tale debet esse specificans.

Prob. 5. Deus est naturaliter intelligibilis ab intellectu, sed non posset intelligi, nisi haberet aliquam conuenientiam cum rebus creatis sensibilibus, ergo aliquam habet conuenientiam, at non habet conuenientiam in ratione Deitatis, infinitatis, & cæteratum rationum superexcedentium esse creatum, ergo in ratione entis, ergo ratio entis uniuoca est respectu Dei, & Creaturæ, & tantò magis respectu substantiæ, & accidentis. mai. prob. Deus enim est intra sphæram intelligibilitatis, ergo aliquo pacto potest ab intellectu

attingi, ſi enim eſset extra ſphæram, neq. ſupernaturaliter poſset attingi, ſicuti neq. ſupernaturaliter poteſt attingi hac ratione ab oculo corporeo. nunc etiam probatur, intellectus enim naturaliter habet ſolum ſpecies rerum ſenſibilium, ergo naturaliter non poteſt cognoſcere Deum, niſi per id, quod poteſt repræſentari per ſpecies ſenſibiles, ſed non poteſt repræſentari de Deo per ſpeciem ſenſibilem, niſi aliquid. in quo conueniat cum creaturis, ſpecies enim ſenſibilis de Deo reduplicatiuè, ut de Deo, nequit haberi, ergo intellectus naturaliter non poteſt cognoſcere Deum, niſi quia in aliquo conueniat cum creaturis.

7 Ob. primò. Vniuocum commune pluribus importat vnam ſimplicē, & indiuiſibilem rationem formalem, ſed non poteſt dari aliqua vna ratio entis indiuiſibilis, communis Deo, & Creaturis, ergo neq. ens vniuocum Deo, & Creaturis. mai. eſt certa, ſtatim enim ac ponitur aliqua diuiſibilitas, & diuerſitas in rationibus formalibus, tollitur vnitas, & vniuocatio; min. prob. ens enim creaturæ, etiam reduplicatiuè vt ens, eſt participatum, imparticipatum verò, & independens eſſe Dei, ergo &c.

Reſp. neg. min., ad illiuſq. probationem dico, verum eſſe, ens Dei eſſe ens imparticipatum, infinitum, &c. ens verò creaturæ, ens dependens, finitum, &c. at hæ ſunt rationes differentiales, ſeù coarctatiuæ entis vt ſic, quæ non tollunt vniuocationem; quando autem dicitur, quod ens Dei, reduplicatiuè vt ens Dei, eſt infinitum, &c. non eſt intelligendum, quod ſit infinitum, vt eſt ens ſimpliciter, ſed vt eſt tale ens, .ſ. ens Dei, ens enim vt ſic, præſcindit à finito, & in finito, & ſolum dicit amotionem à nihilo. Sed.

Inſt. ens Dei includit intrinſecè eſſe infinitum, imparticipatum, &c. ens verò creaturæ, eſſe finitum, participatum, &c. ergo non poteſt præſcindi ratio entis ab infinitate, & finitate.

Reſp. dato antecedenti, negando conſequentiā, nam certum eſt, quod ratio infinitatis non eſt ratio entis, ſicuti neq. finitatis, ens enim eſt, quod non eſt nihil, infinitum verò quod non habet finem, aut terminum, ſicuti è contra finitum; cum ergo ſit diuerſa ratio entis, & infinitatis, & finitatis, licet vel vna, vel alia ſemper ab ente intrinſecè importetur, tamen ratio ſimpliciſſima entis, cum non ſit, neq. ratio infinitatis, neq. finitatis, poterit vniuocè conuenire enti infinito, & finito. Sed.

Inſt. 2. Si hæc ratio entis, quæ in Deo præſcinderet ab infinitate, non eſſet Deus, ergo in Deo daretur aliquid, quod non eſſet Deus.

Reſp. quòd nos non dicimus, talem rationem entis in Deo, non eſſe infinitam, ſed ſolum aſſerimus in ſuo conceptu ſimpliciſſimo, non dicere infinitatem, ſicuti miſericordia Dei, licet vt miſericordia Dei ſit infinita, attamen conceptus miſericordiæ nō eſt īfinitas, ſed actus, aut potētia miſerendi, quare cum ſecundum talem conceptum, qui eſt non eſſe nihil, dicat aliquam conuenientiam cum entibus creatis, cū illis dicere vniuocationem non dubitamus aſſerere, maximè in noſtra ſententia admittente omnes rationes vniuerſales, non in aliquo ab inferioribus diſtincto, ſed in ipſis inferioribus ſimilibus, & conuenientibus.

Hoc autem totum Conf. à pari. Animalitas à parte rei, eſt neceſſariò, vel rationalis, vel irrationalis, & tamen importat vniuocationem, quia ſecundùm ſuum conceptum ſimpliciſſimum, nec dicit rationalitatem, nec irrationalitatem, ergo ita, licet ens Dei non poſſit non eſſe infinitum, & ens creaturæ finitum, quia tamen hoc non dicit ſecundùm ſimpliciſsimam rationem entis, erit vniuocum, & inſuper.

Conf. Ratio viuentis in homine eſt perfectior, quàm in Leone, & tamen, quia hoc prouenit à differentiis, non facit quod ratio viuentis non ſit uniuoca, ergo à pari dicendum de ente; ſed.

Inſt. non poteſt eſſe rationalitas, quæ non importet principium diſcurſiuum, ergo neq. poteſt eſſe ratio entis in Deo, non importans infinitatem.

Reſp. rationalitatem, & principium diſcurſiuum eſſe eamdem rationē formalem, ſolis uerbis diſſonantem, quare argumentum nihil concludit.

Ob. 2. Ratio uniuoca præciſa ab inferioribus, poteſt vniuocè de ipſis prædicari, ſed ratio entis præciſa à Deo, & à Creaturis, non poteſt de ipſis vniuocè prædicari, ergo non eſt uniuoca ratio præciſa entis, ergo tantò magis ratio entis non præciſa, mai. patet ex indiuiſibilitate rationis vniuocæ; min. prob. quia ratio entis, ſecundùm quam Creatura eſt aliquid reale, non poteſt prædicari de Deo, cum ſit ratio entis participati, & è contra illa ratio ſecundùm quam Deus eſt ens, nō poteſt prædicari de Creatura, quia eſt ens infinitum imparticipatum, ergo &c.

Reſp. neg. min. & ad illius probationem dico, nullā eſſe implicantiam, rationem abſtractam, & præciſam entis a Deo, & à Creaturis, de ipſis vniuocè prædicari, nam illa ratio abſtracta, neq. importat finitatem, neq. infinitatem, ſed ſolum non eſſe nihil: non eſſe autem nihil, tàm poteſt dici de Deo, quàm de Creaturis. Quando autem de Deo prædicatur ratio entis, non prædicatur ratio entis, quæ eſt in creatura, in quo eſſet implicantia, ſicuti quando prædicatur animal de Petro, non prædicatur animalitas, quæ eſt in Bucefalo, ſed quæ fuit abſtracta à Petro, & Bucefalo, vno verbo, animalitas intentionalis, cum enim prædicatio ſit opus intellectus, ideò prædicatur animalitas intentionalis, .ſ. abſtracta à Petro, & Bucefalo; ſic quando de Deo prædicatur ratio entis, non prædicatur ratio entis, quæ eſt in creatura, ſed ratio entis abſtracta à Deo, & à Creaturis, quare ex hoc non arguitur implicantia uniuocationis in ente ante præciſionem.

Ob. 3. Si ens ut ſic eſset vniuocum reſpectu Dei, 9
& creaturæ, & contraheretur ad Deum per infinitatem, ad creaturas verò per finitatem, ſequeretur dari compoſitionem in Deo ex ratione uniuoca ut ex ratione ſimpliciſsima, & uniuerſali, & ex finitate, ut ex differentia coarctatiua entis ut ſic,

ſed

sed omniscompositio in Deo simpliciter repugnat, ergo &c. sequela probatur, compositio enim metaphysica consistit in coarctatione rationis uniuersalis facta à differentia.

Resp. Etiam dato quod à parte rei daretur compositio metaphysica quod nos negamus, neg. sequelam, nam compositio metaphysica importat, unam formalitatem se habere, vt perfectibilem, aliā verò vt perfectiuam, quod sic non euenit in formalitate entis, & infinitatis, infinitas enim non est perfectiua entis, quare sicuti Deus dicitur simplicissimus, licet in se includat formalitatem essentiæ diuinæ, formalitatem misericordiæ, iustitiæ, & cæterorum attributorum, quia attributa non sunt perfectiua essentiæ, ita potest dici simplicissimus, licet includeret formalitatem rationis vniuocæ entia, & formalitatem differentiæ, demptis imperfectionibus, cum vnum in Deo non sit perfectiuum alterius. Sed.

Inst. Ratio entis in Deo per vos quà talis est, non est infinita, ergo perficitur ab infinitate, ergo cum ipsa facit compositionem.

Resp. nos non dicere, rationem entis in Deo non esse infinitam, sed asserimus, nō importare infinitatem secundùm rationem formalissimam entis, quare cum sit infinita, cum infinitate non facit compositionem.

Inst. 2. Ratio entis facit compositionem in creaturis cum differentiis coarctatiuis, ergo hoc etiam debet facere in Deo, consequentia prob. quia ratio entis est vniuoca, & eiusdem rationis in Deo, ac in Creaturis.

Resp. Dato etiam quod antecedens esset verum, quod suo loco videbitur, neg. consequentiam, nam ens in Creatura est dependens in existentia à causa extrinseca, tàm quoad se, quàm quoad coniunctionem sui cum differentiis, ens verò Dei, nec quòad se, nec quòad coniunctionem cum differentia est dependens, quare sicuti arguitur non compositio in Deo ex essentia, & attributis, quia essentia Dei in existentia sua tàm quòad se, quàm quòad coniunctionem cum attributis est indepedēs ab omni causa, ita dicendum est, non dari in Deo compositionem ex ente, infinitate, cæterisq. perfectionibus, quia ratio entis, & quòad se, & quòad coniunctionem cum differentia, est independens ab omni causa. Neq. valet, rationem entis esse vniuocam Deo & creaturis. Nam est vniuoca ratio simplicissima entis, non modus essendi, de quo infrà.

Ob. 3. Ratio vniuoca debet esse talis, ut æqualiter, & eodem modo participetur ab inferioribus, sed ratio entis, non æqualiter, sed diuerso modo, participatur à Deo, & à Creaturis, vt patet, ergo nō est vniuoca; mai. patet, cū enim consistat in indiuisibili, diuersum modum participationis non potest habere.

Resp. Aliquid æqualiter participari, duplicem sensum posse habere, primò, quod participetur eadem, & æqualis indiuisibilis ratio ab omnibus participantibus, secundò quod eodem modo .s. per eundem æqualem modum participetur. Hoc supposito in forma ad argumentum disting. mai. ratio vniuoca debet esse talis vt æqualiter, &c. si ly æqualiter intelligatur primo modo, & conc. mai. si secundo modo, & neg. mai. & sic pariter distinguo min. ratio entis non æqualiter participatur ab inferioribus, primo modo, vt est ratio simplicissima entis, & nego min. secundo modo ut ratio talis entis, seu ut importat modum essendi, & concedo min. Ens enim ut dicit simplicissimam rationem entis, seu simplicissimam remotionem à nihilo, æqualiter est in Deo, & in Creaturis, pro ut verò dicit determinatum modum essendi, seu participationis, solum importat analogiam, ut suo loco dicemus; sicuti animalitas respectu suorum inferiorum est uniuoca, & tamen diuersum modum essendi habet in homine, & in Bruto, in homine existit rationaliter, in Bruto verò irrationaliter; dicitur autem uniuoca, quia in suo simplicissimo conceptu est una indiuisibilis, & in tali ratione, eadem, & æqualis est in suis inferioribus, licet non æqualiter sit eadem, ut talis animalitas.

Ob. 4 Ratio vniuoca, saltem explicitè, debet non dicere suam differentiam constitutiuam, at ens 10
Dei, & Creaturæ nullo modo potest non dicere suā differentiam constitutiuam .s. esse creatum, & increatum, finitum, & infinitum; ergo ens respectu Dei, & Creaturæ non potest esse uniuocum.

Resp. neg. min. nam ens Dei, & Creaturæ explicitè solùm importat, non esse nihil, hoc autem nec dicit esse creatum, nec increatum, saltem secundùm conceptum explicitum, quidquid sit de cōceptu implicito; ad vniuocationem autem metaphysicā existentē āte præcisionē intellectus, sufficit unitas in inferioribus in aliqua ratione, secūdūm id quod talis ratio dicit explicitè, cum enim ex nostris principiis, non detur distinctio formalis a parte rei; ideò omnis formalitas à parte rei, dicit implicitè aliam formalitatem, quare diuersimode philosophādum est de uniuocatione metaphysica ante præcisionem, & de conceptu uniuoco præciso.

Ob. 5. Quando una ratio superior, & uniuoca descendit ad inferiora coarctata à differentiis, vna differentia non debet includi in alia, sed illi esse opposita, at differentia omnis Creaturæ includitur eminenter, & tamquam in causa in Deo, ergo &c.

Resp. disting. min. Includitur in Deo, quatenus est ens, & solùm dicit non esse nihil, & nego min. quatenus est tale ens .s. infinitum, increatum, & conc. min. quare corruit vis argumenti.

Ob. 6. Non potest dari aliquid superius, & prius Deo, sed ratio vniuoca est superior, & prior vniuocatis, ergo non datur ratio vniuoca Deo, & Creaturis, ergo ens &c. min. prob. quæcumq. enim ratio communis, est prior, & superior suis inferioribus.

Resp. Rationem vniuocam esse superiorem, & priorem, nihil aliud significare, nisi esse vniuersaliorem cæteris rationibus, & primò conceptibilē, quod in Deo nullam videtur importare imperfectionem, cum, ex eo quod ratio entis sit vniuersalior, & primò conceptibilis, non per hoc sequatur esse in re priorem cæteris rationibus, quod importaret imperfectionem.

Ob. 7. Ens vt sic, priùs descendit ad substantiā, 11

& postea ad accidens, ergo non est vniuocum respectu vtriusq. consequentia clara est, vniuocum enim æquali modo debet descendere ad sua inferiora; antecedens prob. accidens enim dependet à substantia, & dicitur ens entis. s. ens substantiæ, ergo ratio entis priùs descendit ad substantiam, postea ad accidens.

Resp. neg. antec. & ad illius probationem dico, accidens dependere à substantia, & dici illius ens, non ratione entis simpliciter, sed in ratione talis entis, s. entis accidentalis, quod clarè patet, ex eo quia dicit dependentiam à substantia, quatenùs ab ipsa substentatur, sed substentatur, secundùm illius essentiam totalem, ergo quatenus tale ens est s. accidens, nonquatenus est simpliciter ens, quare nullo pacto in ratione simplicissima ẽtis dependet à substantia, & ideo cum ens prius non descendat ad substantiam, postea ad ipsum, in ratione entis vniuocè cum ipsa conuenit.

Ob. 8. Quæcumq. ratio coarctatiua entis vt sic, est ens, sed rationes coarctatiuæ non sunt vniuocæ, ratio v. g. substantiæ, & accidentis, ergo neq. ens.

Resp. Rationes coarctatiuas esse ens secundùm id, quod dicunt implicitè, non verò secundùm id quod dicunt explicitè, quare licet secundùm esse explicitum non sint vniuocę, sunt tamen secundùm esse implicitum: Et ex hoc patet, quomodo ens sit contractum ad inferiora; est inquam contractũ s. est tale ens, per id, per quod interius secundùm modum essendi explicitum, non importat rationẽ entis, per talem enim modum essendi, vt potè explicitè non importantem rationem entis, tamquã per differentiam coarctatur ens, ad esse tale ens. Hæc autem contractio antè opus intellectus, non propriè importat compositionem metaphysicam, vt iam diximus cum de composito metaphysico in logica, cum rationes contractiua, & contrahibilis, non sint neq. realiter, neq. formaliter distinctæ, quod supponitur ad compositionem, sed solum importat, inferiora habere, & rationem entis, & rationem taliter essendi, quæ taleitas essendi secundùm explicitum, non dicitur ens: quare tota contractio entis, est potiùs per intellectum; fit autem ab ipso, quando conceptui vniuersalissimo entis, addendo cõceptum talis, vel tatis modi essendi, restringitur, & coarctatur talis conceptus vniuersalis entis, ad esse tale ens, quatenus enim ratio com nu issima entis componitur cum tali modo essendi, vel per se, vel in alio, qui modus essendi secundùm explicitum non dicit ens, fit compositio metaphysica talis entis, quę tamen non est cõpositio generis, & differentiæ, vt inferiùs, sed compositio rationis vniuersalis, & differentialis.

Ob. 9. Si ens esset vniuocum respectu substantiæ, & accidentis, esset genus respectu 10. Prædicamẽtorum, sed ens nõ potest esse genus ex supradictis, & etiam quia Genus ex Aristotele 3. Met. tex. 10. debet esse extra differentias, ens autem imbibitur in quacumq. differentia, ergo &c. mai. prob. quia omnia prædicamenta conueniunt in ratione superiori, differunt verò per proprias differentias, ergo &c.

Resp. Ens vt sic, neq. esse genus, neq. aliud prædicabile, sed per omnia transcendere, prędicabilia enim important determinatum modum essendi, & ideò fundantur in certis, & determinatis naturis, habentibus determinatum modum essendi, qualia sunt 10. Prædicamenta; ens autem vt sic, cum nõ habeat determinatum modum essendi, non potest dici genus, sicuti neq. est prædicamentum diuersum ab illis 10. sed omnia transcendit secundùm omnes sui partes differentiales, quare licet dicatur contrahi ens ad hoc, uel illud prędicamentum, per propriam rationem differentialem, tamen hec propriè nõ potest dici compositio metaphysica ex genere, & differentia, ut supra dicebam, cum differentię debeant esse extra genus secundùm totum suum esse, etiam implicitum, quod non euenit in differentiis coarctatiuis entis, nam licet ens ab ipsis totaliter possit præscindere, ipsę verò ab ente nequeunt præscindere, saltem secundùm esse implicitum, cum etiam secundùm illud sint entia, & ideo contractio entis nihil aliud importat, nisi ipsa inferiora entis, dicentia rationem entis, & rationem modi essendi eiusdem entia, in quo clarè patet, non interuenire compositionem metaphysicam. Quare ex hoc.

Collig. 1. Ens nullo pacto esse genus, sed solùm quid superius vniuocum, quod non est neque genus, 12
neq. species, &c. sed quid transcendens, quod dari non dubitamus asserere, cum ratio vniuoci, & generis sit omninò diuersa, nec una in alia includatur, imo ratio uniuoci sit quid superius ipsi generi, cum conueniat, & generi, & speciei, cæteris prædicabilibus, & enti transcendenti, vt optimè probat doctissimus noster Pasqual. in Metaphysica tomo primò disp. 39. sec. 2.

Coll. 2. Ens vt sic præcisum per intellectum tum præcisione formali, & inadæquata, tum adæquata, & obiectiua, esse vniuocum. De præcisione obiectiua clarè patet, cum enim in ipsa nullo pacto inuoluantur differentię, patet esse vniuocum; De Præcisione autem inadæquata, & formali prob. quia ratio entis metaphysica à parte rei, licet imbibita in differentiis, attamen dicit vniuocationem ex dictis, quia eas secundùm suum conceptum pręcisissimum non includit, ergo etiam si tales differentiæ attingantur per intellectum, quia ratio entis potest concipi, vt superior ipsis, & abstrahens ab ipsis in confuso cognitis, poterit esse vniuoca.

Coll. 3. Ens pro vt dicit modum essendi, seu rationem limitatiuam, esse analogum respectu suorũ inferiorum, cum enim hoc pacto importet diuersam, & inæqualem participationem, ideo analogum est, importat autem diuersam participationem, si quidem principaliùs, & perfectiùs est in Deo, cum sit ens infinitum simpliciter, quàm in Creatura, quæ est ens dependens, & finitum. Item in substantia, est ens simpliciter, & per se existens, in accidente verò, est ens secundùm quid, & in alio. Est autẽ ẽs hoc pacto anologũ, & Analogia Proportionis, & Attributionis; Attributionis si quidẽ, quia tũc reperitur, quãdo vna ratio participatur absolutè ab vno, & ab aliis dependenter, & cum ordine, & dependentia ad principale analogatum, sed

ratio

ratio entis in Deo, est perfectior, & independens, in creaturis verò cum dependentia ad Deum, ergo &c. Item, idem sequitur in substantia respectu accidentis, ergo &c. Est etiã analogũ anologia proportionis, nam talis est, quando membra participantia intrinsecè participant formam communem, & cum illa habent veram, & realem conuenientiam, licet aliunde inter se simpliciter sint diuersa, sed ens participatur à Deo, & à creaturis, à substantia, & ab accidente intrinsecè, licet aliundè sint diuersa, ergo &c.

Coll. 4. Ens vt sic præcisum, si sumatur secundũ simplicissimam rationem entis, prædicari vniuocè de suis inferioribus, si verò sumatur pro vt dicit determinatum modum essendi, analogicè: ratio autem est quia prædicatio sequitur esse, cum ergo primo modo sumptum sit vniuocum, prædicatur vniuocè, cum verò secundo modo sit analogum, analogicè prædicatur.

13 Coll. 5. Nullam dari rationem communem, seu conceptum vniuocum enti reali, & rationis, cum enim solùm in nomine conueniant, in re verò omninò discrepent, ideo nulla ratio ipsis communis, seu conceptus vniuocus potest dari.

Coll. 6. Ens vt ens, licet sit de essentia vniuscuiusq. rei, numquam ponendum esse in definitionibus, cum enim sit transcendens, & in quocumq. habente realitatem imbibatur, ideò nequit poni in definitionibus vt pars, seu genus, de cuius ratione est quod non includatur in alia comparte, seu in differentia. Quare, quando aliquando in aliqua ponitur definitione, non ponitur præcisè vt ens, pars definitionis, sed pro vt dans partibus realitatem, seu pro tali determinato ente. Hoc autem non est contra rationem definitionis, cum pars cui additur ratio realitatis, seu entis, secundùm id quòd dicit præter esse ens, sit extra rationem alterius compartis, quod sufficit.

SECTIO. III.

De Passionibus, seu Attributis entis, vt sic.

14 CErtum est apud omnes Philosophos, ens vt sic habere suas passiones, quæ de illo, & prædicari, & demonstrari possunt, cum enim de ente tali detur scientia, ergo debent dari quędam prædicata communia, quæ de illo prædicentur, & demonstrentur, & hæc vocantur attributa, quasi quod attribuantur enti, siue largo modo, passiones; Hæ autem, tres communiter assignantur .s. Vnitas Veritas, & Bonitas.

Certum est etiam, hæc attributa non esse res, & entia realia, realiter ab ipso distincta, ab eoq. per realem dependentiam, aut actionem emanantia, siue sint rationes positiuæ, siue modi, siue formalitates, nam ens vt sic complectitur sub se omnes, neq. aliquod datur ens, quod prædicetur realiter de toto ente, distinguatur realiter à toto ente, & emanet realiter ab ipso ente, atq. adeo hæc attributa, seu prædicata non possunt esse entia distincta ab ipso ente, quomodocumq. sumantur. Quare remanet inquirendum, quid verè sint.

Prima Conclusio. Attributa entis fundamentaliter, & in recto, dicunt ipsum ens, illiusq. positiuas perfectiones, ab ipso nullo pacto distinctas; formaliter verò important prædicata quædam, per diuersos conceptus magis explicantia ipsum ens, quæ non sunt nisi denominationes extrinsecæ. Ita Auersa quæ. 4. de passionibus entis sec. 3. Morandus quæ. 6. in metaph., & alii.

Prob. prima pars. Attributum entis non potest esse aliquid ab ipso distinctum, alioquin etiam ipsũ esset ens, & sic ens esset attributum entis, neq. etiam potest esse negatio, quia attributum cum ente reciprocatur, & identice sunt idem, quod si attributum esset negatio, etiam ens esset negatio, ergo debet importare fundamentaliter, & in recto ipsum ens, illiusq. positiuas perfectiones.

Prob. secunda pars. De ente vt sic, varij conceptus efformari possunt, magis, vel minùs explicitè per diuersa prædicata illud repræsentantes, ita quod vnum ex illis, quodammodo consequatur ad aliud, sed attributum est id quod consequitur ad quidditatem rei, ergo illa prędicata, quæ per diuersos conceptus de ente præter ipsius quidditatem possunt efformari, erunt attributa eiusdem entis; mai. prob. ens enim secundùm suam quidditatem est intelligibile, est indiuisum in se, est appetibile, sed hæc omnia per vnum solum conceptum, & prædicatum exhauriri non possunt, ergo per plures, ergo illa prædicata, per diuersos conceptus explicantiá magis quidditatem entis, erunt illius attributa.

Prob. 2. Attributum intelligitur quid posterius quidditate illius, cuius est attributum, sed in ente reali non est quid posterius ab ipso distinctum, ergo attributa entis non sunt quid posterius distinctum ab ipso, sed debent dicere solùm denominationes extriñsecas, explicitas per diuersa prædicata, à diuersis conceptibus.

Secunda Conclusio. Attributa entis sũt tria. s. Vnitas, Veritas, & Bonitas. Ita ferè communiter.

15 Prob. primò. Per hæc tria explicatur tota perfectio entis, sed per attributa explicantur perfectiones illius, cuius sunt attributa, ergo hæc tria solùm sunt attributa entis explicantia totam illius perfectionem; mai. prob. potest enim primò considerari ens pro vt habet quidditatem, sed hæc non est passio, sed ipsum ens, & radix passionum, & attributorum, secundò quatenus est indiuisum in se, & ecce Vnitas, tertio quatenus dicit ordinem ad intellectum, & potest intelligi, & esse Veritas, quartò deniq., quatenus dicit ordinem ad appetitum, seu ad aliam rem, cui possit esse bonum, & esse Bonitas, ergo cum his tribus explicetur tota perfectio entis, illa erunt solum illius attributa.

Prob. 2. Attributa entis, & cum ente, & inuicem debent reciprocari, & per omnia transcendere, sicuti transcendit ens, sed hæc solum sunt tria assignata, ergo &c. min. prob. de omni enim ente reali verificatur quod sit vnum, verum, bonum.

Item

Item de omni vno verificatur quod sit ens, verum, bonum. Item de omni bono, &c. Tum omne quod est, est verum, vnum, bonum, ergo & inuicem reciprocantur, & per omnia transcendunt, quare.

Coll. 1. Præter ens, vnum, uerum, bonum, non dari aliud transcendens. *Res* enim, & *aliquid* de quibus ab aliquibus dubitatur, non multiplicãt numerum transcendentium, ex eo quia sunt potiùs synonyma entis, significantq. idem ac ens, *aliquid* enim, vel sumitur latè, & dicit contradistinctionem à nihilo, & sic idem est, ac ens, uel strictè, & tùnc sumitur pro aliquo ente partiali, quod nullo pacto est transcendens. Item *res* propriè loquendo dicit aliquam entitatem determinatam, & ideò, quæ distinguuntur secũdùm determinatas entitates, dicuntur distingui secundùm rem, quare non potest esse transcẽdens, atq. adeò neutrum ex his, sunt entis attributa, vt optimè aduertit Suarez disp. 3. sec. 2. & Pasqual. disp. 25. sec. 6.

Neq. etiam perfectio, appetibilitas, vtilitas, intelligibilitas, scibilitas, &c. sunt attributa transcendentia, diuersa ab enumeratis, quia perfectio est idem, ac ens, appetibilitas, & utilitas idem, ac bonum, scibilitas, & intelligibilitas, idem ac uerum, quare illa tria assignata Vnum, Verum, & Bonum propriè, & rigorosè sunt attributa entis, ipsa uerò includunt alias perfectiones.

Collig. 2. Vnitatem transcendentalem, nihil aliud importare, nisi indiuisionẽ rei in se, idest, quod res non diuidatur in plura se, seu in plura, quæ sint adæquatè idem cum illa; Hæc autem unitas transcendit, competitq. omnibus rebus corporeis, & spiritualibus simplicibus, & compositis, substantiæ, & accidenti, &c. Et licet explicetur per negationem. s. per indiuisionem, non tamen est formaliter negatio, sicuti neq. irrationalitas explicata per negationem, est formaliter negatio, sed est ipsa entitas rei explicabilis per negationem unionis cũ alia re, quæ sit adæquatè eadem cum ipsa. Per quid autem ens sit indiuiduum. s. indiuisum in se, iam satis dictum est in logica cum de indiuiduo.

Coll. 3. Veritatem transcendentalem supra ens, nihil addere, nisi connotationem cognitionis extrinsecæ respectu intellectus, ratione cuius ens denominatur verum, & ita veritas est intelligibilitas, seu proportio illa, quam entia habent primò in ordine ad intellectum diuinum, ad quem entia omnia ordinantur, secundò ad intellectum creatum, omne enim ens aptũ est percipi ab intellectu creato; quare licet nullus daretur intellectus creatus, ens remaneret materialiter verum, quatenus est aptum intelligi, non verò formaliter.

Coll. 4. Bonitatem transcendentalem supra per- 16
fectionem, & entitatem rei, connotare conuenientiam alicui, ad quo res possit esse appetibilis; ratio autem est quia sicuti veritas cõsistit ĩ intelligibilitate per ordinem ad intellectum, ita bonitas in appetibilitate, per ordinem ad voluntatem, vel ad aliam rem cui sit bona. Hoc autem attributum conuenit, & est idem cum omni ente, & sic Deus est bonus per ordinem ad creaturas rationales, quibus est maximè bonus, imo quælibet res est etiam in ordine ad se ipsam bona, & licet detur aliqua res, quæ alteri non sit bona, erit tamen bona in ordine ad diuinam perfectionem, & bonitate trãscendentali. Et hæc sint de attributis entis.

DISPVTATIO TERTIA

De Essentia, Existentia, & Subsistentia entis.

IAm vidimus, quæ spectant ad ens, vt abstractum, modò remanent inquirenda, quæ pertinent ad illius essentiam, existentiam, & subsistentiam, peculiari modo consideratas, quæ prædicata licet sint etiam transcendentia, non ita tamen transcendunt, sicuti ens, existentia enim non conuertitur cum ente, cum sit ens non existens, sed solum possibile, & sic de cæteris, Sit ergo.

SECTIO PRIMA.

Quid sit essentia, & existentia entis, & an inter se distinguantur.

Essentia secundùm omnes, & in communi acceptione, *est ratio, per se primò conueniens rei, intrinsecè ipsam constituens, & à qua omnes proprietates eius emanant*, vt animalitas rationalitas respectu hominis: vocatur autem essentia varius modis, dicitur enim *natura* in ordine ad passiones proprias cuius est principium, dicitur *quidditas* quia explicat quid res sit, dicitur *ratio formalis* quia est id quod principaliùs, & formaliùs ab intellectu concipitur, dicitur etiam *substantia* non pro vt substantia opponitur accidenti, sed in latiori significatione, quatenus per ipsam res est id, quod est. Hæc autem ratio, per quam res intrinsecè constituitur, seu essentia, componitur ex quibusdam gradibus metaphysicis, fundantibus diuersa prædicata s. ex gradibus genericis, & differentialibus, tàm specificè, quàm indiuidualiter, sic essentia hominis componitur ex animalitate, & rationalitate, animalitas est gradus metaphysicus genericus, ratio-

tiona-

tionalitas gradus differentialis specificè; hi autem gradus, non habent inter se necessariam connexionem, nisi ex suppositione decreti diuini; nam poterat Deus rationalitatem ponere in lapide, animalitatem in Angelis, &c. hæc enim prædicata secundùm se non dicunt contradictionem, sed solummodo ex suppositione, quòd Deus ita decreuerit talem essentiam componi ex his gradibus metaphysicis, aliam verò ex aliis.

Hos verò gradus metaphysicos nullam distinctionem realem dicere inter se, sed solùm virtualem, asserendum est, vt dictum est in Logica, cum de vniuersalibus.

Quid autem importet essentia ex his gradibus composita in statu possibilitatis, variè disputant D. D. meliùs tamen existimo dicendum cum Pasqualigo disp. 76. in Metaphysica sect. 3. Spinula dis. 1 in Metaphysica sec. 2. essentias possibiles, seu entia possibilia nihil aliud importare antequam sint, nisi virtutem causæ potentia illas producere, ita vt secundùm se, res, & creaturæ possibiles, nullum fundamentum habeant, siuè positiuum, siuè negatiuum distinctum à causa, & solùm denominentur possibiles, quia continentur eminentur in virtute causæ, ratio autem est, quia ens possibile in esse possibili debet esse posterior Deo, & ab illo dependere, ergo priùs debet intelligi virtus in Deo illud producendi, ergo in talem virtutem refundenda est possibilitas eius, atq. adeò Creatura quà possibilis, est ipsa causa, non quòd creatura specificatiuè sit causa, sed reduplicatiuè, quà possibilis.

2 Et ex hoc colligitur. Quid sit impossibilitas rerum; est inquam, quod in Deo non est virtus productiua Chimeræ v. g. Neq. hoc indicat imperfectionem in Deo, immò est summa perfectio; nam virtus productiua Chimeræ, ex supposito quod daretur, esset virtus ficta, & defectuosa, ergo illam non habere est summa perfectio; esset inquam defectuosa, nam virtus productiua Chimeræ, esset productiua hominis v. g. & non productiua, quod est quid defectuosum, esset quidem productiua, quia importaret positionem prædicatorum essētialium hominis, non esset autem productiua, quia non poneret esse hominis, ergo esset productiua, & non productiua, quod est quid defectuosum, ergo impossibilitas Chimeræ, est, quia Deus vtpotè summè verum ens, & summè perfectum nequit producere quid fictum, & quod importat imperfectionem: quare sicuti summa perfectio Dei est radix omnis possibilitatis, ita etiam omnis impossibilitatis, quidquid dicant multi recentiores, refundentes impossibilitatem Chimeræ, non in Deum, sed in Chimeram, dicentes, illam esse impossibilem, quia ex se implicat, non quia illa à Deo nequeat produci quasi quod potentia Dei pendeat à possibilitate, vel impossibilitate Creaturæ. Videantur de hac re P. Spin. Pasqu. loco supracit.

Existentia autem entis in communi acceptione *est illa actualitas, per quam formaliter res constituitur extra suam causam, & extra nihil*; formaliter dixi, quia efficienter constituitur extra causam per ipsam causam, dixi etiam *extra nihil*, quia per suam existentiam Deus non constituitur extra causas, benè quidem extra nihil. Hic ergo inquirimus, an existentia distinguatur ab essentia, quando est in actu, quando enim est possibilis solùm, cum non importet nisi ipsam causam, certum est distingui ab existentia in tempore producta.

Prima Conclus. Essentia in actu, & existentia nullo pacto distinguuntur realiter. Ita Nominales Gabriel in 3. dis. 6. Greg. in 2. dist. 6. quæst. 1. Suarez dis. 31 in Metaph. sect. 2. Valentia 1. par. dis. 1: qu. 3. pun. 4. §. vlt. Ouiedo cont. 2. in Metaph. pun. 2. Arriaga disp. 2. in Metaph. sect. 3. Tellez in Metaph. disp. 51. sect. 2. Morandus, Pasquali, Pontius, Guarinus, Serbellonus, Comptonus, & alii ab ipsis citati. 3

Prob. 1. Per existentiam res dicitur esse in actu, sed vnaquæq. res est formaliter in actu per suam entitatem, ergo per suam entitatem, seu essentiam est existens, ergo existentia non distinguitur ab essentia; min. pr. quia quando res aliqua creatur, vel producitur extra caulas, ipsa ētitas rei producitur extra causas, ergo entitas per se ipsam est in actu formaliter.

Prob. 2. Si est ratio, quare admittenda sit existentia distincta ab essentia, est quia essentia transit de non esse actu, ad esse actu, & consequenter indiget aliqua forma, per quam transeat, sed hęc ratio non vrget, ergo &c. min. prob. existentia possibilis, etiam ipsa transit de non esse actu, ad esse actu sine aliquo distincto, ergo hoc etiam poterit dici de essentia.

Neq. valet, esse disparitatem, ex eo quia existentia cum sit ratio, per quam res existit, ipsa non exigit aliud, per quod existat, sicuti actio, quia est ratio, quà Agens operatur, non indiget alia actione, quà producatur.

Resp. enim. Existentiam possibilem non necessariò existere, sed esse indifferentem ad existendum, quare si aduersarii admittunt aliquid distinctum ab essentia, quo fiat existens, ex eo quia secundùm se est solum possibilis, tale etiam debet admitti ad faciendam existentiam possibilem, esse existētiam actualem, nec exemplum de actione valet, quia necessariò causa per actionem producit effectum.

Prob. 3. Quando homo, v. g. existit, vel sunt in illo duo entia actu, essentia s. & existentia, vel nō, si non, ergo essentia, & existentia sunt idem, neque distinguuntur realiter, si primum, ergo essentia habet suam existentiam sibi identificatam, per quā redditur ens actu, nihil enim potest esse ens per aliquid à se realiter distinctum, præsertim per modum formæ, cum forma supponat subiectum illam recipiens, nullum est autem subiectum aptum formam recipere, nisi saltem in aliquo priori existat, ergo &c.

Prob. 4. Per id aliqua res formaliter existit per quod ponitur formaliter extra causam, sed essentia Petri, v. g. formaliter ponitur extra causam, per ipsam suam met entitatem, ergo per ipsam, & non per aliquid distinctum, existit; min. prob. per id formaliter aliquid ponitur extra causam, per quod formaliter tollitur negatio sui, sed per ipsammet entitatem Petri tollitur negatio sui, ergo per enti-

tatem

tatem Petri, essentia Petri ponitur extra causas, ergo existentia non est nisi essentia actu, ipsius met Petri.

4 Prob. 5. Actio siue creatiua, siue productiua, rei, nedum terminat ad existentiam, sed etiam ad essentiam, ergo res existit per ipsam essentiam, & non per aliquid distinctū; conf. pr. actio enim physica non potest terminare ad aliquid solum possibile, & non existens, ergo si terminat ad essentiam, terminat ad illam, vt ad aliquid existens; quod verò actio terminet ad essentiam, & essentia verè producatur, patet, nam non est ens à se, sed quid productum verè positum extra causam, per actionem ad ipsam terminantem.

Prob. 6. Si essentia rei distingueretur ab existentia eiusdem, cum etiam existentia habeat propriam essentiam, etiam ipsa deberet ab ipsa distingui, sed hoc nemo dicit, ergo neq. id, ex quo sequitur.

Prob. 7. Compositio realis supponit extrema existentia, vel ergo in re sunt duo extrema existentia, essentia, .s. & existentia, vel non; si non, ergo neq. datur compositio, & sic neq. distinctio realis inter essentiā, & existentiā, si primum, ergo cum essentia sit existens à se, ad quid admittere existentiam distinctam, per quam existat.

Prob. 8. Vel existentia est forma afficiens essentiam, vel modus illam modificans, non forma, faceret enim compositum physicum, deinde forma supponit subiectū aliqua prioritate existens; neq. etiam modus, nam etiam ipse supponit subiectum existens, ergo quomodocumq. esset, priùs intelligeretur essentia existens, quā informata ab ista forma, vel modificata ab isto modo, ergo, &c.

Neq. valet dicere, essentiam ante existentiam existere inchoatiuè, non verò perfectè .s. habere actum inchoatiuum essendi, qui per existentiam postea perficiatur.

Resp. enim. Hoc existere inchoatiuè, vel importare existere in potentia causæ, vel extra causam, si in causa, hæc nullo pacto potest vocari existentia, sed solùm potentia ad existentiam; si extra causā, hæc est existentia perfecta, nō inchoatiua, existentia enim consistit, in indiuisibili, & in non esse in causa, ergo quotiescumq. datur aliquid non habens esse in causa, sed extra, iam est existens perfectè, & non tantùm inchoatiuè.

Prob. 9. Essentiæ existentes differunt intrinsecè ab essentijs possibilibus, sed non differrent intrinsecè, si existentia esset aliquid distinctum ab essentijs, ergo non est aliquid distinctum, mai. conc. ab omnibus, min. prob. nam si existentia esset aliquid superadditum essentijs, ergo essentiæ secundùm se, & intrinsecè non differrent.

5 Ob. 1. Essentia est ab æterno, non verò existentia, ergo distinguūtur. Item existentia producitur per causam efficientem, non verò essentia, quæ est ab æterno, ergo distinguuntur.

Resp. disting. antec. Essentia possibilis, & conc. essentia actualis, & nego, & sic distinguo etiam aliud argumentum, non producitur essentia possibilis, & conc. actualis, & nego; quare essentia actualis nullo pacto distinguitur ab existentia, sed est ipsa met res extra causam, quæ quidem extractio fit per causam efficientem. Hæc autem distinctio maximè est aduertenda, quia eneruat multa argumenta contrariæ sententiæ, cum sensus quæstionis est de essentia actuali, non autē de possibili, quæ vt vidimus, non est nisi omnipotentia diuina.

Ob. 2. Commune axioma est, essentias rerum esse ingenerabiles, & incorruptibiles, sed huiusmodi non sunt existentiæ, ergo distinguuntur.

Res. etiam. Essentias rerum, physicè loquendo, generari, & corrumpi, sicuti existentias, quare sensus illius axiomatis est, quod essentiæ, quoad esse possibile sunt ingenerabiles, & incorruptibiles, quāuis enim destruatur equus, ignis, lapis, &c. non potest tamen fieri, quin illius essentia perficeret possibilis.

Obijc. 3. Esse creatum est esse receptum in aliquo, sed esse creatum importat existentiam, ergo debet supponi essentia, in quo producatur, ergo distinguuntur.

Resp. neg maio. Solùm enim importat recipere esse ab aliquo, non in aliquo recipi, sic materia prima, & Angelus, .s. sint quid creatum, non tamen dicuntur recepta in aliquo; quare non est necesse, essentiā præexistere ad recipiendam existentiam; deinde si essentia præexisteret ante existentiam distinctam, ergo aliam existentiam sibi propriam priùs haberet, nihil enim existit quod non habeat existentiam, ergo ad quid aliam distinctam admittere.

Ob. 4. Non potest aliquid concipi sub contradictorio illius, quod cum illo identificatur, sed potest concipi essentia cum contradictorio existentiæ, .s. cum negatione existentiæ, ergo quia non identificantur; mai patet, non enim potest concipi equus cum negatione Hinnibilitatis; min. prob. potest enim concipi essentia creata cum negatione existentiæ.

Resp. neg. min. & ad illius probationem dico, quod si concipiatur essentia actu, nequit concipi absq. existentia, cum habere essentiā actu, sit actu existere, si verò concipiatur essentia possibilis, tunc etiam debet concipi existentia possibilis, sicuti enim tunc essentia est solum possibilis, ita & illius existentia, quod si eius existentia non esset possibilis, neq. esset possibilis essentia, in tantùm enim essentiæ sunt possibiles, in quantùm actu esse possunt extra causas.

Ob. 5. Deus solùm existit per suam essentiam, 6
ergo Creaturæ vt sunt diuersæ à Deo, debent existere per quid superadditum essentiæ.

Resp. differre existentiam Dei, ab illa Creaturarum, quia illa est æterna, & indefectibilis, creaturarum verò contingens, & defectibilis; quare licet vtraq. essentia, tam finita, quàm infinita existat; essentia tamen Dei indefectibiliter existit, non sic verò essentia Creaturæ, quæ potest non existere, & defectibiliter existit.

Ob. 6. Quædam conueniunt essentiæ, quæ non conueniunt existentiæ, ergo saltem formaliter distinguuntur, antecedens prob. quia combinatio graduum metaphysicorum, & prædicatorum dicitur de essentia, non vero de existentia, ergo &c.

Resp.

Resp. Neque formaliter distingui essentiam ab existentia si ly *formaliter* supponat cum Scoto, diuersas formalitates in re; nam nullo pacto datur talis distinctio in rebus, vt iam toties diximus, animalitas enim v. g. non distinguitur formaliter à rationalitate, sed idemmet homo, & discurrit, & sentit, qui effectus diuersi, cum proueniant ab eodem homine, quatenus habet virtutem illos producendi, sunt in causa, quod intellectus aliquas efformet reduplicationes, & formalitates, dicendo .s. homo quà rationalis discurrit, quà animal sentit, sicuti etiam de eadem indiuisibili albedine, quatenus inhæret dicit, quod est accidens, quatenus disgregat visum, dicit, quod est albedo; si verò ly *formaliter* intelligatur *virtualiter* concedo, & talem distinctionem virtualem inter essētiam, & existentiam, non respuo. Hæc tamen nihil aliud importat, nisi eamdem met rem habere virtutē, diuersa prædicata fundandi, in ordine ad diuersos effectus, quos habet, quare.

Colligitur. Inter essentiam actualem, & existentiam, esse solummodo distinctionem virtualē, .s. nullam realem, benè verò fundamentum, & virtutem diuersa prædicata fundandi.

Ob. vlt. Essentia materiæ non est eadem ac essentia formæ, at per vos potest sustineri, essentiam formæ, non habere propriam existentiam sed existere, per existentiam materiæ, ergo essentia formæ erit distincta ab existentia per quam existit, ergo &c.

Resp. dist. min. Essentia formæ non habet propriam existentiam, per quam existat independenter ab existentia materiæ, & conc. min. non habet propriam existentiam, ita vt existat per existentiam ab ipsa distinctam, & nego minorem, simul cum consequentia; aliud est enim dicere, formam existere per existentiam materiæ, aliud, talem existentiam esse distinctam à forma, primū concedimus, secundum negamus; nam in tali opinione essentia formæ ponitur in actu per existentiam materiæ, atq. adeo ab ipsa non distinguitur, est enim eadem existentia duplicis essentiæ, in quo nulla, meo iudicio, apparet implicantia, maximè in sententia, quam diximus posse sustineri, formam non esse entitatiuam, sed solummodo terminum substantialem complentem materiam, sicuti enim v. g. in anima, vna sola reperitur existentia, & tamen tres potentiæ, realiter in sententia aliquorum distinctæ, per eamdem ab ipsis indistinctam existentiam existunt, ita suo modo philosophandum est de existentia materiæ.

SECTIO III.

1 *De Subsistentia Entis.*

Certum est, & ex articulis fidei deducitur, in homine præter naturam humanam indiuiduam, & sigularem, esse aliquid aliud, ab illa distinctum, atq. adeo separabile, quod communiter vocatur Subsistentia. Cum enim sancitum sit, in Christo Domino, non fuisse subsistentiam, seu personam creatam, benè tamen veram naturam humanam singularem, & indiuiduam, subsistentem tamen, per subsistentiam Verbi, ideò à natura humana subsistentiam esse distinctam asserendum est, cum natura, non subsistentia assumpta sit à Verbo.

Certum est etiam, in omnium ferè sententia, subsistentiam esse vltimum complementum substantiæ, qua substantia affecta dicitur Suppositum, & ratione cuius redditur natura incommunicabilis alteri, vt supposito, per indiuiduationem enī natura redditur incommunicabilis alteri naturæ, per subsistentiam redditur incommunicabilis alteri supposito. Hæc autem reperitur in omnibus substantiis, si enim de fide est in homine, cur debet negari ab ijs substātijs? Diue simodè tamē denominat substātias illa affectas, nam si afficit substantiam intellectualem, illam denominat Personam, vel Suppositum, vnde definita fuit Persona à Boetio in lib. de duabus naturis, est *rationalis naturę indiuidua substantia* intelligendo pro ly *indiuidua* incommunicabilem totaliter; persona enim est indiuiduum completum, neq. vt pars, neq. vt totum, alteri, vt supposito communicabile, quale nō est omne indiuiduum, quod licet secundum suam formalissimā rationem sumptum sit singolare, tamē est communicabile alteri, vt supposito; quare etiā meliùs definita fuit à Ricc. lib. 4. de Trin. cap. 23. *persona est rationalis naturæ incommunicabilis existentia*, per quā definitionē excluditur à ratione personæ anima rationalis, quæ licet sit substantia, per se stans, tamen quia est communicabilis corpori, non potest dici persona.

Si verò subsistentia alias substantias non intellectuales afficiat, illas, Supposita, seu Hypostases denominat, & ita quæcumq. substantia subsistens, & non intellectualis, Hypostasis, & Suppositum dicitur, non verò persona, substantia verò intellectualis subsistens, vt Deus, Angeli, & homo, nedum persona, sed Suppositum, & Hypostasis potest appellari.

Hæc autem subsistentia, si sumatur in concreto .s. pro eo, quod subsistit, potest dici suppositum, & Hypostasis; immò & persona, si sumatur de natura intellectuali, quare idem est hoc pacto ac persona, Suppositum, & Hypostasis; si verò sumatur in abstracto, .s. pro ratione subsistendi, vocatur suppositalitas respectu omnium substantiarum, & personalitas respectu substantiæ rationalis.

Et ex hoc patet, differentia inter Indiuiduum, 8
Suppositum, & Personam; Indiuiduum enim est incommunicabile alteri, vt naturę, non verò vt supposito, diciturq. etiā de accidentibus. Suppositum importat incōmunicabilitatē, tùm substantiæ rationalis, tùm irrationalis, alteri, vt supposito, sicuti etiam hoc importat Hypostasis. Persona verò dicit solùm incommunicabilitatem respectu substantiæ rationalis.

His ergo tamquam certis præsuppositis, dubitatur primo, An hæc subsistētia importet aliquid positiuū, vel negatiuū, secundò, quid sit, tertiò, quē effectum formalē producat in subiecto, seu natura, sumendo tamen naturam, non pro vt in Physicis,

ſed pro aliquo toto, ſiue ſimplici, vt eſt Angelus, ſiue compoſito, vt homo, leo, lapis &c. vltimò deniq. quomodo ab ipſa natura diſtinguatur, diſtingui enim certum eſt, cum de fide habeatur, naturam poſſe ſtare ſiue propria ſubſiſtentia. Sit ergo.

Prima Concluſio. Subſiſtentia creata eſt aliquid poſitiuum ſupra naturam. Ita ferè communiter omnes tam antiqui quàm recentiores ſequentes D. Tho. prima par. quæſt. 3. art. 3. & ſæpè alibi, contra tamen Scotiſtas, & aliquos paucos, aſſerentes importare ſolum aliquid negatiuum.

Prob. 1.. Verbũ diuinum de fide aſſũpſit naturã humanam, non aſſumpta Hypoſtaſi, ergo Hypoſtaſis, & ſubſiſtentia eſt aliquid diſtinctum à natura, ſed non poteſt eſſe aliquod negatiuum, ergo poſitiuum; prima conſequentia patet, nam in his, quæ ſũt õninò idẽ à parte rei, quidquid cõpetit vni, cõpetit & alteri, ergo cũ à parte rei cõpetat naturæ eſſe aſſumptam à Verbo, non verò Hypoſtaſi, non ſunt idem, ſed aliquid diſtinctum, min. principalis probationis probatur; Hypoſtaſis, ſeu ſubſiſtentia eſt complementum naturæ realis poſitiuæ, ſed nullum poſitiuum completur per negatiuum, ergo Hypoſtaſis, & ſubſiſtentia eſt quid poſitiuum, non negatiuum.

Prob. 2. Verbum diuinũm ex fide ſuppleuit ſubſiſtentiam, & ſuppoſitalitatem creatam naturæ aſſumptæ, ſed nulla negatio ſuppletur per aliquod poſitiuum, ergo ſubſiſtentia creata ſuppleta à Verbo non eſt quid negatiuum, ſed quid poſitiuum.

Prob. 3. Subſiſtẽtia complet intrinſecè naturam ſubſtantialem in ratione ſupppoſiti, ſed ex negatiuo, & poſitiuo non fit vnum completum intrinſecè per ſe, ergo ſubſiſtentia non eſt quid negatiuum, benè verò poſitiuum; min. prob. aer enim tenebroſus cum tenebris non facit vnum per ſe, ſed per accidens.

9 Prob, 4. Omnis negatio fundatur in aliquo poſitiuo, ergo ſi per aduerſarios ſubſiſtentia eſt negatio, debet in aliquo poſitiuo fundari, ergo melius dicendum, hoc poſitiuum formaliter eſſe ſubſiſtentiam, ad quod conſequatur talis negatio, vel dependentiæ, vel communicationis.

Ob. primò. Verbum diuinum aſſumpſit totam naturam humanam perfectam, ſed hoc non poſſet dici, ſi ſubſiſtentia eſſet aliquid poſitiuum, ergo &c. min. prob. nam ſi ſubſiſtentia eſſet aliquid poſitiuum, eſſet perfectiuum naturæ humanę, ergo cum illam non aſſumpſerit, neq. naturam humanam perfectam aſſumpſiſſe dicendum eſſet.

Reſp. Verbum aſſumpſiſſe totam naturam humanã perfectã in ratione naturæ, nõ verò ĩ ratione perſonæ, & ſecũdũ ſubſiſtẽtiã, aſſũpſit enĩ quod erat aſſumptibile, ſed ſubſiſtentia, vt potè vltimus terminus non eſt aſſumptibilis, ſed ſolum natura, ergo ſolam naturam aſſumpſit, quare aliqua perfectione Chriſtus caruit, quæ debetur homini quatenus perſona creata, loco tamẽ illius perfectionis, habuit maiorẽm .ſ. ſubſiſtentiam diuinam; Neq. tamen dicendum eſt, naturam humanam Chriſti tunc fuiſſe in ſtatu violento, vt potè priuatã propria ſubſiſtentia, quia per ſubſiſtentiam diuinam multò perfectiùs ſatiatus fuit in eodem genere appetitus naturæ ad ſubſiſtendum.

Ob. 2. ex D. Damaſceno habetur, quod non fuit aſſumptum curatum non fuit, ergo ſi ſubſiſtentia eſt aliquid poſitiuum, & hæc aſſumpta non fuit, ergo aliquid poſitiuum in natura curatum non fuit.

Reſp Non fuiſſe curatum id quod non fuit aſſũptum, ſi tamen fuit aſſumptibile; quare cum ſubſiſtentia aſſumptibilis non ſit, ad hoc vt dicatur curata, ſufficit quod ſit modus illius naturæ, quæ per ſe curata fuit.

Secũda Concluſio. Subſiſtentia creata eſt modus, quo natura ſubſtantialis vltimò terminata per ſe exiſtit, ſeu modus, quo natura ſubſtantialiter exiſtit per ſe incommunicabilis, & independẽter ab alio, ita quod, illud per ſe ſtare cum independentia, & incommunicabilitate ad aliud, quod reperitur in natura ſubſtantia. i. ſit quidam modus, qui afficiens naturam exiſtentem, facit, vt ipſa ſit Suppoſitum, & Hypoſtaſis. Ita Suarez diſp. 34. in Metaphyſica ſec. 4. Vaſquez 3. parte diſtinct. 31, cap. 6. Lugo diſp. 12. de Incarn. cap. 7. Tellez parte 3. in Metaph. diſp. 55. ſec. 1. Guarinus diſp. 2. in Phy. exp. 3. Spinula diſp. vlt. in Met. ſec. 2. Videtur etiam in hanc ſententiam conuenire Faber. in 3. Sent. diſp. 2. cap. 5. ad. 6. vbi explicat modum eſſendi, eſſe illud negatiuum aſſertum à Scoto, & Scotiſtis. 10

Prob. primò. Modus eſt actualis determinatio rei indifferentis, ſed huiuſmodi eſt ſubſiſtentia creata, ergo eſt modus; min. prob. per ſubſiſtentiam enim natura alioquin indifferens ad eſſe hoc numero ſuppoſitum, determinatur à ſubſiſtentia ad eſſe hoc numero ſuppoſitum, ergo eſt modus.

Prob. 2. Sic ſe habet ſubſiſtentia reſpectu ſubſtantiæ, ſicuti inhærentia reſpectu accidentis, ſed inhærentia reſpectu accidentis eſt modus, ergo & ſubſiſtentia debet eſſe modus.

Prob. 3. Ille eſt modus, qui nequit eſſe, neq. ſupernaturaliter ſine re, cuius eſt modus è contra verò res ſine illo ſaltem diuinitus poteſt ſtare, ſed huiuſmodi eſt ſubſiſtentia, ergo eſt modus; min. prob. non poteſt enim ſubſiſtentia ſtare ſeparata à natura, cum ſit illius eſſentialis terminus; è cõtra verò natura aſſumpta à Verbo fuit ſine propria ſubſiſtentia, ergo ſubſiſtentiã eſſe modum aſſerendum eſt. Hinc ex hoc.

Coll. inter ſubſiſtentiam, & naturam ſolùm eſſe diſtinctionem modalem, non realem .ſ. inter rem, & rem, & hoc, tum ex ſupradictis, tum quia ſi ſubſiſtentia diſtingueretur realiter à natura, vt res à re, poſſet ſaltem diuinitùs exiſtere ſeparata à natura, vt euenit in accidentibus, quæ quia diſtinguuntur realiter à ſubſtantia, diuinitùs conſeruantur abſque ſubſtantia, ſed ſubſiſtentia, vt ferè communiter fatentur, nullo pacto poteſt exiſtere per ſe, ſeparata à natura, cum ſit eſſentialis illius terminus, ergo non eſſe rem realiter diſtinctam à natura dicendum eſt, ſed ſolum modaliter, atq. adeo cum illa ſolùm illam compoſitionem facere, quam faciunt modi cum

rebus

rebus, quarum sunt modi.

Obijc. 1. Subsistentia creata suppleta fuit à Verbo, sed verbum nequit supplere vllum modum, ergo dicendum, subsistentiam non esse modum, sed rem realiter distinctam à natura, min. prob. neq. enim vbi, neq. figura creata, qui sunt modi, suppleri possunt à Deo.

Resp. distingu. min. Nequit supplere modum inuoluentem imperfectionem conc., non inuoluentem imperfectionem, & nego; esse autem terminum naturę nullam dicit imperfectionem, & hoc maximè patet ex eo quia, tàm realitas supplens, quàm modus suppletus conueniunt in nomine, & habent eumdem effectum formalem, saltem in genere, scilicet reddere naturam terminatam, & completam, & incommunicabilem. Non potest autem Verbum supplere modos Vbi, & Figuræ, quia cùm sint termini, & modi accidentales, per realitatem maximè increatam, suppleri non possunt, talium modorum imperfectiones. Hoc autem non euenit in subsistentia, quæ est modus substantialis.

Obijcies 2. Omnis modus naturæ est essentialis determinatio illius ad aliud, sed nulla subsistentia creata est essentialis determinatio naturæ ad aliud, ergo nulla subsistentia creata est modus naturæ.

Resp. neg. min. Per subsistentiam enim determinatur natura ad suppositum, scilicet determinatur v.g. humanitas ad hominem, eadem enim humanitas vnita subsistentiæ euadit homo, sicuti idem homo, per Vbi determinatur ad certum locum, ergo dicendum, subsistentiam esse modum.

11 Obijcies 3 Modus est determinatio rei indifferentis, sed subsistentia non supponit naturam indifferentem, immò necessariissimè ad Hypostasim determinatam, ergo non potest esse modus.

Resp. disting. min. Supponitur natura, &c. ad Hypostasim vt sic, conc. min. ad talem Hypostasim, & neg. min. quare à tali Hypostasi potest determinari, sicuti licet corpus sit determinatum ad Vbi, nequit enim esse, saltem naturaliter, sine illo, tamen Vbi dicitur illius modus accidentalis, quia potest ab hoc, vel ab illo determinari.

Obijcies 4. Subsistentia diuina non est modus ergo neq. creata.

Resp. Nullam esse consequentiam, nam potest etiam dici subsistentia diuina identificatur cum natura diuina, ergo etiam creata cum natura creata, quod tamen est falsum, distinguitur enim ab ipsa, quare à subsistentia diuina non est arguenda quidditas subsistentiæ creatæ, neq. cum illa sit realitas, etiam istam esse realitatem asserendum est.

Pro tertia Concl. Notandum est, subsistentiã propriè loquendo non esse causam formalẽ, siquidem non est forma, si enim esset forma, esset aliqua prioritate prior, quam est compositum, sed subsistentia, vt potè terminus naturæ, & compositi est posterior, ergo &c. Tum quia si esset forma, non potuisset à Deo per se ipsum suppleri, ergo &c. Hoc tamen non obstante comparatur subsistentia ad naturam, veluti forma illam terminans, & quodammodo informans, & ex hoc sequitur, subsistentiam, licet posteriorem natura, aliquos effectus formales in illa causare; qui autem sit primarius, & principalis, maximè contendunt D.D. pro solutione autem controuersiæ. Sit.

Tertia Conclusio. Effectus formalis primarius subsistentiæ est complere, seu vltimò terminare naturam in ratione suppositi. Ita Tellez disp. 57. sect. 2. Comp. disp. 8. Met. sect. 5. & alij multi ab ipsis relati. 12

Prob. 1. Effectus formalis cuiuscumque formæ, nihil aliud importat, quàm formam in subiecto, sed per hoc quod subsistentia compleat, & vltimò terminet naturam in ratione suppositi, habetur forma in subiecto, seù subsistentia in natura, ergo effectus formalis, & primarius subsistentiæ respectu naturæ est complere naturam, & illam terminare in ratione suppositi, ita vt per illam compleatur, & perficiatur intrinsecè in ratione existendi completè per se.

Prob. 2. Ille est effectus formalis primarius, à quo cæteri eiusdem ordinis quodammodo dependent, sed effectus alij causati formaliter à subsistentia in natura, dependent à terminatione, & complemento naturę in ratione suppositi, ergo talis est effectus formalis primarius; prob. min. inductione; natura per subsistentiam redditur independens à supposito alieno, sed hoc prouenit, in quantùm est vltimò terminata, & completa in ratione suppositi, ergo &c. Item natura per subsistentiam redditur incommunicabilis alteri supposito, sed talis incommunicabilitas prouenit ex eo quia est vltimò terminata, ergo &c. & sic patet inductione aliorum effectuum formalium, quare facilis erit solutio cuiuscumq. argumenti in contrarium.

Quer. An anima rationalis, & aliæ formæ substantiales habeant propriam subsistentiam partialem, atq. adeò an in composito sint duę subsistentiæ partiales. 13

Resp. Probabilius asserendum, quamcumque formam habere propriam partialem subsistentiã, atq. adeo in composito plures esse subsistẽtias partiales, ratio autem est de anima rationali, quia creatio ex D. Thom. terminatur ad rem subsistentem, sed anima creatur à Deo, ergo habet propriam subsistentiam, Tum quia anima in aliquo priori naturæ creatur antequam vniatur materiæ, ergo in illo priori debet subsistere per propriam subsistentiam. Tum quia id habet propriam subsistentiam, quod ab Hypostasi Verbi potest assumi, sed anima rationalis potest assumi Hypostaticè à Verbo etiam separata à corpore, siquidem, vt ex fide, in triduo mortis vnita fuit Verbo, ergo habet propriam subsistentiam.

Prob. De alijs formis materialibus (in sententia tamen asserente eas habere propriam entitatem) formæ materiales habent suum esse substantiale, sed omne esse substantiale exigit naturaliter suum complementum, ergo formæ materiales habent suum terminum, & complementum, s. subsistentiam. Tum quia forma est incommunicabilis alteri in ratione formæ, sed incõmunicabilitas prouenit

à subsistentia, ergo &c. Tum quia equus habet subsistentiam completam, sed hæc subsistentia non potest esse subsistentia solius materiæ, quę est incompleta, ergo formæ, & materiæ, & ex hoc.

Coll. Subsistentiā Compositi, siue sit vna indiuisibilis substantialiter, & specificè, siuè duplex, esse tamen diuisibilem integraliter, ita vt, si omnes partes integrantes diuiderentur, diuideretur etiam subsistentia, quare ne dum formam, sed & materiā, immo, omnes partes integrantes habere propriam partialem subsistentiam, constituentem vnam integram, & completam, asserendum est, omnes partes integrantes inquam, sed substantiales, accidentia enim non habent subsistentiam, cum hæc sit modus substantialis solius substantiæ, & hinc est, quod accidens immediatè assumi non potest per diuinam Hypostasim, vt communiter docent omnes Theologi. Videātur de hoc Tellez disp. 56. sec. 3. Comptonus disp. 8. Met. sec 9. Hurtadus disp. 2. in Phy. sec. 7. num. 100. Ouiedo Cont. 6. in metaph. Pun. 4. & alii multi ab ipsis relati.

Quæres 2. Quænam sit causa efficiens subsistentiæ.

Resp. Probabiliùs dicendum, esse Agens producens naturam: ratio autem est, quia Agens producens rem, producit etiam modum rei, sed subsistentia est modus naturæ, ergo producens naturam, producit etiam hunc illius modum: Tum quia Agēs producens accidens, producit etiam illius inhærentiam, ergo Agens producens substantiam, producet illius subsistentiam; Tum quia Creatio est rerum subsistentium, ergo quando Deus creauit Angelos, creauit etiam illorum subsistentias, Tum deniq. aliis rationibus, quas afferunt Vasquez tom. 1. in 3. part. quæ. 4. art. 2. disp. 7. num. 10. Bannes in prima par. quæ. 3. art. 3. & alii sequaces huius sententię,

Quæ. 3. Quæ sit causa materialis subsistentiæ. 14

Resp. Esse naturam, seu substantiam, quę terminatur, & completur; Ratio autē est quia ipsa est, quæ quodāmodo informatur à subsistentia, ergo.

Quæ. 4. Quomodo subsistentia se habeat respectu operationum.

Resp. Subsistentiā non esse principium influens, neq. partialiter in operationes, sed solummodo esse conditionem à priori aliquo pacto requisitam ad operandum. Ratio autem principalis deducitur ex vnione Hypostatica Verbi cum natura nostra; Humanitas enim Christi eodem modo producebat suas operationes, ac nostra natura, sed humanitas Christi producebat suas operationes sine peculiari concursu effectiuo subsistentię Verbi, ergo & in operationibus humanis non concurrere effectiuè subsistentiam, asserendum est; min. conc. ab omnibus, & patet ex eo quia operationes Verbi ad extra fuerunt communes omnibus tribus Personis, vtpotè procedentes à principio omnibus communi .i. ab omnipotentia, non à personalitatibus. Quare dicendum est, subsistentiam se habere solummodo ut conditionem ad operandū. sicuti se habet approximatio respectu operationis ignis. Quādo autē dicitur, actiones esse suppositorū, intelligitur denominatiuè, quod enim conuenit alicui parti suppositi propriè, & rigorosè, denominatiuè toti tribuitur supposito, & sic dicitur, homo intelligit, videt, &c. licet per intellectum intelligat, per oculos videat, &c.

Plura alia de subsistentia essent inquirenda, sed quia magis spectant ad Mysterium Incarnationis ideò de illis cum de Incarnatione.

Et hæc sint dicta in vniuersam Philosophiam
ad laudem Omnipotentis Dei, Beatissimæ Virginis. Beati Patris Nostri Caietani, &
S. Thomæ.

FINIS VNIVERSÆ PHILOSOPHIÆ.

INDEX
RERVM NOTABILIVM
Quæ in hoc Opere continentur.

Primus numerus paginam denotat; Secundus verò, numerum marginalem:

A

Actio

Anima

quoad

Cor-

Dentes.

Habe-

Ens reale.

Enthymema.

Enunciatio

Epyciclus.

Essentia.

Etherogenea.

Euidentia.

Exemplum.

Exhalatio.

Existentia.

Existen-

G

Generatio.

Ilius

Aliud

Quare

Etiam

L

M

N

Nasus.

Defi-

O

Quare

Su-

Quali-

R

Species

Lll 2 Sub-

Deus


V

Vniuoca

REGISTRVM.

✠ ✠ † A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Ss Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn.

Omnes sunt duerniones præter ✠ qui est ternio.



VERONAE,

Apud Andream de Rubeis. M.DC.LXVII.
Superiorum Permissu.

Su-

Quali-

S

Species

Ll 2 Sub-

Deus

V

Vniuoca

REGISTRVM.

✠ ✠ † A B C D E F G H I K L M N O P Q R S T V X Y Z Aa Bb Cc Dd Ee Ff Gg Hh Ii Kk Ll Mm Nn Oo Pp Qq Rr Sf Tt Vv Xx Yy Zz Aaa Bbb Ccc Ddd Eee Fff Ggg Hhh Iii Kkk Lll Mmm Nnn.

Omnes sunt duerniones præter ✠ qui est ternio.



VERONAE.

Apud Andream de Rubeis. M. DC. LXVII.
Superiorum Permissu.